This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

No 88

C73

[redacted]

D_4 XI - XII



SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

---

Tomus undecimus.

De Eucharistia et Confirmatione.

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1902.

E-16[illegible]

D[illegible]

19[illegible]

v. [illegible]

TRACTATUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTIS

ORDINATIS AD FIRMANDAM ET ROBORANDAM ANIMÆ SANITATEM AC SANCTITATEM.

INNUMERIS *licet gloriæ titulis celebranda sit, ac mirum in modum commendanda cœlestis nostri Medici et divini Samaritani pietas, et effusa in nos misericordia, quod nostris morbis et animi languoribus nedum succursum esse voluerit per ea Sacramenta, quæ ad sananda peccati vulnera, et eluendas eorum sordes, ac reliquias abstergendas instituit ac ordinavit; sed novo ac geminato beneficio restauratam animæ sanitatem, ac sanctitatem per Sacramenta Eucharistiæ ac Confirmationis confirmare et propagare dignatus fuerit.*

Ea enim est hujus utriusque Sacramenti virtus et efficacia, ut acceptam ab homine Christiano et justo sanctificantem gratiam, geminato ac uberiore irriguo fœcundatam, in singulos Christi fideles derivent ac diffundant. Per Eucharistiam *enim nutrimur ac vegetamur; per* Confirmationem *autem adversus omnes dæmonum et hominum infestantes occursus armamur ad prælium, et ad victoriam et coronam accingimur.*

Quamquam autem, ut in hujus quarti libri præfatione ac delineatione prænotatum est (hujus Edit. tom. 9) nobis mens fuerit prius de Ordine, *ac* Matrimonio, *(quibus gratia propagatur, ac diffunditur in alios) quam de Eucharistia et Confirmatione disputare; nihilominus, re maturius librata, consultius judicavimus præscriptum nobis ordinem tantillum invertere, ut quorumdam ex nostris Fratribus Eucharistiæ delineationem ac tractationem, quam primum expostulantibus, votis ac desideriis faceremus satis.*

Est et aliud hujusce nostri suscepti laboris ac innovatæ ordinationis argumentum, ipsa videlicet Eucharistiæ dignitas et præeminentia, quæ utique tanta est, tamque a nostris sensibus ac animi conceptibus remota, ut vix ullus sit mortalium, qui illam rudiori licet penicillo delineare audeat, ac repræsentare. Quis enim etsi eloquentissimorum hominum linguis loquatur, aut Angelorum, verbis exprimere possit infinitam illam benignitatem, qua subministrato nobis in terra eodem cibo, quo Beati in cœlo regnantes pascuntur, Ecclesiæ triumphantis delicias nobis adhuc medios inter hostes militantibus conferre voluit adorandus Salvator, ac sempiternam Paradisi felicitatem anticipato beneficio nobis propinare? Nullum certe divinius ab eo beneficium amantissimis filiis hac in vita conferri, nullum æternæ, quam in futuro sæculo parat, felicitatis dulcius ac illustrius pignus præbere potuit, quam stupendum hoc Eucharistiæ Sacramentum, in quo idem conviva et convivium, *inquit S. Hiero-*

nymus, et quo effectum est, ut divinitate unctæ Christi carni agglutinati, spiritu Christi, et ipsa Divinitate viveremus. Nam, ut præclare ait Tertullianus, Caro corpore et sanguine Domini vescimur, ut anima de Deo saginetur. *Scilicet Deus Corpore suo ac divino Sanguine homines alit, ut eos pristina vilitate relicta, ad generosam cæli prosapiam ac felicitatem sublimaret; quidquid enim dulcedinis et gloriæ ex divinitate Corpori suo accedit, largissime communicat Corpus suum in Eucharistia sumentibus, ut merito de Eucharistia dictum, ac in ea consummatum Christi Domini oraculum censuerit S. Cyrillus, quo Patrem æternum de Discipulis alloquens, ajebat:* Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. *Quo certe vota hominum vincit Dei liberalitas, et hujus Sacramenti munificentiam, audacem eorum superat ambitionem; quis enim tanta elatione superbiret, ut præsumat æque generosum sanguinem habere, ac ipsum Deum, et claritatem ac gloriam Christi ambire?*

Unde in hoc divinissimo mysterio divinus amor merito Tertulliani verbis dici potest Sublimatus in consummationem; *de illo namque S. Cyprianus intelligit illud Davidicum:* Omnis consummationis vidi finem: *et optimo quidem jure: nam in Eucharistia consummatur plane divina omnipotentia, memoriam faciens mirabilium suorum, quando misericors et miserator Dominus semetipsum dat escam timentibus se; consummatur Sapientia, totam claudens in exiguo, quando ædificans sibi domum miscuit vinum, et posuit mensam: consummatur amor, quia, ut festive quidam ait, In hoc Sacramento* Hercules fixit columnas, et dixit: Non plus ultra: *Nam, inquit sacer Evangelista, hujus Sacramenti delineationem referre gestiens,* cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, *scilicet excurrit quantum potuit divinus amor, ut in homines suæ munificentiæ pignora effunderet; at vero cum ultimam metam, extremumque limitem in Eucharistiæ Sacramento attigisset, suæ exundantis in homines veluti prodigalitatis magnitudinem miratus, ac pene stupens, stetit, positisque columnis,* dixit: Non plus ultra.

Quæ omnia præclare colligit et expendit Concilium Tridentinum, cum ait: Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcipit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

Quin etiam (addit Arcudius) divini hujus Sacramenti excellentia, dignitas, et majestas tanta est, ut præ illo neque bona censeantur esse cætera. *Quid enim* (inquit sacer ille Zacharias) *bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans vir-*

gines? In alia quippe Sacramenta influit quidem Christus Dominus atque concurrit ad producendam gratiam, cæterum universalis instar causæ, quæque in cælo existit, non adeo immediate attingit effectum; hic præter illam τελεστουργὸν δύναμιν divinam vim effectricem, quam impartit aliis Sacramentis, ipsemet Auctor virtutis est præsens, et cum suscipiente mediis speciebus mira conjunctione sese devincit. Unde in aliis mysteriis, veluti per rivulos quosdam cælestem gratiam a capite ductam participamus; hic in proprio fonte Auctorem bonorum spiritualium uberrime degustamus. Quanta igitur dignitas inde in hominem derivetur, qui honor, quæ nobilitas, quæ divitiæ, quod pignus amoris, quæ emolumenta inde emanare soleant, quis mortalium aut verbis explicare, aut mente assequi poterit? *Hæc ille.*

Nihilominus quoniam silere non patitur tam referta, tamque necessaria dicendi materies, idcirco hujus divini Sacramenti delineationem, quantum ex aliorum dictis, et scriptis, maxime Subtilis Doctoris, tamen affulgebit in sequenti Disputatione auspicabimur.

DISPUTATIO PRIMA.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Tanta est hujus divini Sacramenti magnitudo, ut cum illius eximias dotes ac cælestes prærogativas perspicacissimi quique, juxta ac elegantissimi sacri Auctores, nec verbo, nec mente possent assequi, plurimas in illius commendationem et encomium illustres appellationes congesserunt. Sic ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, illud appellavit S. Dionysius, *sacrificium divinissimum;* Ignatius autem *antidotum mortis, pharmacum immortalitatis;* Origenes, *panem beatitudinis;* Tertullianus, *Eucharistiam medicam;* Amphylochius junior, *feretrum immortalitatis;* Athanasius, *panem beatificantis;* Chrysologus, *æternæ vitæ cibarium;* Cyprianus, *Alimoniam immortalitatis, et vitæ æternæ portionem;* Hieronymus, *omnium novitatum novitatem;* Damascenus, *omnium officinam miraculorum;* Bernardus, *sanctum sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amorem amorum, dulcedinem dulcedinorum.* Sic cæteri quique SS. Patres encomiis ac periphrasticis nominibus, in hujus divini Sacramenti commendationem et laudes excurrunt. — *Verum,* quoniam longum esset omnia ejusmodi encomia prosequi, idcirco ne diutius in limine detineamur, solum juvat hic ea percensere nomina, quæ ad institutum nostrum juvant, et rerum dicendarum elucidationem. Sciendum igitur in primis, hoc Sacramentum a vocabulo græco εὐχαριστέω appellatum *Eucharistiam,* idest, *bonam gratiam* seu *gratiarum actionem,* nam εὖ significat *bene,* et χαρις idem est ac *gratia.* Appellatur, inquam, *bona gratia: tum* quia continet in se Christum Dominum, qui vera gratia dici potest, atque charismatum fons: *tum* quia vitam æternam, qua scriptum est, *gratia Dei vita æterna,* præsignificat. Nec vero minus apte *gratiarum actio* appellatur: *tum* quia in ejus institutione Christus gratias egit, etenim *accipiens panem fregit, ac gratias egit dicens, Hoc est Corpus meum,* Matth. 16.: *tum* quia ad gratias Deo pro universis beneficiis referendas nihil hac purissima hostia Deo acceptius offerre possumus; nam, inquit S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Littera,* cap. 11. *Cultus*

Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata, unde in verissimo, et singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias jubemur. Tum denique quia Sacramentum hoc est memoriale mirabilium omnium, præcipue vero Redemptionis, quo vel uno cætera gratiæ beneficia continentur, nam ex 1. Cor. 10. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quapropter S. Chrysost., Homil. 25. in cap. 8. Matth. *Optima,* inquit, *beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum actio, propterea tremenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni synaxi celebramus. Eucharistiam nuncupamus, sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos providentiæ ostendunt, nosque faciunt debitas semper gratias exsolvere.* — *Secundo,* ratione materiæ, ex qua potissimum conficitur, appellatur *panis:* sic Joann. 6. *Panis, quem ego dabo, cāro mea est pro mundi vita.* Quam utique appellationem sortitur, *tum* propter materiam præcedentem ex qua conficitur, *tum* propter accidentia panis, quæ post consecrationem permanent, ratione quorum extrinsecam panis formam et figuram refert; quemadmodum Gen. 18. et 19. Angeli in humana specie apparentes appellantur homines; *tum* demum quia sicut pane corpus hominis vescitur et saginatur, ita Christus Dominus se in convivio Eucharistiæ manducantibus dat spiritus pinguedinem. Dicitur etiam *fractio panis, tum* quia frangere panem in Scripturis, idem est ac panem comedere, vel comedendum distribuere; sic Act. 2. *Frangentes circa domos panem, sumebant cibum;* Eucharistia autem distribuitur fidelibus: *tum* quia in ipsa institutione Christus Dominus Luc. 22. dixit Discipulis: *Accipite, et dividite inter vos.* Unde S. Paulus, 1. Cor. 19. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Hinc Luc. 24. Discipuli euntes in Castellum Emaus *cognoverunt Dominum in fractione panis.* — *Ratione significati,* appellatur Corpus et Sanguis Christi Domini, quia nimirum utrumque sub speciebus continetur; unde Tertullianus, lib. *De Resurr. Carnis,* cap. 8. præclare ait: *Caro corpore, et sanguine Domini vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* — Ratione vero *signi et significati simul,* dicitur *Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi.* Ita S. Aug., lib. 1. *De Peccatorum Mer.,* cap. 24. *Optime,* inquit, *periti Christiani Baptismum nihil aliud quam salutem, et Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud quam vitam vocant.* — Ratione *loci* in quo celebratur et conficitur, nominatur solito *Sacramentum Altaris.* Ita idem S. Aug., Epist. 50. *Convivium Domini,* inquit, *unitas est corporis, non solum in Sacramento Altaris, sed etiam in vinculo pacis.* — Ratione *suscipientium* appellatur *Sacramentum fidelium* a S. Aug., Serm. 2. *De Verbis Apost.*, cap. 1. *tum* quia soli fideles sunt illius suscipiendi capaces: *tum* quia illis solis licebat, quæ de hoc divino mysterio clare dicebantur, audire; nam coram Catechumenis nonnisi obscure, et cum maxima cautela de eo fiebat sermo: tum maxime quia in illo veluti centro unitur fidelium religio, et nonnisi ad exhibendum debitum Deo cultum fideles solebant ad illud convenire. Unde etiam hac ratione appellatur *Synaxis,* idest Conventus seu Congregatio. Ita S. Dionysius, lib. *De Eccles. Hierarchia,* cap. 3. *Tum* quia præcipuus fidelium Conventus fit ad hujus divini Sacramenti venera-

tionem et participationem: hinc S. Ignatius, Epist. ad Ephesios monebat fideles: *Date operam ut sæpius congregemini ad Eucharistiam, et agere Synaxes. Tum* quia est Sacramentum unionis, concordiæ et pacis inter fideles. Qua etiam ratione vocatur *Communio*, hoc est communis fidelium unio, tum inter se, tum cum Christo; nam communicatione Corporis et Sanguinis Christi, fideles non solum cum ipso Christo Domino, sed etiam invicem sociantur, quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se, unde Apost. 1. Cor. 1. *Unus panis, et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.* Quæ verba expendens S. Aug., Tract. 29. in Joann. exclamat: *O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis!.. Litigabant utique ad invicem Judæi; quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant, nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam unus panis.* Eadem pariter ratione dicitur *mensa Domini: tum* quia fideles ad Eucharistiam convenientes, ad sacras Christi Domini Corporis et Sanguinis epulas, et cæleste convivium quo anima Deo saginatur, ad Altaris cancellos, tamquam ad sacram mensam accedebant. Unde Apost. 1. ad Cor. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum*, etc. *Tum* quia post susceptam divinam Eucharistiam solebant fideles ad communes epulas accedere, in quibus pauperes a ditioribus reficiebantur, et eidem mensæ accumbebant. Quæ utique refectio, seu quod convivium vocabatur *Agape*, cujus meminit S. Judas in Canonica Epistola, dum arguit fideles, qui ventri nimium indulgebant post sacram Synaxim: *Hi sunt*, inquit, *in epulis suis* (græce in agapis) *maculæ, convivantes sine timore*, etc. Et Apost. 1. ad Cor. 11. scribens: *Cum convenitis*, inquit, *ad manducandum*, scilicet corpus Domini, *invicem expectate: Si quis esurit, domi manducet. Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam Cœnam manducare, unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* etc. Quibus arguit nonnullorum divitum inter fideles ventris ingluviem, qui ut lautius post sumptam Eucharistiam epularentur, sese substrahebant a consortio pauperum, et seorsim ab eis mensæ accumbebant. Ritum Agaparum describit S. Chrysost., Homil. 27. in cap. 11., 1. ad Cor., ubi de fidelibus nascentis Ecclesiæ ita scribit: *Statutis diebus mensas, faciebant communes, et peracta Synaxi, post Sacramentorum Communionem, ineibant convivium, divitibus quidem cibos suppeditantibus pauperibus vocatis, et omnibus communiter vescentibus.* Ipsi præiverat Tertullianus in Apologetico scribens: *Cœna nostra de nomine suo rationem sui ostendit; vocatur enim* Agape, *quod est apud Græcos dilectio, quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes refrigerio isto juvantur.* Solebant autem hæc convivia fieri in templis, et sacris locis; verum propter quorumdam fidelium immodestiam sancitum est in Conc. Laodic., Can. 28. *Non oportet in dominicis locis, seu Ecclesiis Agapem facere, et intus manducare, vel accubitus sternere.* Quæ utique sanctio innovata est in Synodo 7. Can. 74. — Ratione *subsidii et solatii*, quo vegetari ac recreari solent fideles in extrema infirmitate hoc divino

cibo refecti, appellatur *Viaticum*, idest, *cibus itinerarius: tum* quia hoc Sacramento ad æternam felicitatem via sternitur et munitur: *tum* quia fidelibus in periculo mortis constitutis ex præscripto Ecclesiæ Sacramentum hoc ministrari debet, quo arctam viam, quæ ducit ad vitam, in illis momentis extremis grandiori periculo septam inoffenso pede possint decurrere; unde in Concilio Nycæno, Can. 16. statuitur, *De iis, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur.* — Ratione temporis et horæ, quo primum instituta fuit, appellatur *Cœna*, quia videlicet Sacramentum hoc in novissima Cœna a Christo Domino priusquam pateretur institutum est; cujus utique sacræ Cœnæ appellationem nonnulli desumunt ex illis Apostoli verbis supra laudatis, *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam Cœnam manducare.* Hæc enim de Eucharistia dicta esse volunt S. August., Epist. 18. et S. Eligius, Hom. 15. Quamvis etiam non pauci existiment Apostolum eo loco de Cœna Dominica et Eucharistica non esse locutum, sed de convivio communi, quo nascentis Ecclesiæ fideles una reficiebantur simul in unum dives et pauper. — Ratione *dignitatis* et *variorum effectuum* variis aliis nominibus et gloriæ titulis a SS. Patribus illustratur, ut patebit in hujus Disputationis decursu.

Ut autem hujus divini Sacramenti (quod Germanus Constantinopolitanus vocat *arcam luminum*) tractatui aliqua lux affulgeat, præsentem Disputationem, ut fieri assolet, tres in Articulos totidem Sectionibus dividendos distribuemus, quorum *primus* hujus divini Sacramenti existentiam, institutionem, et naturam aperiet: *secundus* realem Christi Domini Corporis et Sanguinis præsentiam sub speciebus panis et vini, et utriusque substantiæ in idem Corpus et Sanguinem transubstantiationem, et existendi, operandi, ac patiendi modum declarabit: *tertius* denique, illius Ministrum, Susceptores, et effectus designabit. Quoniam autem Eucharistia nedum Sacramentum est, sed etiam Sacrificium novæ Legis; idcirco tribus his Articulis addemus Appendicem de augustissimo Missæ Sacrificio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SECUNDUM SE.

Consentiunt omnes quotquot Christo per sacrum Baptisma nomen dederunt, ipsum pridie, quam pateretur, et absoluta cœna legali, Eucharistiam instituisse, cum accipiens panem, similiter et calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, dedit Discipulis suis, dicens: *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum:* et *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus*, etc. Hanc enim apertam veritatem testantur nedum sacri Evangelistæ, disertis verbis semel, et iterum explicat Apostolus, docent cujusvis sæculi SS. Patres, Concilia definiunt, fideles omnes profitentur; sed nequidem ipsi heterodoxi reclamant. Verum triplex capitalis occurrit libranda difficultas et controversia de hujus divini Sacramenti institutione et realitate. Cum enim inquit Sentent. Magister dist. 8. tria hic sint distinguenda: *unum, quod tantum est Sacramentum: alterum quod est Sacramentum et res: et tertium,*

quod est res, et non Sacramentum; seu quod idem est cum in Sacramento sit ratio formalis, ratio significans, et id quod significatur: hinc triplex capitalis movetur controversia: *prima* circa hujus Sacramentalis signi existentiam, essentiam, et institutionem: *secunda* circa res significantes, nempe species panis, et vini: *tertia* circa rem significatam, videlicet Carnem et Sanguinem Christi. Quæ utique triplex controversia, ut perspicacius ac distinctius libretur et discutiatur, ipsam tribus in sequentibus Sectionibus examinabimus.

SECTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA, ESSENTIA, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Tria maxime hic occurrunt determinanda: *primum*, utrum revera Eucharistia sit Sacramentum: *secundum*, utrum sit unicum Sacramentum, vel multiplex: *tertium* qua die, et hora fuerit institutum; quorum resolutio patebit ex tribus sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA,

UTRUM EUCHARISTIA SIT UNUM EX NOVÆ LEGIS SACRAMENTIS.

Notandum 1. Seu potius repetendum ex jam pluries dictis, ad perfectam Sacramenti rationem et constitutionem, tria potissimum desiderari, nimirum *primo*, quod sit signum sensibile divinitus institutum; *secundo*, quod significet gratiam ordinatam ad hominum sanctificationem; *tertio*, quod sit permanens, et Ecclesiæ, quamdiu perseverabit illius in hoc sæculo status, a Deo concessum. Quærimus ergo, utrum tria hæc Eucharistiæ competant, unde veri et perfecti novæ Legis Sacramenti rationem obtineat.

Notandum 2. Quod etsi omnes hujus temporis hæretici ultro fateantur Eucharistiam esse novæ Legis Sacramentum; attamen non ita consentiunt in assignanda hujus divini Sacramenti ratione, nam illam in solo usu, non autem in re permanenti volunt consistere; Lutherani namque docent usum, in quo reponunt Eucharistiæ Sacramentum, eas omnes actiones esse, quas ipse Christus Dominus exercuit in hujus Sacramenti institutione, nimirum acceptionem panis in manus, benedictionem, fractionem, distributionem, et manducationem. Ita explicat Kemnitius in examine Concilii Tridentini, 2. part. ad cap. 3. et Can. 4. Sess. 13. Calvinus autem, lib. 4. *Instit.*, cap. 17. contendit, panem et vinum Eucharisticum non habere rationem Sacramenti, nisi cum actu sumitur, ait enim n. 37. *Quæro qua virtute putant, hostiam esse rite consecratam? nempe verba illa proferunt,* Hoc est corpus meum: *ego vero contra objiciam, simul dictum esse,* Accipite, et Manducate, *neque id de nihilo faciam; cum enim præcepto annexa sit promissio, et dico hanc sub illo ita inclusam, ut separata fiat omnino nulla.* Et n. 39. impudenter non minus, quam impie Ecclesiæ doctrinam vellicat, cum ait: *Totam siquidem vim consecrationis a Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quasi hoc nihil ad populum pertineret, cui mysterium maxime explicari oportuerat: inde autem natus est hic error,*

quod non observabant promissiones illas, quibus conficitur consecratio, non ad elementa ipsa, sed ad eos, qui recipiunt, destinari: atqui non panem alloquitur Christus ut corpus suum fiat, sed Discipulos jubet manducare; atque illis corporis, et sanguinis sui communicationem pollicetur... His rationibus clare patet, repositionem Sacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis extra ordinem distribuatur, inutilem esse. Eis ex parte subscribit Antonius de Dominis, lib. 5. *De Repub. Christiana*, cap. 6. n. 257. ubi asserit Eucharistiæ Sacramentum ab una quidem publica Communione, ad aliam usque manere pro iis, qui non participarunt in publica Communione, velut advenis aut ægrotis; non vero si diutius subsistat Eucharistia, habebit rationem Sacramenti.

Notandum 3. Sacramentum Eucharistiæ congruentissime fuisse institutum, cujus utique quatuor congruentiæ rationes profert Doctor, dist. 8. q. 1. n. 3. « Congruum, *inquit*, est Christum esse nobiscum « in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam « et devotionem ad Christum: et hoc patet de facto, quod quasi omnis « devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum; propter « hoc enim Clericus majori diligentia persolvit officium divinum in « ordinem ad Missam; propter hoc etiam populus devotius audit Missam, « cum sit aliquod aliud officium Ecclesiasticum; propter hoc etiam sin« guli cum majori diligentia confitentur, quando intendunt secundum « ordinationem Ecclesiæ, saltem semel in anno communicare. *Secundo*, « congruum fuit post generationem spiritualem conferri etiam nobis « nutrimentum spirituale, et illud magis congrue nobis datur sub si« militudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale præ« cipuum consistit in pane et vino. *Tertia* congruitas, quod signum « sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad « verba aliqua ab aliquo Ministro proferenda; quia aliter nesciremus, « quando in tali signo esset Christus, et quando non, et sic periret « reverentia debita et devotio. *Quarto*, congruum fuit, quod in pro« latione illorum verborum Minister esset in Ecclesia excellens, sci« licet Sacerdos, per cujus actum ministerialem Christus sic incipiat « esse nobiscum ». *Ita Doctor.* Quibus ita præmissis, duo hic supersunt determinanda: *primum*, utrum Eucharistia sit verum novæ Legis Sacramentum: *secundum*, an consistat in usu, vel in esse permanenti.

Conclusio prima. — Eucharistia est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Hæc est de fide, determinata in variis Conciliis, maxime Nycæno, Can. 18. et lib. 3. *De divina mensa*, Constantinopolitano sexto, actione 8. Trullensi, Can. 28. Nicæno secundo, actione 6. Lateranensi sub Innocentio tertio, cap. *Firmiter;* sed præcipue Florentino in decreto Eugenii, et Tridentino in omnibus Canonibus de Eucharistia.

Idem docent omnes SS. Patres cujusvis sæculi, et ea veritas ita constantissima est, ut nullus unquam extiterit hæreticus, qui eam expresse negaverit; licet enim plurimi male senserint de hujus venerandi Sacramenti efficacia, repræsentatione, ritu, et usu, nullus tamen, ut observat Vazquez, disp. 167. cap. 1., negavit unquam Eucharistiam esse verum ac proprie dictum Sacramentum; vel si qui eam verita-

tem in dubium revocaverint, ita absurde dogmatizaverunt, ut insanientes magis quam aliquid, quod levi rationis indicio niteretur, proferentes appararent; quemadmodum Bogomili apud Eutychium, 2. parte *Panopliæ*, Tit. 23. Can. 27., qui Eucharistiam nihil aliud esse, quam orationem Dominicam, et Evangelii lectionem somniabant. Imo, ut notat Prateolus, parte 11. verbo Mahumetes, infamis ille Pseudo-Propheta, qui omnes prope Evangelicas veritates in suo Alcorano pessundavit, et interpolavit, nihilominus in 4. cap. fatetur, hoc Sacramentum esse veneratione dignum.

Idipsum etiam aperta suadet ratio: Sacramentum enim est signum sensibile ex institutione divina significans effectum gratuitum ordinatum ad nostram sanctificationem: sed Eucharistia est ejusmodi: *primo* namque, est signum sensibile per species panis et vini; *secundo*, significat effectum gratuitum, nempe Corpus et Sanguinem Christi, idque ex institutione divina. Licet autem præcise non significet immediate gratiam accidentalem; tamen (inquit Doctor, dist. 8. num. 4.) significat effectum aliquem Dei gratuitum, scilicet esse Corporis et Sanguinis Christi sub tali specie: gratia autem in definitione Sacramenti non accipitur tantum pro gratia accidentali, sed pro effectu Dei gratuito. *Adde quod* etiam gratiam sanctificantem hoc Sacramentum significat, et infert suscipientibus, nam Joan. 6. cum dixisset Christus: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, statim subdit, *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum*. Et rursus: *Qui manducat me, vivet propter me*.

Dices 1: Sacramentum novæ Legis est signum gratiæ, quæ confertur illud suscipienti: sed Eucharistia non est ejusmodi. *Major constat* ex dictis de Sacramento in communi. *Minor pariter*, quia Eucharistia perseverat in Altari post consecrationem, ubi nemini gratiam confert: igitur, etc. — **Respondet Doctor**, num. 6. quod gratia duplex est: una subsistens, altera accidentis, sive inhærens. *Prima* est Corpus Christi, sive Christus ipse: *secunda* vero est gratia habitualis animam sanctificans. Primam gratiam immediate significat ac repræsentat Eucharistia; secundam vero mediate. Unde distinguenda est *minor:* Eucharistia non significat gratiam sanctificantem immediate, *transeat:* mediate, *nego. Adde quod* etiam hanc gratiam immediate significet et conferat, quoties Eucharistia digne recipitur.

Dices 2: Sacramenta novæ Legis efficiunt quod significant: sed id Eucharistia non præstat: significat enim verum Corpus et Sanguinem Christi contineri sub speciebus consecratis: species autem ejusmodi præsentiam non efficiunt; nulla enim virtus finita potest eam præsentiam causare. — **Respondet Doctor** *ibidem*, argumentum quidem optime concludere adversus Thomistas, qui contendunt Sacramenta causare physice quod significant; non autem contra suam doctrinam, asserentem, Sacramenta esse dumtaxat causas morales gratiæ, quam significant. *Unde*, inquit Doctor, *propositio*, Sacramenta efficiunt quod significant, *accipienda est disjunctive, et per accommodationem: ita quod si Sacramentum significet aliquid fieri, et conferri, illud revera per Sacramentum, tamquam per signum efficax fit, et conceditur; quemadmodum contingit in Sacramentis, quæ in usu consistunt. Si autem significat aliquid esse, sicut contingit in hoc Sacramento, quod est per-*

manens, illud per Sacramentum, tamquam per signum veræ est. Nam sicut Deus instituit assistere signo sensibili ad gratiam conferendam in Sacramentis successivis; instituit assistere per consecrationem speciebus panis, et vini, ut sub eis præsentialiter contineatur Corpus et Sanguis Christi. Et ideo cum dicitur: Nulla virtus finita potest agere ad esse Corporis Christi in Sacramento, concedo proprie loquendo de actione physica; potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitæ esse dispositio immediata, hoc est causa moralis ad esse Corporis Christi ibi, non a se, sed a Deo assistente ibi, et hoc modo instituit istas species, post consecrationem assistat eis, tamquam causis moralibus ipsum moventibus ad efficiendam hanc præsentiam Corporis Christi.

Dices 3: Sacramenta novæ Legis constant rebus pro materia, et verbis pro forma: sed Eucharistia non est ejusmodi, quia verba, quæ sunt forma Sacramenti, debent simul esse cum Sacramento: verba autem Eucharistiæ non sunt simul cum Eucharistia, *tum* quia illa subsistit, verbis non remanentibus, *tum* quia dum verba actu proferuntur, nondum est Eucharistia, sed tantum in fine prolationis verborum: igitur Eucharistia non est Sacramentum novæ Legis. — **Respondet ibidem Doctor,** *majorem* esse veram de Sacramentis habentibus esse successivum, et quorum tota virtus et ratio consistit in usu; non autem de Sacramento Eucharistiæ, quod habet esse permanens, quodque propterea non potest habere verba, quæ sint successiva, pro forma sui esse permanentis. Quamquam requirat verba pro forma consecrationis, seu ut fiat Sacramentum, non vero ut factum perseveret. Unde non est de ratione essentiali Sacramenti, quod intrinsece constet rebus pro materia, et verbis pro forma; sed solum, quod res et verba necessaria sint, ut Sacramentum conficiatur. Unde verba consecratoria requiruntur in hoc Sacramento, tamquam forma extrinsece efficiens, non autem ut afficiens, et constituens.

Dices 4: Duo Sacramenta non possunt ordinari ad eumdem effectum: sed Eucharistia ordinatur ad conferendum animæ robur et gratiæ augmentum, quod per Confirmationem tribuitur: igitur cum Confirmatio sit Sacramentum, hanc rationem sibi vindicare non potest Eucharistia. — **Distinguo majorem:** ad producendum eumdem effectum specificum, *concedo:* genericum, *nego.* Et similiter distincta *minore,* neganda est *consequentia.* Quamvis enim Confirmatio et Eucharistia ordinentur ad augendam gratiam in homine justificato, hoc tamen augmentum ab utroque Sacramento collatum non est ejusdem rationis, quia Confirmatio confert augmentum gratiæ per modum roboris et spiritualis fortitudinis ad fidem propugnandam; Eucharistia vero, ut nutrimentum per modum refectionis spiritualis ad resarciendas deperditas animæ vires, per assiduos passionum motus et æstus imminutas, necnon ad eas augendas, ut homo fiat expeditior et vegetior in suis spiritualibus muniis obeundis.

Conclusio secunda. — Sacramentum Eucharistiæ non consistit in solo usu, seu sumptione. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 13. Can. 4., his verbis: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu*

dum sumitur, non ante, vel post, et in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit. Et cap. 3., sic ait: *Illud in Eucharistia excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat; et semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem, sub panis, et vini specie, una cum ipsius anima, et Divinitate existere.* Quibus verbis Concilium nedum decernit, sed etiam

Ratione probat nostram assertionem. Tunc enim revera est Sacramentum Eucharistiæ, quando verum est, adesse Corpus Christi et Sanguinem: at ante sumptionem et usum id verum est: igitur hoc Sacramentum non consistit in sumptione et usu. *Majorem* negare non possunt hæretici, quippe ideo volunt, hoc Sacramentum consistere in solo usu, quia existimant, tunc tantum in eo esse Corpus et Sanguinem Christi. *Minor autem probatur;* tunc in nocte Cœnæ aderat Corpus Christi præsens, cum ipse Christus dixit: *Hoc est Corpus meum;* si enim tunc præsens non fuisset, hæc propositio fuisset falsa, et Christus mendacium protulisset: sed antequam comederetur, et biberetur Eucharistia Christus Dominus illa verba protulit in præsenti: *Hoc est Corpus meum;* non autem in futuro, hoc erit Corpus meum: igitur tunc revera præsens erat Christi Corpus. — *Confirmatur* ex eo quod Lucæ 22. Christus Dominus ministrando calicem Apostolis, dixit: *Hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur,* etc. Igitur Sanguis Christi fuit in calice, priusquam esset in ore bibentium, maxime cum Apostoli omnes ex uno et eodem calice biberint, nec Christus ea verba protulerit, nisi dumtaxat semel. *Insuper* Apostolus 1. ad Cor. 10. *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Censet ergo, Corinthios, quos ibi docet et arguit, potuisse discernere Domini Corpus a communibus cibis: sed nisi Corpus illud ante manducationem fuisset, non potuisset discerni: igitur, etc. — *Confirmatur iterum:* tunc est Eucharistiæ Sacramentum, quando panis fit Sacramentalis per Ministrum, ut docent Calvinistæ, et quando Christus Deus homo substantiæ panis, et vini realiter præsens adest, et fit verum ejus Corpus, ac verus Sanguis, ut volunt Lutherani: sed hæc fiunt ante manducationem et bibitionem actualem; panis enim fit Sacramentalis per Ministrum, quando ab illo benedicitur, ad prolationem horum verborum, *Hoc est corpus meum;* nam, ut fatetur Beza, illa verba non sunt mere historica, sed operatoria, quia præstant, ut substantia panis transeat ab usu communi ad Sacramentalem, qui utique transitus præcedit manducationem et bibitionem Eucharistiæ; nam Minister, sive Calvinista, sive Lutheranus, longe pridem hæc verba profert super panem et vinum præparatum, antequam quisque ex sumentibus particulam accipiat, maxime quando plurimi adsunt communicaturi: igitur oportet, ut jam sit Sacramentum, quando quisque panem et vinum accipit, ac proinde Sacramentum istud non potest consistere simpliciter in usu.

Reponunt Hæretici 1. Christum Dominum non prius verba consecrationis protulisse, quam panem et vinum manducandum et bibendum suis Discipulis dederit, idque probant ex verbis Matth. 26., ubi legimus: *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: Accipite, et manducate, hoc est Corpus meum.* — **Verum respondeo,** quod non ex verborum ordine, sed ex vero sensu et significatione, quid Christus Dominus prius aut posterius in ultima Cœna fecerit, sit intelligendum; alioquin liceret inferre, Christum nonnisi post actionem bibendi verba consecrationis calicis protulisse; nam S. Marcus, cap. 14. ait: *Accepto calice gratias agens, dedit eis, et biberunt ex eo omnes, et ait illis: Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hæc tamen illatio prorsus esset absurda, quia pronomen *(hic)* demonstrativum est, ac subinde indicat præsentiam Sanguinis Christi: si autem Christus ea verba protulisset, post bibitionem Apostolorum, non potuisset indicare præsentem suum Sanguinem, quia nihil ejus amplius remansisset; nec etiam Apostoli sumpsissent Sacramentum, quia jam manducatus fuisset panis, et potatum vinum, antequam verba prolata fuissent, per quæ illa materia sacramentalis fieret: igitur nulla est præfata hæreticorum responsio.

Reponunt alii 2. Cum Calvino locis in 2. Notabili laudatis, verba illa, *Hoc est corpus meum*, prolata quidem fuisse ante manducationem, sed non fuisse impleta, nec habuisse effectum, nisi in ipsa manducatione; quia, *inquit*, cum aliquid promittitur sub conditione præcepti, non impletur promissio, nisi præceptum impleatur: Christus autem simul conjunxit promissionem, et præceptum, promissio siquidem fuit: *Hoc est corpus meum;* præceptum vero: *Accipite, et manducate;* igitur Corpus Christi non fuit præsens, vel significatum, nisi cum Apostoli susceperunt, et comederunt panem. — **Verum,** hæc gratis et omnino libere fingit Calvinus; si enim ea verba, *Hoc est corpus meum*, promissionem includerent, deberent exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in omnibus promissionibus, quæ exarantur tam in veteri, quam in novo Testamento, ut constat maxime in repromisso effectu hujus Sacramenti, Joann. 6. *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum;* sed Christus Dominus non dixit, hoc erit Corpus, sed, *Hoc est corpus meum;* ergo falsum est, ea verba promissionem continere. *Deinde*, si illa verba promissionem præcepto conjunctam continerent, illius promissionis impletio sequeretur, non autem comitaretur actualem Eucharistiæ manducationem: ideoque fideles Eucharistiæ Sacramentum et Domini Corpus non haberent, dum panem et vinum suscipiunt, sed tantum postquam manducassent et bibissent; in omnibus enim ejusmodi promissionibus, actio quæ fuit imperata, præcedit impletionem promissi, quia promissionis impletio est effectus actionis imperatæ: causa autem, ut constat ex Philosophia, natura saltem, suum effectum antecedit. *Adde quod* consequens etiam istud censeatur absurdum, ex ipso Calvino; nam eodem cap. num. 34. asserit, malos visibile Sacramentum in Eucharistia dente premere, corde vero non comedere; bonos vero sumere etiam Sacramentum, et Sacramenti virtutem: igitur prius incipit esse Sacramentum Eucharistiæ, quam a bonis vel malis comedatur.

Probatur secundo Conclusio ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ

quovis sæculo consuevit asservare sanctam Eucharistiam, tum ut esset in venerationem fidelibus, tum ut deferri posset ad absentes, tum ut ministraretur tamquam viaticum infirmis: id siquidem testantur plurimi e SS. Patribus, maxime vero Justinus Martyr Apostolorum discipulus, qui Apologia 2. circa finem, affirmat, quod sacris in Ecclesia peractis, Diaconi solebant ad absentes deferre sanctificatum panem et vinum, quod alimentum Eucharistiæ dicitur: *Postquam*, inquit, *Antistes gratiarum actionem perficit, et populus omnis apprecatus est, Diaconi ex pane et vino consecratis partes dividunt unicuique præsentium, et ad absentes portant: Hic cibus vocatur Eucharistia.* — Legimus etiam in actis S. Luciani Presbyteri Antiocheni, apud Surium prima Januarii, quod cum in carcere positus supra proprium pectus, veluti vivum altare, divina celebrasset mysteria, et Christi Corpus consecrasset, partem hostiæ consecratæ sumpsit, alteram præsentibus fidelibus distribuit, aliam vero ad fideles absentes per manus Diaconorum direxit. — Similiter S. Irenæus, Epist. *Ad Victorem Papam*, quæ extat apud Eusebium, lib. 5. *Historiæ*, cap. 24. refert, quod illius temporis consuetudo erat, ut Papa mitteret Eucharistiam ad alios Episcopos in signum pacis et Communionis. — Tertullianus pluribi significat, fideles suo tempore solitos esse hostiam in manibus accipere, et eam domum deferre, ut urgente necessitate, aut persecutione, illam secreto sumerent. Hinc lib. 2. *Ad Uxorem*, cap. 5. eam adhortans, ne, dum vita functus fuerit, alterum ducat maritum, maxime vero infidelem, ait: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, et si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Unde lib. *De Orat.*, cap. 14. hujus etiam piæ consuetudinis mentionem faciens, ait: *Accepto Corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii.* Idipsum testatur S. Cyprianus, Serm. *De Lapsis*, ubi refert, quod cum *quædam mulier arcam suam, in qua Dominni sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Addit: *Est alius, qui et ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere, et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur.* — Idipsum præ cæteris luculento testimonio confirmat S. Basilius, Epist. 289. quæ est ad Cæsariam Patriciam, ubi cum dixisset, *quaternis singulis septimanis communicamus, Dominica die, feria quarta, in parasceve, et sabbato; scilicet per dies etiam alios si Martyris alicujus memoria celebretur*, subdit: « Quoniam vero per « tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario a Sacer- « dote, vel Ministro non præsente, propriis manibus percipere com- « munionem, non est nisi supervacaneum ut demonstrem, illam ipsam « rem non esse graviter et inique ferendam, eo quod inveterata con- « suetudo hoc ipsum reipsa confirmatum dederat. Nam et illi omnes, « qui per Eremos vitam Monasticam instituunt, ubi copia non sup- « petit Sacerdotis, cum habeant domi Communionem, de suis manibus « illam percipiunt. Alexandriæ autem, et per Ægyptum, unusquisque « etiam de plebe, ut plurimum, habet domi suæ Communionem. Nam

« cum semel Sacerdos sacrificium peragat et distribuat, qui susce-
« perit illud integrum simul et quotidie de illa sumpserit quam a
« dante acceperat Sacerdote, credere debet, et tenetur, nec injuriose
« eamdem suscipere et percipere. Nam et in Ecclesia ipsa Sacerdos
« partem aliquam in manus tradit, et illam apprehendit qui percipit,
« cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eamdem
« suo ori admotam ingerit. Idem igitur, quoad potestatem est, sive
« quis de manu Sacerdotis partem unam aliquam percipiat, sive partes
« simul quamplurimas ». — Eamdem veritatem confirmat S. Ambrosius, lib. *De obitu Satiri fratris, circa medium*, ubi ejus in Deum observantiam probat maxime eo quod in periculo naufragii constitutus requisierit Eucharistiam a Christianis qui simul erant in eadem navi, qua accepta ligavit in orario, et cum ipsa se confidenter in mare dejecit, ac faciliter ad littus pervenit: *Quid igitur*, inquit, *observantiam ejus erga Dei cultum prædicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur, navis scopuloso illisa vado, et urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resoluta tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.* Simile quid refert S. Hieronymus, Ep. ad Rusticum, de S. Exuperio Episcopo Tolosano: *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro.* Porro hanc consuetudinem abrogavit ac proscripsit Concilium Toletanum primum anno Christi 400. ubi Can. 14. ita decernitur: *Si quis autem acceptam e Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, sicut sacrilegus procellatur.* Quibus verbis prohibetur sub anathemate, ne quis deinceps acceptam Eucharistiam conservaret, et eam secum deferret. Idem vetitum fuit in Concilio Rothomagensi laudato a Reginone Prumiensi Abbate, Can. 2. extat in compilat. Concil. Roth. an. 1677. edit. Nihilominus his ecclesiasticis interminationibus non obstantibus, nonnulli fideles diversis agitati motibus acceptam Eucharistiam, diutino adhuc tempore servaverunt. Narrat enim Krantzius, lib. 6. *Hist. Wandalorum*, cap. 24. quod circa annum 1179. quidam Pastor Wandalus acceptum in die Paschatis Sacrum non deglutivit, sed reposuit in summinate sui pedi pastoralis, ut esset in propugnaculum sui gregis, quo facto noctibus singulis cum ingentes ignis faces super dictum illud pedum pastorale apparerent, hoc prodigio concitatus loci Episcopus una cum commissa sibi plebe Pastorem accersit, requirunt utrum sciat illius prodigii causam. Rem ille ex ordine pandit, quibus auditis Episcopus una cum loci plebano Rectore, et universa Cleri ac ingenti populi multitudine pedum illud pastorale summa cum reverentia ad Monasterium Dobrancense deferunt, ubi plurima miracula patrata fuere.

Secundo, mos erat antiquitus servandi Eucharistiam pro communicandis fidelibus vita functis, qui sacrum Viaticum ante mortem recipere non potuerant, ut refert S. Gregorius Magnus, lib. 2. *Dialogorum*,

cap. 24. ubi narrat, quod cum S. Benedictus audivisset juvenem ex suis Monachis mortuum ac tumulatum, semel et iterum e sepulchro a terra rejectum, mandavit super demortui pectus recondi sacram Eucharistiam, et cum ea sepeliri; quo facto quievit in sepulchro tumulatum cadaver, nec ut prius, a terra fuit rejectum. Hæc autem cæremonia maxime servabatur erga Episcopos. Refert Auctor sub nomine S. Amphilochi Episcopi Iconiæ (si revera ipse sit Auctor vitæ S. Basilii, ut putat Sixtus Senensis, lib. 4. *Bibliothecæ sacræ*) quod cum S. Basilius certa quadam die sacra mysteria celebrasset, panem Eucharisticum tres in partes distribuit, quarum unam servari voluit, ut cum ea post mortem sepeliretur. Idem contigisse in funere S. Gutberti Episcopi Lindispharnensis, qui mortuus est anno 686. narrat Amalarius, lib. 4. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 41. Quam utique consuetudinem colligit diu in Ecclesia viguisse doctissimus Albaspina Episcopus Aurelianensis, lib. 1. *Observationum*, Observatione 9. et 10. quandoquidem hujusmodi prohibita fuerit in Concilio Carthaginensi tertio, ubi decernitur: *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: Dictum est enim a Domino, Accipite, et edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere; cavendum est etiam ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistia dari licitum est.* Idem definitum est in Concilio Antisiodorensi celebrato anno 590. Can. 12. ubi legimus: non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, nec palliis corpora eorum involvi.

Quarto, servabantur etiam antiquitus, quæ supererant post fidelium communionem divini Sacramenti reliquiæ, ut postmodum convocatis innocentibus pueruli baptizatis manducandæ ac consumendæ traderentur. Unde Nicephorus narrat eos pueruulos debuisse esse jejunos. Cujus utique praxis occasione, idem ibi refert Constantinopoli magnum accidisse miraculum temporibus Justiniani Imperatoris, et Patriarchæ Mennæ, nempe, quod filius Judæi cujusdam arte vitriarii, una cum aliis pueruli ad edendas divinæ Eucharistiæ reliquias fuisset advocatus, et eas sumpsisset. Hoc ubi rescivit illius Pater, in odium facti, ipsum ligatis manibus, et pedibus in fornacem ardentem projecit, ubi cum tribus diebus mediis in flammis stetisset incolumis, a propria matre inde ereptus, miraculum evulgavit. Idipsum refert etiam Evagrius, lib. 4. *Historiæ*, cap. 35. et Gregorius Turonensis, lib. 1. *De Gloria Martyrum*, cap. 10.

Quinto, servari solebat in Altari propter fidelium devotionem, ut docet S. Chrysostomus, Homil. 24. in priorem ad Cor. *Si Sanguinem cupis*, inquit, *Christus non idolorum aram brutorum cæde, sed meum altare vero Sanguine cruentas, pro cæde brutorum seipsum jussit offerri, quando ipsum viderit propositum Dei Corpus, dic: Propter hoc Corpus non sum amplius terra, et cinis, sed liber homo Corpus clavis confixum, et flagellis cæsum non tulit mors. Hoc Corpus etiam jacens in præsepio reveriti sunt Magi: tu vero non in præsepio vides, sed in Altari: non fœminam ipsum tenentem, sed Sacerdotem adstantem.* In idem conspirat S. Cyrillus in Epistola ad Celosyrium, de quibusdam, qui dicebant, quod Corpus Christi non remanebat sub hoc Sacramento, si in crastinum reservaretur, quia, inquiebant, de Agno Paschali, qui erat figura hujus Sacramenti, non remanebat quidquam usque mane, ut præcipitur

Exod. 12. De illis, inquam, qui id asserebant, sic ait: *Insaniunt quidam, dicentes, mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si quæ ejus reliquiæ remanserint in diem subsequentem. Non enim mutatur Sacramentum Corporis Christi, sed virtus benedictionis, et vivificans gratia jugis est.* Hujus veritatis illustre profert exemplum S. Gregorius Nazianzenus de sorore sua, quæ ante altare coram augustissimo Sacramento procumbens, sanitatem obtinuit.

Sexto, servabatur in altari ut deferretur ad ægrotos; sic enim statuitur in Concilio Nicæno, Can. 13. his verbis: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque, servatur, ita ut si quis egreditur de corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus Communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui Communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione debebit.* Ex quibus colligi potest Eucharistiam a reddita Ecclesiæ pace in templis servari solitam, ut deferri posset ad ægrotos. Si enim nullum esset reservatum viaticum, multi haud dubie, vel nocturnis, vel aliis, quibus fas non est consecrare viaticum, horis, subito exitialibus correpti morbis, atque supremo illo necessario e corpore emigrassent; cum tamen Concilium velit cura et diligentia atque probatione Episcopi agendum esse, ut ne quis Viatico defraudetur. Hinc decernitur in Concilio Turonensi secundo, ut Corpus Domini componatur in Altari sub Crucis titulo, qui nempe reponi solet in Altaris meditullio; et Felix Episcopus Bituricensis, qui ipsi Concilio interfuit, curavit elaborari vas aureum insigne instar turris ad asservandam Eucharistiam, ut refert Venantius Fortunatus in Epigrammatibus; unde clerici et Monachi Antiocheni conqueruntur in Concilio Constantinop. sub Menna, art. 5. de suo Patriarcha Severo, quod tregerit et vendiderit columbas aureas, in quibus Eucharistia servabatur: eamdem quærimoniam instaurat Antonius Monachus in Concilio Nicæno secundo, actione 7. — Idipsum confirmat S. Clemens, vel quisquis est Auctor *Constitutionum Apostolicarum*, lib. 8. cap. 13. ubi loquens de Eucharistiæ reliquiis remanentibus post communionem fidelium, ait: *Sumant Diaconi reliquias et in tabernaculum inferant.* Nam, inquit, Epist. 2. *Reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum id negligenter agitur, Corpori Domini gravis injuria inferatur.* Porro per sacrarium et tabernaculum intelligit locum in quo propter varios usus, et nominatim propter Communionem infirmorum, Sacræ Hostiæ reconduntur et asservantur, sicut jam olim asservari solebant. Inde usus argentearum vel aurearum columbarum, idest, vasorum, vel pixidum, quæ sub illa figura, in symbolum Spiritus Sancti formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam asservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus turrium argentearum, in quibus Corpus Christi asservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi, lib. *De Gloria Martyrum*, cap. 26. ubi sic ait: *Accepta turre, in qua ministerium (seu mysterium) Dominici Corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cœpit Diaconus, ac templum ingressus est, ut eam Altaris superponeret.* Inde *pastophorii* quoque nomen, quod juxta Græcum παστωφωριον, sponsi thalamum significat, et propterea illi

cap. 24. ubi narrat, quod cum S. Benedictus audivisset juvenem ex suis Monachis mortuum ac tumulatum, semel et iterum e sepulchro a terra rejectum, mandavit super demortui pectus recondi sacram Eucharistiam, et cum ea sepeliri; quo facto quievit in sepulchro tumulatum cadaver, nec ut prius, a terra fuit rejectum. Hæc autem cæremonia maxime servabatur erga Episcopos. Refert Auctor sub nomine S. Amphilochi Episcopi Iconiæ (si revera ipse sit Auctor vitæ S. Basilii, ut putat Sixtus Senensis, lib. 4. *Bibliothecæ sacræ*) quod cum S. Basilius certa quadam die sacra mysteria celebrasset, panem Eucharisticum tres in partes distribuit, quarum unam servari voluit, ut cum ea post mortem sepeliretur. Idem contigisse in funere S. Gutberti Episcopi Lindispharnensis, qui mortuus est anno 686. narrat Amalarius, lib. 4. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 41. Quam utique consuetudinem colligit diu in Ecclesia viguisse doctissimus Albaspina Episcopus Aurelianensis, lib. 1. *Observationum*, Observatione 9. et 10. quandoquidem hujusmodi prohibita fuerit in Concilio Carthaginensi tertio, ubi decernitur: *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: Dictum est enim a Domino, Accipite, et edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere; cavendum est etiam ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistia dari licitum est.* Idem definitum est in Concilio Antisiodorensi celebrato anno 590. Can. 12. ubi legimus: non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, nec palliis corpora eorum involvi.

Quarto, servabantur etiam antiquitus, quæ supererant post fidelium communionem divini Sacramenti reliquiæ, ut postmodum convocatis innocentibus pueruli baptizatis manducandæ ac consumendæ traderentur. Unde Nicephorus narrat eos pueruli debuisse esse jejunos. Cujus utique praxis occasione, idem ibi refert Constantinopoli magnum accidisse miraculum temporibus Justiniani Imperatoris, et Patriarchæ Mennæ, nempe, quod filius Judæi cujusdam arte vitriarii, una cum aliis pueruli ad edendas divinæ Eucharistiæ reliquias fuisset advocatus, et eas sumpsisset. Hoc ubi rescivit illius Pater, in odium facti, ipsum ligatis manibus, et pedibus in fornacem ardentem projecit, ubi cum tribus diebus mediis in flammis stetisset incolumis, a propria matre inde ereptus, miraculum evulgavit. Idipsum refert etiam Evagrius, lib. 4. *Historiæ*, cap. 35. et Gregorius Turonensis, lib. 1. *De Gloria Martyrum*, cap. 10.

Quinto, servari solebat in Altari propter fidelium devotionem, ut docet S. Chrysostomus, Homil. 24. in priorem ad Cor. *Si Sanguinem cupis*, inquit, *Christus non idolorum aram brutorum cæde, sed meum altare vero Sanguine cruentas, pro cæde brutorum seipsum jussit offerri, quando ipsum viderit propositum Dei Corpus, dic: Propter hoc Corpus non sum amplius terra, et cinis, sed liber homo Corpus clavis confixum, et flagellis cæsum non tulit mors. Hoc Corpus etiam jacens in præsepio reveriti sunt Magi: tu vero non in præsepio vides, sed in Altari: non fœminam ipsum tenentem, sed Sacerdotem adstantem.* In idem conspirat S. Cyrillus in Epistola ad Celosyrium, de quibusdam, qui dicebant, quod Corpus Christi non remanebat sub hoc Sacramento, si in crastinum reservaretur, quia, inquiebant, de Agno Paschali, qui erat figura hujus Sacramenti, non remanebat *quid*quam usque mane, ut præcipitur

Exod. 12. De illis, inquam, qui id asserebant, sic ait: *Insaniunt quidam, dicentes, mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si quæ ejus reliquiæ remanserint in diem subsequentem. Non enim mutatur Sacramentum Corporis Christi, sed virtus benedictionis, et vivificans gratia jugis est.* Hujus veritatis illustre profert exemplum S. Gregorius Nazianzenus de sorore sua, quæ ante altare coram augustissimo Sacramento procumbens, sanitatem obtinuit.

Sexto, servabatur in altari ut deferretur ad ægrotos; sic enim statuitur in Concilio Nicæno, Can. 13. his verbis: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque, servatur, ita ut si quis egreditur de corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus Communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui Communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione debebit.* Ex quibus colligi potest Eucharistiam a reddita Ecclesiæ pace in templis servari solitam, ut deferri posset ad ægrotos. Si enim nullum esset reservatum viaticum, multi haud dubie, vel nocturnis, vel aliis, quibus fas non est consecrare viaticum, horis, subito exitialibus correpti morbis, atque supremo illo necessario e corpore emigrassent; cum tamen Concilium velit cura et diligentia atque probatione Episcopi agendum esse, ut ne quis Viatico defraudetur. Hinc decernitur in Concilio Turonensi secundo, ut Corpus Domini componatur in Altari sub Crucis titulo, qui nempe reponi solet in Altaris meditullio; et Felix Episcopus Bituricensis, qui ipsi Concilio interfuit, curavit elaborari vas aureum insigne instar turris ad asservandam Eucharistiam, ut refert Venantius Fortunatus in Epigrammatibus; unde clerici et Monachi Antiocheni conqueruntur in Concilio Constantinop. sub Menna, art. 5. de suo Patriarcha Severo, quod tregerit et vendiderit columbas aureas, in quibus Eucharistia servabatur: eamdem quærimoniam instaurat Antonius Monachus in Concilio Nicæno secundo, actione 7. — Idipsum confirmat S. Clemens, vel quisquis est Auctor *Constitutionum Apostolicarum*, lib. 8. cap. 13. ubi loquens de Eucharistiæ reliquiis remanentibus post communionem fidelium, ait: *Sumant Diaconi reliquias et in tabernaculum inferant.* Nam, inquit, Epist. 2. *Reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum id negligenter agitur, Corpori Domini gravis injuria inferatur.* Porro per sacrarium et tabernaculum intelligit locum in quo propter varios usus, et nominatim propter Communionem infirmorum, Sacræ Hostiæ reconduntur et asservantur, sicut jam olim asservari solebant. Inde usus argentearum vel aurearum columbarum, idest, vasorum, vel pixidum, quæ sub illa figura, in symbolum Spiritus Sancti formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam asservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus turrium argentearum, in quibus Corpus Christi asservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi, lib. *De Gloria Martyrum*, cap. 26. ubi sic ait: *Accepta turre, in qua ministerium (seu mysterium) Dominici Corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cœpit Diaconus, ac templum ingressus est, ut eam Altaris superponeret.* Inde *pastophorii* quoque nomen, quod juxta Græcum παστωφωριον, sponsi thalamum significat, et propterea illi

arculæ vel pixidi olim inditum, in qua includebatur Corpus Christi asservandum. Hinc denique *ciborii* nomen, quo passim a Latinis eadem pixis, vel arcula appellari solet, eo quod verum animæ cibum contineat, scilicet Christum, qui Joan. 6. ait: *Caro mea vere est cibus.* Ex quibus omnibus aperte constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quod non simul cum usu desinat esse Corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed quod permanenter in eo conservetur.

Dices 1: Veterum Patrum sententia fuit; nil ex Eucharistia esse servandum, ut constat 1. capite *Tribus, De Consecr.*, dist. 2. quod petitur ex S. Clementis, Epist. 2. *Tanta in Altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint in crastinum non reserventur, sed Clericorum diligentia consumantur:* igitur Eucharistia non est asservanda. — **Nego consequentiam**; ita quippe constituit S. Clemens Ecclesiæ nascentis tempore, quia Communio sacra tam frequens erat, ut Sacramentum ægris asservare necesse non esset; id autem noluit observandum secuturis ætatibus, in quibus Eucharistiæ usus non erat futurus adeo frequens. *Adde quod*, Eucharistiæ reliquiarum comestio præcipiatur Clericis, quoad minores particulas fragmentorum Corporis Domini, sed exceptis partibus illis, quæ servarentur in usus infirmorum. Hinc ibidem antea scribitur: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, Presbytero, Diacono, et Ministro, qui cum timore et tremore Clericorum reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent, ne quæ putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni Corporis Dominici gravis inferatur injuria,* ut supra dictum est.

Objicies 2. Origenem in 7. Levitici, Homil. 5. scribentem: *Dominus panem, quem Discipulis dabat, et dicebat iis: Accipite, et manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum:* ergo contra Domini præceptum militant qui servant Eucharistiam. — **Nego consequentiam**; multa quippe Dominus per Apostolos, et Ecclesiam ordinavit, quæ per se non jussit; unde nec Origenes ibi probare vult Eucharistiam asservari non posse, sed placere Deo sacrificium laudis recens novum, spirituale; non autem vetus, ut erat apud Judæos, et Gentiles; id autem ostendit exemplo Domini, qui Eucharistiam a se consecratam continuo manducari jussit; addit etiam quod panem portari vetat in via, *ut semper*, inquit, *recentes quos intra se gerit Verbi Dei panes proferat.* Unde constat Origenem tropologice omnino loqui.

Dices 3: S. Ambrosius, in 1. Cor. 11. « Indignum, *inquit*, dicit Apo« stolus, cum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo « sit traditum: ergo nihil in eo potest agi, nisi quod agit Christus, « nihil etiam omitti potest eorum, quæ Christus egit ». — **Nego consequentiam**; nam dato quod hujusmodi commentaria sint revera S. Ambrosii, particula hæc (*aliter*) opponitur devotioni et reverentiæ huic Sacramento debitæ, non cæremoniis accidentalibus institutionis hujus Sacramenti; conqueritur enim ibi S. Paulus de Corinthiis, qui multa Christianis indigna suis in Agapis admittentes, accedebant ad Eucharistiam. Inde subjicit Commentator: *Non enim potest devotius esse, qui præsumit aliter, quam datum est ab Auctore;* ideoque præmonet, ut secundum ordinem traditum, idest, sublatis dissensionibus et ebrietatibus, quas arguit Apostolus ibi: *Devota mens sit accedentis ad Eu-*

christiam Domini. Et explicans quod ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo,* subjicit: *Decoto animo et cum timore accedendum ad Communionem docet* (Apostolus), *ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus Corpus sumendum accedit.*

Dices 4: Hesichius, lib. 2. in *Levit.*, cap. 8. ait: « Quod reliquum « est de carnibus et panibus, in igne incendi præcepit, quod nunc « videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæ- « cumque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea, quæ una « die, vel duabus, aut multis servata sunt, ut enim apparet, non hoc « Legislator præcepit, sed quod reliquum est incendi jubet: ergo ve- « titum erat Hesichii tempore reliquias Eucharistiæ servare. » — **Distinguo consequens:** reliquias, quæ præ nimia vetustate vel asservatione putredinem, aut aliquid simile contrahunt, ex quo manducanti nauseam aut horrorem afferre possent, *concedo;* ne fiat enim injuria Sacramento, tradebantur illæ species igni, velut elemento omnium purissimo consumendæ, sicuti *Missale Romanum,* cap. 10. Rubricarum, de defectibus circa Missam, jubet, ut vomitus ejus, qui sumpserit Eucharistiam, comburatur, si species in eo consumptæ non appareant: reliquias, quæ fuerint immunes ab ejusmodi periculis, et integræ, *nego;* nam ex Hesichio, tradi ea igni oportet, ut ea consumat, quæ sunt inedibilia, idest, non manducabilia.

Dices 5: Ex Evagrio 4. *Histor.*, cap. 35. vetusta consuetudo Constantinopoli fuit, ut, si quando multæ admodum particulæ puri et immaculati Corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentarent, accerserentur, easque manducarent. Nicephorus 17. *Hist.*, cap. 25. scribit, pueros, quibus Eucharistiæ reliquiæ dabantur, incorruptos esse debuisse, et jejunos, ex iis qui ludum litterarium frequentarent, et se quondam ex eorum numero fuisse, quia vehementer a prima ætate studebat in sacris Ædibus versari. Et ex Matisconensis, Concil. 2. Can. 6. Quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario supersederunt 4. vel 6. feria apud illos, utrum interest, ad Ecclesiam adducantur, et indicto eis jejunio easdem reliquias vino conspersas, percipiant. Ergo partes Eucharistiæ non asservabantur in Ecclesia. — **Distinguo consequens:** partes minores, quæ non ita facile poterant asservari, vel etiam majores, quæ non erant necessariæ ad ægrotantium communionem, *concedo:* majores quæ necessariæ fuerunt in Viaticum et Communionem infirmorum, *nego;* nam ubi consecratio Dominici Corporis et Sanguinis adeo frequens non erat, ob persecutiones infidelium, asservabantur Eucharistiæ formulæ in usum infirmorum et absentium.

Dices 6. Humbertus Cardinalis, lib. *Contra Nicetam,* qui est in appendice Tom. 12. Baronii, dicit: *Dominus non benedixit sanctum panem, et servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum, et reposuit, sed fractum statim distribuit:* igitur censet, panem Eucharisticum asservari non debere, sed statim præsentibus ac debite paratis astantibus ministrari. — **Distinguo consequens:** censet non debere conservari panem Eucharisticum jam consecratum, ut iterum inserviat in oblationem et sacrificium pro diebus sequentibus, quemadmodum facere solebant nonnulli Græci, *concedo;* censet non debere servari in usum et communiorem infirmorum, aut absentium, vel etiam ut fide-

libus exhibeatur in venerationem, *nego*. Humbertus enim ibi arguit Græcos, quod tempore Quadragesimæ, duobus solum diebus, Sabbato scilicet ac Dominica, necnon et Annuntiationis die consecrarent, ac Eucharistiam offerrent. Aliis vero quinque diebus hebdomadæ præsanctificatis uterentur, et ita fieret apud illos istis diebus sacrum præsanctificatorum, idest, oblatio sacrificii jam antea peracti, ut decernitur in Concil. Trullano, Can. 25. cujus utique Can. hæc ratio erat, quia dies jejunii dies luctus et expiationis est: offerre vero sacrificium Deo, festum est agere, cum ipsa Communione Corporis et Sanguinis Dominici jejunia solvi putabant vulgo Græci, quod apertum est ex Humberti verbis, ait enim: « Hodie, sive tertia, sive quacumque fiat « a vobis, Missa non fit, nisi perfecta, nec reservatur ex oblatione pars « aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta; quia nec « Apostoli leguntur quidquam ex illo primo Corporis et Sanguinis « Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reservasse; nec actus « eorum indicant eos aliquando talé quid egisse, aut præcepisse; quin « imo S. Lucas ita narrat Actor. 1. Erant fideles perseverantes in « doctrina Apostolorum, et communicatione portionis panis; quæ com- « municatio qualiter, et quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, « dicens: Quotidie perseverantes unanimiter in templo et frangentes « circa domos panem, sumebant. Ex se verax Evangelista testatur sub « Apostolis fideles quotidie orasse, et panem fregisse: Et vos qui estis? « qui dicitis duobus tantum diebus Missam perfectam fieri debere, re- « liquis quinque imperfectam? nempe si in panis fractione, et com- « municatione, nonnisi perfectam actionem Missæ debemus accipere, « quemadmodum et ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed « perfectam commemorationem suis Discipulis tradidisse in pane a se « benedicto, et mox ab eo distributo. »

Dices 7: Ecclesia non alio fine volebat servari Eucharistiam, nisi ut ministraretur ægrotis, et eis inserviret in Viaticum. Unde Morinus, lib. 8. *De Pœnit.*, cap. 14. n. 2. ait: « Consuetudo hodierna, Corpus « Christi propter fidelium Communionem reservandi recens est, a Mo- « nachis Mendicantibus primum introducta, deinde ab aliis plerisque « usurpata, quæ nondum tamen Romani Ritus Rubricas expungere « potuit ». — **Nego antecedens**: contrarium enim apparet ex dictis; Eucharistiam enim servabant primitus fideles, tum ut ea reficerentur, tum ut a periculis ejus beneficio liberarentur, et ad eam, tamquam ad propugnaculum et subsidium recursum haberent. Cujus utique illustre exemplum profert S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 11. quæ funebris laus est Gorgoniæ sororis suæ: *Ea cum ægrotaret, desperatis omnibus aliis auxiliis, intempesta nocte fugit ad omnium Medicum, ad ejus altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur* (Christum interpretatur Helias Cretensis) *imitata mulieris, qui diuturnum sanguinis fluxum patiebatur, audaciam, et peccatricis amorem invocans magno clamore, multisque lacrymis, et variis eum nominibus appellans, et ejus omnia prodigia commemorans, ait, se non dimissuram prius quam sanitatem obtinuisset, et si quid uspiam antityporum pretiosi Corporis et Sanguinis manus recondiderat, veluti thesaurum aliquem lacrymis admiscens, et eo veluti pharmaco totum Corpus perungens, statim liberatam se morbo sensit.* Constat igitur jampridem

consuetudinem fuisse in Ecclesia servandi Eucharistiam, ut esset motivum et objectum devotionis fidelium, necnon ut fidelibus in cælestem alimoniam ministraretur; cum enim divinum hoc Sacramentum maxime fuerit institutum, ut deserviret spirituali animarum nutritioni, haud dubium est, quin potissimum ob hunc finem jugiter asservata fuerit in templis, ac subinde aperte liquet Morinum turpiter hallucinari, cum audacter et temerarie pronuntiat Corpus Christi reservandi consuetudinem propter communionem fidelium, a Monachis esse introductam.

Dices ultimo: Nusquam Christus asservationem Eucharistiæ præcepit: ergo non est asservanda. — **Distinguo antecedens**: non præcepit explicite, *concedo:* implicite, *nego;* dedit enim Eucharistiam ut cibum, qui permanens est, et dicitur esse paratus omnibus Christianis, ideoque debet asservari. *Secundo, nego consequentiam,* Ecclesia quippe jubere potest ea, quæ spectant ad Sacramentorum et mysteriorum reverentiam, et ad fidelium utilitatem, cum ei credita sit dispensatio mysteriorum Dei, ex Trid. Sess. 21. cap. 2. Tum Apostolis speciatim de iis, quæ spectant ad Eucharistiæ dispensationem et curam et venerationem, 1. Cor. 11. scribit Paul. *Cætera, cum venero, disponam:* Hinc enim sequitur non tantum a Christo, sed etiam ab Apostolis, et ab Ecclesia ritus Eucharistiæ præcipi posse, ut evidentius constabit ex dicendis.

QUÆSTIO SECUNDA.

IN QUO PRÆCISE AC FORMALITER CONSISTAT RATIO ESSENTIALIS HUJUS SACRAMENTI.

Notandum 1. In Sacramentis Legis Evangelicæ tria potissimum solere distingui: *primo* quidem id quod est Sacramentum tantum, seu signum sensibile et efficax gratiæ, ac subinde quod significat, non autem significatur ut lotio corporea per aquam in Baptismo sub præscripta verborum forma, quæ significat interiorem animæ ablutionem a peccatis. *Secundo,* res Sacramenti, seu id quod significatur, et declaratur per signum sensibile, estque effectus aut fructus Sacramenti, nempe gratia sanctificans sub aliquo speciali charactere; sic in Baptismo res Sacramenti seu significata est gratia regenerans, sive emundans ab omni sorde peccati tam originalis, quam actualis. *Tertio,* id quod est Sacramentum et res Sacramenti simul, idest signum et res significata, seu quod significat et quod significatur; sic in Baptismo character spiritualis animæ impressus dici potest aliquo sensu res significata per ablutionem aquæ cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, et etiam signum spirituale, quia ipse significat gratiam sanctificantem, qua regeneramur in filios Dei per Christum. Citra controversiam est, quod in Eucharistia res Sacramenti sit gratia nutriens, seu per modum alimoniæ spiritualis animam reficiens; Sacramentum autem, et res Sacramenti simul, sit Corpus et Sanguis Christi, quod equidem significat gratiam nutrientem, seu reficientem, et significatur per speciem panis et vini. Dubium autem est, quid sit Sacramentum tantum formaliter, et proprie sumptum.

Notandum 2. Quatuor potissimum in Eucharistia posse considerari:

primo quidem consecrationem panis et vini: *secundo*, species panis, et vini consecrati: *tertio*, Corpus et Sanguinem Christi sub consecratis speciebus realiter delitescentis: *quarto* tandem usum et sumptionem hujus Sacramenti, puta manducationem et bibitionem Corporis et Sanguinis Christi. Quæritur autem in quonam eorum constituenda sit ratio formalis Sacramenti. Circa cujus resolutionem quadruplex est capitalis Theologorum sententia: *prima* contendit, Sacramentum Eucharistiæ consistere formaliter in consecratione, seu actione illa mirabili, qua convertitur panis in Corpus Christi, et vinum in ejus Sanguinem; quæ utique actio idcirco dicitur consecratio, quia per illam species consecrantur, hoc est, sacræ ac venerandæ fiunt, continentque rem sacratissimam, nempe Corpus et Sanguinem Christi; quæ utique sententia tribuitur Gabrieli, Marsilio, et Cajetano, q. 36. art. 6. in quam etiam propendet Lugo, disp. 1. sect. 6. ubi probabiliter tuetur, actionem transubstantiativam, qua ponitur Christus sub speciebus, non esse omnino a ratione intrinseca Sacramenti Eucharistiæ excludendam. *Secunda sententia* ait, Sacramentum Eucharistiæ consistere formaliter in aggregato, seu composito ex speciebus et verbis consecrationis, tamquam pro fundamento proximo et integro relationis significationis sacramentalis, cujus terminus est Corpus et Sanguis Christi, per species et verba consecrationis connotatus in recto. Ita plurimi Recentiores cum Valentia et Suarez. *Tertia* censet, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus simul, et ex Corpore et Sanguine Christi, ita ut utrumque ad essentiam et substantiam hujus Sacramenti pertineat. *Quarta* tandem sententia contendit hoc Sacramentum essentialiter consistere in speciebus consecrationis significantibus Corpus et Sanguinem Christi realiter ac substantialiter sub illis contineri. Ita sentiunt Alensis q. 10. memb. 3. art. 3. S. Bonaventura dist. 9. part. 2. art. 1. q. 2. necnon et Subtilis Doctor, dist. 8. quæst. 1. Cui subscribunt omnes fidelissimi ejus Discipuli, uno aut altero excepto; puta Centino, qui disp. *De Eucharistia*, n. 15. cum quibusdam Thomistis arbitratur, hoc Sacramentum essentialiter consistere in aggregato ex speciebus, et Corpore ac Sanguine Christi.

Notandum 3. Consecrationem distingui duplicem: unam quidem interiorem, et exteriorem alteram. *Exterior* et sensibilis est usus et prolatio verborum sacramentalium facta per Sacerdotem ex debita intentione supra materiam idoneam; *interior* vero et insensibilis est miranda illa conversio substantiarum panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. Porro certum est, hanc internam consecrationem non habere rationem formalem Sacramenti, seu signi sacramentalis; nam omne Sacramentum sensibile est: interna autem consecratio non est sensibilis; ac subinde solum superest difficultas de consecratione exteriori, utrum videlicet concurrat ad rationem formalem hujus Sacramenti constituendam per modum formæ informantis, et constituentis ipsum Sacramentum, aut per modum causæ intrinsecæ illud efficientis.

Conclusio prima. — Consecratio exterior non est pars intrinsece constituens formaliter Sacramentum Eucharistiæ. Hæc est Doctoris, loco supra laudato, n. 9. ubi ait: « Istud Sacramen-« tum non habet aliqua verba pro forma, quia tunc non esset Sacra-

« mentum permanens, cum verba non possint esse, nisi in successione; « tamen ipsa consecratio Sacramenti consistit in *fieri*, et ideo requirit « aliquam formam verborum. Sed illa non est forma Sacramenti, sed « consecrationis Sacramenti; et pro tanto illa possunt dici verba Sa- « cramentalia, quia ad Sacramentum pertinentia, tamquam forma con- « secrationis ejus, quæ consecratio est inceptio sacramentalis; sed non « dicuntur sic sacramentalia, sicut verba Baptismi, illa enim sunt sa- « cramentalia, quia forma Sacramenti ».

Quibus verbis Doctor aperte probat, verba consecrationis non esse Sacramentum Eucharistiæ, nec aliquid ad illud specialiter spectans, quia, *inquit*, Sacramentum Eucharistiæ est res permanens, ut patet ex præcedenti Conclusione; unde non consistit in usu, ut cætera Sacramenta: sed consecratio non est quid permanens, verba enim consecratoria effluunt facta prolatione, ac proinde non possunt essentialiter spectare ad constitutionem hujus Sacramenti.

Deinde, Sacramentum hoc est essentialiter animæ cibus et alimonia spiritualis: sed actio per quam cibus conficitur non est cibus ipse, sed tantum via et tendentia ad cibum: igitur consecratio, quæ est actio, per quam conficitur Eucharistia, non potest esse illius pars essentialis.

Denique, actio causæ efficientis non est ipsa res, cujus est efficiens causa, vel efficientia, neque confectio Sacramenti, seu causa Sacramentum operans et efficiens est ipsum Sacramentum; sed consecratio est confectio vel actio effectiva Eucharistiæ Sacramenti; consecratio enim est Christi sermo operatorius, quo fit et conficitur hoc Sacramentum, ut præclare docet Ambros., lib. 4. *De Sacram.*, c. 2. et refertur dist. 2. *De Consecrat.*, c. *panis est*, ubi *ait:* « Quomodo potest, qui « panis est, Corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem « quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per re- « liqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro « populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur ut conficiatur vene- « rabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur « sermonibus Christi. Ergo Christi sermo hoc conficit Sacramentum. « Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia: jussit Domi- « nus, et factum est cælum: jussit Dominus, et facta est terra: jussit « Dominus, et facta sunt maria: jussit Dominus, et omnis creatura « generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si « ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ « non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, et in « aliud commutentur? Et sic, quod erat panis ante consecrationem, « jam Corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi crea- « turam mutat, et sic ex pane fit Corpus Christi, et vinum cum aqua « in calice mixtum fit Sanguis consecratione verbi cælestis ».

Confirmatur: quia in Eucharistia id proprie habet rationem Sacramenti, quod practice significat gratiam cibantem, et immediata sui ipsius applicatione ad subjectum debite dispositum in eo gratiam illam producit; Sacramentum enim novæ Legis est signum efficax gratiæ sanctificantis in eo cui applicatur: sed consecratio non applicatur immediate ei, qui suscipit Eucharistiam, sed tantum materiæ consecrandæ, am transubstantiat in Christi Corpus et Sanguinem, nec in suscipiente tiam nutrientem efficit; hæc enim producitur, quando de facto su-

mitur Eucharistiæ Sacramentum, quam utique sumptionem præcedit ipsa consecratio, nec cum ea subsistit.

NEC VALET REPONERE, eam subsistere moraliter in speciebus consecratis, tamquam in effectu, sicut consensus matrimonialis, quamvis physice transierit, tamen remanet in effectu. — **Hæc, inquam, responsio** nulla omnino est, moralis enim existentia non est physicâ et Sacramentalis, seu signi sensibilis, quæ utique necessaria est ad existentiam proprie dicti Sacramenti, alioqui forma Baptismi collati, et absolutio præterita sacramentalis, tamdiu dici possent existere, quamdiu perseverat eorum effectus, scilicet gratia et character; quod utique falsum est, alioqui æque dici potest Baptismi Sacramentum adhuc formaliter perseverare in nobis, ac perseverat Eucharistiæ Sacramentum in altari facta consecratione: igitur talis existentia moralis formæ consecrationis non sufficit ut dicatur perseverare sub ratione Sacramenti sensibilis et permanentis.

DICES 1: Si consecratio non possit esse de essentia Sacramenti Eucharistiæ, maxime quia repugnat rem aliquam esse simul causam formalem et efficientem ejusdem compositi: sed ita non est; licet enim Sacerdos sua benedictione conficiat aquam lustralem seu benedictam, ipsa benedictio est simul causa efficiens et formalis, quia simul aquam benedictam efficit et constituit. Similiter licet anima sit causa efficiens illius partis substantiæ, quæ aggeneratur per nutritionem, nihilominus est ejus forma, quia ipsam informat, sicut et totum compositum: igitur a simili, verba consecrationis simul efficienter concurrunt ad constituendum Corpus Christi sub speciebus, et sunt causa formalis illius compositi, quod ex speciebus, et eisdem verbis resultat. — **Nego minorem**; repugnat enim, aliquid esse simul causam formalem et efficientem ejusdem compositi, quia tunc idem esset causa sui ipsius, in tantum enim aliqua dicitur causa efficiens alicujus compositi substantialis, in quantum formam producit in materia; unde si eadem esse posset causa formalis et efficiens respectu ejusdem compositi, idem esset causa efficiens suipsius. — Neque exempla adducta contrarium evincunt: non quidem primum, quia benedictio passiva in aqua est aliquid moræle, non vero quid physicum, et benedictionem illam passivam concipimus in aqua, ut distinctam a benedictione activa Sacerdotis. Similiter pars, quæ de novo aggeneratur per nutritionem, non habet pro forma solam animam rationalem, sed novam formam mixti, quam in viventibus præter animam admittimus: cum autem anima rationalis sit indivisibilis, hac nova parte corporis producta, ad eam informandam anima sese indivisibiliter protendit.

DICES 2: Sacramenta novæ Legis efficiunt quod significant: sed sola consecratio in Eucharistia efficit præsentiam Corporis Christi: igitur illa præcise habet rationem Sacramenti. — **Respondeo primo**, *minorem* esse veram de Sacramentis, quæ consistunt in usu, ut jam diximus, non vero de Eucharistia, quæ consistit in esse permanenti: *secundo* dico, verba consecrationis concurrere quidem ad constitutionem Sacramenti in fieri, non vero in facto esse. « Unde, *inquit Doctor*, n. 5. « usus verborum sacramentalium est quædam via ad Sacramentum, quia « in termino prolationis verborum incipit esse Sacramentum ».

DICES 3: Ex Concilio Florent. Sacramenta novæ Legis *perficiuntur*

rebus ut materia, et verbis ut forma; unde postmodum loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicit, illius materiam esse panem et vinum, formam autem verba, quibus conficitur Sacramentum: igitur revera verba consecrationis sunt de essentia Sacramenti. *Confirmatur;* ideo enim in aliis Sacramentis verba sunt forma intrinseca et pars essentialis, quia determinant materiam ad significandam gratiam: ergo sicut in aliis Sacramentis verba sunt forma intrinseca et pars essentialis, ita et in Eucharistia. *Major constat. Minor vero probatur:* species enim consecratæ non significant Corpus Christi præsens, nec gratiam sanctificantem, nisi ratione consecrationis, quæ fit per verba determinata: igitur species illæ non habent vim significandi, nisi quatenus determinantur per verba ad significandam gratiam. — **Nego antecedens**, et ad *probationem* desumptam ex auctoritate Concilii Florentini dico illius sententiam debere per distributionem accommodam applicari, diversimode diversis Sacramentis, ita ut de illis, quæ consistunt in usu, dici possit ipsa constare ex rebus et verbis intrinsece; de Eucharistia vero quæ non consistit in usu, dumtaxat extrinsece, quatenus videlicet verba consecratoria concurrunt ad illius confectionem, suntque forma consecrationis. Quæ utique explicatio quadrat intentioni Concilii; cum enim jam dixisset, omnia novæ Legis Sacramenta tribus perfici, materia, forma, et Ministro, postea loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicit materiam ejus esse panem et vinum, formam autem verba quibus conficitur Sacramentum: sed panis et vinum sunt materia, non Sacramenti Eucharistiæ, ut satis ex se constat, sed consecrationis: ejus ergo verba quoque erunt forma Sacramenti, quatenus sunt forma consecrationis. Ex qua doctrina facile conciliari possent prædictæ sententiæ, ut inquit Hiquæus loco citato, dicendo, Eucharistiam dupliciter considerari posse, vel duplicem habere rationem, aliam in fieri, et sic constitui intrinsece per formam verborum, aliam in facto esse, et ut est Sacramentum permanens, et sic forma ejus sunt species Sacramentales; et ad rationem superius allatam, qua probatum est, consecrationem non esse signum sacramentale, quia non potest applicari ad causandam gratiam proxime, sicut applicantur species sacramentales, dici potest, quod proxime causat gratiam subsistentem, remote vero gratiam sanctificantem, eo modo quo diximus Disp. præced. Baptismum causare gratiam fictione recedente, quod sufficit ad efficaciam ipsius Sacramenti salvandam in eo casu, etiam in ordine ad effectum gratiæ, ut ibi dictum est.

Dices 4: Quod est signum rei sacræ nutrientis animam est Eucharistiæ Sacramentum; Eucharistiæ quippe Sacramentum est Evangelicæ Legis ad spiritalem animæ nutritionem institutum: at consecratio sensibilis est signum rei sacræ nutrientis animam, puta Corporis et Sanguinis Domini: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: rei sacræ formaliter, idest, quæ sacra sit ut forma, nempe gratiæ formaliter animam sanctificantis, *concedo:* rei sacræ causaliter et effective, ut Christi Corpus et Sanguis est res sacra, quia formam sanctitatis in anima suscipientis efficit, et gratiam alimentitiam in anima suscipientis operatur, *nego:* quia consecratio non applicatur immediate homini suscipienti, sed materiæ transubstantiandæ, idest, substantiæ panis et vini mutandæ in Corpus et Sanguinem Christi.

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ NON EST FORMALITER QUID COMPOSITUM EX SPECIEBUS CONSECRATIS, ET EX CORPORE ET SANGUINE CHRISTI DOMINI; AC SUBINDE CORPUS ET SANGUIS CHRISTI NON SUNT PARTES INTRINSECÆ ET ESSENTIALES HUJUS SACRAMENTI FORMALITER ACCEPTI.

Probatur: in eo non est statuenda ratio formalis Eucharistiæ, quod ex se non habet rationem signi sensibilis: sed Christi Domini Corpus et Sanguis non habent rationem signi sensibilis: igitur nec possunt concurrere ad constituendam rationem formalem Sacramenti. *Major constat;* ratio enim signi sensibilis est quid essentialiter pertinens ad Sacramentum novæ Legis, nec minus Eucharistiæ, quam aliis Sacramentis convenire debet, ut docet Trid., Sess. 3. cap. 8. *Commune,* inquit, *hoc quidem est sacratissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens, et singulariter reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est. Minor etiam constat,* siquidem Corpus et Sanguis Christi non sunt signa sensibilia et visibilia, ac subinde non habent rationem partialem Sacramenti formaliter accepti: igitur Sacramentum Eucharistiæ non est quid formaliter constitutum ex Corpore et Sanguine Christi.

REPONES FORTE: Corpus et Sanguinem Christi esse sensibilia per aliud, scilicet per species consecratas, quæ utique sensibilitas videtur sufficiens ad rationem formalem Sacramenti, nam Contritio, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, est tantum sensibilis per aliud, nempe per Confessionem, aut signa externa doloris. — **Verum** si tantum Christi Corpus et Sanguis sint sensibilia per accidens, consequens erit, quod etiam dumtaxat per accidens et extrinsece, non autem intrinsece spectabunt ad rationem Sacramenti, sicque non concurrent partialiter ad illam intrinsece constituendam. Nec quidquam urget exemplum allatum de Contritione: *tum* quia, ut diximus, actus pœnitentis non pertinent ad rationem formalem Sacramenti Pœnitentiæ, sed sunt tantum illius partes integrantes, aut materia circa quam tendit Absolutio Sacerdotis: *tum* quia sensibilitas signi Sacramentalis talis esse debet, ut proveniat ex aliquo signo ex natura rei significante. Unde etiam gratis concesso quod Contritio esset pars Sacramenti Pœnitentiæ, nulla esset paritas inter eam et Corpus et Sanguinem Christi, quia actus interiores voluntatis possunt esse sensibiles, ratione alicujus signi exterioris ex natura rei illam significantis, dolor enim internus per signa externa significari solet ex natura rei; secus autem est de speciebus Eucharisticis, quia nihil habent post consecrationem, quod inducere possit sensibiliter in cognitionem præsentiæ Corporis et Sanguinis Christi sub illis, quippe quantum ad sensibilitatem, eodem modo prorsus se habent post consecrationem ac ante, unde illorum sensibilitas non potest inducere in notitiam Corporis et Sanguinis Christi ex natura rei, sed solum ex fide et institutione Christi: igitur illa Corporis et Sanguinis Christi sensibilitas per accidens non sufficit ad formalem rationem Sacramenti. *Confirmatur,* Corpus et Sanguis Christi sunt significatum in Eucharistia: igitur non habent rationem significantis, ac subinde Sacramenti. *Consequentia patet,* quia

implicat idem simul esse signum et signatum, signatum enim est dumtaxat terminus relationis signi. *Adde quod* in aliis Sacramentis signum non constituitur essentialiter a signato, tamquam a tota sua essentia, vel ejus parte: Baptismus enim non constituitur per gratiam, quam significat, tamquam per partem suï, vel totam suam essentiam, et consequenter res significata non potest habere rationem formalem signi. *Antecedens patet* ex Concilio Tridentino, supra laudato, expresse enim distinguit symbolum et formam visibilem a Corpore et Sanguine Christi, quæ significat; Christus enim in Eucharistia non potest esse symbolum, aut forma visibilis sui ipsius, ac subinde nec habere potest rationem partialem Sacramenti.

Repones: Illud omne, quod a Christo institutum est ad significandam practice gratiam, debet intrinsece pertinere ad rationem Sacramenti: sed Christi Corpus significat practice gratiam, ac subinde licet sit res significata per Sacramentum, nihilominus potest esse ejus pars intrinseca; quamvis enim implicet, ut idem respectu ejusdem sit simul signum et signatum, attamen respectu diversorum utrumque potest sortiri; unde Corpus Christi respectu specierum habet rationem signati, quia species sunt signum Corporis Christi, non speculativum dumtaxat, hoc est repræsentans Corpus Christi, sed practicum, idest, efficaciter et practice significans sub illis speciebus realiter Corpus Christi contineri, respectu vero gratiæ sanctificantis nobis conferendæ in Sacramenti sumptione, ipsum quoque Corpus Christi habet rationem signi practici et efficacis, ideoque hac ratione spectat intrinsece cum speciebus ad rationem Sacramenti. — **Verum hæc solutio** vim argumenti non tollit, quia Sacramentum est, quod a Christo instituitur pro signo practico gratiæ, quæ est primarium significatum Sacramenti Eucharistiæ; nam primaria consideratio hujus Sacramenti est esse permanens, ac proinde Tridentinum hanc differentiam ejus statuit ab aliis cap. 3. cit. Unde in hac solutione fit transitus a gratia subsistente, cujus hoc Sacramentum est signum, ad gratiam accidentalem.

Dices 1: Plurimi e SS. Patribus aperte asserunt, Sacramentum Eucharistiæ constare ex Corpore et Sanguine Christi; ita enim S. Ignatius, Epistola ad Smyrnenses, ubi loquens de quibusdam hæreticis, ait: *Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse Carnem Salvatoris Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit,* etc. Similiter Justinus, in *Apologia* ad Antoninum Imperatorem: *Alimentum hoc appellatur Eucharistia, neque ut communem panem istam sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Christus Jesus Salvator noster, et Carnem et Sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem modum etiam eam alimoniam... Incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse hujus edocti,* etc. Et S. Irenæus, lib. 4. cap. 34., ait: *Eucharistiam duabus rebus constare, nimirum terrena, et cœlesti.* Et S. Augustinus, vel potius sanctus Prosper, in lib. *Sententiarum,* ut refertur *De Consecratione,* dist. 2. c. *Hoc est,* aperte docet Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi Carne et Sanguine: « Modis omnibus, *inquit,* ap-« probare contendimus sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici,

« duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini « nostri Jesu Christi Carne et Sanguine, Sacramento et re Sacra- « menti, idest, Corpore Christi, sicut Christi persona constat, et con- « ficitur Deo, et homine, cum ipse Christus verus sit Deus, et verus « homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se « continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ « Sacramento et re Sacramenti, idest, Corpore Christi. Est igitur Sa- « cramentum et res Sacramenti, idest, Corpus Christi. *Item*, caro ejus « est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, et San- « guis ejus, quem sub vini specie et sapore potamus. Caro videlicet « Carnis, et Sanguis Sacramentum est Sanguinis: Carne et Sanguine, « utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur visibile Domini « nostri Jesu Christi Corpus palpabile, plenum gratia omnium virtu- « tum, et divina majestate. *Item*, sicut ergo cælestis panis, qui vere « Christi caro est, suo modo vocatur Corpus Christi, cum revera sit « Sacramentum Corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpa- « bile, mortale, in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio « Carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi Passio, mors, crucifixio, « non rei veritate, sed significante mysterium, sic Sacramentum fidei, « quod Baptismus intelligitur, fides est ». Idem habet Lanfrancus, et Algerus, lib. 1. *De Sacram.*, cap. 4. Sacramentum, *inquit*, non solummodo pro alterutro, idest, pro signo, vel pro signato, sed etiam pro utroque invenitur: igitur revera Christi Domini Corpus et Sanguis habent rationem Sacramenti, saltem partialiter. — **Nego consequentiam**; dum enim sancti Patres et Ecclesiæ Doctores dicunt, Sacramentum Eucharistiæ duobus constare, scilicet ex visibili elementorum specie, et ex invisibili Corpore et Sanguine Christi, hoc modo loquendi nihil aliud docere prætendunt, quam quod Christi Domini Corpus et Sanguis simul sint cum speciebus consecratis, nihil interim curantes, an utrumque sit de ratione formali Sacramenti, necne, de quibus ipsis non erat cum hæreticis controversia. Quantum vero ad Capitulum *Hoc est*, nil ex eo contra nostram assertionem evincitur: *tum* quia ibi agitur de Sacrificio, non vero de Sacramento Eucharistiæ; *tum* quia sufficienter ibi Christi Domini Corpus distinguit a ratione Sacramenti, cum ait, Sacramentum Eucharistiæ esse species consecrata, Corpus vero Christi esse rem Sacramenti, quæ utique veritas evidentius patebit ex sequenti Conclusione.

Conclusio tertia. — Sacramentum Eucharistiæ formaliter et essentialiter consistit in solis speciebus consecratis, quatenus connotant Corpus et Sanguinem Christi sub ipsis contineri. Ita Subtilis Doctor, n. 7. *Si autem omnino quæras*, inquit, *quæ sit forma hujus Sacramenti; dico, quod ipsæ species visibiles sunt materia, idest, proximum fundamentum relationis significationis, et ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis.*

Probatur primo auctoritate Ecclesiæ, quæ in officio diei in honorem hujus Sacramenti, in Sequentia Missæ canit: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Fractio autem est dumtaxat specierum, non autem rei sub speciebus contentæ, ut colligitur ex sequentibus ver-

bis: *Signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.*

Idem docet Innocentius III, ut refertur cap. *Cum Martha de* celebratione Missarum ubi ait: *Distinguendum est subtiliter inter tria, quæ sunt in Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem Corporis, et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini, veritas Carnis et Sanguinis, virtus unitatis et charitatis. Primum est Sacramentum, et non res. Secundum est Sacramentum, et res. Tertium est res, et non Sacramentum; Sed primum est Sacramentum geminæ rei. secundum est Sacramentum unius, et alterius res existit; tertium est res gemini Sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, et a Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperunt Successores.*

Idem docent Magister Sent. dist. 8. et Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacram.*, part. 8. cap. 7. « Cum unum sit Sacramentum, *inquit*, « tria ibi discreta proponuntur: species visibilis, quæ visibiliter cer- « nitur; veritas Corporis et Sanguinis, quæ sub visibilis specie invi- « sibiliter creditur; virtus gratiæ spiritualiter, quæ cum Corpore et « Sanguine invisibiliter et spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, « species est panis et vini; quod autem sub specie illa credimus, verum « Corpus Christi est, et verus Sanguis Jesu Christi, quod pependit in « cruce, et qui fluxit de latere. Nec per panem et vinum Corpus et « Sanguinem tantum significari credimus: sed sub specie panis, et « vini verum Corpus et verum Sanguinem consecrari, et speciem « quidem visibilem Sacramentum esse veri Corporis et veri Sanguinis; « Corpus autem et Sanguinem Sacramentum esse gratia spiritualis. « Et quemadmodum species illic cernitur, cujus res vel substantia ibi « esse non creditur, sic res ibi veraciter et substantialiter præsens « creditur, cujus species non cernitur. Videtur enim species panis et « vini, et substantia panis et vini non creditur; creditur autem sub- « stantia Corporis et Sanguinis Christi, et tamen species non cer- « nitur. Quod ergo videtur secundum speciem, Sacramentum est, et « imago illius, quod creditur secundum Corporis veritatem; et quod « creditur secundum Corporis veritatem, Sacramentum est illius, quod « percipitur secundum gratiam spiritualem. Sacramentum ergo Altaris « et Eucharistia divina, in vero Corpore et Sanguine Christi Domini « nostri Jesu Christi, imago est, secundum speciem panis et vini, in « qua cernitur; et res est secundum substantiæ veritatem, in qua « creditur ille, atque percipitur. Et rursum quod nunc visibiliter se- « cundum Sacramenti speciem, et corporaliter secundum Carnis et « Sanguinis Christi veritatem Christum in altari sumimus, Sacra- « mentum est, et imago, quod ipsum eumdem invisibiliter et spiri- « tualiter secundum gratiæ infusionem, et Spiritus sancti participa- « tionem in corde sumere debemus. Ergo divinissima Eucharistia, « quæ in altari, et secundum panis et vini speciem, et secundum « Corporis et Sanguinis Christi veritatem visibiliter et corporaliter « tractatur, Sacramentum est, et signum, et imago invisibilis, et spi- « ritualis participationis Jesu, quæ intus in corde per fidem et dile- « ctionem percipitur ». Ita Hugo Victorinus, quibus aperte significat, species consecratas habere rationem Sacramenti, seu signi Sacramen-

talis, Corpus autem et Sanguinem Christi Domini esse rem significatam in hoc Sacramento.

Eadem veritas confirmatur ex confessione fidei Berengarii, quæ habetur De consecratione, dist. 2. cap. *Ego Berengarius*, ubi coram 113. Episcopis in Synodo Romana collectis profitetur, « Consentio S. Ro« manæ et Apostolicæ Sedi, et ore et corde profiteor de Sacramentis « Dominicæ mensæ, eamdem fidem me tenere, quam Dominus, et « venerabilis Papa Nicolaus, et hæc S. Synodus auctoritate Evange« lica, et Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet, « panem et vinum, quæ in altari proponuntur, post consecrationem « non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus et Sanguinem « Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum Sacra« mento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fi« delium dentibus atteri, jurans per sanctam et homousion Trinitatem, « et per hæc sacrosancta Christi Evangelia: eos vero, qui contra hanc « fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno ana« themate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando contra « hæc aliquid sentire, aut prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum « severitati. Lecto, et perlecto, sponte subscripsi ».

Dices 1: Ex Concilio Florentino, materia hujus Sacramenti est panis et vinum: sed panis et vinum non sunt materia specierum consecratarum; illæ namque non fiunt ex pane et vino, neque panis et vinum in ipsas convertuntur: igitur species Eucharisticæ non sunt formaliter Sacramentum Eucharistiæ. — **Distinguo minorem**: si illæ species spectentur secundum se, *concedo:* si secundum usum, et rationem sacramentalem, ut in se continent Christi Domini Corpus, *nego*. Licet enim panis et vinum non sint materia specierum consecratarum, sunt tamen materia, ex qua illæ species habent, ut sint Sacramentum, et in se contineant Christi Domini Corpus, habeantque rationem ad ipsum ut præsens substantialiter.

Dices 2: Ex eodem Concilio Sacerdos in persona Christi Domini loquens conficit Eucharistiæ Sacramentum per verba consecrationis: sed non conficit species panis et vini: igitur ex mente Concilii, illæ non sunt Sacramentum Eucharistiæ. — **Distinguo minorem**: non conficit eas simpliciter, et secundum entitatem, seu prout sunt opus naturæ, non enim Sacerdos efficit colorem rubeum, vel alium, neque rotunditatem, neque quantitatem specierum, *concedo:* non eas efficit, quatenus sunt consecratæ, et ut sunt Sacramentum, ac opus gratiæ, *nego;* Sacerdos enim consecrando panem et vinum, et per verba consecrationis efficiendo utriusque transubstantiationem, facit Sacramentum, et species efficit consecratas.

Dices 3: Ex Concilio Trid., Sess. 13. cap. 5. Sacramentum Eucharistiæ secundum se est adorandum vero cultu latriæ: *Nullus enim*, inquit, *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant, neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum, nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit:* Et adorent eum omnes Angeli Dei, etc. Atqui species consecratæ non

debent cultu latriæ adorari, quia, ut sæpe docet septima Synodus, solus Deus hoc latriæ cultu debet adorari. — **Respondeo primo distinguendo majorem:** Sacramentum Eucharistiæ debet adorari cultu latriæ secundum id quod in eo continetur, *concedo;* nam illud est Christi Domini Corpus, quod revera adorandum est cultu latriæ, propter unionem hypostaticam, ut diximus in tractatu *De Incarnatione*, agendo de adoratione Christi Domini: ita debet adorari secundum signum continens, per se, nude, et simpliciter sumptum, *nego;* dum enim Concilium Tridentinum decernit, Sacramentum Eucharistiæ adorandum esse cultu latriæ, dici potest, quod ibi accipiat continens pro contento, scilicet Sacramentum pro Christo, qui in eo continetur; unde cum doctrina illa reducitur ad definitionem fidei, sic proponitur in Can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema sit.* Ubi Christus dicitur adorandus in Sacramento. *Respondeo secundo negando minorem:* species enim consecratæ dici possunt adorari *vel* simul cum ipso Christo Domino, et prout conjunctæ sunt ejus Corpori et Sanguini, quem continent; *vel* prout a Christo Domino, et ejus Corpore et Sanguine distinctæ sunt, et habent secundum se propriam dignitatem oriundam ex eo, quod Christi Domini Corpus et Sanguinem contineant. *Priori modo* adorantur eodem cultu, quo Christus Dominus, ita tamen ut res primo adorata sit Christus ipse; concomitanter autem, et quasi implicite adorantur illæ species. Et certe si accidentia naturalia Corporis Christi cultu latriæ sunt adoranda, quia ita unum cum Corpore Christi faciunt, ut ea qui tangit et videt Corpus Christi tangere et videre censeatur, quidni idem de speciebus Eucharisticis dici licebit, quas qui tangit et videt Corpus Christi tangere et videre juxta Patrum loquendi modum censetur? Nudas ergo species in illo cultu non apprehendimus, sed in Christum verum adorationis motivum mentem attollimus. Adorantur species illæ, non quod rationem formalem, ob quam adorentur, in se habeant, sed quia Christo eam rationem habenti conjunguntur. Hac ratione adoratur humanitas Salvatoris, quia cultum terminat, cujus motivum est solus Deus. Si vero species considerentur *posteriori modo*, et tantum secundum se, et ut distinctæ a Christo Domino, censent aliqui Theologi, adorationem illam non esse perfectam adorationem latriæ, sed hyperduliæ, quia licet dignitas, quam mutuantur illæ species ex sui conjunctione ad Christum, sit major omni excellentia creata, minor tamen est dignitate humanitatis Christi, consideratæ quatenus hypostatice unitur Verbo divino; ac subinde minori adoratione est adoranda. Sunt tamen aliqui Theologi, qui affirmant, ipsismet speciebus secundum se consideratis adorationem latriæ respectivæ esse impendendam. Ita censet Caspensis; notanda enim sunt, *inquit*, illa verba Concilii Tridentini, (*Huic Sacramento sanctissimo*) quæ de speciebus ipsis consecratis sunt intelligenda; unde non solum Christus in hoc Sacramento existens adoratur latria, sed etiam species ipsum continentes, sicut adoratur crux, et imago Christi, et potiori jure, quia imago repræsentat nobis Christum solum objective præsentem, species vero consecratæ repræsentant Corpus Christi etiam realiter præsens. Porro, inquit Hiquæus, ad adorationem latriæ respectivæ

sufficit repræsentatio, et tactus, ut patet in cruce et imaginibus; at in venerabili Sacramento species realiter continent Christum, et ipsum realiter præsentem demonstrant.

Instabis: Si species Eucharisticæ possent adorari, ex eo quod Christum in se contineant, sequeretur pariter posse adorari Ciborium et Tabernaculum, quippe cum pari ratione Christum Dominum præsentem contineant: sed falsum consequens: ergo et antecedens. — **Nego sequelam majoris**: non enim est paritas inter Tabernaculum aut Ciborium, et species Sacramentales; quia inter Ciborium et Sacramentum non datur illa Sacramentalis et inseparabilis unio ex pacto divino, qualis reperitur inter species consecratas et Corpus Christi Domini sub illis realiter contentum.

Dices 4: Eucharistia est verus cibus animæ: sed species consecratæ non sunt animæ cibus: *tum* quia nullibi in Scriptura hoc nomine appellantur, quod solum tribuitur Corpori Christi dicentis Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus: tum* quia gratia, quæ animam spiritualiter cibat ac reficit, non producitur a speciebus consecratis, sed ab humanitate Christi: igitur illæ species non habent rationem formalem Sacramenti. — **Distinguo minorem**: species Eucharisticæ non sunt animæ cibus spiritualis et immediatus, *concedo*: sensibilis et mediatus saltem, *nego*. Sciendum est enim, quod in Eucharistia distingui potest triplex animæ cibus unus quidem sensibilis, puta accidentia panis et vini, quæ sensibiliter manducantur et bibuntur: et alii duo insensibiles, quorum unus est Corpus et Sanguis Christi, quæ sub illis sensibilibus sumuntur; alter vero est gratia, qua anima cibatur et nutritur spiritualiter, quæ producitur et suscipitur in receptione Sacramenti; species autem sacramentales sunt cibus sensibilis, et continent utrumque alium cibum insensibilem et invisibilem, Corpus quidem Christi actualiter et realiter, gratiam autem virtualiter et causaliter. Dum igitur dicimus, quod Sacramentalis animæ cibus sunt species, hoc intelligendum venit de cibo sensibili, et duos insensibiles cibos continente ac conferente. — Ex his itaque sequitur, Sacramentum Eucharistæ definiri posse: *Sacramentum novæ Legis significans effectum gratuitum, nempe Corpus et Sanguinem Christi, realiter contineri sub speciebus consecratis, ordinatum ex institutione divina ad producendam gratiam sanctificantem, quatenus est animæ cibus.* Vel, ut definit Doctor, dist. 8. q. 1. n. 2. *Eucharistia est Sacramentum Corporis Christi et Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis et vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina, veraciter signans Corpus Christi et Sanguinem sub eis realiter contineri.* Circa quam postremam definitionem duo observat Doctor: *primum*, quod illa sit vera, quia nimirum nulla pars ipsius repugnat alteri: at ex Aristotele, 5. *Metaphysicorum*, illa ratio, seu definitio non est falsa, cujus nulla pars alteri repugnat: igitur, etc. *Probat majorem*, nempe quod nihil in ea definitione repugnat; possibile est enim sine contradictione, Corpus Christi contineri sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini, ut probabitur inferius; possibile est etiam ista signa instituta esse a Deo ad significandum veraciter illa signata sub eis contineri, quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile

signum a seipso impositum significare. *Secundum*, quod revera effectum significatum contineat, scilicet Corpus Christi, quod utique probat auctoritate Scripturæ sacræ, maxime ex illo Matthæi 26. ubi Christus post Cœnam istud Sacramentum instituit, ut sub istis speciebus verum Corpus ejus, et verus Sanguis veraciter contineretur, et non tantum tunc, quando ipsemet confecit, sed quod postea hoc Sacramentum a Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit auctoritatem, subdens ibi, et dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita Subtilis Doctor.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ SIT UNUM SPECIE INFIMA.

Notandum 1. Citra controversiam esse, quod Sacramentum Eucharistiæ sit aliquo modo unum, quippe sub omnibus speciebus consecratis idem Christus Dominus, qui unus est, continetur; et insuper ordinatur ad compaginandam fidelium unitatem, quippe per hujus divini Sacramenti participationem omnes Christi fideles in unum corpus mysticum adunantur, juxta illud Apostoli, 1. *Ad Cor.* 10. *Unus panis, unum Corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus;* unde S. August., Tract. 26. in Joan. præclare observat, Christum Dominum *Corpus et Sanguinem suum in eis rebus commendasse, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.* Verum difficultas est et controversia non levis inter Theologos de modo hujus unitatis, cum enim duo sint genera specierum consecratarum, una panis, altera vini, et duæ consecrationis formulæ, una Corporis, altera Sanguinis Christi Domini, ambigitur an Eucharistia ratione diversarum specierum consecratarum dicenda sit unum, vel plura Sacramenta, idque vel specie, vel numero.

Notandum 2. Unitatem specificam esse duplicem: unam quidem intermediam et mediatam, quæ respectu scilicet superioris sit species, respectu autem inferiorum sit genus; sic in linea prædicamentali, omnia genera sub ente supremo dici possunt species per comparationem ad superiores gradus, qui de eis enuntiantur; alia vero est species infima, seu atoma, quæ videlicet de diversis specie subjectis non potest enuntiari, sed dumtaxat de distinctis numero; sic homo dicitur species atoma, quia de solis numero diversis enuntiatur. Porro cum Sacramenta non habeant aliquam unitatem physicam, aut metaphysicam, quia constant rebus et verbis natura diversis, sed dumtaxat moralem, qualis reperitur in rebus artificialibus, et dependentibus ex instituentis arbitrio, quæ ea ratione non habent unitatem, nisi quatenus integræ sunt, et partibus sibi convenientibus absolutæ, ut exercitus, domus, etc., idcirco hic non movetur difficultas de unitate physica aut metaphysica Sacramentorum, sed tantum de ipsorum unitate morali, quæ aliquam habet analogiam cum rebus unitate metaphysica constantibus.

Notandum 3. Sacramentum Eucharistiæ considerari posse, vel materialiter, seu penes materiam ac substantiam panis et vini, necnon

utriusque species post consecrationem perseverantes, vel formaliter, hoc est penes rationem formalem signi, seu quatenus ordinatur ad significandum Christi Domini Corpus et Sanguinem, vel nutritionem spiritualem animæ, aut spiritualem, aut mysticam fidelium invicem unionem. Quæritur ergo, qua ratione Eucharistia censeri possit unum, aut multiplex Sacramentum. Circa cujus resolutionem duplex capitalis quantum ad unitatem specificam fuit veterum Theologorum sententia: *prima* quidem Majoris et Gabrielis, in 4. dist. 8. q. 2. asserentium Eucharistiam esse simpliciter plura Sacramenta specie infima, unum vero specie subalterna, seu genere proximo. *Altera* vero opposita sententia est Alensis, p. 4. q. 10. memb. 3. art. 1. S. Bonaventuræ, dist. 8. p. 2. art. 2. q. 2. et S. Thomæ, p. 3. q. 73. art. 2. quibus subscribit Subtilis Doctor, dist. 8. q. 1. Tria itaque hic sunt statuenda: *primum*, utrum Eucharistia sit unum, vel multiplex Sacramentum, tam materialiter, quam formaliter, idque specie non solum subalterna, sed infima: *secundum*, ex quo maxime petenda sit ejusmodi specifica unitas: *tertium*, utrum plures species consecratæ sint unicum dumtaxat Sacramentum, an vero multiplex numero.

Conclusio prima. — EUCHARISTIA MATERIALITER SUMPTA DICI POTEST MULTIPLEX SACRAMENTUM; FORMALITER VERO ET PROPRIE AC SIMPLICITER LOQUENDO, DICI DEBET UNUM UNITATE SPECIFICA INFIMA. Hæc est communior, et verior quoad utramque partem, quarum

Prima constat ex modo loquendi tum SS. Patrum, tum Ecclesiæ, et Conciliorum, non raro appellantium Eucharistiam *Sacramenta*. Sic de consecratione dist. 2. sæpius Eucharistia dicitur in plurali numero *Sacramenta;* nam ex Alexandro primo, Epist. 1. cap. 4. refertur, *an Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est.* Et cap. *Comperimus*, ex Gelasio Papa, Epist. ad Macarium et Joannem Episcopos, legimus: *Comperimus autem, quod quidam sumpto tantummodo Corporis portione a calice sacri Corporis abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Et cap. *Tribus gradibus*, ex Clemente Papa, Epist. 2. *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, idest, Presbytero, Diacono, et Ministro, qui cum timore et tremore Clericorum reliquias fragmentorum Corporis Domini custodire debent.* — Similiter ex Concilio Carthaginensi, Can. 24. *In Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam Dominus ipse tradidit, idest, panis et vinum aquæ mixtum.* Et Can. 29. *Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur.*

Ratio conclusionis est, quia Sacramenta materialiter plura sunt, ubi duplex est materia significans primario res diversas: at in Eucharistia duplex est materia significans primario res diversas, puta panis et vinum; nam panis primario significat Christi Carnem, et secundario tantum Sanguinem; vinum significat primario Sanguinem, et secundario tantum Carnem.

Probatur secunda pars, nempe quod Eucharistia formaliter sumpta

sit una unitate specifica, eaque infima. *Primo* quidem auctoritate Catechismi Tridentini, *De Eucharistia*, num. 10. ubi ait: « Licet duo sint « elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ « Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum « tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur; aliter enim se- « ptenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, « atque a Conciliis Lateranensi, Florentino, et Tridentino decretum « est, constare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum « corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, « conveniat, unum esse oportet; atque unum quidem, non quia indi- « viduum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemad- « modum cibus, et potio, quæ diversæ res sunt, ad unam tantum rem « adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur, ita etiam duas illas « diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ « cibum spiritualem significarent, quo mentes sustinentur et recre- « antur. Quare a Domino Salvatore dictum est: *Caro mea vere est cibus, « et Sanguis meus vere est potus* ». Ex Conciliis citatis, Lateranense generale sub Innocentio secundo, non numerat quidem distincte septem Sacramenta, sed ex variis canonibus satis clare colliguntur, maxime ex Florentino in doct. de Sacramentis, Tridentino, Sess. 7. Can. 1.

Confirmatur hæc veritas ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ Eucharistiam nomine singulari Sacramentum appellare solet; maxime in Officio festi Corporis Christi, ubi dicitur: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*. Et frequentius Patres ac Concilia loquuntur de Eucharistia tamquam de unico Sacramento. Constat maxime ex Lateranensi, cap. *Firmiter*, ex Florent. in instructione Armenorum, et ex Tridentino, Sess. 7. ubi asseritur esse dumtaxat septem novæ Legis Sacramenta, et non plura, numerantque Eucharistiam tamquam unicum ex illis Sacramentis. Igitur ex sententia eorum Conciliorum constat, Eucharistiam esse unicum Sacramentum specie infima; si enim esset specie multiplex, seu unum dumtaxat specie intermedia, non posset dici unum Sacramentum; quemadmodum leo, et homo, licet conveniant in ratione animalis, tamquam generis proximi, vel speciei subalternæ, non possunt dici simpliciter unum animal, sed dici debent plura animalia.

Hanc autem veritatem sic explicat Doctor, q. 1. n. 4. *De unitate hujus Sacramenti, dico, quod bene possibile esset plura sensibilia concurrere in fundamento unius Sacramenti simpliciter, ut supra dictum est de ablutione, et verbis in fundamento relationis Baptismi; sed ubi neutrum illorum est aliquid illius Sacramenti, sine altero. Hic autem et species panis continet suum signatum, sine speciebus vini, et e converso. Ideo dico, quod Corpus Christi potest accipi stricte, prout includit partes animatas animæ Christi, cujusmodi non est Sanguis, licet sit in potentia propinqua, ut convertatur in Carnem animatam; et sic Corpus est aliud essentialiter a Sanguine, et in se etiam potest esse aliud signatum, et per consequens, potest esse hujus proprium signum sicut est et propria definitio. Alio modo Corpus potest accipi, ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum Corpus organicum; sive sint partes animatæ, sive sint aliæ non formaliter animatæ, ut humores, et spiritus. Et hoc modo Sanguis est aliquid corporis. Primo modo accipiendo*

Corpus, licet ipsum, et Sanguis sint primo diversa signata, tamen constituunt unum totale, quod est corpus secundo modo, et ita signum pro unitate integritatis, non autem indivisibilitatis. Congruit autem, hoc Sacramentum habere talem unitatem integritatis, et non-indivisibilitatis, quia est ad completam nutritionem animæ, quæ significatur per completam nutritionem corporis; completa autem nutritio corporis fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis, scilicet ex alimento, non enim nutrit sufficienter cibus sine potu, nec e converso. Ex quibus inferunt Hiquæus, Mastrius, Aretinus, et plurimi Scotistæ, hoc Sacramentum non esse unum *unitate indivisibilitatis;* siquidem duas habet partes, ex quibus integratur, scilicet speciem panis et vini: id autem quod est simplex, aut indivisibile, non habet partes, ut constat ex angulo, et puncto; sed tantum esse unum *unitate integritatis,* quia in se includit duo signa particularia, quæ primo significant propria significata, et proxima, scilicet Corpus et Sanguinem Christi, et duo remota, scilicet cibationem, et potum spiritualem. Itaque, inquit Mastrius, disp. 3. q. 2. n. 38. sicut in rebus physicis plures substantiæ diversæ speciei possunt concurrere ad unam substantiam unius speciei, etiam atomæ, integrandam, ut patet de carne, ossibus, et nervis ad constitutionem corporis humani unius speciei atomæ concurrentibus, ita pariter in præsenti species panis et vini concurrunt ad componendum totum integrale Sacramentum per modum partium distinctæ speciei, quia revera forma et materia corporis est tam distinctæ speciei a forma et materia Sanguinis, quam a materia et forma cujuscumque alterius Sacramenti, et præterea in ratione signi formaliter sunt instituta ad significanda signata omnino diversa, loquendo de significatis tam proximis, vel primariis, quam remotis, vel secundariis. Etenim quando consecratur panis ex vi verborum, continetur et ponitur ibi tantum Corpus Christi primo modo sumptum, et ex concomitantia solum ponitur ibi Sanguis, quia verum Christi Corpus sine Sanguine non reperitur; similiter dum consecratur vinum, ex vi verborum est Sanguis Christi, et Corpus per concomitantiam, ut notat Doctor, 4. dist. 10. q. 4. ad 2. Et præterea sunt instituta ad significandam, et communicandam gratiam secundum diversissimam considerationem; species enim panis significant gratiam, ut remotum et secundarium signatum, quatenus habent proportionem aliquam cum cibo; et species vini significant gratiam, quatenus habent proportionem cum potu, quæ omnia arguunt specificam earum distinctionem, etiam in ratione signi, ob specificam diversitatem significati uniuscujusque tam primarii, quam secundarii. Et quidem, quando dicimus utramque speciem habere se tamquam partem integralem hujus Sacramenti, non in eo sensu intelligendum est, ut illum integrent tantum secundum aliquam perfectionem debitam, non tamen essentialem, sicut pes et manus hominem integrare dicuntur; sed quod qualibet earum deficiente, desinat esse hoc Sacramentum quoad suam integritatem essentialem. Unde species panis et vini sunt partes essentiales materiæ hujus Sacramenti, ita ut ex utraque specie integretur materia essentialis ejus, et ex partialibus formis, quibus consecratur panis et vinum, integretur una integra forma essentialis. Ex quo sequitur, quod quando Doctor in hac Quæstione docet, quod Caro et Sanguis Christi pertinent ad integritatem

hujus Sacramenti, non loquitur de quacumque integritate, sed de integritate essentiali, ut etiam notavit Aretinus, dist. 8. q. 2. art. 2. *Ita Mastrius.* — Inde tamen inferre non licet, utramque speciem consecratam seorsim ab alia, non habere rationem veri ac proprie dicti Sacramenti; contrarium enim expresse docuit Concilium Trid., Sess. 21. cap. 3. ubi ait: *Fatendum esse sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solum speciem accipiunt.* Unde certum est, quod in utraque specie seorsim considerata reperiatur essentia Sacramenti materialiter et implicite spectati, seu quoad rem significatam, scilicet præsentiam Corporis et Sanguinis Christi, et perfectam animæ refectionem spiritualem. Verum non ita reperitur formaliter et explicite, seu quoad modum significandi, quia species panis explicite et formaliter significant Corpus, seu Carnem Christi per modum cibi, species autem vini explicite et formaliter significant Sanguinem Christi per modum potus, licet revera Sanguis sit etiam sub speciebus panis, et Caro sub speciebus vini. Nec aliud certe significare voluit Concilium Trid. siquidem eo loci dumtaxat decernit contra hæreticos, Communionem non esse necessario faciendam sub duabus speciebus, quia communicantes sub una dumtaxat specie nihil minus suscipiunt, nec reficiuntur spiritualiter, quam communicantes sub utraque, cum in earum qualibet sit totus Christus. Neque per illam particulam, *verum Sacramentum*, intendit Concilium alteram speciem per se sumptam esse absolute integrum Sacramentum Eucharistiæ quoad essentiam, non enim dicit sub altera tantum specie, totum atque integrum, sed ait sumi *totum atque integrum Christum, et verum Sacramentum*, ut videlicet discernat inter integritatem, seu totalitatem, et veritatem Sacramenti. Unde in cujuslibet speciei susceptione recipitur quidem Christus totus et integer, necnon et verum Sacramentum, licet Sacramentum integrum non recipiatur, quantum ad formalem et distinctam rationem significandi.

Dices 1: Si ex utraque specie conficiatur unum integrum Sacramentum essentialiter, consequens erit, quod sub una tantum specie, scilicet panis, non sumatur integrum Eucharistiæ Sacramentum, ac subinde quod fiat injuria laicis, dum speciebus vini privantur: sed hoc militat in Concilium Trident. supra laudatum: igitur quælibet species seorsim ab alia habet rationem integri Sacramenti, et consequenter Eucharistia non est unum, sed multiplex Sacramentum. — **Distinguo sequelam majoris**: non sumitur integrum Sacramentum, quantum ad rem significatam, et totalem effectum Sacramenti, *nego*; siquidem sub qualibet specie totus Christus continetur, ut animam spiritualiter reficiat: non sumitur totum Sacramentum, quoad modum formalem et distinctum significandi, *concedo*. Nec inde fit ulla injuria laicis communicantibus dumtaxat sub una specie, quia, ut diximus, qui unicam speciem recipit, totum suscipit Christum, et eodem modo spiritualiter reficitur, ac si duas species reciperet; quod utique hoc accommodato exemplo declaratur: si aliquis frustum panis comederet, et biberet vini portiunculam, alius autem eamdem vini quantitatem pari quantitati panis imbibitam exhauriret, revera manducarent et

biberent quoad rem alimenti, necnon et quoad fructum manducationis, non autem quoad modum utriusque sumptionis.

URGERIS: Quælibet species seorsim sumpta continet integram Eucharistiæ essentiam, siquidem Eucharistia prædicatur essentialiter de singulis speciebus consecratis, ac subinde quælibet species est simpliciter Sacramentum totale, et consequenter Eucharistia non est dicenda unum Sacramentum specie infima. — **Nego antecedens**, si intelligatur quantum ad rationem formalem significandi; et ad ejus *probationem* dico, Eucharistiæ Sacramentum essentialiter de singulis speciebus prædicari, et singulas partes consecratas vere appellari Eucharistiam in hoc sensu, quod sicut partes substantiales hominem constituentes, in ratione substantiæ totalis et completæ, vocantur substantiæ, non quidem totales, sed partiales, ita species istæ unum Sacramentum constituentes vere quidem appellantur Sacramenta, sed partialia, quæ invicem concurrunt ad constituendum unum specie integrum Sacramentum Eucharistiæ.

DICES 2: Totuplex est Eucharistiæ Sacramentum, quotuplex materiæ consecratio, quia Sacramentum hoc perficitur consecratione materiæ: at in hoc Sacramento duplex est materiæ consecratio, quia duplex est materia, nempe panis, qui convertitur in Corpus Christi, et vinum, quod convertitur in ejus Sanguinem, quæ utraque materia seorsim consecratur, et per distinctam consecrationem sibi correspondentem: igitur est etiam duplex, et vere, et proprie distinctum Sacramentum. — **Distinguo majorem**: totuplex est materialiter et secundum quid, *concedo*: formaliter et absolute, *nego*: quamvis enim illæ significationes, et illa signa sint diversæ rationis, quia tamen sunt signa partialia, possunt unum totale signum specie atoma constituere, sicut ex anima et corpore, quamvis sint diversæ rationis, resultat unum specie atoma, scilicet homo.

QUÆRES: *Ex quo capite petenda sit unitas specifica Eucharistiæ?*

RESPONDEO, ipsam posse repeti ex triplici capite, nempe ex unitate contenti, scilicet Christi Corporis et Sanguinis, qui continetur sub utraque specie; secundo ex unitate usus, hoc enim Sacramentum ordinatur ad commemorandam Passionem Christi Domini, dicente Apostolo 1. ad Cor. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*; tertio ex unitate finis, scilicet refectionis spiritualis, quæ fieri debet per cibum et potum proportionaliter ad corporalem refectionem. Verius tamen ac melius colligitur hæc unitas ex priori capite, nempe ex parte contenti et significati, quia Sacramentum Eucharistiæ formaliter acceptum est relatio quædam signi ad Corpus Christi: cum ergo relationes suam unitatem et distinctionem specificam desumant non solum a fundamento, sed maxime a suo termino, longe convenientius colligitur unitas hujus Sacramenti ex unitate Corporis Christi sub utraque specie contenti, quam ex unitate refectionis spiritualis, ad quam hoc Sacramentum ordinatur, siquidem Corpus et Sanguis Christi est primarium ac principale significatum in hoc Sacramento; gratia autem sanctificans animam et spiritualiter nutriens est dumtaxat secundarium, ac subinde Eucharistiæ unitas congruentius petitur ab unitate Corporis Christi, quam ab

unitate refectionis spiritualis. *Nec obstat,* quod hoc Sacramentum fuerit institutum, ut esset refectio spiritualis animæ; hic namque finis non fuit unicus ejus institutionis, sunt enim et alii fines, propter quos Christus voluit permanenter esse præsens in Eucharistia, nempe ut a nobis adoraretur, ut esset nobiscum usque ad consummationem sæculi, necnon ut esset Sacerdos, victima, et juge sacrificium.

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ EST NUMERO DIVERSUM, NON QUIDEM EX PLURALITATE ET NUMERO SUMENTIUM, SED EX PLURALITATE NUMERICA SPECIERUM CONSECRATARUM. Hæc Conclusio tribus partibus constat, quarum

Probatur prima: *primo,* quia ubi sunt plures materiæ et formæ, plures etiam adæquatæ significationes, et gratiæ sacramentales alicujus Sacramenti numero distinctæ, plura utique sunt numero Sacramenta. Quare plura sunt numero Baptismata? quia numero multiplicantur ablutiones, et invocationes Trinitatis, et regenerationes, aut gratiæ regenerantes. At ubi plures in pluribus Ecclesiis, aut Altaribus Sacerdotes Eucharistiam celebrant, sunt plures in Eucharistia materiæ, formæ, et significationes numero distinctæ: tum ubi sunt multi communicantes, multæ sunt spirituales animæ refectiones, multæ nutrimentales gratiæ. *Secundo,* species consecratæ Parisiis existentes, et Romæ, non sunt eædem numero; nam alioquin eædem species simul essent in duobus locis adæquatis, et in uno desinerent, in alio permanerent, quod nemo dixerit: at Eucharistiæ Sacramentum supponit pro speciebus consecratis, ut in se Corpus Christi continent, et in iis ita sumptis essentialiter Eucharistia consistit, et una species significat gratiam refectionis independenter ab altera. *Tertio,* si esset unicum dumtaxat numero Sacramentum, maxime propter unitatem Corporis et Sanguinis Christi sub singulis speciebus existentis: sed hæc ratio nulla est, quippe ex præcedenti Quæstione constat, Corpus et Sanguinem Christi non constituere formaliter hoc Sacramentum, nec habere rationem signi, sed dumtaxat significati: igitur cum Eucharistia sit essentialiter signum sensibile, continens Corpus et Sanguinem Christi realiter, nihil obstat, quin plura sint numero Sacramenta, et plures significationes, licet sit unum et idem numero significatum.

Probatur secunda pars, nempe quod hæc unitas non petatur ex parte suscipientium: *tum* quia Eucharistiæ Sacramentum, antequam inserviat ad unam aut plures animæ refectiones, supponitur esse revera Sacramentum in esse suo singulari aut individuali constitutum, existit enim in rerum natura: igitur illius unitas numerica non petitur ex ordine ad unam animæ refectionem, aut sumptionem. *Tum* quia quodlibet ens permanens habet principium unitatis numericæ permanens et independens a quolibet extrinseco: sed Eucharistiæ Sacramentum est ens permanens: igitur habet suum esse, suamque unitatem independenter a quolibet suscipiente. *Tum* denique, quia una et eadem numero hostia potest a pluribus sumi, puta si aliquis hostiam jam ab alio sumptam, et ob stomachi debilitatem ejectam speciebus incorruptis sumeret; quo in casu esset idem numero Sacramentum, quia esset eadem species significans idem Christi Corpus; essent tamen distincti sumentes: igitur unitas numerica Sacramenti stare po-

t·st cum pluralitate sumentium, ac subinde ab eis non est repetenda Sacramenti unitas, aut pluralitas numerica.

Tertia pars ex dictis facile colligitur; quælibet enim species consecrata est significativa præsentiæ Corporis et Sanguinis Christi, estque significatio practica et effectiva gratiæ independenter ab alia; ac subinde ejus numerica distinctio petitur a diversitate speciei consecratæ; sicut enim pluralitas numerica aliorum Sacramentorum desumitur a pluralitate numerica signorum sensibilium, ex quibus constituuntur, ita dicendum est de Eucharistia.

Dices 1: Eo modo Sacramentum Eucharistiæ est unum, quomodo multi fideles sunt unum Christi Corpus mysticum, Apost. enim ait, unitatem panis et calicis, quibus aluntur fideles, esse rationem cur omnes sint unum Christi Corpus. 1. Cor., 10. *Unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus:* sed omnes ubique fideles unum numero Christi Corpus mysticum, nempe Ecclesiam unam numero componunt: igitur, etc. — **Nego majorem**; omnes enim fideles sunt unum numero Corpus Christi mysticum, eo quod habeant unum numero caput Christum, cui maxime uniuntur cum accipiunt ejus Corpus et Sanguinem in Eucharistia contentum; non autem, quod unum numero sumant Eucharistiæ Sacramentum. Hinc Apostolus unum ibi panem et calicem accipit methonimice pro re una contenta sub specie panis, et in calice, non pro speciebus panis aut vini, nam hæ sunt numero plures, et distinctæ.

Dices 2: Ex Canone *in Christo semel* De Consecr., dist. 2. ex S. Ambros. in cap. 10. Epist. ad Hebr.: *Sicut quod ubique offertur unum est Corpus, et non multa Corpora, ita et unum sacrificium*, idest, unum numero, sicut et Christi Corpus: igitur unum est etiam ubique Sacramentum Eucharistiæ, non multa numero. — **Respondeo**, sensum canonis esse, quod Sacrificium est unum ratione principalis offerentis, et ratione rei oblatæ, scilicet hostiæ, seu victimæ, quia Christus ipse præcipuus est offerens, et hostia, quæ offertur, *concedo:* ratione ritus et modi sacrificandi, *nego;* quia sacrificium crucis fuit cruentum, absolutum, et redemptionis consummativum; sacrificium autem Altaris est incruentum, relativum, commemorativum, et applicativum. Unde verbis objectis subjicitur: *Pontifex enim ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem: ipsam vero offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata consumi non potest; quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est: hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.* Et iisdem verbis ita præmittitur: *Offerimus quidem, sed ad recordationem mortis ejus, et una est hostia, non multæ: quomodo una, et non multæ? Quia semel oblatus est Christus; hoc enim sacrificium exemplum est illius, idipsum, et semper idipsum, proinde unum est hoc sacrificium; alioqui quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? nequaquam, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus.* Unde diversa sunt etiam numero sacrificia, quia sunt oblationes et Missæ distinctæ; hinc Ecclesia pluraliter in Collectis appellat sacrificia: *Sacrificiis præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende.*

Dices 3: Si Dei Filius distinctas assumeret humanitates, in pluribus locis esset idem homo; si Petrus esset in diversis locis, et haberet di-

versas albedines, esset idem album : ergo cum idem Christus sit unus numero sub diversis speciebus Eucharisticis, idem est ac unum numero Sacramentum Eucharistiæ. — **Nego consequentiam**; unitas enim numerica hominis accipitur ab unitate numerica suppositi, seu subsistentiæ : suppositum autem esset unum et idem numero, si Dei Filius multas assumeret humanitates; unitas albi sumitur ex unitate subjecti : porro si Petrus in pluribus locis distinctis haberet albedines, esset unum subjectum: at unitas Eucharistiæ Sacramenti petitur ab unitate specierum Eucharisticarum, quæ non sunt quid unum, sed multa diversis in locis.

Dices 4 : Si pluralitas numerica Sacramenti Eucharistiæ desumeretur ex diversitate numerica specierum consecratarum, sequeretur, quod sumens tres hostias consecratas, imo ejusdem hostiæ diversas particulas, diversa reciperet Sacramenta, sicque plures gratias vel gratiæ gradus reciperet, quam qui unicam dumtaxat speciem consecratam susciperet; sicque longe melior esset conditio plures particulas suscipientis, quam unicam dumtaxat consecratam formulam : sed *consequens* illud est contra communem Ecclesiæ praxim et sententiam : igitur et illud unde sequitur. — **Distinguo primam sequelam**: plura essent Sacramenta physice et materialiter, *concedo;* moraliter, *nego;* quia tunc omnes sumuntur per modum unius refectionis spiritualis ; eo modo quo in conviviis corporalibus plures cibi, et plures potus materiales, dicuntur unum convivium, quia unica sumptione morali applicantur ad reficiendum corpus. Unde licet unitas vel pluralitas sumptionis nihil per se conferat ad unitatem vel pluralitatem hujus Sacramenti, quatenus Sacramentum est, confert tamen in ratione convivii. Cujus utique nulla congruentior ratio assignari potest, quam divina voluntas, quæ ita hoc Sacramentum instituit, ut plurium specierum sumptio, sive simultanea, sive successiva, dummodo omnes hujusmodi sumptiones unicam dumtaxat moralem efficiant, et ordinentur ad eamdem refectionem spiritualem, etiam eamdem gratiam producant, licet quælibet ex illis nata sit ex se conferre eamdem gratiam, si sola proponeretur sumenda in ea refectione ; quemadmodum si quis pluribus peccata sua confiteretur, et ab eisdem simul aut successive absolveretur, unam tantum gratiam sanctificantem, et peccati remissionem reciperet.

Urgebis : Quando plures causæ physicæ applicantur per unicum applicationis actum, earum quælibet non minus producit suum effectum, quam si per distinctum actum applicaretur : igitur licet plures physicæ sumptiones unam moralem numero efficiant, si tamen plures species plura essent Sacramenta, revera plures causarent effectus, nempe diversos gradus gratiæ. — **Nego paritatem**; quamvis enim ad eamdem applicationem diversarum causarum in rebus physicis sequatur diversus effectus, non ita tamen contingit in causis moralibus; etenim si duo baptizent, vel ungant, vel absolvant, non erit propterea multiplex Baptismus, vel unctio, vel peccati remissio; ita pariter dicendum de speciebus consecratis, quæ ad eamdem refectionem spiritualem reciperentur ; tunc enim ordinarentur ad unum et eumdem effectum, nempe ad eamdem animae nutritionem. — Hinc fateor, unitatem illam nutritionis ac refectionis non efficere quidem unitatem numericam Eucharistiæ, quia illa jam præsupponitur ad eam refectionem ; nihilo-

minus illam connotat, et inservit ad hujusmodi numericam distinctionem agnoscendam.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM CONVENIENTER INSTITUTUM FUERIT, ET ANTE INCARNATIONEM INSTITUI POTUERIT, ETIAM ADAMO NON PECCANTE.

NOTANDUM 1. Certissimum esse, quod cum Christus Dominus hujus divini Sacramenti sit institutor, inde egregium effulget argumentum, nonnisi præclara ob motiva, et propter urgentes rationes hujusmodi institutionem fuisse peractam; cum enim sapientissimus sit, imo divina ipsa sapientia, nonnisi librato consilio cuncta molitus et operatus est. Juvat autem hujus institutionis præcipuos fines, ac urgentiora motiva expendere, tum ex parte Dei, cum ex parte hominum, necnon et ex parte ipsius Christi Domini hoc Sacramentum instituentis.

NOTANDUM 2. Seu potius revocandum ex dictis in Tractatu *De Incarnatione*, quod etiamsi Adamus non peccasset, nihilominus Verbum Dei fuisset incarnatum, non quidem ut esset Redemptor hominum a captivitate diaboli, et peccatorum expiator, sed alios ob fines, nempe ad communicandum aliis hominibus Incarnationis beneficium per gratiæ augmentum, necnon ut esset hominum caput, Princeps, et Legislator. Quæritur autem utrum in illa hypothesi institutum fuisset Eucharistiæ Sacramentum.

NOTANDUM 3. Aliquid posse incipere esse dupliciter: videlicet simpliciter, et secundum quid. Incipit esse *simpliciter*, quando revera existentiam accipit, et verum est dicere, res nunc est, et immediate ante non fuit; incipit autem esse *secundum quid*, quando accipit modum aliquem existendi accidentalem, quem prius non habebat; sic dum paries de novo fit albus, non incipit esse simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe secundum modum albedinis, qua afficitur. Quæritur autem, utrum Christi Domini Corpus potuerit existere, et fieri præsens in Eucharistia, antequam ex Virgine conciperetur. Sensus enim quæstionis non est, ut quidam perperam existimant, utrum Corpus Christi potuerit esse in Eucharistia ante conjunctionem carnis cum divinitate; certum enim est, quod ante illam unionem, corpus non esset Corpus Christi, ac subinde, si per Incarnationem intelligatur conjunctio carnis cum humanitate, evidens est, quod Christi Domini Corpus non potuerit fieri præsens in Eucharistia ante Incarnationem. Sed difficultas est, utrum ex hypothesi, quod prius non fuisset Divinitas cum humanitate conjuncta, nec nata, nec formata fuisset humanitas per conceptionem naturalem, sed vel per creationem, vel per alium modum divinitus formaretur, eodem instanti, quo proferrentur verba consecrationis, Christi Domini Corpus et Sanguis, possent eo instanti fieri præsentia sub speciebus Eucharisticis.

Conclusio prima. — CONVENIENTER ADMODUM INSTITUTUM FUIT EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

Probatur primo, ut Deus suam in nobis sapientiam, potentiam, et dilectionem commendaret. *Dilectionem* quidem et amorem; *Cum enim*

dilexisset suos, in finem dilexit eos; idest, ultra finem vitæ, vel usque ad ultimum finem amoris, seu ultra omnem amoris modum; namque, inquit S. Chrysostomus in c. 13. Joan. *Nihil omisit, quod vehementer amantem decet.* Unde Concilium Trident., Sess. 13. cap. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit.* — Sapientiam vero; nam Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam, cum hoc divinum Sacramentum instituit, ut omnes filios proprio Carnis ac Sanguinis edulio reficeret, sicque pretioso veluti amoris et charitatis vimine ac vinculo homines ad Divinitatis contubernium promoveret. — Potentiam denique, Eucharistia namque tot miraculis fulget, quot stellis cælum; cum enim miraculorum tria distinguantur genera, quorum aliqua præter naturam, alia supra naturam, alia contra naturam, hæc omnia in hujus Sacramenti institutione mirum in modum effulgent. Enimvero præter naturam est, totam substantiam in aliam, nulla remanente materia, transire, et transubstantiari: supra naturam est, idem corpus pluribus simul adesse locis, nulla prorsus ratione continuis, aut contiguis; contra vero naturam, quod sine subjecto accidentia subsistant, et corpus sine extensione locali, vivum et integrum appareat, qualiter Christi Domini Corpus est in adorando Eucharistiæ Sacramento.

Secundo, conveniens erat in ipsius Christi Domini gloriam et honorem, ut institueretur divinum illud Sacramentum: *primo* quidem, ut majori ac perpetua veneratione apud nos esset, cum ipsum habeamus præsentem, cui vota simul et obsequia impendamus. Cum ergo discessurus esset a Discipulis in própria specie, conveniens erat, ut apud ipsos maneret in specie Eucharistica, utque in absentia Imperatoris exhiberetur veneranda ipsius imago. Quam utique rationem eleganter expendit Eusebius Emissen. Hom. 4. *De Paschate: Quia,* inquit, *Corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, et sideribus illaturus, necessarium erat, ut die Cœnæ Sacramentum nobis Corporis et Sanguinis sui consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetuo esset etiam redemptionis oblatio, et perennis victima illa viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia vere unica, et perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu.*

Deinde, non modicum cedit in Christi Domini gloriam, quod jugiter apud nos recolatur Passionis ejus beneficium; cum enim sine fide Passionis Christi, numquam omnino salus esse potuit, Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius;* hinc oportuit omni tempore quidpiam apud homines esse repræsentativum Dominicæ Passionis, cujus in veteri Testamento præcipuum erat Agnus Paschalis: 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et vero successit Sacramentum Eucharistiæ, quod est rememorativum præteritæ Christi Passionis, sicut illud fuit præfigurativum futuræ. Fuit igitur conveniens, ut imminente Passione celebrato veteris Legis Sacramento novum institueret: *Ut umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sua præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit,* inquit S. Leo, Serm. 7. *De Passione.*

Conveniens etiam fuit nostri causa, ut instituereturhoc divinum sacrificium, non solum ut Ecclesia haberet juge sacrificium, sine quo nulla unquam vera Religio consistit, sicque haberemus divinam victimam, qua Deo supremo Domino divinos impenderemus honores, et iratum nobis Numen ipsius immaculati Agni Sanguine placaremus; sed maxime ut hac cælesti alimonia spiritualem nostram vitam in Baptismate acceptam foveremus. Sicut enim vita animalis quotidiano cibo indiget, quo caloris nativi humidum radicale continenter depascentis jacturas refasciat, ita suscepta in Baptismo gratia, et in Confirmatione aucta intestinis concupiscentiæ æstibus in justis etiam agonem manentibus cito deperiret, nisi frumento Electorum, et vino virgines germinante per Lignum Vitæ præsignato novæ creaturæ vita repararetur. — Hinc S. Chrysost., Homil. 45. in Jo. *Hic Sanguis*, inquit, *facit ut imago in nobis regia floreat: hic Sanguis pulchritudinem et nobilitatem animæ, quam semper irrigat et nutrit, languescere non sinit.* Qua in re suavissima clementissimi Domini providentia mire relucet, ut sicut vetiti fructus esu protoparens, ejusque propago in mortem et infinitas calamitates incurrit, ita cælestis cibi esu vitam habeamus, et abundantius habeamus, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et medela ferretur inde hostis unde læserat. Nam sicut de priori cibo dictum est, Gen. 2. *Quacumque die ex eo comederis, morte morieris*, ita de posteriori, Jo. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Recte Basilius in c. 3. *Quemadmodum corpora nostra convalescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum, ita quiddam est, quod consentanee pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? Nimirum quod dixit Dominus, quia Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Quibus autem non suppetunt hæc, iis utique deficit robur panis et aquæ.*

Probari potest insuper convenientia institutionis Eucharistiæ, ex eo quod congruentissimum fuit, ut Christus Dominus impleret omnia, quæ de ipso vaticinati fuerant Prophetæ, et præsignarent veteris Testamenti imagines ac figuræ: at plurimæ fuerant hujus augustissimi Sacramenti in veteri Testamento prophetiæ, et figuræ, quod utique constat, *primo* quidem quantum ad oracula Prophetarum; nam, inquit S. Ambrosius, in Psal. 38. *Eorum quæ celebrarentur in hoc Sacramento, vetustissima prædictio fuit in sermonibus Prophetarum*. Et quidem Genes. 49. dicitur de hoc Sacramento: *Lavabit in vino stolam suam, et Sanguine uvæ pallium suum:* at ut explicat S. Cypr., lib. 2. Epist. 1. *Quid aliud*, inquit, *dicitur sanguis uvæ, quam vinum calicis Dominici Sanguinis?* Eumdem locum simul cum isto Hierem. 1. *Mittamus lignum in panem ejus*, de eodem Sacramento explicat Tertull., lib. 4. *Contra Marcionem*, in fine. Præterea Prov. 9. dicitur: *Sapientia mactavit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum*, etc. Quod idem S. Ciprian., ibid. de hoc Sacramento vult intelligi. Insuper Psal. 21. dicitur: *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ*. In quem locum ita August. *Tunc manducaverunt, quando adducti sunt ad mensam Domini, et ibi accipiunt de Corpore et Sanguine ejus*. Insuper Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*. Quem locum S. Ambrosius, lib. 3. *De Sacramentis*, c. 12. interpretatur de adoratione Eucharistiæ. *Itaque*, inquit, *per scabellum terra intelligitur; per terram autem Caro*

Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt: Cui concinit S. Augustinus in eadem Psalmi verba: « Quomodo, *inquit*, adorabimus terram, cum dicat aperte Scri-« ptura, Dominum Deum tuum adorabis, et hic dicit: Adorate scabellum « pedum ejus? Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus, « dicit, Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, ti-« meo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, et terram. Rursum « timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus « mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum « pedum ejus, et dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. « Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et in-« venio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur « scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de « terra est, et de Carne Mariæ Carnem accepit. Et quia in ipsa Carne « hic ambulavit, et ipsam Carnem nobis manducandam ad salutem « dedit; nemo autem illam Carnem manducat, nisi prius adoraverit. « Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini « et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando ». Hæc S. Augustinus.

Congruebat pariter, inquit Alensis, 3. p. q. 10. memb. 1. art. 1. Sacramentum hoc variis figuris adumbrari, tum ratione dignitatis, tum ratione difficultatis ad credendum, tum ratione significationis. *Ratione quidem dignitatis,* quia Sacramentum istud inter Sacramenta novæ Legis erat excellentissimum, ut dicunt Expositores Scripturæ; unde quia expectabatur quasi donum Dei excellentissimum, congruebat ut præfiguraretur, et sic quodammodo certificarentur, et ex hoc magis consolarentur, et expectati dignitas ostenderetur. *Ratione difficultatis,* quia cum inter cætera credibilia sit difficillimum ad credendum, conveniebat, ut manuductione figurarum progrederetur ad illius credulitatem. *Ratione significationis,* quia Christus passus, quo datur vita fidelibus, hoc Sacramento signatur et continetur, congruebat ante Christum passum aliqua figura præfigurari, similiter et hoc Sacramentum, quo signatur et continetur.

Quamvis autem Magister Sententiarum dumtaxat enumerat quatuor figuras hujusce Sacramenti, nihilominus octo solent præcipuæ recenseri, inquit ibid. Alensis: *prima* præfiguratio fuit in oblatione panis et vini, Melchisedech, Genes. 14. *Secunda,* in Agno Paschali, Exodi 12. *Tertia* in manna, Exodi 16. *Quarta* in aqua, quæ fluxit de petra, Num. 20. et 1. Cor. 10. *Quinta,* in diversis sacrificiis in lege, de quibus Lev. 2. et sequentibus. *Sexta* in hœdo, quem coctum obtulit Manue. Jud. 13. *Tulit hœdum de capris, et libamenta, et posuit supra petram,* etc. *Septima,* 1. Reg. 13. in favo mellis, quod Jonathas virga convertit ad os suum. *Octava* in fluxu aquæ et sanguinis, quæ fluxerunt de latere Christi, Joan. 19. dicit enim Augustinus, quod fluxus ille fuit figura Baptismi, et Eucharistiæ. — *Prima* autem figura fuit signum hujus Sacramenti, quantum ad exteriorem formam, et effectum primum, scilicet refectionem spiritualem; in illa enim oblatione panis et vini repræsentata fuit forma exterior, et refectio spiritualis; unde sicut hic in re, ita ibi fuit in figura. — In *secunda,* scilicet Agno Paschali, fuit figura Sacramenti, et rei, idest Christi, qui est Sacramentum, et res;

ipse enim est res contenta et figurata, et sicut Agnus Paschalis datus fuit in signum liberationis a servitute Ægypti, ita Agnus iste in signum liberationis a servitute diaboli; non enim debet dari hoc Sacramentum nisi existentibus in gratia. *Præterea*, innocentia Christi figurata fuit per agnum. *Præterea*, datus est in refectionem, et ita congruit refectioni spirituali, quæ fit in hoc Sacramento. *Præterea*, per hœdum, qui offerri debuit, si agnus non haberetur, signatur, quod Christus fuit offerendus pro peccatis nostris. *Præterea*, in Agno Paschali figurata fuit sumptio hujus Sacramenti; quod patet per hoc, quod maxime tangitur ibi modus comedendi. — In *tertia* figura, scilicet in manna, signatur effectus suavitatis, qui concipitur in hoc Sacramento, et delectatio: *Panem de cœlo præstitistis eis*, etc. Suavitas enim saporis in Manna signat plenitudinem gratiæ in Christo, de cujus plenitudine accipiens anima delectatur. — In *quarta*, scilicet in aqua, quæ fluxit de petra, signatur effectus hujus Sacramenti, scilicet extinctio æstus peccati, et ablutio peccati, ut patet ex verbo S. Ambrosii supra dicto. — In *quinta* figura, idest in sacrificiis, signatur oblatio Christi, quæ in hoc Sacramento repræsentatur; oblatus enim fuit in Passione, tamquam holocaustum, et tamquam hostia pacifica, et quasi victima pro peccato, in quantum enim innocens erat, nullius debitor, immolatio illius holocaustum fuit, quod non obtentu aliquo offertur, sed solum in obsequium Dei. In quantum autem fiebat in reconciliationem hominis faciendam cum Deo et Angelis, fuit ejus immolatio hostia pacificorum, qua fecit unam Ecclesiam ex Angelis et hominibus. Quantum autem ad satisfactionem pro peccatis nostris, scilicet in quantum fuit redemptio nostra, fuit victima pro peccato. Unde in victima pro peccato pars sanguinis fundebatur circa basim Altaris holocausti, pars aspergebatur in tabernaculo contra Dominum, quadam parte liniebantur cornua Altaris thymiamatis Levit. 4. Effusio sanguinis circa Altare holocaustorum fuit generale in omni sacrificio; sed in victima pro peccato inferebatur in tabernaculum, et aspergebatur contra velum, sive Dominum, quo notatur redemptio a culpa, et liniebantur cornua Altaris thymiamatis, quo notatur redemptio a pœna. — In *sexta*, scilicet in oblatione Manue, ubi offerebatur hœdus super lapidem, Jud. 13. figuratum fuit, in quo debet fieri oblatio, sive super quod, quia super Christum, idest, in fide Christi: *Petra autem erat Christus*. — In *septima*, de qua 1. Reg. 14. figuratum fuit, quale erat, quod erat offerendum, et qualis debet esse offerens, qui debet habere vitæ sanctitatem, (Jonathas enim gratia interpretatur) et Ordinis dignitatem; quod significatum fuit in hoc, quod virga intincta convertit mel in os suum, talis enim debet esse, qui debet tractare illum, qui per favum mellis signatur, idest, habens in se duas naturas, Divinitatis, et humanitatis. — In *octava* autem, scilicet in fluxu sanguinis et aquæ, figuratur, a quo habet virtutem hoc Sacramentum, scilicet a Christo passo, sive a Sanguine Christi, et non e converso. — Potissima autem, ac præcipua huiusmodi figurarum fuit *Agnus Paschalis*, quia Eucharistia cibus est, et Eucharistia simul in omnium redemptionem, eorumque captivitatis pretium offertur; immolatur enim et offertur, ut hostia Deo; datur autem accipientibus, ut vitæ æternæ cibus, et alimonia immortalitatis, Christi vero Sanguis in ea contentus est pretium Re-

demptionis, et delet chirographum nostræ damnationis. Agnus autem Paschalis eas omnes Eucharistiæ rationes præfigurabat, non enim præcipiebatur immolari solum, sed etiam comedi; et Sanguis ejus (quo Israëlitæ linierunt postes et superliminaria suarum ædium, ut ab Angelo exterminatore protegerentur, et eriperentur e durissimo Pharaonis jugo) non obscure præfigurabat Christi Sanguinem, quo nos exterminio peccati, duraque tyrannide dæmonis eximimur. — Præterea Israëlitici Agni circumstantiæ repræsentabant ea, quæ spectant ad Eucharistiam; panes enim azimi, cum quibus edebatur, indicabant Eucharistiæ materiam, et puritatem, cum qua manducari debet. Civitas Hierosolymorum, in qua sola poterat immolari, significabat Ecclesiam Catholicam, in qua dumtaxat Eucharistia vere ac legitime consecrari, manducarique potest. Lactucæ agrestes, et amaræ quævis herbæ, cum quibus edebatur, arguebant amaritudinem Pœnitentiæ, qua disponi debemus ad Eucharistiam. Omnes cœtus filiorum Israël, et universa populi multitudo, quæ quotannis eum edere debebat, figurabat Ecclesiam quotannis Eucharistiam accipere debere. Manducari solum poterat a circumcisis, et non contaminatis, ut indicaretur Eucharistiam edendam esse solum a Baptizatis, et ab omni peccato mundis. In una domo comedi debebat, ut significaretur Eucharistia in sola Ecclesia Catholica sumenda cum unitate charitatis, qua fideles inter se jungerentur, et cum Christo. Edebatur a stantibus ad iter agendum accinctis, ut Viaticum, quo significabatur Eucharistia velut Viaticum in hac vita peregrinantium ad vitam, et patriam cælestem. Repræsentabat Christi Passionem; unde sicuti confringenda non erant ejus ossa, sic in cruce Joann., 19. non fregerunt Christi crura, ut Scriptura impleretur, *Os non comminuetis ex eo:* sic Eucharistia Christi Passionem ut memoriale repræsentat, et quamquam species dividantur, nulla Christi divisio fit in Eucharistia. Carnes Agni solum assæ poterant edi, quia coquuntur citius ea, quæ assantur, ut ostendatur accedentes ad Eucharistiam, amoris Dei fervore accendi debere, etc.

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ ABSOLUTA DEI POTENTIA POTUIT INSTITUI ANTE INCARNATIONEM UT DE FACTO PERACTA EST. Ita Doctor, dist. 10. qu. 4. num. 6., ubi cum probasset modum sacramentalem non dependere ab existentia naturali simpliciter, concludit, *quod ante Incarnationem potuit ita vere Eucharistia fuisse sicut et nunc, et hoc tam quoad significationem, quantum ad rem signatam et contentam.*

Quod utique sic probat: quod est indifferens ad modum existendi naturaliter, vel sacramentaliter, potest alterutro modo naturali, antequam existeret modo sacramentali, ita viceversa potuit existere modo sacramentali, priusquam existeret modo naturali. *Probat minorem:* si existentia sacramentalis dependeret ab existentia naturali, maxime vel tamquam effectus a causa, vel tamquam proprietas ab essentia, vel tamquam accidens a subjecto: sed neutro modo taliter dependet. Non quidem tamquam effectus a causa, quia præsentia sacramentalis non causatur per præsentiam naturalem, sed fit per omnipotentiam divinam. Neque etiam tamquam proprietas ab essentia, si-

quidem præsentia sacramentalis non fuit necessario ex præsentia naturali; hi enim duo modi existendi non sunt inter se necessario connexi, et sine invicem subsistere possunt; nam de facto prius extitit præsentia naturalis, quam sacramentalis, et si Christus deperderet suam præsentiam naturalem, seu modum existendi quantitativum et extensum, nihilominus subsistere posset secundum modum existendi sacramentalem sub speciebus Eucharisticis. Nec tandem una dependet ab alia, tamquam accidens a subjecto; quippe, ut mox dictum est, una seorsim ab alia potest subsistere, quod apparebit evidentius ex solutione objectionum.

Dices 1: Non potest esse, nec concipi Eucharistia sine Christi Domini Sanguine et Corpore; utrumque enim connotat et continet: sed non potuit esse Christi Domini Corpus et Sanguis ante Incarnationem, siquidem hæc est ipsa humanitatis a Verbo assumptio: igitur, etc. — **Distinguo minorem**: ante Incarnationem absolute, et simpliciter acceptam, ut est unio Filii Dei cum humana carne quocumque modo sumpta, *concedo*. Ante Incarnationem, ut est actu peracta, prout est unio cum humana carne naturali, seu locali quantitatis extensione prædita, *nego:* per Incarnationem enim hoc posteriori modo sumptam, incarnati Verbi Corpus habuit ubi naturale, seu locale quantitativum, et extensivum in utero Virginis, sine quo quidem ubi Eucharistia potuit absoluta Dei potentia constitui, per solam Dominici Corporis et Sanguinis præsentiam sacramentalem.

Instabis: Sacramentalis præsentia necessario naturalem supponit, quia non potest absolute Christi Corpus habere sacramentalem in Eucharistia præsentiam, antequam habeat esse naturale: sed habere non potest esse naturale ante Incarnationem, ut est actu peracta, per hanc enim habuit, ut esset homo naturaliter. — **Nego majorem**; aliud enim est, esse naturale Dominici Corporis, aliud ipsius in loco præsentia naturalis; cum enim aliquid e loco movetur in locum, mutatur præsentia naturalis in loco; nam ipsum ejus esse naturale nihil est aliud, quam ejus existentia substantialis, aut substantia naturalibus affecta proprietatibus; ipsa vero naturalis ejus in loco præsentia modum aliquem habuit occupandi locum externæ quantitati et extensioni corporis accommodatum: omnis autem præsentia naturalis, aut sacramentalis essentialiter a corpore pendet ut a subjecto, quod afficit atque modificat, et ejus esse vel existere naturale necessario supponit, saltem prioritate naturæ, quia sine illo nec esse, nec concipi potest, ut nec figura sine re figurata, nec unio sine re unita. Sacramentalis ergo præsentia supponit existentiam substantialem, aut naturalem substantiam corporis, non autem ejus in loco præsentiam naturalem, seu localem, absque hac enim esse potest.

Urgebis: Prius est rem existere simpliciter, quam secundum quid: sed naturalis existentia est existentia simpliciter, Sacramentalis autem tantum secundum quid: igitur hæc illam præsupponit necessario, et consequenter ubi non præcedit naturalis existentia, Sacramentalis sequi non potest. — **Nego minorem**, quantum ad secundam partem, cum enim modus existendi simpliciter nihil aliud significet, quam rem aliquam esse realiter, sequitur, quod in ea hypothesi, qua Christi Domini Corpus tantum existeret modo Sacramentali, revera existeret

simpliciter; quippe tunc ibi haberet esse reale, et revera productum, non autem solum esse adductum, ut nunc est; nunc enim revera non producitur Christi Corpus sub speciebus Eucharisticis, sed jam productum et existens adducitur, et ibi fit realiter præsens, ut patebit Articulo sequenti.

INSTABIS ITERUM: Si Corpus Christi ea in hypothesi haberet esse simpliciter sub speciebus Eucharisticis, sequeretur, quod postmodum non posset formari ex purissimo Virginis sanguine, sicque illa fieri non posset Mater Dei, ac subinde ea in hypothesi Incarnatio esset impossibilis: sed consequens est absurdum: ergo et id unde infertur. — **Nego majorem**; quamvis enim Corpus Christi præexisteret in Eucharistia, posset Deus convertere purissimum Virginis sanguinem in Corpus Christi, quod fieret præsens in utero Virginis dependenter ab ejus consensu, non secus ac idem corpus, licet existens in Cælo, fit præsens sub speciebus Eucharisticis per conversionem substantiæ panis in ipsum. Quam utique solutionem sic expendit et explicat Doctor, n. 8., ubi ait: *Dico, quod possibile esset, illud idem Corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, et hoc sub modo essendi naturali, non obstante, quod Eucharistia præcessisset vera: sed illa formatio non fuisset tunc acceptio Corporis, nisi secundum quid; et tota ratio est, quia quod sic incipit, præhabet esse simpliciter.* Quibus verbis Doctor significat Corpus Christi Domini in ea hypothesi formari posse ex conversione sanguinis Virginis in ipsum, et produci in utero ipsius: non quidem quoad esse simpliciter et primarium, quia jam habet esse verum et reale in Eucharistia, sed quoad existendi modum connaturalem, hoc est, extensum et circumscriptivum, quem utique existendi modum in Eucharistia non obtinet. — Porro hac in hypothesi non aliter B. Virgo concurreret ad formationem Corporis Christi, ut docte observat Hiquæus in *Commentario*, num. 19. quam subministrando materiam prærequisitam ad formationem, seu existentiam illius Corporis modo naturali, necnon et concurrendo ad illius nutritionem et augmentum, et reliquas dispositiones et affectiones, quæ consequerentur ad animationem et existentiam naturalem ipsius Corporis in suo sinu; unde non concurreret ad formationem primariam Corporis, sed tantum ad secundariam, quam Doctor appellat inceptionem secundum quid. Si autem requiras utrum in eo casu B. Virgo dicenda esset Mater Christi. *Respondeo*, quod tantum esset illius Mater secundum modum, quo procederet ab ipsa, et non aliter; unde cum jam illud Corpus haberet esse præexistens, B. Virgo non concurreret ad illius formationem in fieri simpliciter, sed tantum secundum quid, hoc est secundum modum existendi naturalem, quæ utique formatio dici posset conceptio saltem secundum quid, propter locum, in quo fieret, siquidem corpus fieret præsens modo naturali in eo loco, ubi posset formari quoad esse simpliciter, nisi jam aliunde illud esse haberet.

DICES 2: Impossibile est aliquod corpus prius esse realiter alicubi, quam illud, ex quo formari debet, revera existat in rerum natura: sed Corpus Christi secundum Dei ordinationem formari debuit ex purissimo Virginis sanguine: igitur non potuit esse alicubi, nec subinde habere existendi modum naturalem priusquam existeret B. Virgo, et subministraret materiam formandi illius Corporis. — **Distinguo majo-**

rem: si tale corpus formetur modo naturali, et per veram generationem, *concedo:* si fiat supernaturali, et per creationem, aut per transubstantiationem alicujus materiæ præexistentis in ipsum, *nego.* Ea autem in hypothesi Christi Domini Corpus formaretur et fieret præsens per transubstantiationem materiæ panis præexistentis in ipsum, ut existeret modo Sacramentali, eoque vero, et reali; ac subinde ut hunc haberet modum existendi, non prærequireret sanguinem B. Virginis.

Dices 3: Illud quod potest esse alicubi sacramentaliter pro eodem instanti, divisim potest esse naturaliter, et modo sibi connaturali: sed Corpus Christi ante Incarnationem Verbi non potuit existere naturaliter: igitur nec sacramentaliter. — **Distinguo majorem**: si res spectentur secundum præsentem dispositionem, *concedo:* si ut fieri possent in præsenti hypothesi, *nego.* Fateor equidem, quod nunc temporis Corpus Christi non possit esse alicubi sacramentaliter, quin alibi modo connaturali existat. Verum in præfata hypothesi posset existere sacramentaliter absque eo quod alibi connaturaliter existeret, quia in Eucharistia haberet verum esse et reale secundum entitatem, quamvis non haberet connaturalem modum existendi.

Dices 4: Existentia Sacramentalis ita dependet a connaturali, ut hac pereunte illa pereat; quia Sacramentalis existentia tantum addit modum existendi supra Corpus Christi existens modo naturali: igitur cum modus non possit subsistere sine re, cujus est, ita nec existere potest Corpus Christi sacramentaliter, quin præexistat modo naturali, ac subinde non potest esse præsens sub speciebus Eucharisticis ante Incarnationem. — **Distinguo**: ita dependet, rebus stantibus et ordinatis ut sunt a Deo de facto ordinatæ, *concedo:* aliter de possibili ordinandæ, *nego.* Sicut enim ad desitionem Sacramentalis existentiæ, non desinit existentia naturalis, ita nec posita hypothesi, ad desitionem existentiæ naturalis, non esset necesse, quod Sacramentalis desineret, cum Deus unam ponere, et conservare possit independenter ab alia.

Conclusio tertia. — Probabile est, quod Sacramentum Eucharistiæ fuisset institutum, etiamsi Adamus non peccasset.

Probatur, *tum* quia Deus non minus homines innocentes dilexit, quam reos et perduelles, ac subinde non minora eis contulisset beneficia: sed omnium præstantissimum est Corpus Christi in Eucharistia, est enim summa divini in nos amoris effusio, necnon et ultima divinæ dilectionis meta; ac subinde probabile est quod in statu innocentiæ hoc Sacramentum foret instituendum. *Tum* quia quod maxime congrueret divinæ sapientiæ et bonitati, verisimile est Deum esse facturum: sed Eucharistiæ institutio, Adamo non peccante, talis esset, enimvero id deceret *primo,* ut cæteris individuis naturæ humanæ communicaretur Incarnationis beneficium, Eucharistia namque, ait S. Chrysost. est veluti quædam Incarnationis extensio: *secundo,* ut majoris sanctificationis et gratiæ plenitudo in omnes et singulos homines exundaret, longe enim uberior gratia confertur per hoc Sacramentum, quam per quodcumque aliud medium a Deo instituendum: *tertio,* ut homines haberent *dignum* Deo offerendum juge sacrificium,

cum infiniti pretii victimam ei offerant in oblatione incruenta proprii Dei Filii, qua certe immolatione nulla potest esse Deo dignior, nec hominibus utilior.

Advertendum autem, quod ea in hypothesi Eucharistiæ Sacramentum non foret in memoriam Passionis Christi, cum enim Christus Dominus in eo statu non foret mortalis, nec moriturus, quia assumpsisset corpus impassibile, non potuisset aliquod Sacramentum institui in commemorationem mortis, quam non esset passurus.

SECTIO SECUNDA.

DE MATERIA EX QUA CONFICI DEBEAT SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

Cum Eucharistiæ Sacramentum fuerit institutum ad spiritualem animæ nutritionem et refectionem per modum cælestis et divini convivii, conveniens fuit duplici ex materia confici: altera panis, ex cujus consecratione ac transubstantiatione Christi Domini Corpus fit substantialiter ac realiter præsens sub remanentibus speciebus consecratis; altera vini, ex qua Sanguis efficitur.

Porro circa utramque varii errarunt hæretici; in primis enim Gnostici a Simone Mago exorti, et a Nicolao uno ex septem Diaconis confirmati et adaucti, horrendum in modum prolapsi sunt, quorum spurciloquia quoniam horret animus cogitare, satius duxi eorum deplorandas execrationes ac abominationes ex S. Epiph., lib. 1. *Adversus Hæreses*, *Hæresi*, 26. n. 24. referre, ubi sic de eis spurcissimis hominibus scribit: « Cum salutandi ac complectendi causa manum porrigunt, eam « infra palmam contrectando ac defricando leniter titillant, eoque « signo ejusdem religionis hospitem esse demonstrant. Inde postea « quam mutuo se agnoverint, ad convivium accinguntur. Quod ipsum « tametsi pauperes sunt, ingenti epularum apparatu, vinoque et carnibus instructissimum præbent. Finito convivio cum satietate venas « distenderint ad libidinem proritantur. Tum vir ab uxore discedens « sic eam alloquitur; surge, et fratri charitatem exhibe. Ita ad concubitum venitur. Pudet me bona fide, quæ apud illos turpissime « perpetrantur, exponere, quemadmodum ait Apostolus; quæ apud « ipsos fiunt, turpe est dicere. Verum quæ illos facere nihil pudet, « neque me pudebit eloqui, ut qui fœdissima illorum flagitia audierunt, horrore quodam afficiantur. Etenim peracto stupro, subinde « contumeliosis cælum vocibus appetentes, utrique maris profluvium « cavis manibus excipiunt, ac sublatis sursum oculis fœdum illud, et « abominabile, manibus præferentes consistunt, ac preces concipiunt; « militares quidem et Gnostici ad universorum, ut ajunt, parentem, « cui et quod manibus gestant offerunt, cum hoc solemni carmine: « Hoc tibi munus, nimirum Christi Corpus, offerimus; atque ita tum « eo vescuntur, et impurissimas suas sordes degustant, itaque dicunt: « hoc est Corpus Christi, et hoc est Pascha: idcirco corpora nostra « patiuntur, et Christi supplicia confiteri coguntur. Eodem modo « quoties mulier menstruos fluxus patitur, fœdissimum illum sanguinem collectum una omnes absorbent. Atque hoc est, inquiunt, San- « guis Christi ».

« Propterea in Apocryphis legunt: *Vidi arborem duodecim fructus « quotannis ferentem, et dixit mihi: Hoc est lignum vitæ.* Idipsum de « menstruis mulierum profluviis interpretantur. Cæterum cum inter « sese venerem exerceant, liberos tamen suscipere prohibent. Non « enim prolis studio, sed ut libidini suæ serviant, ei corruptelæ va- « cant. Ita miseris hominibus diabolus illudit, et opus Dei fraudibus « suis implicatum per ludibrium traducit. Proinde sic libidini satisfa- « ciunt suæ, ut impurissimum semen in seipso recipiant, neque illud « ad propagandam sobolem emittant, sed sua ipsi turpitudine pascan- « tur. Quod si forte quispiam excreti seminis immissionem antevertit « et ex eo gravida facta sit mulier, audi quid demum flagitiosius ag- « grediantur. Nam informem adhuc fœtum ex utero detractum quo- « cumque iis tempore visum, infantem, inquam, abortione projectum « in mortario pistillo tundunt. Cui ad vitandam nauseam mel ac piper « cum aliis aromatibus et unguentis admiscent. Tum in unum col- « lecto porcorum ac canum sodalitio, unusquisque e comminuto in- « fantuli corpusculo digito delibat: sic humanis carnibus pasti adoran- « dum Deum sese convertunt. Et cupiditatis, inquiunt, princeps ne- « quaquam nobis illusit, sed quod exciderat fratri nostro collegimus. « Atque id perfectum esse Pascha demum existimant. Præter hæc alia « insuper dira, atque execranda committunt. Cum enim rursus in se « mutuo bacchari ac furere cœperint, respersis spurcissimi humoris « profusione manibus consurgunt, atque ita fœdatas gerentes toto cor- « pore nudi comprobantur, ut ea re majorem sibi apud Deum fidu- « ciam acquirant ». *Ita S. Epiphanius.*

Ophitæ, sicut ait Augustinus, Hæresi 17. a colubro, seu serpente nominati, coluber enim, seu serpens Græce dicitur *Ophis*, colubrum, qui decepit Adam et Evam, Christum arbitrantur; sed et verum colubrum nutriunt et venerantur, qui et, incantante Sacerdote, egreditur de spelunca, et ascendit super Altare innixum speluncæ, et oblationes eorum lambit, et involvens se circa eas regreditur ad speluncam; et ita confingunt oblationes in Eucharistiam, quasi a serpente Christo, ut illi putant, sanctificatas. Hi videntur statuisse, hujusce serpentis contactum, ut quid pertinens ad proximam Eucharistiæ materiam.

Artotyritæ, ex S. Augustino Hæresi 28. panem caseum offerunt in hoc Sacramento, dicentes a primis hominibus oblationes de frugibus terræ, et ovium fuisse celebratas; ideo dicti sunt a nomine *artos*, idest panis et caseus, à mixtura panis et casei. Vazquez existimare videtur Artotyritas noluisse caseum esse materiam Corporis Christi in hoc Sacramento, quia Epiphanius, Hæresi 49. solum ait, eos ita dictos esse, quia suis in mysteriis panem et caseum apponebant, quod non evincit, eos in Sacramenti materia statuisse caseum. Verum S. Augustinus ait, eos obtulisse panem et caseum in hoc Sacramento; quod autem offertur in eo, videtur esse materia. *Deinde*, dicuntur hæretici, quod obtulerint caseum, at si non obtulissent, ut Eucharistiæ materiam, ideo non essent hæretici.

His successerunt scelerum turpitudine non minus infames *Cataphrygæ*, a Phrygia, quam incolebant, nominati, qui aliam materiam pro Eucharistia assignabant, sin æque impuram, certe magis feram. Nam, ut refert S. Augustinus, lib. *De Hæresibus* Hæresi 26. Sacra-

menta funesta habebant: infantis enim anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam conficiebant, admixta tamen farina, ut panem conficerent, puerum inde mortuum habebant pro Martyre, superstitem pro magno Sacerdote. Ortum duxit hic non tam hominum, quam belluarum grex a Montano hæreticorum post hominum memoriam amentissimo, qui se Spiritum Paracletum, adjutricibus insanis mulieribus Prisca et Maximilla, somnia inanissima pro veris Prophetiis venditantibus, comminiscebatur, cum ne quidem sensu communi præditus esset. Istos hæreticos secuti sunt Pepusiani, idem de Sanguine infantium pro Eucharistiæ materia conficientes, ut Hæresi 27. refert. S. Augustinus.

Errarunt pariter *Aquarii*, qui, ut refert S. Augustinus Hæresi 64. aquam dumtaxat in poculo Sacramentali adhibebant, abstinentes a vino; unde *Encratitas*, seu abstinentes, referente Theodoreto, se nominabant. Ideo autem solum aquam adhibebant, quia, ut scribit S. Cyprianus, Epist. 63. timebant, ne fervente Decii persecutione, ex potati Sacramentalis vini odore proderentur; in quo apparet eorum animi imbecillitas, qui enim Sanguinem Christi erubescebant bibere, quomodo propter Christum Sanguinem fudissent? Idem censuerunt Manichæi, qui vinum ut fel draconis, et veluti liquorem diabolicum execrabantur.

Ipsis e diametro adversati sunt *Armeni* quidam, contendentes vinum purum, nulla prorsus aqua permixtum adhiberi debere ad consecrationem calicis, ut colligitur ex Can. 32. Synodi Quini sextæ, seu Trullani, ubi legimus: *Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Damascenum: hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundum Matthæum, Homilia* 83. Quamobrem non aquam bibit, cum surrexit, sed vinum... *Ut non ab hoc tempore imposterum ignorantia teneantur, Patris sententiam orthodoxi aperimus: cum enim improba Hydroparastostarum, hoc est, eorum, qui aquam offerebant, antiqua hæresis esset, qui pro vino sola aqua in proprio sacrificio usi sunt, refellens, hic divinus virdetestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, et ostendens quod directe Apostolicæ Traditioni adversetur, quod et jam dictum est affirmavit: nam et suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit*, etc.

Hunc errorem restaurare visus est *Lutherus*, lib. 1. *Contra regem Angliæ*, ubi docet melius esse, si aqua vino non misceatur; cum hæc mixtio, inquit, sit merum figmentum humanum, pessimamque et sinistram habeat significationem.

His accensendi sunt *Græci Recentiores*, qui quamvis panem et vinum aqua permixtum pro legitima conficiendæ Eucharistiæ materia admittant, valde tamen exorbitant circa qualitatem panis, existimantes nullam fieri consecrationem, nisi fiat in pane fermentato; unde irritam censent Latinorum consecrationem in azimis.

Qui omnes errores, ut proscribantur, tria hac in Sectione statuenda: *primum*, quod panis et vinum sit legitima materia conficiendæ Eucharistiæ: *secundum*, quod panis ille potius debeat esse azimus, quam fermentatus: *tertium*, quod vinum in calice debeat misceri aqua, ut digna sit ac legitima conficiendi Christi Sanguinis materia.

QUÆSTIO PRIMA.

QUISNAM PANIS ET QUALE VINUM LEGITIMA SIT MATERIA CONFICIENDI CHRISTI DOMINI CORPORIS ET SANGUINIS.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore, in 4. dist. 11. part. 2. art. 1. q. 1. Sacramentum Eucharistiæ sapienti ac justa ordinatione confici ex speciebus panis et vini: « Siquidem Sacramentum istud, *inquit*, non « solum continet Corpus Christi verum, sed etiam connotat mysticum, « ad cujus sanctificationem ordinatur; ac subinde coveniens fuit, ut « hoc Sacramentum eis in rebus institueretur, quæ utrumque corpus « repræsentarent et exprimerent. Et quoniam, *inquit*, corpus mysticum « est ex multis aggregatis in unum; talia elementa esse debuerunt, « quæ ex multis aggregantur in unum, tale autem est panis, quia est « ex multis granis puris, tale etiam est vinum, quod est ex multis « racemis puris; ideo recte unionem Corporis Christi mystici signat. « Corpus autem Christi verum continetur in hoc Sacramento ut cibus, « quia propter hoc institutum est Sacramentum, non ut cibus quali- « scumque, sed ut cibus conveniens, cibus efficax, cibus sanans, cibus « omnibus communis: ideo debuit institui signum, quod quidem esset « cibus habens istas proprietates. Cibus autem magis conveniens est « panis de frumento, et vinum; et hujusmodi signum est, quod natura « non generat ex frequentatione fastidium, quod non convenit de ali- « quo alio cibo. Est etiam efficax in confirmando, quia panis confortat, « et vinum lætificat. Est etiam sanus, sicut dicit Isaac in dictis, quia « uterque ad sanitatem facit. Ulterius est cibus communis, et usitatus, « maxime inter gentes rationabiliter viventes. Unde Damascenus: « consuetudo est hominibus manducare panem, et bibere vinum; ideo « conjugavit eis Dominus Divinitatem, et fecit ea Corpus et Sanguinem « suum, ut per hæc, quæ sunt secundum naturam consueta in quibus « vita conservatur, ad ea quæ sunt supra naturam, anima transite- « ratur ».

Notandum 2. Panem esse multiplicis speciei, maxime vero triplicis, ratione videlicet rerum, ex quibus conficitur: alius enim fit vel ex fructibus arborum, ut castaneis, ficubus, amigdalis, nucibus, etc. necnon et radicibus, qualis est ille, qui fit in Insulis Americæ, vulgoque appellatur *casave:* alius ex leguminibus, puta ex fabis, etc. quæ in siliquis, aut tegminibus, vel follibus crassioribus nascuntur: Alius denique ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur; quamquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ habent culmum, et spicas, quæve falce metuntur sicque frumenti nomen genericum est ad triticum, hordeum, siliginem, avenam, etc. Quæritur ergo quisnam ex eis panibus sit materia necessaria non solum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ita ut irritum foret Sacramentum, si in alia materia conficeretur.

Notandum 3. Vini etiam multiplicem esse speciem; aliud enim est, quod exprimitur ex arborum fructibus, quale est vinum malorum granatorum, vel pomorum, aut mororum; aliud vero vinum de vite, seu vitigineum, quod per excellentiam et antonomasiam vinum appellatur.

Quæritur itaque quale debeat esse vinum, ut censeatur apta et idonea materia hujus Sacramenti.

Conclusio prima. — PANIS ET VINUM SUNT MATERIA NECESSARIA CONFICIENDÆ EUCHARISTIÆ. Hæc est de fide; ea siquidem est Eucharistiæ conficiendæ materia necessaria, quam Christus Dominus usurpavit, et quam servandam Apostolis et eorum Successoribus tradidit: sed hæc sunt panis et vinum. Panis quidem, nam Matth. 26. Marci 14. et Lucæ 22. ac 1. Cor. 11. legimus, quod Jesus accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: *Accipite, et manducate, hoc est Corpus meum.* Vinum pariter, licet enim Evangelistæ recitando institutionem, dicant tantum Christum Dominum accepisse calicem; attamen Matthæus, et Marcus statim interpretantur, calicem istum fuisse calicem vini; subjiciunt enim, Christum statim dixisse: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud,* etc. — *Nec obstat,* quod S. Lucas videatur fecisse mentionem duplicis calicis, communis scilicet, et sacri, atque innuere prædicta verba potius de calice communi esse intelligenda, quam de sacro, cum illa refert a Christo dicta, ante consecrationem panis. Non, inquam, id obstat, quia S. Augustinus, lib. 3. *De consensu Evangelistarum,* cap. 2. docet, unum eumdemque calicem a S. Luca bis memoratum: semel quidem præoccupando, iterum autem post panis consecrationem. Eaque constans est ac firma Ecclesiæ traditio, ut constat *primo quidem* ex Concilio Apostolorum, Can. 3. ubi decernitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super Altare, idest, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Idem decernit Concilium Braccharense, cap. 54. *Non oportet,* inquit, *aliud in Sacramento offerri præter panem, vinum, et aquam, quæ in typo Christi benedicuntur, quia cum in cruce penderet, de Corpore ejus Sanguis fluxit, et aqua. Hæc tria unum sunt in Christo Jesu: hæc hostia, et oblatio Dei in odorem suavitatis.* Similiter Carthaginense Tertium, cap. 24. *In Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini,* inquit, *nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquæ immixtum.* Idem ex Triburiensi, cap. 19. *Confitemur, et confirmamus, ne ullus sine commixtione vini et aquæ sacra mysteria conficiat, sed ut duæ partes sint vini, quia major est majestas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi.* Idem tradunt Concilia Florentinum, in Decreto Eugenii, et Trident., Sess. 13. cap. 3.

* " **Probatur auctoritate Patrum,** et *primo* quidem S. Justini, Apol. 2. *A precibus finitis,* inquit, *mutuis nos invicem osculis salutemus. Deinde ei qui fratribus præest affertur panis, et poculum aquæ et vini; quibus ille acceptis gratiarum actionem prolixe exequitur. Præsidens vero postquam gratiarum actiones perfecit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum ab-*

soluto, et ita ut Christus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ita sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster Carnem et Sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem etiam modum, eam in qua gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus. — *Secundo,* S. Cyprianus hydroparastatarum errorem refellit, Epist. 63. ad Cæcilium: *In calice Domini inferendo,* inquit, *Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur: nam cum dicat Christus: Ego sum vitis vera, Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri Sanguis ejus esse in calice, quando vinum desit calici quo Christi Sanguis ostenditur, ut Scripturarum omnium sacramento et testimonio prædicatur.* Id subinde probat multis figuris veteris Testamenti, quibus Sanguis Christi per vinum repræsentabatur, et demum colligit: *Quomodo de creatura vitis cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris et Christi vinum non offerimus, nec calicem Domini traditione* [*Christi*] *miscemus... videmus enim in aqua populum, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur,* etc. — *Tertio,* S. Epiphanius, Hæresi 47. contra Encratitas agens, hæc habet: *Illorum mysteria quæ aqua sola constant mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia ad verorum imaginem expressa. In quo planissima illos Salvatoris sententia redarguit: non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cælorum vobiscum.* — Suffragantur SS. Basilius et Chrysostomus in suis Liturgiis, aliique Patres quotquot de venerando illo Sacrificio scripsere, quos omitto brevitatis causa, hunc solum adjiciens S. Irenæi contextum, lib. 5. *Adversus hæreses,* cap. 2. *Quando ergo, et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corporis et Sanguinis Christi.* " *

Ratio autem hujusce institutionis et ordinationis non alia est, quam Christi Domini instituentis voluntas. Congruentiæ autem hujus plurimæ sunt, maxime vero quatuor, quas sic egregie expendit Catechismus Romanus, *De Eucharistia,* num. 19. « Primum enim, *inquit,* « panis et vini symbola Christum nobis significant, ut vera est ho« minum vita; ipse enim Dominus ait: *Caro mea vere est cibus, et « Sanguis meus vere est potus.* Cum igitur Corpus Christi Domini vitæ « æternæ alimentum illis præbeat, qui ejus Sacramentum pure et « sancte suscipiunt, recte iis potissimum rebus conficitur, quibus hæc « vita continetur, ut fideles facile possint intelligere, pretiosi Corporis « et Sanguinis Christi communione mentem, animumque saturari. « Nonnihil etiam hæc ipsa elementa ad id valent, ut eam cognitionem « accipiant homines esse in Sacramento Corporis et Sanguinis Domini « veritatem. Nam cum panem et vinum in humanam carnem et san« guinem vi naturæ quotidie immutari animadvertamus, facilius ad« duci possumus hac similitudine, ut credamus panis et vini substan« tiam in veram Christi Carnem, verumque ejus Sanguinem cælesti « benedictione converti. Affert etiam aliquid adjumenti hæc elemen« torum mutatio ad adumbrandum quod fit in anima. Ut enim, etsi

« nulla extrinsecus panis et vini mutatio apparet, tamen eorum sub-
« stantia in Carnem et Sanguinem Christi vere transit, ita etiam ta-
« metsi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam
« Eucharistiæ Sacramenta accipimus. Accedit ad hæc, quod cum unum
« Ecclesiæ corpus ex multis membris compositum sit, nulla re magis
« elucet ea conjunctio, quam panis, vinique elementis. Panis enim ex
« multis granis conficitur, et vinum ex multitudine racemorum existit,
« atque ita nos, cum multi simus, hujus divini mysterii vinculo ar-
« ctissime colligari et tamquam unum corpus effici declarant ». *Ita Catechismus.* Quibus denotat congruum fuisse panem et vinum in Eucharistiæ Sacramenti materiam adhiberi, quadruplici de causa; videlicet, quia panis et vinum sunt materia conveniens admodum usui, significationi, et effectui Eucharistiæ, cum respectu cujusque sumentium, tum respectu totius Ecclesiæ. *Usui* quidem, qui est manducatio, habetur enim communius; nam, ut aqua sumitur in Baptismo ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter in aqua fit, ita panis et vinum, quibus homines communius reficiuntur, in Eucharistia sumuntur ad usum manducationis spiritualis, instituta quippe fuit ut spirituale convivium: at in convivio perfecto præcipuus est usus panis et vini. — *Significationi*, quæ est Christi Passio; hanc enim imitantur expressius; nam ut in Passione Christi Sanguis a Corpore separatus est, ita hoc in Sacramento, quod est ejus memoriale, seorsim accipitur panis, ut Sacramentum Corporis, vi verborum ita confectum, et vinum ut Sacramentum Sanguinis, aliorum etiam verborum vi consecratum. Unde Christi Corpus ut passum et affixum cruci repræsentatur per panem, Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem ejus*, idest, crucem in Corpus ejus; ex Hieronymo in Hieremiam, et Tertulliano *Contra Judæos*, cap. 11. et 4. *Contra Marcionem*, cap. 19. nam ut panis fit ex gránis, quæ magno labore metuntur in agro, teruntur in area, commoliuntur in pistrino, tum in clibano coquitur; ita Christi Corpus attritum labore et tribulatione incredibili, tum et afflictionis igne percoctum est. Vinum autem exprimit Sanguinem effusum in Passione, Genesis 49. *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*, idest, in proprio cruore suam humanitatem. Hinc Isaiæ 64. Christus dicitur calcasse torcular, et expressisse vinum ex uva, quia sicuti vinum ex uvis in torculari calcatis, et expressis prælo fluit, ita Christi Sanguis laborum et cruciatuum vi fluxit ex ejus Corpore. — *Denique* respondent *effectui* spectato in unoquoque sumentium, operatur enim efficacius, quia panis sustentat et reficit, vinum excitat et animat, Psal. 103. *Panis cor hominis confirmet; Vinum lætificet cor hominis.* Unde Ezechielis 4. panis vocatur *baculus*, et alibi *robur;* et vinum *hominum lætitia*, quia pane ut baculo innitimur; ideo minatur Deus se populo baculum et robur panis erepturum. At ex *Commentario*, 1. Corinth. apud Ambrosium, cap. 11. hoc Sacramentum valet ad tuitionem animæ et corporis, ideo Corpus Christi sub specie panis pro salute corporis; Sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur, quia Levit 17. *Anima carnis in sanguine est.* — *Respondent* etiam *effectui* respectu totius Ecclesiæ; siquidem integrantur aptius, et uniuntur arctius, Ecclesia quippe constituitur e diversis fidelibus, ut panis fit e pluribus granis, et vinum

e multiplicibus uvis et acinis, 1. Cor. 10. *Multi unum corpus sumus*, etc.

Dices 1: Omne quod repræsentat spiritualem alimoniam est legitima et sufficiens Eucharistiæ materia, quia cujuscumque Sacramenti materia dijudicari debet ex intentione Christi; porro intentio Christi, cum instituit Eucharistiam, fuit exhibere seu repræsentare spiritualem alimoniam, et sui Corporis ac Sanguinis communicationem per elementa seu signa communis et usitati potus et cibi: sed ubi panis et vinum non reperiuntur, alia, quæ substituuntur eorum loco communem in cibum et potum, repræsentant alimoniam spiritualem, et Dominici Corporis et Sanguinis communicationem, ut carnes, pulmenta, cerevisia, et similia: ergo hæc sunt sufficiens et legitima Eucharistiæ materia. — **Distinguo majorem**: quod repræsentat ex institutione Christi, *concedo:* ex aliqua solum congruitate, convenientia, vel idoneitate, *nego.* Duplex enim est hominum cibus, et potus: unus qualiscumque, quo homines utcumque vescuntur et aluntur, et quo citra singulare, perfectum, exquisitumve convivium utuntur, esto satis ordinarie quibusdam in locis ratione charitatis ciborum, sterilitatis regionum, et paupertatis incolarum, et ejusmodi, sint radices aliquæ, castaneæ, et similia bene multa, quibus utuntur pro pane nonnulli. Alter exquisitus, quo solent homines uti, quando perfectum, lautum, et singulare convivium celebrant; et ejusmodi sunt panis et vinum; panis equidem, in Scriptura quippe manducare panem, est refectionem sumere, Matth. 15. *Non lavant manus suas, cum panem manducant.* Aut epulari, seu convivari, Lucæ 14. *Cum intrasset Jesus domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem*, idest, epulari; quare quempiam invitare ut manducet panem, idem est, ac illum ad convivium hortari; Sapientia quippe Proverb. 9. sic ad suum invitat convivium: *Venite, comedite panem meum.* Vinum autem, ut habet adagium, est anima convivii; quare Sapientia ad suum convivium ita hortatur: *Et bibite vinum, quod miscui vobis.* Christus autem instituit Eucharistiam, ut convivium exquisitum, et omnino perfectum, Isaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiarum, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ;* vel, ut habent Septuaginta, *Faciet convivium omnibus Gentibus super montem istum; bibent lætitiam, seu bibent in lætitia, bibent vinum, ungentur unguento.* Quod Eusebius, 1. *De demonstratione Evangelica*, cap. 10. tribuit Eucharistiæ. Quare Christus in Eucharistia materiam instituit panem et vinum, nec aliquid aliud eorum loco substitui potest.

Dices 2: Sacramentum Eucharistiæ ubique gentium debet celebrari, juxta illud Malachiæ 1. *Ab ortu Solis ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Sed plurima sunt loca, in quibus nec vinum, nec panis proprie dictus possunt reperiri, imo etiam nec deferri, aut in eis conservari: igitur dicendum est, Christum Dominum instituisse Eucharistiam in pane et vino dumtaxat analogice sumptis, puta panem verum, et verum vinum, ubi possent haberi; qualemcumque vero cibum, et potum, qui panis et vini vices gererent, ubi panis et vinum haberi non possent. *Major constat. Minor probatur:* primo quidem

antum ad panem; quia plures Americæ populi non alio pane vescuntur, quam e radicibus plantarum confecto. Quantum autem ad vinum, asserit Vollaterranus in Geographia, quod in Norvegia, ob immensa frigora vinum deportatum non possit conservari, sed cito acescat. Unde Innocentii VIII concessione asserit permissum fuisse, sine vino calicem sacrificare: igitur, etc. — **Nego minorem**: quamvis enim triticum et vinum in omnibus mundi plagis non nascantur, tamen in omnes possunt deportari, maxime quantum ad usum Eucharistiæ, ut experientia in dies demonstrat; unde narratio Vollaterrani tota videtur fictitia. *Primo*, quia nullum extat concessionis illius instrumentum; si autem ea foret vera, fieri non posset, ut in re tam inusitata, tantique momenti aliquod non extaret ejus facti monumentum: *secundo*, falsa est hujus concessionis ratio: tantum enim abest, ut vinum acescat in Norvegia, imo ibi tam accommodatum potu reperitur, ut in ea regione laici nolint communicare, nisi sub utraque specie.

Dices 3: Illa censenda est legitima materia conficiendæ Eucharistiæ, quæ offerri consueverat a fidelibus ad Altare: sic nedum panem et vinum, sed etiam alia plurima offerre consueverant, puta lac, uvas, oleum, spicas, mel, etc. igitur ex iis poterat confici Eucharistia.* " *Deinde* quidam Episcopi ætate S. Cypriani solam aquam in sacrificio Missæ offerebant, quos tamen ipse hæreseos nota non inurit. Ergo Encratitæ non sunt propterea hæreticis accensendi quod aquam solam in sacrificio altaris offerrent. " * — **Distinguo majorem**: quod offerebatur ad consecrationem, *concedo*: quod offerebatur in gratiarum actionem, aut ad Religionis exercitium et Clericorum victum ac sustentationem, *nego*. Fateor equidem, quod antiquitus fideles offerre solerent ad Altare, instante tempore consecrationis, oleum, lac, mel, etc. ut colligitur ex prædicto c. 24. Concilii tertii Carthaginensis, nam post laudata verba subjicit: *Primitiæ vero, seu mel, seu lac, seu alia, quæ solent offerri, quamvis in Altari, tamen habent propriam benedictionem, et a divinis Sacramentis distinctam*. Verum hæc non offerebantur in oblationem sed in gratiarum actionem, ut constat ex Can. 3. Apostolorum; unde Can. 4. subditur. *Offerre non licet aliquid ad Altare præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thymiama, idest, incensum, tempore quo sancta celebrantur*. Et Can. 5. *Reliqua poma omnia ad domum Primitiæ Episcopo, et Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari*. — Hoc ipsum luculenter explicat Concilium Wormaciense, c. 4. ubi ait: « Cum omne « crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cæ« tero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacri« ficii oblatione erratur? Audimus enim quosdam schismatica ambi« tione detentos, contra divinos ordines, et Apostolicas institutiones « lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare: alios quoque intinctam « Eucharistiam populis pro complemento Communionis porrigere: quos« dam etiam expressum vinum in Sacramento dominici calicis offerre: « alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum re« servare, et in tempore sacrificii partem ejus aqua lavare, et sic « offerre. Quod quam sit Evangelicæ et Apostolicæ doctrinæ contra« rium, et consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso « fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa Sacramentorum my« steria processerunt. Cum enim Magister Veritatis verum salutis no-

« stræ sacrificium suis commendaret Discipulis, non illis lac, sed pa-
« nem tantum, et calicem sub hoc Sacramento cognovimus dedisse ;
« legitur enim in Evangelica veritate : accepit Jesus panem, et cali-
« cem, et benedicens dedit Discipulis suis. Cesset ergo lac sacrifi-
« cando offerri, quia manifestum et evidens Evangelicæ veritatis
« exemplum illuxit quod præter panem et vinum, aliud offerri non
« licet. » — Idem decernit Concilium Braccharense tertium, c. 10. ubi ait : *Audivimus quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinas et Apostolicas institutiones, mel, et lac pro vino in divinis sacrificiis... Quod quam sit Evangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte Veritatis probatum, a quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt ; ait enim Evangelista :* accepit Jesus panem, et calicem, etc. *Cesset ergo lac in sacrificio offerri, quia per evidens exemplum ad Altare mel, et lac afferre non licet.* Et ex Altisiodorensi, Canone 8. *Non licet in Altario in sacrificio divino mellitum (quod mustum appellatur) vel ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum : quia ad grandem reatum et peccatum pertinent Presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumpserit.* Ex Matisconensi secundo, Can. 4. *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur, tam panis, quam vini.* Ex Lateranensi, c. *Firmiter : Christi Corpus et Sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, et vino in Sanguinem.* Idem habent posteriora Concilia supra a nobis laudata. — ✻ " *Ad aliud* quod objectum est de Episcopis quibusdam a vino in sacris abstinentibus, respondeo illos a traditione aberrasse, et a Cypriano excusatos esse, quod talem impegissent in errorem ignorantiæ potius et ignaviæ, quam pervicaciæ vitio, ne scilicet ex odore vini in sacrificio matutino hausti in suspicionem christianæ religionis apud ethnicos venirent. Quam ob ignaviam eos reprehendit S. Cyprianus, loco laudato, his verbis : *Cæterum omnis veritatis et religionis disciplina subvertitur, nisi hoc quod spiritaliter præcipitur, fideliter reservetur, nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat Sanguinem Christi. Sic ergo incipit a Passione Domini in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de Sanguine ejus et cruore confundi... quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui Sanguinem Christi erubescimus bibere.* Et infra : *Si quis autem ex antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit et tenuit, quod nos Dominus facere magisterio suo docuit et exemplo, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti et instructi sumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit offeramus : et de hoc quoque ad Collegas nostros litteras dirigamus ut ubique Lex evangelica et traditio Dominica servetur, et ab eo quod Christus docuit et fecit non recedatur.*

Objiciebant Encratitæ illa Christi verba Joannis 7. : *Si quis sitit veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* — Sed reponit S. Cyprianus, loco laudato : *Nam ut magis posset esse manifestum, quia non de calice, sed*

de Baptismo loquitur ibi Dominus, addidit Scriptura dicens: Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant, qui in eum credebant. Per Baptisma enim Spiritus Sanctus accipitur, et sic a baptizatis et Spiritum Sanctum consecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur." *

Conclusio secunda. — MATERIA CONFICIENDI CHRISTI DOMINI CORPORIS, DEBET ESSE NECESSARIO PANIS TRITICEUS AQUA NATURALI COALESCENS, ET IGNE DECOCTUS. Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum

Prima certa est apud omnes Catholicos, et expresse colligitur ex Concilio Florentino, tum Sess. ult. ubi interrogati Græci a summo Pontifice de materia Eucharistiæ conficiendæ, respondent his verbis: *De pane, sive azimus, sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet;* tum ex litteris Unionis, in quibus definitur: *In azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter conficitur;* tum denique ex decreto Unionis pro instructione Armenorum, ubi legimus: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.*

NEC VALET REPONERE, Concilium Florentinum verbis illis significasse solum panem triticeum esse de necessitate præcepti, non vero de necessitate Sacramenti. — **Non valet,** *inquam,* quia de aqua naturali, quæ a Conciliis Trident. et Florent. eodem modo definitur esse materia Baptismi, dici non potest, quod sit solum necessaria necessitate præcepti, et non Sacramenti: *tum* quia eo modo definitur ibi panis triticeus esse materia necessaria conficiendi Corporis, quo vinum de vite consecrandi Sanguinis: sed hoc est materia necessaria simpliciter, non solum ratione præcepti, sed etiam Sacramenti: ergo et ille: *tum* quia hæc censetur Apostolica Traditio, quam Ecclesiæ auctoritas firmavit, ut docet Catechismus Romanus, n. 13. *Tum* denique, quia panis ille dicitur materia hujus Sacramenti a quo Eucharistia dicitur panis, et sub quo fuit prænuntiata: at is est triticeus; nam Psal. 147. *Adipe frumenti satiat te.* Oseæ 14. *Vivent tritico.* Quos textus de Eucharistia omnes Patres, et Doctores interpretantur.

DICES 1: Concilia et Patres dum de materia Eucharistiæ conficiendæ loquuntur, sæpe dicunt esse *panem ex frumento;* sed teste S. Isidoro, lib. 17. *Etymolog.*, c. 3. et Plinio, lib. 18. *Historiæ,* c. 7. et Varrone *De re rustica,* c. 18. frumentum est genus ad omnem speciem grani quod habet aristas: ergo, etc. — **Distinguo minorem:** apud profanos, *transeat:* apud sacros Auctores, et juxta Scripturæ modum loquendi, *nego.* Siquidem Deuteronomii 7. Hierem. 41. Ezech. 4. Joël. 1. Frumentum distinguitur ab hordeo, millio, et aliis granis: ergo non est genus ad illa, sed pro tritico usurpatur, ut evidenter constat ex his verbis 46. Genes. *Joseph jussit ministris, ut implerent saccos eorum tritico, et illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt.*

DICES 2: Quodlibet vinum de vite sufficit ad consecrationem calicis, sive interim sit album, sive rubrum: ergo et quilibet panis. — **Nego consequentiam:** siquidem unum vinum ab alio tantum differt accidentaliter, hoc est, vel ratione coloris, saporis, aut majoris vel minoris virtutis; panis autem ex diversis specie granis diversus est specie:

ergo sicut quælibet aqua non sufficit ad Baptismum, ita nec quilibet panis ad Eucharistiam.

Urgebis: Ex quolibet pane fit eadem nutritio corporea, et idem sanguis: ergo ex quolibet etiam fieri potest Corpus Christi in animæ cibum. — **Nego paritatem**; alias sequeretur quodlibet edulium, sive fructus, sive herbæ, etc. posse consecrari, ex iis enim fit idem sanguis, et eadem nutritio.

Dices 3: Conficiendæ Eucharistiæ materia est panis usualis et communis, ut omnes fatentur: sed talis non idem est in omnibus Provinciis, in pluribus namque (ut diximus supra) triticum non reperitur, ut apud plures Americæ Provincias, etc. — **Concedo majorem**, et *minorem distinguo:* non idem est per accidens, *concedo:* per se, *nego:* statim namque ac triticum serere, et metere norunt, eum cuilibet pani omnes præferunt: indicium est ergo hunc panem per se esse usualem et communem.

Nec reor Evangelium alicubi prædicari, quin pariter divina providentia ibidem triticum suppeditet, ut in tali regione hoc adorandum Sacramentum possit confici. Quare, si aliquibus regionibus non reperitur triticum, vel ibi deportari debet, ut habeatur materia necessaria conficiendæ Eucharistiæ, quemadmodum ex India, et aliis partibus Orientalibus asportatur balsamum in plagas Occidentales, et Septentrionales pro conficiendo Chrismate, vel certe abstinendum erit a consecratione, maxime cum realis Eucharistiæ sumptio non sit necessaria necessitate medii, sed tantum præcepti.

Probatur secunda pars, nempe quod panis ille confici debeat ex aqua naturali: *tum* quia panis usualis est necessaria hujus Sacramenti materia; sed panis quo solent uti homines ex aqua naturali coalescit: *tum* quia farina compacta ex butyro, oleo, etc. non habet rationem panis, sed placentæ, aut tortæ. *Nec refert* quod humor ille possit absorberi, et in speciem panis absumi, quia sive absumatur, sive substantialiter remaneat, semper fieri debet mixtio; hæc autem usualiter fit ex aqua naturali. *Insuper* triticum non remanet in substantia panis, nihilominus necessario requiritur: ergo licet aqua absumatur, nihilominus est necessaria. *Nec etiam obstat,* quod panis ex aqua rosacea confectus forte non differat specie physica ab eo, qui conficitur ex aqua naturali, quippe cum potissima substantia illius mixti sit farina, quæ ejusdem rationis est in utroque. Non obstat, inquam, sufficit enim, quod differat specie morali, quemadmodum panis ex amydo confectus non censetur materia sufficiens consecrationis, sive specie distinguatur, sive non, quia non est panis usualis.

Probatur denique tertia pars, nempe quod panis debeat igne decoqui: *tum* quia tali pane Christus est usus; ergo et nos debemus uti: *tum* quia pasta non est panis, nec cibus aut alimentum hominum: ergo nec potest esse signum alimenti spiritualis. An autem panis et pasta specie differant, non arbitratur Doctor, quippe cum per decoctionem pastæ in furno, vel alio modo, fit solum exhalatio aquei humoris commixti cum partibus farinæ, talis autem mixtio fit per intrapositionem; ergo separatio non mutat speciem. Verum esto pasta tantum accidentaliter differat a massa cocta panis, non potest tamen esse legitima materia consecrandæ *Eucharistiæ*, quia non est panis usualis, et

ad nutritionem hominis ordinata; quem utique panem Christus Dominus ad consecrationem usurpavit; qua etiam ratione neque massa frixa, neque elixa est sufficiens materia consecrationis, qui non est simpliciter panis communis et usualis.

Conclusio tertia. — Materia conficiendi Christi Domini Sanguinis debet esse vinum vitigineum.

Hæc Conclusio constat ex præcedentibus, in quibus declaratum est, tum ex Scriptura, tum ex Conciliis, maxime vero ab exemplo Christi Domini, qui peracta hujusmodi Sacramenti institutione, dixit Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis,* ubi *ly hoc* designat materiam, quæ erat in illo calice: ergo erat vinum de vite. *Secundo,* quia solum vinum de vite proprie et simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de oliva proprie et simpliciter vocatur oleum. *Tertio,* quia vinum vitis magis convenit effectui hujus Sacramenti, quia est spiritualis lætitia, de illo enim dicitur Psalm. 103. *Vinum lætificet cor hominis.* Cum autem vitigineum possit considerari sex modis: *primo,* quatenus exprimitur de uvis non maturis, quomodo dicitur *agresta,* seu umphacium; *secundo,* quatenus adhuc continetur in uvis jam maturis non expressum, et dicitur *botrus,* seu racemus; *tertio,* quatenus est recenter expressum, habetque multas adhuc fæces admixtas, et dicitur *mustum; quarto,* quatenus est defæcatum, et dicitur *defrutum; quinto,* quatenus est *congelatum; sexto,* quatenus est *acetosum.* Dubium autem est in quonam horum valida fiat consecratio, quod ut innotescat.

Dico, primo, nullam esse consecrationem in agresta: *tum* quia id decernitur in Missali Romano in defectibus Missæ ex parte materiæ: *tum* quia non minus a vino specie discrepat, quam sanguis a carne; diversas enim a vino habet qualitates, siquidem illud digestum est, hoc indigestum; illud odoriferum habet liquorem, hoc penitus nullum; illud virtutem habet calefaciendi, hoc frigefaciendi.

Idem dicendum de *botro; tum* quia vinum non est sufficienter Sacerdoti præsens, cum illud neque tactu, neque odoratu percipiat: *tum* quia quamdiu liquor est in uva, magis habet rationem comestibilis, quam bibilis, non enim dicimur bibisse, sed manducasse uvas et racemos, ac proinde non est aptus ad significandum effectum spiritualem hujus partis Sacramenti, quæ est spiritualis animæ potus. Insuper sicut materia conficiendi Corporis est simpliciter esus, et res manducabilis, ita a pari materia conficiendi Sanguinis debet esse simpliciter potus, seu res potabilis. Si tamen concederetur, vinum substantialiter et formaliter in uvis contineri (quod plerique non immerito negant, quippe cum eadem sit ratio vini in uva, ac olei in olea, oleum autem non est formaliter in olea, cum sit tantum subtilior pars mixti, quæ per compressionem exprimitur), non viderem cur sic contentum et inclusum vinum non esset sufficiens consecrationis materia, nam licet ejus accidentia non appareant per se, sed tantum ratione vasis includentis, quid inde? quippe cum vinum in dolio reclusum possit consecrari, licet per sola dolii accidentia innotescat; habet pariter ab intrinseco rationem potabilis, et potus, quæ tantum per accidens impeditur, ratione scilicet uvæ includentis, et tam bene

pronomen *hic* illud demonstrabit, ac demonstrat in calice, et in dolio. Verum hæc esset contra praxim.

Dico tertio, mustum valide consecrari: *tum* quia habet rationem potus, estque per se et immediate præsens consecranti: *tum* denique quia id edocet Innocentius, lib. 4. *De sacrificio Missæ*, cap. 30. *Licet*, inquit, *diligenti studio optimum vinum sit quærendum, ut sacrificium offeratur, vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti; quocirca sive vinum novum, quod dicitur mustum, sive vinum acidum quod appellatur acetum, in sacrificium offerantur, Sacramentum conficitur, et divinitus consecratur.* Idem definivit Julius Papa, Epist. ad Episcopos Ægypti, ejusque definitionem approbavit ac innovavit Concilium Bracharense III, cap. 1. ubi legitimam conficiendi Christi Corporis et Sanguinis materiam aperiens, hæc habet: *Nam quod de expresso botro, idest, de uvarum granis populus communicatur, valde est omnino confusum, sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur, quia juxta canonem calix Dominicus vino et aqua permixtus debet offerri*, etc. quæ habentur *De Consecrat.*, dist. 2. cap. 7.

Dico quarto acetum esse ad consecrationem insufficiens: *tum* quia non habet rationem potus: *tum* quia specie differt a vino, ut constat, tum ex diversis utriusque effectibus, tum auctoritate Aristot. 8. *Meteor.*, cap. 14. ubi acetum comparat cadaveri, ita quod sicut cadaver, ut volunt aliqui, discrepat substantialiter a corpore vivo, ita acetum a vino, et Galenus in *Commentario Aphorism.* confert vini corruptionem per acetum corruptioni sanguinis, ita quod sicut corruptus sanguis nulla vi primam potest recipere formam, ita nec corruptum vinum primum in statum potest restitui. Unde cum Innocentius supra dixit, acetum posse consecrari, intelligendus est non de aceto formaliter, sed de vino acescente; sic pariter intelligendus venit Isidorus, lib. 20. *Etymol.*, cap. 3. ubi acetum inter species vini recenset.

Ex his aperte refellitur Aquariorum insulsum dogma, quod etiam egregie explodit ac refellit S. Cyprianus, Epist. 63. ad Cæcilium: *primo* quidem ex facto Christi. *Admonitus*, inquit, *autem non scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, nec aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur mixtus vino offeratur. — Secundo*, ex figuris et prophetiis Sacramentum hoc in vino offerendum præsignantibus, quarum plures refert, præsertim oblationem Melchisedech in pane et vino. *Nam*, inquit, *quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et idem obtulit, quod Melchisedech obtulerat, panem et vinum, suum scilicet Corpus et Sanguinem?* Plures pariter citat Prophetias. Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum.* Genes. 49. *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ*, etc. Quibus subdit: *Numquid rubicunda vestimenta aqua potest facere, aut in torculari aqua est, quæ pedibus calcatur, aut prælo exprimitur? Vini utique mentio est, et ideo ponitur, ut Domini Sanguis vino intelligatur, et quod in calice Dominico postea manifestatum est Prophetis, ut ab annuntiantibus prædiceretur. — Tertio*, ex mystica vini significatione et effectu, quorum præcipuos assignat his verbis: *Epoto Sanguine Domini, et poculo salutari exprimitur memoria veteris hominis, et fit oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mœstum pectus*

ac triste, quod prius peccatis arguentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resalvatur.

Post hæc in eos invehitur, qui mane aquam, vespere autem vinum in sacrificio adhibebant. Ea enim quarumdam Ecclesiarum vetus fuit consuetudo, ut aliquæ bis in die, semel mane, et semel vespere sacrificium offerrent, ut ibidem indicat Cyprianus his verbis: *Cum illa sibi contemplatione aliquis blanditur, quod etsi mane sola aqua offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus.*

Quam utique consuetudinem ibidem redarguit, ex eo quod etsi Christus Dominus mixtum calicem post Cœnam obtulerit, nos propterea post cœnam Eucharistiam celebrare non debemus. *Christum,* inquit, *offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet casum, et vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus filiorum Israël ad vesperam. Et iterum in Psalmis: Alleviatio manuum mearum sacrificium est vespertinum. Nos autem Resurrectionem mane celebremus. Et quia Passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (Passio enim est Domini sacrificium, quod offerimus) nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus,* etc. Quibus verbis S. Cyprianus profert rationes quare Christus Dominus vespere celebraverit, nos autem mane, nempe Christus in memoriam Passionis suæ, quæ fieri debebat ad vesperam ut sacrificium vespertinum, ideo celebrare voluit ad vesperam; nos autem Resurrectionem Domini matutino tempore recolentes, etiam mane celebramus.

Verum hæ rationes non ita fuerunt efficaces, ut omnes Ecclesias in eamdem sententiam pellicerent, constat enim consuetudinem diu viguisse in Ecclesiis quibusdam, ut Eucharistia consecraretur et sumeretur etiam post vesperam, ut colligere licet ex Concilio tertio Carthaginensi, celebrato anno 397. in eo namque Can. 29. legimus: *Ut Sacramenta, nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Quam utique consuetudinem celebrandi post cœnam die Jovis majoris Hebdomadæ, suo adhuc tempore viguisse testatur S. Augustinus, Epist. 118. ubi ad Januarium requirentem, an feria V. ultimæ Hebdomadæ Quadragesimæ offerendum esset mane, et rursus post cœnam, *Ad hæc* (inquit S. Augustinus,) *ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribat auctoritas non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo, quod tu quæris. Restat igitur, ut de illo tertio genere sit, quod per loca, regionesque variatur. Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* Quibus aperte significat S. Augustinus, eam consuetudinem bis celebrandi feria V. majoris Hebdomadæ suo adhuc tempore vigere apud quasdam Ecclesias, quam utique abrogavit Honorius III. — Cum autem Aquarii hunc errorem invexissent in Ecclesiam, ne ad sacram Synaxim horis matutinis accedentes, et sumentes Christi Domini Sanguinem sub speciebus vini in suis cœtibus antelucanis, postmodum deprehendi et accusari possent ut Christiani, ut, inquam, hanc persecutionis ansam declinarent,

censuerunt matutinis horis posse offerri solam aquam, vespertinis vero calicem vini aqua permixti; quos in eadem Epistola sic carpit S. Cyprianus: *Cæterum,* inquit, *omnis Religionis et veritatis disciplina subvertitur, nisi id quod spiritualiter præcipitur, et fideliter reservetur, nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat Sanguinem Christi. Si ergo incipio, et a Passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de Sanguine ejus, et cruore confundi. Porro autem Dominus in Evangelio dicit: Qui confusus me fuerit, confundet eum Filius hominis. Et Apostolus quoque loquitur, dicens: Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui Sanguinem Christi erubescimus bibere?*

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM PANIS, EX QUO CONFICITUR EUCHARISTIA, DEBEAT ESSE AZYMUS AUT FERMENTATUS.

Notandum 1. Nomine panis *azymi,* eum panem intelligi, qui absque fermento conficitur; *fermentati* vero, qui ex fermento coagulatur, et intumescit. Quæritur autem uter eorum sit conveniens materia conficiendæ Eucharistiæ. Circa quam resolutionem gravis est controversia inter Ecclesiam Latinam, et Græcam; cum enim Græci, auctore Photio Patriarcha Constantinopolitano; a Latinis infenso schismate circa annum 660. descivissent, Romanam Ecclesiam plurium errorum cœperunt accusare, maxime vero circa annum 1053. quo tempore Michaël cognomento Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, et Leo Archiepiscopus Acridanus vehementem adversus Latinos Epistolam ad Episcopum Kouvensem scripserunt, in qua Ecclesiam Latinam accusabant, quod Sabbata in Quadragesima custodiret, cum eo die jejunaret, quod suffocatis vesceretur, quod Alleluja in Quadragesima non psalleret, quod demum in azymo Eucharistiam conficeret. Ultimum autem morem inde ibi reprehendunt, quod vox ἄρτος quæ in Evangelio habetur, significat panem elevatum, sic dictum a fermento, et sale, a quibus calorem habet et elevationem; azymus autem est similis luto, nihil saporis habens, vel elevationis. Habetur hæc Epistola Tom 4. Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis, quam Humbertus Cardinalis Episcopus Silvæ Candidæ in Latinum idioma translatam, ad Leonem IX quintum Pontificatus sui annum agentem misit. — Scripsit etiam ad Michaëlem Patriarcham, et Leonem Archiepiscopum Leo Papa, cujus Epistola ordine prima in voluminibus Conciliorum legitur. Ad summum Pontificem rescripsit Patriarcha, Ecclesiæ unitatis et pacis cupidus, vel certe simulator; cui Leo Papa, Epist. 6. in Domino congratulatus est. Anno sequenti 1054. Humbertum et Fridericum Cardinales Legatos suos Constantinopolim misit Papa, per quos ad Imperatorem Constantinum Monomachum scripsit, laudans ejus pacis zelum, et Michaëlis damnans audaciam, qui aperta persecutione in Latinam exardescens Ecclesiam, anathematizare non timuerat omnes, qui Sacramenta attrectant ex azymis. Scripsit etiam idem Papa ad Patriarcham, quem novum Ecclesiæ Latinorum calumniatorem, et publicum persecutorem appellat. Præsentibus Imperatore, Proceribus, et

Legatis, Nicetas Monachus Pectoratus, librum *De azymo*, adversus Latinos sub ipsius nomine editum reprobavit, qui liber insistentibus Legatis jussu Imperatoris in ignem projectus est. Sequenti vero die Nicetas Legatos adivit, et anathemate in suos errores iterum a se lato, in Legatorum gratiam et familiarem amicitiam receptus est. Ita refertur in Actis brevioribus, quæ extant Tom. 4. *Bibliothecæ Patrum*. Michaël vero in errore pertinax, colloquium et præsentiam Legatorum vitavit. Hinc Græci schismatici Latinos *Azymitas* palam vocitare coeperunt, necnon eorum in azymis consecrationem nedum irritam, sed et omnino profanam non minus erronee, quam impie dixerunt.

Notandum 2. Græcos cum Latinis circa hanc controversiam enodandam in plurimis consentire: *primo* quidem, quod Judæi soliti essent suum celebrare Pascha die 14. primi mensis ad vesperam, ita præcipiente Deo, Exodi 12. et Num. 4. his verbis: *Faciant filii Israël Phase in tempore suo decima quarta die mensis hujus ad vesperam*, idest, primi mensis. Sic enim decernit Deus: Exodi 12. *Mensis iste*, in quo præcipit ut comedant Pascha, *vobis erit principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Primus autem mensis erat Nisan, teste Josepho, seu Martius, qui ordiebatur a Novilunio propius accedente ad æquinoctium vernale; sicque dies ille decimus quartus mensis erat aliquis dies Aprilis, apud Nationes computantes dies et Annos non secundum Lunæ cursum, ut Judæi, sed juxta seriem, qua Sol Zodiacum perlustrat. Qui vero immundi erant apud Judæos, differebant celebrationem Paschatis ad mensem sequentem, ita præcipiente Deo, ibidem: *Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul de Gente vestra, faciat Phase Domino in Mense secundo decima quarta die mensis ad vesperam. — Conveniunt secundo*, eodem die, quo Pascha celebrabant Judæi, ipsis pariter interdictum fuisse usum fermentati panis, ita præcipiente Domino: Exodi 12. v. 18. et sequentibus: *Primo Mense quarta decima die Mensis ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam; septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris, qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis, quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris comedetis azyma*. Idem præcipitur Levitici 23. his verbis: *Mense primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est, septem diebus azyma comedetis*, etc. Ex quibus liquet, duas festivitates, nimirum Agni Paschalis, et Azymorum, una, eademque Vespera celebrari solitas, diversæ tamen erant: *primo*, quia solemnitas Agni Paschalis unius tantum diei fuit, et ad vesperam solum illius diei celebrabatur; azymorum autem solemnitas prorogabatur ad dies septem: *secundo*, quia duæ illæ celebritates fiebant ob distincta Dei erga Israëlitas beneficia; azymorum enim solemnitas ex eo fluxit, quod populus Israël ab Ægypto liber egressus asportatam inde farinam absque fermento sub cineribus in deserto coxerit, et panem azymicum comederint; unde Deus Exodi 12. *Observabitis azyma, in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti*. Festivitas vero Agni Paschalis originem habuit ex conservatione Primogenitorum Israël eo tempore, quo primogenita Ægyptiorum ab Angelo exterminatore in-

terficiebantur; unde Exodi 12. præcipit Deus Israëlitico populo: *Decima die mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias, et domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus, juxta quem ritum tolletis et hœdum. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. Caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: est enim Phase (idest transitus Domini). Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, et in cunctis diis Ægypti faciam judicia ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti; habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Ex quibus liquet, solemnitates Agni Paschalis, et azymorum diversas fuisse, eodem tamen die celebrari solitas. — Nec moveri debet, quod Pascha celebrabatur decima quarta die primi mensis ad vesperam, solemnitas autem azymorum dumtaxat die decima quinta, inde namque non licet inferre, ejusmodi solemnitates diebus distinctis fuisse celebratas, enimvero Judæi solemnitates celebrare solebant, a prima vespera ad aliam vesperam diei festi, Deo ita ordinante Levitici 23. *A vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Vespera autem duas in partes distribuebatur: prior incipiebat paulo post meridiem, Sole jam vergente, et declinante ad occasum; posterior ab occasu Solis ad finem crepusculi vespertini. In priori parte vesperæ, Agnus Paschalis parabatur in victima, et immolabatur; in posteriori autem parte comedebatur in legali cœna, sicque secunda vespera diei Paschatis erat prima verspera diei azymorum, ex qua die necessum erat omne fermentatum panem eliminare, et removere a domibus filiorum Israël.

Notandum 3. Ex S. Chrysostomo, Hom. 82. in Matthæum, Judæos solitos esse duplicem facere cœnam eo die, quo suum Pascha celebrabant: prima *legalis* erat, idest, a lege præcepta, in memoriam transitus Israëlitarum ab Ægypto; quæ utique fiebat a stantibus, et cum reliquis cæremoniis supra recensitis. Secunda communis erat, et vulgaris post legalem celebratam, fieri solita pro corporali refectione totius familiæ, quæ ubi numerosa erat, non poterat unico agno anniculo cum panibus azymis, et modicis agrestibus lactucis satiari. Difficultas autem est, utrum Christus Dominus eo anno, quo mortuus est, solam hanc vulgarem cœnam celebraverit, non autem legalem, ut censet Auctor incertus, cujus meminit Photius in sua Bibliotheca n. 115. in quam

utique sententiam propendet Antonius de Dominis, lib. 5. *Reipublicæ*, cap. 6. num. 277. licet dicat eam a se potius dubitative tractatam. Idem docuit Villagagnonus, ut refert Sanctesius, repetit. 1. *De Eucharistia*, c. 7. quam pridem antea docuerant, ut testatur Theophylactus in cap. 26. *Historiæ*.

Quatuor itaque hic præcipue sunt statuenda: *primum*, quod uterque panis, tam azymus, quam fermentatus sit materia sufficiens Eucharistiæ conficiendæ: *secundum*, quod azymus sit convenientior, utpote cum in eo Christus Dominus consecraverit: *tertium*, quod Christus comederit agnum Paschalem eo anno, quo mortuus est: *quartum*, quod instituerit Eucharistiam die primo azymorum.

Conclusio prima. — PANIS TAM AZYMUS QUAM FERMENTATUS EST SUFFICIENS MATERIA CONSECRANDÆ EUCHARISTIÆ. Hæc est communis apud Catholicos, eamque tradit Doctor, dist. 11. quæst. 6. n. 6., ubi ait: « Hoc ergo simpliciter tenendum, quod de necessitate « panis consecrabilis, non est, neque quod sit azymus, neque quod « sit fermentatus, quia secundum S. Anselmum, lib. *De azymo et « fermentato*, non differunt essentialiter azymus et fermentatus, et « ideo non negamus vere conficere Græcos ».

Probatur tum ex Concilio Florentino, ubi legimus: *Item definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta Ecclesiæ suæ, sive Orientalis, sive Occidentalis, consuetudinem.*

Patet hujus assertionis veritas: *tum* quia uterque panis triticeus est, et censetur panis proprie dictus: de fermentato non dubitant Græci, sed nec dubitare debent de azymo, quippe Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. id ex quo Christus confecit suum Corpus, vere panis dicitur: is autem fuit azymus, ut dicemus Conclusione sequenti. *Tum* quia panis, quem fregit in Castello Emmaus, Lucæ 24. revera fuit azymus, quippe cum hoc factum sit secundum nos tertia die azymorum, aut, ut volunt Græci, secunda die, quo tempore apud Judæos nullus erat fermentati usus: at panis ille quem ibi fregit et benedixit Christus, simpliciter dicitur panis: *Factum est*, inquit, *dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.* Et infra: *Cognoverunt eum in fractione panis.*

DICES 1: Ille panis est apta materia conficiendæ Eucharistiæ, qui proprie dicitur panis usualis; sed talis est solus fermentatus: igitur, etc.— **Distinguo minorem**: talis est per accidens, *concedo:* simpliciter, et per se, *nego.* Is enim panis dicitur per se usualis, qui ex triticea farina et aqua naturali confectus, igne decoquitur, et in usum ac nutritionem hominum cedit, qualis utique est etiam panis azymus; unde etiam inserviebat Judæis per septem dies ad eorum nutritionem; idcirco autem fermentatus magis frequentatur, quam azymus, quod in fermentato sit major delectatio, et ad satietatem et refectionem amplior dispositio videatur.

DICES 2: Panis Eucharisticus apud Græcos appellatur ἄρτος, quod verbum cum elevationem significet, et deducatur ab αἴρω, quod est *tollo*, etiam connotat fermentum, quo massa panis attollitur, et eleva-

tur: igitur non est alius panis simpliciter dictus, quam fermentatus.— **Nego consequentiam**; primo namque vanum est argumentari ab etymologia nominis, nam a diversis diversæ traduntur etymologiæ; aliunde vero nomina non semper ex proprietate et natura sua, sed ut plurimum ex beneplacito et hominum instituto significant. *Dico secundo*, utrumque panem, azymum scilicet, et fermentatum, in Scripturis indiscriminatim ἄρτος appellari; nam Genes. 18. et 19. panes subcinericios quos dedit Abraham, et Loth Angelis ἄρτους, ὑποστέρους, erant azymi, ut patet Levitic. 2. quos Scriptura vocat ἄρτους προθέσεως. Ps. 77. panem cæli, etc. panem Angelorum ἄρτος οὐρανου, ἄρτος ἀγγέλων, etc. Videatur de hac quæstione Humbertus, Tomo 11. Biblioth. Patrum.

Dices 3: cum Calvino, lib. 3. *Instit.*, cap. 17. num. 43. Ecclesiam semper usurpasse panem fermentatum, et vulgarem ante tempus Alexandri Romani Episcopi, qui primus azymo pane delectatus est, ut rudis, et ignaræ plebis oculos traheret magis in admirationem, hoc novo spectaculo, quam ut animos proba religione pelliceret, ac vera religione institueret: igitur panis azymus non est præ cæteris usurpandus. — **Nego antecedens**; impudentissime enim, ut assolet, mentitur Calvinus, nec solum malitiam, sed et ignorantiam in hac sua fabulosa narratione prodidit; unde etiam quis fuerit Alexander ille hujus moris institutor, omnino tacet, ne aperti mendacii convinceretur; quod utique facili negotio contingere poterat, quod enim Ecclesia semper usurpaverit azymum panem pro materia legitima conficiendæ Eucharistiæ, haud obscure colligitur ex S. Epiphanio, Hæresi 3. ubi Ebionitarum hæresim referens, et refellens, ait: *Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est, non fermentatos panes, et alteram mysterii partem per aquam solam.*— Hoc etiam aperte testatur Leo nonus, in Epistola 6. ad Michaëlem Constantinopolitanum, ubi inter cætera scribit: *Quis non stupescat, quod post tot Sanctos, et orthodoxos Patres, per mille et viginti a Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, et publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentum ex azymis?* Idem tradit Innocentius III, lib. 4. *Mysteriorum Missæ*, cap. 4. ubi de ritu panis azymi erroris a Græcis insolenter accusato agens, sic habet: « Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro et Paulo, quos vivos habuit, « et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus « inviolabili cultu servavit ». Idem tradit Algerus, lib. 6. cap. ult. *Nulla*, inquit, *ratio cogit, ut azymum a Christi sacrificio repellatur: dignum est ut quod Christus instituit (omnis autem Ecclesia præter Græcam a primordio sui ex Traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet, et Pauli celebravit) indesinenter conservet.* Testatur etiam Rupertus, lib. *De divinis officiis*, cap. 22. consuetudini S. Romanæ Ecclesiæ numquam in Sacrificio fermentatum admittendi, totam Græciam, nescio qua auctoritate suffragant», refragari.

Conclusio secunda. — Panis azymus consecrandæ Eucharistiæ convenientior est, quam fermentatus. *Tum* quia Christus Dominus id probavit suo exemplo, quippe primo die azymorum, quo nihil fermentati apud Judæos erat, Eucharistiæ Sacramentum confecit.

tum quia panis ille magis congruit significandis proprietatibus hujus Sacramenti: azymus enim puritatem, candorem, simplicitatem, humilitatem, et incorruptionem denotat, quæ tum Christo sub Eucharistia latenti, tum fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus proprie conveniunt: e contra vero fermentum in Scriptura plerumque morum corruptionem, et mentitam virtutem denotat. Sic Lucæ 12., Christus Discipulos monet: *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis;* unde Apostolus, 1. ad Cor. 5. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, et veritatis;* sinceritatis quidem contra peccati corruptionem, veritatis autem contra figuras veteris Legis.

Dices: Christus Dominus abrogavit omnia legalia: sed panis azymus est cæremonia legalis, ut constat ex dictis in præcedenti Conclusione: igitur non est apta Eucharistiæ conficiendæ materia. — **Distinguo** majorem: abrogavit legalia, quæ significabant Christum venturum, et quæ Evangelicis præceptis et institutis adversantur, *concedo:* omnia prorsus, *nego. Ad minorem* dico, quod si argumentum quidquam efficeret, etiam probaret abstinendum esse a fermentato; utpote legali, siquidem Levitici, 7. et 13., panes fermentati erant Deo offerendi.

Ex his sequitur, non improbandum esse morem Græcorum pane fermentato utentium: *tum* quia id decernit Concilium Florentinum, et expresse monet Leo IX in prima Epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum, in qua inter cætera conqueritur de ejus in Latinos sævitia: *Ut fertur,* inquit, *omnes Latinorum Basilicas, penes vos clausistis, Monachis monasteria, et Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quanto discretior, et clementior vobis; siquidem cum intra, et extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc turbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive consuetudine, quin potius suadetur, et admonetur eam observare. Tum* quia mos ille celebrandi Græcorum in fermentato suis congruentiis non caret: *primo,* quia panis fermentatus habet quamdam elevationem, qua significat, Christum panem esse vivum, qui de Cælo descendit, quo fideles vegetati ad cælestia promoventur: *secundo,* fermentum panem simpliciorem efficit, necnon et ferventiorem; fermentum enim a fervore dictum videtur, quo denotat ·atiæ suavitatem, et charitatis fervorem, ex hoc Sacramento amoris spiritualis suavitatis excipiendum: *tertio,* quia idcirco Latini in ·mis consecrant, ut designent, Verbum sine ulla commixtione car- n suscepisse; Græci vero offerunt fermentatum, quia Verbum in- ·um est carne, estque verus Deus, et verus homo. Igitur unusquie sive Græcus, sive Latinus suæ Ecclesiæ consuetudinem, ac ritum celebrando servare potest; imo tenetur, ut patet ex Decreto Eugenii, Concilio Florentino, et ex litteris Unionis, necnon et ex motu pro- o S. Pii V qui incipit *Providentia Romani Pontificis,* etc. anno 1566. revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi, Græcos more tino, et Latinos more Græco, subdit: *Quibusvis Presbyteris tam æcis, quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, et*

sub indignationis Nostræ, ac perpetuæ suspensionis a divinis pœnis, districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci (præsertim uxorati) Latino more, et Latini, Græco ritu, hujusmodi licentiarum, et facultatum, aut aliquovis prætextu, Missas, et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.

Conclusio tertia. — CHRISTUS DOMINUS REVERA EO ANNO, QUO MORTUUS EST, PASCHA JUDÆORUM CELEBRAVIT, ET UNA CUM DISCIPULIS AGNUM PASCHALEM COMEDIT.

Probatur perspicuis Scripturæ testimoniis, maxime ex cap. 26. S. Matthæi, ubi legimus: *Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicuti constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat Jesus cum duodecim Discipulis suis; cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem,* etc. Marci 14. *Prima azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha?... et paraverunt Pascha. Vespere autem facto venit cum illis duodecim, et discumbentibus eis.... et manducantibus illis, accepit Jesus panem.* Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus?... et dicetis Patri-familias domus: Dicit tibi Magister; Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem?... et paraverunt Pascha, et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo.* Ex quibus apertis testimoniis in idem collineantibus, sic ratiocinari licet: Christus Dominus ex iis locis opere complevit quod promiserat per hæc verba, *Facio Pascha,* quia Christus neque falli potuit, cum esset omniscius, nec fallere, cum esset optimus: at ea verba Christi, *apud te facio Pascha,* significant esum Agni Paschalis; licet enim in Scriptura facere Pascha, occidere Pascha, immolare, sacrificare Pascha, et similes locutiones etiam ad victimas præter Agnum Paschalem accommodentur, attamen comedere Pascha, non invenitur in Scriptura, nisi ad esum Agni Paschalis pertinere. *Deinde,* Christus eo modo sensuque respondet, se facere Pascha, quo Discipuli interrogaverant, alioquin enim æquivocatio fuisset in responsione Christi: sed Discipuli sciscitati fuerant de vera et proprie dicta manducatione Paschæ, dicunt enim Matth. 26. *Ubi vis eamus ut paremus, et manduces Pascha? Denique,* Christus ipse facere Pascha per manducationem explicat, ait enim, Marci 14. *Ubi est refectio, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem?* Luc. 22. *Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus... Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem?* Et in ipsa Cœna dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar: dico enim vobis, quia non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei:* sed hoc Pascha fuit Agnus Paschalis, quem Christus eo comedit anno, quo mortuus est; desiderabat enim illius manducationem, quia tempus erat consummandæ redemptionis hominum, ob quam homo factus est. 1. Corint. 11. *Christus accepit calicem postquam cœnavit:* at ea

Cœna, post quam consecravit calicem, alia non est, quam legalis, in qua manducabatur Agnus Paschalis; non potest enim esse communis et vulgaris Cœna, nam in hac Eucharistiam instituit; hanc enim instituit in aliqua cœna, Matth. 26. *Cœnantibus eis:* in ea Cœna discumbebat cum Discipulis, Marci 14. *Discumbentibus eis, et manducantibus:* ergo non potest fuisse Cœna legalis, in qua convivæ stantes agnum edebant: ergo superest ut sit Cœna vulgaris. — *Confirmatur*, quia Christus Dominus non venit legem solvere, sed implere, et ut testatur, Matth. 5. *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant;* igitur cum stricte præceptum esset Judæis, ut Pascha comederent, non est verisimile Christum Dominum illud præceptum non implevisse.

Dices 1: Si Christus comedisset Agnum Paschalem, maxime eo die, quo dixit Discipulis, ut sibi pararent Pascha: at id dici nequit. *Tum* quia serius ac tardius ipse cogitasset de parando Agno Paschali, præcipue cum hoc ipso die ipse cum Discipulis non esset in urbe Hierosolymitana, dixit enim eis: *Ite in civitatem*, etc. *Tum* quia Exodi 12. præcipitur, ut die decima primi mensis agnus adduceretur in domum, et ibi servaretur usque ad 14. diem, donec immolaretur, quod utique Christus Dominus facere non potuit, cum eadem die, qua erat immolandus agnus, nondum haberet domum præparatam, ubi Pascha celebraret, ac subinde nec paratum haberet agnum: igitur eodem die quo Eucharistiam instituit, non comedit Agnum Paschalem. — **Nego minorem**: nam, ut optime observat Sanctesius repetitione 1. cap. 7. ex Josepho, lib. 5. *De bello Judaico*, cap. 45. fuit apud Judæos in more positum, ut Hierosolymitani cives externis in urbem adventantibus Pascha celebrandi gratia, agnos, cœnacula, et omnia necessaria præpararent, et pretio accepto, aut gratis postulantibus ministrarent: cum ergo Hierosolymitani agnos necessarios pro se, et pro exteris decima die mensis primi præparare essent soliti, et eos servare usque ad diem 14. consulto potuit Christus Dominus ipso die 14. primi Mensis suos delegare Apostolos ad eum quem erant reperturi portantem aquæ amphoram, qui jam comparaverat Agnos in usum Paschæ.

Dices 2: Si Christus manducasset Agnum Paschalem, maxime in ea Cœna, quam fecit cum Discipulis: sed ita non est, siquidem agnus Paschalis manducabatur a stantibus, et baculos tenentibus in manibus, item cum festinatione, et quidem assus, non autem aqua aut alio liquore coctus, ut præcipitur Exodi 12. ac subinde nullum in ea Cœna erat jus carnium, in quo panis posset intingi: sed talis non fuit Cœna, quam Christus fecit cum Discipulis, illa namque fuit prolata, longo permixta sermone, lotione pedum interrupta, institutione Sacramenti Eucharistiæ insignis: in ea Christus cum Apostolis accumbebat mensæ, us aliquod carnium erat, in quo panis Judæ porrectus intinctus est: gitur indicia valida probant observatam a Christo non esse legalem Cœnam, neque Paschalem agnum ab eo manducatum esse, cum Eucharistiam instituit. — **Respondeo**, hæc omnia facili negotio conciliari, dicendo Christum Dominum, ut facere solebant Judæi, duas Cœnas celebrasse, legalem unam, in qua Christus et Apostoli stantes et baculos tenentes in manibus, Agnum ex legis præcepto festinanter comederunt; communem alteram et usualem, in qua Christus cum Apo-

stolis discubuit, quam prolixo sermone miscuit, et ex qua surrexit, ut Discipulorum pedes lavaret, et cætera præstitit, quæ ab Evangelistis narrantur.

Dices 3: Non erat conveniens, ut agnus typicus comederetur eodem tempore, quo verus agnus in novo Paschate erat edendus, quia figura non stat simul cum veritate, nec umbra cum luce: at in ultima Cœna, quam fecit Christus, verus agnus erat comedendus in Eucharistia: igitur in ea Agnus Paschalis non fuit manducatus. — **Distinguo majorem:** non fuit conveniens, ut id fieret in eadem omnino Cœna, *concedo:* in diversa, et distincta, *nego.* Nihil enim convenientius erat, quam ut post celebratam figuram veritas succederet. Quæ egregie sic explicat S. Leo, Serm. 7. *De Passione: Oportet,* inquit, *ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, ut ovem significativam ovis vera removeret, et uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni divinitus per Moysen fuerant præstita, Christum prophetarunt, et Christi occisionem proprie nuntiarunt. Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento, Hostia in Hostiam transit, sanguinem Sanguis excludit, et legalis festivitas dum mutatur, impletur.*

Conclusio quarta. — Christus Dominus comedit Agnum Paschalem ritu Judaico, scilicet die decima quarta primi mensis, ac subinde vere consecravit in azymis. Hæc jam sufficienter patet ex dictis, et

Probatur manifestissimis Scripturæ sacræ textibus, nam Matth. 26. legimus: *Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicut præceperat eis Jesus, et paraverunt Pascha,* etc. Subditque Evangelista: *Vespere facto recubuisse, et manducasse cum Discipulis suis, et cœnantibus eis, accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis,* etc. Ergo primo die azymorum consecravit, ac proinde in azymis. Et Marci 14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Et Lucæ 22. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* Ex quibus sic argumentari licet: prima dies Azymorum, in qua Judæi Pascha immolabant, erat dies decima quarta primi mensis ad vesperam, a quo tempore ad septem usque dies non licebat Judæis habere fermentum in suis domibus: sed Christus Dominus Pascha comedit, et Eucharistiam instituit hac prima azymorum die: igitur consecravit in azymis.

Respondent Græci his evidentibus concussi et fracti oraculis, hos tres Evangelistas esse lapsos errore, et eos a S. Joanne emendatos. — **Verum hæc responsio** aperta est blasphemia in Spiritum Sanctum, qui non minus trium illorum Evangeliorum est Auctor primarius, quam quarti, nam Evangelistæ fuerunt tantum Amanuenses Spiritus Sancti, qui cum semper sit infallibilis, utpote Spiritus veritatis, quemadmodum censetur non errasse in dictando Evangelio S. Joannis, ita nec in aliis utique dictandis errare potuit; alioqui tota

nutaret Scripturæ auctoritas et veritas; qua enim ratione unus, aut alter Evangelista errasse dicitur, pari ratione cæteros errore lapsos quis poterit cogitare. *Adde quod* hæc etiam erronea responsio ab ipsomet S. Joanne proscribatur; quæcumque enim scribit ab his verbis capitis decimi tertii: *Ante diem festum Paschæ,* ad historiam usque Passionis, illa omnia fuerunt peracta post Cœnam legalem pridie mortis Christi, ut colligitur ex his verbis: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hæ enim voces, *Ante diem festum Paschæ,* idem significant, ac pridie Paschæ. Similiter hæc verba: *Venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo,* idem significant ac instare diem Passionis ejus: sed Christus mortuus est die decima quinta: igitur dies immediate præcedens erat dies decima quarta. *Probatur minor:* Passio et mors Christi in eum diem incidit, quo Præses unum ex vinctis dimittere solebat, et quo Pilatus dimisit Barrabbam: ex Lucæ 18. cap. et initio 19. Joannis, ubi dimissio Barrabbæ, Christi flagellatio, tum et crucifixio referuntur, ut uno eodemque die factæ. Porro Barrabbæ dimissio facta fuit 15. Luna vel in illa die prima solemni azymorum; ibi quippe Pilatus apud Joannem, ait: *Est consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in Pascha.* Matth. 26. *Per diem solemnem.* Marci 15. Lucæ 23. *Per diem festum:* dies autem in Paschate festus non erat alius, quam primus et ultimus azymorum; Exodi 12. Cum igitur conveniant Græci, Christi Domini Passionem non incidisse in ultimum diem azymorum, qui pariter solemnis erat, etiam fateantur necesse est, eam fuisse peractam die decima quinta, ac subinde Christum Dominum die præcedente, nempe 14. manducasse Agnum Paschalem, et Eucharistiam instituisse.

Quam utique veritatem aperte tradunt Latini Patres; nam Auctor sermonis *De Cœna Domini,* apud Cyprianum, ait: *Inter Sacramentales epulas obviarunt sibi instituta antiqua, et nova, et consummato agno, quem antiqua Traditio proponebat, consumptibilem cibum Magister apponit Discipulis.* Et S. Hieronymus, in cap. 26. Matth. *Prima azymorum* 14. *primi mensis, quando agnus immolatur, et Luna plenissima est, et fermentatum abjicitur.* Similiter S. August., Epist. 85. reddens rationem, quare 4. et 6. feria jejunare solet Ecclesia, circa finem Epistolæ ait: « Illa ratio reddi videtur, quod considerato Evan-« gelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, con-« silium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Inter-« misso autem uno die, cujus vespera Dominus Pascha cum Discipulis « manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, « deinde traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies « Passionis ejus manifestus est, pertinebat, hic dies primus azymorum « fuit a vespera incipiens. Sed Matthæus Evangelista quintam Sabbati « dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente fu-« tura erat Cœna Paschalis, qua Cœna incipiebat azymum, et ovis im-« molatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuisse, quando « ait Dominus: scitis, quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis « tradetur ut crucifigatur. At per hos dies ipse jejunio deputatus est, « quia sicut Evangelista loquitur, et dicit: tunc congregati sunt Prin-« cipes Sacerdotum, et seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, « qui dicebatur Caiphas, et fecerunt consilium, ut Jesum dolo tene-

« rent, et occiderent. Intermisso autem uno die, de quo dicit Evan-« gelium: prima autem azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, « dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Hoc ergo die in-« termisso, passus est Dominus, quod nullus ambigit, sexta Sabbati, « quapropter et ipsa sexta recte jejunio deputatur; jejunia quippe hu-« militatem significant ». — Subscribit S. Leo, Serm. 7. *De Passione Domini: Divino,* inquit, *intelligimus dispositum fuisse consilio, ut sacrilegi Judæorum Principes, et impii Sacerdotes, qui sæviendi in Christum occasiones sæpe quæsiverant, nonnisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem.*

Idem docent Græci Patres, ut optime probat Arcudius, lib. 3. c. 4. et 5. *Primo* quidem Origenes, Tract. 35. in Matthæum, exponens illud Christi Domini ad Discipulos: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet,* ait: *Si post biduum, utique Luna decima quarta.* Similiter Epiphanius, lib. 1. Hæresi 30. agens contra Ebionitas, qui esum carnium damnabant, eos confutat exemplo Christi, qui tempore Paschatis comedit carnes: *Quomodo vero,* inquit, *de esu carnium non statim ipsorum dementia redarguetur, primum quidem Domino edente Pascha Judæorum? Pascha autem Judæorum erat agnus, et azyma,* etc. — Hoc præcipue testatur S. Chrysostomus, cujus auctoritate suum errorem potissimum tueri nituntur Græci Schismatici. Scribit autem Homil. 81. in Matthæum: *Alius,* inquit, *Evangelista dicit: quia vesperi illo non solum comedebat Dominus Pascha, verum etiam comedendo dicebat: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Quare* hoc Pascha, *idest, hoc anno comedere Pascha desideravit? quia videlicet tunc salus orbi offerenda, tunc mysteria tradenda, et tristia per mortem essent fuganda.* Quod autem hæc verba non solum de Paschate Judæorum, verum etiam de Eucharistia novo Paschate intelligenda sint, tradit S. Chrysostomus, Homil. 82. dicens: *Hac de causa desiderio desideravi hoc Pascha vobiscum comedere, hoc est tradere vobis res novas, et Pascha dare, quod vos spirituales faciat.* Et iterum: *propterea neque antea tradidit mysteria, sed cum deinceps cessare debebant legalia.* Quibus verbis proscribit quorumdam Græcorum elusionem, dicentium Christum celebrasse quidem Pascha, sed anticipato die, hoc est, decima tertia, non autem decima quarta; dicit autem S. Chrysostomus, quod non antea Christus tradidit mysterium Eucharistiæ, sed illa vespera, quando Judæi comedebant Pascha. Idem testatur, Homil. 33. *Tunc,* inquit, *immiserunt in eum manus, et tenuerunt illum ipsa nocte, in qua comederunt Pascha; tanta insania, tantoque furore agitabantur!* Testantur autem Evangelistæ, Christum a Judæis captum esse, statim ac Pascha manducavit, et Eucharistiam instituit; nam S. Joan., cap. 18. cum retulisset egregium illum ac prolixum sermonem, quem Christus habuit ad Discipulos post peractam Cœnam, et institutam Eucharistiam, ait: *Hæc cum dixisset, egressus est cum Discipulis suis, trans torrentem Cedron.* Et tandem, Homil. 84. exponens illud Joan. *Non intrarunt in Prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha,* ait: *Quid igitur dicendum est? videlicet cupiditate ita occidendi Christum, eos legem dissolvisse, et alia die Pascha comedisse? Neque enim Christus tempus Paschatis violasset, qui sub vesperam illud comederit, sed illi audacissimi homines, et vel sexcentarum legum conculcatores; cum enim*

ira accensi valde essent, et sæpe conati occidere ipsum minime potuissent, ex insperato cum eam cæpissent, tempus Paschatis negligere maluerunt, modo ardentes cæde animos suos explerent. Quibus verbis Chrysostomus non contradicit iis, quæ dixit Homil. 83. nempe Judæos Christum apprehendisse ipsa nocte qua comederant Pascha; enimvero hic loquitur de Judæis universim, seu de plebe Judaica, Hom. autem 84. loquitur de Principibus Sacerdotum, quos dicit legum conculcatores, etiam non observasse tempus edendi Paschatis, quod eorum animus valde intentus esset ad inferendam necem Domino. *Confirmatur* mens S. Chrysostomi ratione, qua utitur Homil. 82. *Cujus rei gratia venit ad Pascha,* inquit, *omnibus semper ad ultimum Passionis diem, non esse adversarium legi se ostendit;* quare, cum diceret Christus, legis antiquæ observantissimus, juxta illud Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, non est credibile illum prætermissurum fuisse esum Paschatis, qui utique tot divinis mandatis præcipiebatur.

Objiciunt Græci *primo* varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur Christum Dominum anticipasse solitum diem comedendi Paschatis, et illud comedisse die 13. *Primo* quidem, proferunt illud Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem,* etc. Igitur eo tempore, quo lavit pedes Discipulorum, nondum erat inceptum festum Paschatis, nec incepti dies azymorum; alioqui non diceret Evangelista, *Ante diem festum Paschæ:* sed in ipso die festo Paschæ. *Secundo,* proferunt illud Joannis 18. *Ministri Judæorum adducunt Jesum ad Caipham in prætorium: erat autem mane: et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* igitur nondum Pascha comederant, sed ipsum erant comesturi, ac subinde dies ille erat 14. et consequenter Christus, qui nocte præcedente comederat agnum, anticipavit solitum diem Paschatis. *Tertio,* proferunt illud Joannis 19. *Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta,* quando Pilatus sedit pro tribunali judicaturus Christum: parasceve autem idem est ac vigilia, seu dies præparatoria, in qua nempe disponebantur omnia, quæ pro celebrando Paschate necessaria erant. *Quarto,* proferunt illud Matth. 26. ubi dicitur, quod Principes Sacerdotum *consilium inierunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent; dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* — **Respondeo** *primo,* nomen Paschatis variis, sed maxime quatuor modis in Scriptura usurpari, ut observat Innocentius tertius, lib. 4. *De celebratione Missarum,* cap. 2. *Primo,* pro eo solo die, in quo immolabatur Agnus Paschalis; sic Lucæ 22. *Appropinquabat dies festus Judæorum, qui dicitur Pascha. Secundo,* pro ipso Agno Paschali; sic ibidem: *Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidere Pascha. Tertio,* pro cibis Paschalibus, seu victimis, quæ diebus illis azymorum offerri solebant, et quibus per septem dies vesci licebat; animalia enim sic a populo oblata dicebantur *phase,* juxta illud 2. *Paralipomenon,* cap. 35. ubi legimus: *Dedit Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos, et hædos de gregibus, et reliqui pecoris triginta millia, bonum quoque tria millia... ad faciendum phase. Quarto* denique, pro vero Agno Paschali; sic 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Alterutro ex quatuor prædictis modis intelligi ac dissolvi possunt præ-

fatæ Scripturæ auctoritates. Sed, ut facilius diluantur, placet eas sigillatim expendere, et explicare. *Respondeo ad primum*, diem *festum Paschæ* dupliciter accipi, nempe vel pro *die artificiali*, idest ab ortu Solis ad ejusdem occasum; vel pro *die legali*, idest a prima vespera incipiente, ad secundam desinentem. Prior dicebatur proprie dies festus; posterior vero primus dies azymorum. Prior erat dies decima quinta integra, quæ utique solemnis erat; posterior vero erat dies decima quarta, a cujus quidem pomeridiana parte incipiebat ritus celebrationis Paschæ, sicut etiam nunc fit in nostrarum solemnitatum vigiliis, non autem erat solemnis, et festiva, ut declaratur Num. 28. v. 16. *Mense autem primo, decima quarta die mensis, phase Domini erit, et decima quinta solemnitas.* Porro Christus Dominus Paschalem Agnum comedit cum Discipulis die 14. ad vesperam, et sic ante diem festum Paschæ, idest in vespera antecedente diem solemnem artificialem. *Ad secundum dico*, nomine *Paschæ* ibi non intelligi Agnum Paschalem, sed Paschales victimas, quæ etiam Pascha dicebantur, juxta illud Deuteronomii 16. *Immolabitis Domino Phase de ovibus, et bobus*, etc. quorum quidem sacrificiorum pars una cremabatur in holocaustum, secunda cedebat in usum Sacerdotum, tertia vero comedebatur a populo, ut præcipitur Num. 28. postulabatque legalem in edentibus munditiam, ut observat Josephus, lib. 3. *Antiquitatum*, c. 3. Quoniam autem Judæi immunditiam legalem contrahebant ex societate et contubernio cum infidelibus, ideirco illi qui Jesum duxerunt ad Pilatum, noluerunt ingredi in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, idest illas victimas Paschales.

Reponeb cum Spalatensi, hanc equidem munditiam pro ejusmodi sacrificiorum participatione requisitam fuisse in Sacerdotibus, et Levitis, non vero in Laicis, ut colligitur ex 2. *Paralip.*, cap. 30. v. 13. ubi legimus: *Congregati sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum in mense secundo .... Immolaverunt autem Phase* 14. *die mensis secundi: Sacerdotes quoque et Levitæ sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini .... Suscipiebant vero Sacerdotes effundendum Sanguinem de manibus Levitarum, eo quod multa turba sanctificata non esset, et idcirco immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino: magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase;* proindeque sanctificatio legalis necessaria non erat in populo, et Laicis: sed qui duxerunt Jesum ad Pilatum non erant Sacerdotes, sed eorum Ministri: igitur non desiderabatur in eis munditia legalis ad comedendas victimas Paschales; et consequenter mundities, quam requirebant, non erat ad eas victimas manducandas, sed revera ad manducandum Agnum Paschalem; igitur dies illa, qua crucifixus est Dominus, erat tantum dies decima tertia. — **Respondeo ad majorem**, quod etsi major mundities requireretur in Sacerdotibus, quam in Laicis, aliqua tamen in his desiderabatur; nam etsi Regis Ezechiæ jussu magna populi pars, quæ sanctificata non fuerat ab immunditiis legalibus, tamen id eis concessum est per dispensationem, scilicet ob urgentem necessitatem reconciliandi filios Israël inter se dissidentes circa cultum Dei, qui per hujusmodi solemnitatem Paschalem invicem sociati sunt in eumdem Dei cultum. *Adde quod* hæc victimarum man-

ducatio ab immundis laicis ibidem notetur facta contra legem præscriptam; scribitur enim: *Magna pars populi.... quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est, et oravit pro eis Ezechias dicens: Dominus Deus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrem suorum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt; quem exaudivit Dominus, et placatus est populo.* Igitur revera peccasset populus, manducando Paschales victimas cum immunditia legali, nisi eum eo divinitus fuisset dispensatum. *Ad minorem* dico, falsum esse, quod soli Laici recusarint ingredi in Prætorium, ne contaminarentur; siquidem cum eis erant Sacerdotum Principes, et Levitæ, legimus enim Marci 15. *Summi Sacerdotes cum Senioribus, et Scribis, et universo Concilio vincientes Jesum duxerunt, et tradiderunt eum Pilato:* cum autem Præses soleret eis dimittere per diem festum unum ex vinctis, quemcumque petiissent, et vellet dimittere Jesum, Pontifices concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Itaque dici potest, eos, qui noluerunt ingredi Prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha, fuisse Principes Judæorum, Scribas, Sacerdotes, et Pontifices, qui intermittentes ea quæ necessaria erant ad celebritatem diei festi, se totos impendebant in procuranda Christi morte.

Ad tertium dico, nomine *Parasceve*, non intelligi vigiliam, sed diem præparatoriam, seu feriam sextam, in qua præparabantur ea quæ necessaria erant, non quidem ad esum Agni Paschalis, ut volunt Græci, sed ad victum pro sequente Sabbato: quamvis enim prima die azymorum liceret Judæis cibaria parare, ut legitur Exodi 12. id tamen vetitum erat diebus Sabbati, ut habetur Exodi 15. et 35. Quod autem S. Joannes hic *Parasceve* nomen usurpaverit, non respective ad Pascha, sed ad diem Sabbati, ipsemet luculenter indicat, cum ait c. 19. *Judæi quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce Corpora Sabbato*, etc. sed id evidentius explicat S. Marcus, cap. 15. cum ait: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum;* dicitur autem *Parasceve Paschæ* potius quam *Parasceve Sabbati*, vel quia erat unus ex septem diebus Paschalibus, vel quia erat pridie Sabbati incidentis in dies azymorum, seu Paschales. *Ad quartum* dico, illam quidem sententiam fuisse quorumdam ex una parte consiliantium, verum alteram partem prævaluisse, judicando scilicet, non esse negligendam occasionem oblatam de Christo capiendo, quamquam dies festus immineret.

Objiciunt 2. Diebus festivis, maxime in azymorum solemnitate, nihil operis servilis facere Judæis licebat, ut habetur Exodi 20. at eo ipso die, quo Christus crucifixus est, Joseph ab Arimathæa mercatus est sindonem in sepulturam Corporis Jesu, quod a Pilato petiit et obtinuit, ipsum de cruce deponens involvit ipsa sindone, et reposuit in monumento, quod erat excisum in lapide, et advolvit lapidem ad ostium monumenti, ut legitur Marci 15. et ibidem, piæ mulieres emerunt aromata, ut venientes ungerent Corpus Jesu: sed hæc opera die festo non erant licita, utpote servilia: igitur Christus non fuit Cruci affixus die festo azymorum, qui erat 15. sed die 14. præcedente, et consequenter si manducavit Agnum Paschalem cum Discipulis, id præstitit anticipato tempore, nempe die 13. — **Nego minorem**; Josephi enim et piarum mulierum opera erga Christi Domini Corpus tumulandum, minime

erant servilia, sed eximiæ charitatis, quæ utique diebus festivis licebat exequi ; legimus enim Tobiæ 2. *Post hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de Tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei, unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus, tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut, dum Sol occubuisset, caute sepeliret eum. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu, et tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem, et luctum. Cum vero Sol occubuisset, abiit, et sepelivit eum.* Igitur diebus festivis licebat mortuos sepelire, ac subinde ea sibi comparare, quæ necessaria erant ad illud impendendum obsequium. *Nec refert,* quod Judæis non liceret diebus festivis aliquem accusare, aut damnare, hoc, inquam, non obstat, cum enim Christum Dominum tamquam Pseudo-Prophetam Dei adversarium, et Mosaicæ legis expugnatorem existimarent, idcirco putabant se obsequium Deo præstituros, si eum ipsomet die Paschali occiderent, ut sic Deo fieret satis, et irrogata ipsi injuria resarciretur.

Objiciunt 3. Varias S. Chrysostomi sententias, maxime vero ex homil. de proditione Judæ, ubi inter cætera scribit: *nam et circumcisionem sustinuit, et Sabbata observavit, et festivitates celebravit, et azyma* (nota) *comedit, et Hierosolymis cuncta hæc peregit: sed nulli horum nos subjecti sumus. Quippe clamat Paulus: Si circumcidamini, nihil vobis Christus proderit. Et de azymis rursus ait: Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, et veritatis. Nostra enim azyma non sunt farina humore macerata et temperata, sed sincerum institutum, vitaque honesta.* Cum igitur S. Chrysostomus dicat nulli horum nos subjacere, non debemus celebrare in azymis. — **Respondet Arcudius,** lib. 3. cap. 6. Sanctum Chrysostomum merito dicere nos nulli horum subjectos esse, quia neque azyma in sacrificio adhibemus tamquam lege quadam Christi Domini adstricti, cum sacrificium optime fiat etiam in pane fermentato.

Urgebis: Eodem modo loquitur S. Chrysostomus de azymis, ac de circumcisione, et de observatione Sabbati, aliisque festivitatibus: et tamen si quis modo circumcideretur, vel alias Judæorum festivitates observaret, peccaret gravissime: ergo eodem modo si azyma offerat. — **Respondet idem** « inter ea, quæ refert S. Chrysostomus, « esse nonnulla ἀδιάφορα qualia sunt azyma, et etiam locus Hierosolymorum. Nam etiam Hierosolymis possemus sacrificare, non ita tamen ac si alibi non possumus, ut Judæi non poterant. Ita etiam uti « azymis, non tamen de necessitate simpliciter, quasi etiam in fermentato confici nequeat. Quamvis modo non fiat liberum cuique, sed « institutum proprium, et antiquum unicuique servandum est. *Deinde,* « absolute dicit, uti azymis more Hebræorum, omnino prohibitum esse, « non secus atque prohibita est circumcisio, et observatio reliquarum « celebritatum, et ita nulli horum subjicimur, ut si aliquid horum « observaremus, gravissime peccaremus, at uti azymis more latinorum, « nullum prorsus esse peccatum, imo fieri ad imitationem Christi. Quod « ex eodem Chrysostomo facile probari potest. Nam Chrysostomo non-

« nulli objiciebant, Pascha cum azymis fieri debere, hæc sunt ejus « verba in eadem oratione: *Nam hoc etiam audio, multos dicentes, « Pascha cum azymis esse.* Non negat autem Chrysostomus ita solitum « fuisse fieri, sed negat Judæos ex defectu loci habere azyma, quamvis « revera haberent. Non enim celebrabant Pascha Judæi Hierosolymis. « *Quod autem apud eos (Judæos) non sint azyma, audi Legislatorem « dicentem: non poteris celebrare Pascha in qualibet urbium tuarum, « quas Dominus Deus tuus dat tibi, sed in loco ubi invocatum fuerit « nomen ejus, Hierusalem intelligens.* Si igitur Chrysostomus negat, « Judæos celebrare Pascha cum azymis, quia non debito loco cele- « brant, quanto magis negaret hic Doctor Latinorum azyma esse azyma, « quæ non una, aut altera, sed omnibus prorsus Judaicis carent cir- « cumstantiis? Alioquin, si absolute et universe ea damnaret, damnaret « etiam factum Christi, qui, eodem Chrysostomo teste, peracto legali « Paschate, novum Pascha in eadem mensa per azyma instituerat. « Quia tamen non ita instituerat, quasi de necessitate requirerentur « azyma, propterea Chrysost. per azyma interpretatur sanctimoniam « vitæ, morumque puritatem, quæ nimirum azyma necessario exiguntur « ab his, qui verum Pascha celebrant, sive illud materialiter cum fer- « mentato pane, sive cum azymis celebrent. Et quoniam Christiani « illi judaizantes factum Christi opponebant: *Cur igitur eo tempore « Christus fecit?* Quod est dicere: cur Christus, et tempus cum Ju- « dæis observavit, et adhibuit azyma? Ad hoc respondet Chrysostomus: « *Quoniam vetus Pascha figura erat alterius Paschatis futuri, oportebat « autem veritatem figuræ succedere, ostensa prius umbra, tunc in eadem « mensa veritatem induxit, inducta autem veritate, umbra deinceps « subducitur, et extra suum tempus est* (hoc est, cessavit umbræ tempus). « Sic Chrysostomus. Quare azyma per se nullo modo sunt improbanda, « ut neque fermentata, nisi adsint circumstantiæ Judaicæ, et ritus an- « tiquæ legis. Tunc enim utraque improbarentur. Qua ratione damnat « ea Canon Apostolicus 70. *Si quis,* inquit, *Episcopus, vel Presbyter, « vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejunat cum Judæis, « vel cum ipsis festos dies agit, vel ab ipsis Xenia accepit, ut azyma, « vel quidpiam simile, deponatur. Si vero sit Laicus, segregetur.* Quam- « quam, ut verum fatear, cum esse Canonem Apostolorum non exi- « stimo; quomodo enim in Asia Joannes, et Philippus Apostoli, aliique « non pauci Antistites cum Judæis Pascha celebrassent, ut refert Po- « lycrates? Quomodo plures alii Christiani cum Judæis jejunassent, « teste Chrysostomo, si id Apostoli sancito canone prohibuerant; et « cur ipse Chrysostomus agens contra illos Judaizantes, et Patres Ny- « cænos pro se citans, præsentem canonem citare prætermisit? Imo « et ipsi Patres Concilii Nycæni cur Apostolorum decreta ad persua- « dendum cæteris in medium afferre neglexerunt? » *Hæc Arcudius.* Addit insuper quod ejusmodi Canonem semper servarunt æque Latini, atque Græci, neutri enim accipiunt a Judæis azyma, neque jejunant, neque dies festos agunt cum Judæis, aut more Judæorum.

Objiciunt 4. Christus instituit Eucharistiam pridie quam pate- retur: sed passus est Luna 14. igitur instituit Eucharistiam Luna 13. ac proinde ante diem azymorum, et sic non consecravit in azymis. *Major patet* ex Evangelio. *Minor probatur:* passus est tribus diebus,

et tribus noctibus antequam resurrexit, siquidem tribus diebus et tribus noctibus jacuit in sepulchro, ut ipse prædixerat, Matth. 12. his verbis: *Sicut Jonas fuit in ventre cæti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus:* at Christus resurrexit prima Sabbati, idest die Dominica: igitur revera mortuus est et sepultus die 14. — **Nego minorem**; contrarium enim aperte colligitur ex dictis. Unde ad ejus *probationem* dico, tres dies et noctes, quibus Christus Dominus jacuit in sepulchro, non esse intelligendas de diebus et noctibus completis et integris, sed per Synecdochem, ut præclare explicat Alensis, 3. part. qu. 20. memb. art. 3. *Sexta feria*, inquit, *cum nocte præcedente erit una dies, et ita per Synecdochem fuit ibi illa die: item fuit ibi per totum diem Sabbati cum nocte præcedente, et ita esse totum illum diem naturalem absque Synecdoche; item nox præcedens Dominicam Resurrectionis cum ipsa die est una dies naturalis, et per illam noctem fuit ibi, et ita per diem naturalem, idest, per Synecdochem, et ita per tres dies naturales fuit in sepulchro.*

Instabis: Ea die resurrexit Christus Dominus, qua Ecclesia ejus resurrectionem celebrat, tertia videlicet ab ejus morte; at sæpe Ecclesia celebrat ejus resurrectionem Luna 15. semper enim celebrat Christi resurrectionem prima die Dominica post diem 14. quo Judæi suum Pascha celebrant, ne videlicet eorum ritus videatur imitari, si eodem, ac illi, die, festum Paschatis celebret; porro ea die 15. interdum est Dominica, quando videlicet Pascha Judæorum seu Luna 14. primi mensis incidit in diem Sabbati: ergo signum est, quod Christus mortuus sit Luna 13. alioqui tres dies et noctes etiam per Synecdochem non occurrerent inter diem mortis Christi, et ejus resurrectionis; et insuper celebraretur Christi Domini resurrectio eo tempore, quo ipse adhuc mortuus jacebat in sepulchro. — **Distinguo majorem**: eodem naturali, *nego:* ecclesiastico, *concedo.* Ecclesia enim non celebrat Christi Domini resurrectionem aliquo die qui determinate correspondeat Lunæ, seu diei 17. primi mensis in qua resurrexit, alioqui cum dies illa incidat plerumque in aliquam feriam Hebdomadæ, et non semper in diem dominicum, Ecclesia deberet festum Paschæ non semper celebrare die dominico, sed quovis die in quem Luna 17. incideret, sicut celebrat Christi Domini nativitatem die 25. Decembris, quacumque die occurrat sive feriali, sive Dominica. Hoc igitur unum intendit Ecclesia, ut prima die Dominica post Pascha Judæorum, Pascha novum celebrat, tum ut significet Christum Dominum surrexisse a mortuis ipsa prima die Dominica post celebratum Judaicum Pascha, ut testetur ex hac diversitate diei, quo novum Pascha celebrat, se fateri vetus Pascha Judaicum fuisse omnino abrogatum. Unde districte sancitum est, ne Christiani eodem die quo Judæi, Pascha celebrent. Legimus enim in Canone 7. Apostolorum: *Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus sacri Paschæ diem ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur, abjiciatur.* Hinc S. Ignatius, Epist. 8. ad Philip. *Si quis cum Judæis Pascha celebret, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, et Apostolos ejus.* Quod utique præclare explicat S. Victor. 1. summus Pontifex, Epist. 1. ad Desiderium Viennensem, in qua scribit: *Ut sancta fraternitas tua a Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, erudita est, qui et Ecclesiam ad tua usque tempora*

vixerunt, non 14. *Luna cum Judæis, sed a* 15, *usque ad* 21. *Pascha celebravit Ecclesia Catholica, non enim jam umbram, sed veritatem, quæ umbra legis celebratur, quærit. Hanc doctrinam Romæ Petrus et Paulus instituerunt, ut in azymis sinceritatis et veritatis Pascha ageretur, qui enim cum Judæis Pascha agere volunt, quid nisi umbram diligunt, ut agni carnes non in veritate, sed in umbra figurant manducent? Presbyteris Galliarum litteræ mittentur, ut observent Pascha, non cum Judæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum prædicantibus veritatem Christi.*

Objiciunt 5. Id in praxi habebant Judæi ex Majorum Traditione, quod, quando Luna 15. contingebat feria 6. non ordiebantur solemnitatem Paschæ feria 5. ad vesperam primam, sed tantum ad secundam, sicque differebant festum Paschatis in sequentem diem, ut traditum fuerat a temporibus Esdræ post reditum a captivitate Babylonica, et instaurationem templi perfectam, sicque Sabbatum erat primus dies solemnitatis: sed, inquiunt, ita contigit anno, quo Christus passus est; unde Judæi tantum inceperunt solemnitatem Paschalem ad eam vesperam diei 15. in qua Christus passus est, sicque Christus hanc solemnitatem præveniens, suum Pascha manducavit feria 5. cum pane quidem azymo ad id necessario, sed manducato Paschate, assumptoque fermentato pane adhuc eo die licito propter translatum Pascha in sequentem diem, Cœnam usualem iniit, et inter Cœnandum Eucharistiam instituit, non quidem in azymis, sed in fermentato, quo utebatur. — **Nego majorem**; si enim viguisset ea legis interpretatio tam antiqua Traditione firmata, quare tum Apostoli nullo monente Christum rogassent, *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* si illo ipso die Pascha non fuisset comedendum? Quorsum assererent Evangelistæ, diem azymorum venisse, in qua necesse erat comedere Pascha, si revera Paschalis dies in sequentem esset procrastinandus? quonam pacto induci potuisset homo ille Hierosolymitanus, ut commodaret suum Cœnaculum ad Pascha comedendum contra ritum Gentis, et ordinationem Principum Sacerdotum? Quomodo tandem tam altum hujus traditionis, et interpretationis legis silentium esset apud Philonem et Josephum accuratissimos cæremoniarum et legum Israëlitici populi Scriptores, necnon et apud Patres Græcos, et Latinos, qui persæpe meminerunt Paschæ Judæorum, et ex eis plurimi constantissime asserunt, Judæos in suo Paschate celebrando, semper observasse Lunam 14.

Objiciunt 6. Si Christus Dominus passus esset et mortuus primo die azymorum, dies Pentecostes eo anno incidisset in diem Sabbati: at hoc est contra communem Ecclesiæ traditionem, quæ existimat diem Pentecostes, et Spiritus Sancti descensum contigisse die Dominica, ut scribunt S. Clemens, lib. 5. *Constit.*, cap. ultimo; August., Serm. 151. *De Tempore*, S. Leo, Epist. 81. Ergo non est mortuus primo die festo azymorum. *Probatur major:* a secunda die azymorum, in quo Judæi offerebant Deo manipulum, jubetur Levitici 23. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem hebdomadæ septimæ*, idest quinquaginta dies, *et sic offeretis sacrificium novum Domino*, scilicet in die Pentecostes: sed in hypothesi dies ille cadit in diem Sabbati, nam 7. hebdomadæ faciunt 49. dies, et hæ in prædicta hypothesi fi-

niunt Feria 6. et proinde cum dies sequens sit Sabbatum, in quo completur quinquagesimus, sequitur inferendum, quod isto anno festum Pentecostes incidit in diem Sabbati. — **Respondet Bellarminus,** id fuisse consuetudinis apud Judæos, ut quinquaginta illi dies numerarentur a primo die profano post sestum Azymorum; unde, quando secundus dies erat Sabbatum, tunc non a secundo, sed a tertio hæc incipiebat numeratio. Ratio enim cur non a primo, sed a secundo die azymorum hæc fieret numeratio, non alia assignari potest, quam quia secundus dies profanus erat, et in ea plura fiebant opera servilia, ut manipulorum collectio, etc. quæ primo die facere non licebat ob festivitatem; sed dies Sabbati non minus erat festivus; unde merito supra dixit Scriptura, *ab altero die Sabbati;* non vero *ab altero die Paschæ,* ut forte si quod aliud festum, puta Sabbatum incideret in secundam diem azymorum, hæc computatio fieret non a secunda illa die, sed a die sequenti, quæ esset profana. At ita contigit eo anno, ut secundus dies esset Sabbatum. Ita Bellarminus. — *Respondent* alii, hanc numerationem fieri a secunda die azymorum non inclusive, sed exclusive, quæ computatio satis familiaris est in Scriptura, sic 2. *Paral.*, cap. 3. dum dicitur: *Facta est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis non fuit,* etc. Qua in supputatione tempus Salomonis non includitur. Et ideo cum secundus dies ille azymorum anno, quo Christus mortuus est, incideret in Sabbatum, certum est hanc computationem inceptam fuisse a die sequente, nomine Dominica, qualiter etiam nos supputationem ordinamus. *Nec refert,* quod die Sabbati omne opus servile, qualis erat ista manipulorum collectio, secundo die azymorum facienda prohiberetur. Dico enim, quod cum talis manipuli collectio esset in usum religiosum, et in divinum cultum, sicut eo die licebat occidere, purgare, et lavare sacrificanda animalia, quidni et licuisset colligere manipulos Deo offerendos? — *Ex his* patet facilis solutio vocabuli *Sabbatum secundo primum,* de quo S. Lucas, cap. 6. *Factum est autem Sabbato secundo, primo, cum transiret per sata, vellebant Discipuli ejus spicas,* etc. Cum enim 7. hebdomadæ integræ, ac proinde 7. Sabbata numerarentur a secundo die azymorum ad festum Pentecostes; primum Sabbatum dicebatur, et primum, et secundum. Primum quidem respectu aliorum; secundum autem respectu primi diei azymorum, qui etiam ob solemnitatem, Sabbatum dicebatur, ut patet ex dictis.

Reponit Maldonatus: Mensis, in quo numeratio hebdomadarum fieri debebat, erat *Nisan* respondens nostro Martio: sed ille non erat, in quo Discipuli vellebant spicas: *tum* quia eo mense nondum maturæ erant: *tum* quia tempore Passionis, Ministri calefaciebant se ad prunas, quia frigus erat: ergo segetes non erant maturæ. — **Nego minorem,** et ad *primum* dico, quod mense Martio segetes erant maturæ in Palestina; siquidem *Deuter.* 16. hic mensis dicitur novarum frugum: *Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis.* Insuper Levitici 23. præcipitur, ut postridie diei primæ azymorum offerantur manipuli spicarum: credibile autem non est eos manipulos et segetes oblatas fuisse, antequam grana formata fuissent, et aliquatenus maturassent. *Ad secundum* dico, mirum non debere videri, quod ea nocte, qua captus est Christus Dominus, milites tanto frigore pre-

merentur, ut opus habuerint recurrendi ad prunas; interdum enim contingit, ut noctes etiam mense Augusto sint frigidissimæ, ut maxime accidit anno præcedente 1675. quidni mense Martio vigere ac urgere potuerit vehementissimum frigus noctis tempore in Palestina, quamquam diu propter Solis æstum segetes ad maturitatem propenderent?

Quæres 1. *Utrum vespera, in qua Christus, et Judæi comederunt Agnum Paschalem, fuerit secunda seu præcedens noctem diei artificialis* 15. *sequentis?*

Affirmo: *tum* quia vespera ibi debet accipi, qualiter accipitur in aliis Scripturæ locis: sed in aliis intelligitur pro secunda vespera. Sic Exodi 18. *De mane usque ad vesperam:* 2. Reg. 2. *Jejunantes usque ad vesperam*, etc. *Tum* quia eo die, et in ea vespera comedi debebat Agnus ille, quo Judæi in Ægypto primum Deo præcipiente id celebrarunt: at id celebrarunt in posteriori vespera diei 14. nam Exodi 12. eadem nocte comedunt Agnum Paschalem, et egrediuntur de Ægypto: at egressi sunt nocte præcedente diem 15. artificialem ut patet ibidem, unde etiam ob id ab ea incipiebat usus azymorum.

Dices 1: Ea nocte, qua comederunt, prohibiti sunt egredi e domibus suis: igitur eadem nocte non sunt egressi. — **Nego consequentiam**, et dico, prohibitionem illam factam fuisse dumtaxat propter vitandum percussorem Angelum: at ubi Israëlitæ audivissent ex clamore Ægyptiorum jam trucidatos fuisse omnes primogenitos, ac subinde exterminatorem Angelum recessisse, securi egressi sunt de domibus suis, necnon et de terra Ægypti, ut legitur Exodi 12. v. 41. *Eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti*, Et v. 51. *Eadem die eduxit Dominus filios Israël de terra Ægypti per turmas suas.* Itaque Moyses non præcepit Israëlitis, ut e domibus suis ea nocte non exirent absolute, sed ut non exirent, quamdiu percuterentur Ægypti primogenita, seu donec Angelus interficiens illa transiisset, et ab Ægyptiis urgerentur et cogerentur exire.

Dices 2: Mutuati sunt Israëlitæ ab Ægyptiis aurea, et argentea vasa, multamque supellectilem, et abstulerunt Exodi 12. at non id potuissent, si eadem nocte comedissent agnum, se continuissent in domibus, dum exterminarentur Ægypti primogenita, et exiissent ex Ægypto; vix enim una dies integra satis erat istis omnibus exequendis, et alioquin nocturno tempore mutuari non potuissent ea vasa. — **Nego minorem**; cum enim Israëlitæ præmoniti fuissent a Moyse de brevi futuro suo discessu, facile potuerunt colligere suas sarcinas, et ab Ægyptiis petere vasa, priusquam in unum aliquem locum convenirent, et ederent Pascha; maxime cum Deus dedisset eis gratiam coram Ægyptiis, ut postulata eis commodarent, sicut legitur Exodi 12. et insuper Ægyptii plurimis jam fracti plagis eos quamprimum egredi cogerent.

Dices 3: Priusquam egrederentur Israëlitæ, convenerunt in Rameses, ut legitur Num. 33. ex quo loco profecti sunt die altera Phase, ut ibidem legitur: *Profecti de Ramesse mense primo quintadecima die mensis primi, altera die Phase filii Israël in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus, ca-*

strametati sunt in Soccoth: igitur cum altera dies Phase sit illa, quæ sequebatur immediate celebrationem Paschæ, non eadem nocte comederunt agnum, et exierunt ex Ægypto; igitur comederunt Agnum Paschalem ad primam vesperam. — **Nego consequentiam**, quia manducaverunt Agnum in fine diei 14. discesserunt ex Ægypto die 15. summo mane ante Solis ortum; si enim ad primam diei 14. vesperam comederunt agnum, non altera die profecti sunt e Ramesse, sed tertia die post esum agni; fuisset enim inter esum agni decima tertia luna ad vesperam, tota dies 14. et initium 15.

INSTABIS: Non potuerunt filii Israël convenire in Ramesses ea nocte, qua manducaverunt Pascha: igitur nulla solutio. *Probatur anteced.* Cum Ramesses oppidum non esset ita amplum et dilatatum, ut in eo tota Israëlitarum multitudo posset congregari, oportuit ut ibi convenientes habitarent in tentoriis: sed ea nocte, qua manducaverunt Pascha, non erant in tentoriis: *tum* quia Deus jussit, ut Agni Sanguine Israëlitæ linirent postes, et superliminaria domorum: id autem non potuissent exequi, si Agnum Paschalem occidissent, et manducassent in tentoriis: *tum* quia vetuit Moyses, ne quis egrederetur usque mane de domo sua; non autem dixit de tentoriis suis: igitur ea nocte, qua comederunt Agnum Paschalem, non convenerunt in Ramesses, sed tantum die sequenti; et consequenter manducaverunt Agnum Paschalem ad primam, non autem ad secundam vesperam. — **Nego antecedens**, et ad *ejus probationem* dico, Hebræos non dici congregatos in Ramesses, quasi omnes fuerint in oppido Ramesses; sed in ea regione, quæ Ramesses vocabatur ab oppido, quod erat in ea præcipuum; Hebræi namque, quamdiu fuerunt in Ægypto, habitaverunt in terra Gessen prope Ramessen. Nam Genesis 47. cum Pharao dixisset Josepho, ut patri, et fratribus suis traderet terram Gessen, statim subditur: « Joseph « vero patri, et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo « terræ loco Ramesses, ut præceperat Pharao. » Porro Israëlitæ a Moyse, Deo jubente, admoniti accesserunt ad loca viciniora oppido Ramesses, quo forent ad exitum expeditiores. Videntur autem in iis partibus admixti fuisse Ægyptiis, et non in tentoriis habitasse, alioquin non potuissent ad amicis et vicinis vasa, vestesque mutuari. — *Nec obstat*, quod Josephus, lib. 2. *Antiquitatum*, cap. 5. scribat: *illucescente* 14. *luna, omnes ad exitum animalia sacrificabant.* Non, inquam, obstat; hæc enim vox, *illucescente*, non significat, cum instaret decima quarta dies, sed cum adfuit, seu cum jam adesset illa dies. Quæ utique significatio ex eodem colligitur; nam, lib. 3. *Antiquitatum*, cap. 10. scribit: *Mense Xanctico, qui nostris Nisan vocatur, et annum exorditur luna* 14. *Sole Arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus: sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur, celebramusque per sodalitia, nihil e victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est* 15. *et azymorum festivitas prima.*

QUÆRES 2. *Utrum Christus Dominus instituerit Eucharistiam, dum adhuc cum Discipulis Judas præsens adesset?*

AFFIRMO; id enim aperte docet et testatur S. Lucas, siquidem ubi dixit Christum consecrasse panem et calicem, ac utriusque prolata

consecratoria verba retulit, immediate subdit Christum dixisse: *Verumtamen ecce manus tradentis mecum est in mensa:* ergo Judas consecrationi præsens aderat.

Insuper consecratum panem et calicem omnibus præsentibus obtulit, teste S. Marco, qui fatetur omnes ex consecrato calice bibisse, *et biberunt ex eo omnes:* at Judas erat ex Apostolis: ergo cum aliis Christi Corporis et Sanguinis particeps fuit.

ReponES forte, SS. Matthæum 26. et Marcum 14., asserere Judam visa unguenti pretiosi in Bethania supra Christi pedes effusione ægre tulisse, obmurmurasse, et a Christo reprehensum deseruisse cæteros Apostolos, ipsumque ad principes Sacerdotum illico properasse: igitur Cœnæ cum cæteris non adfuit. — **Nego consequentiam;** hæc enim aperte militant, et in prædicta Lucæ verba et in S. Joannem testantem Christum Judæ, Cœna facta, pedes lavisse; imo Matthæus ipsemet asserit Judam in Cœna cum cæteris Christum rogasse, *numquid ego sum Rabbi?* ait illi, *Tu dixisti:* et immediate subjungit, *Cœnantibus illis,* etc. Idem ibidem habet Marcus. Ergo *vel* dicendum cum S. Augustino sæpe facta, non secundum factorum ordinem, sed veritatem Evangelistas referre; *vel* asserendum Judam quidem secreto abiisse a Bethania ad principes Sacerdotum, et iterum ad Christum rediisse, ut exploraret locum opportuniorem eum tradendi Sacerdotum ministris.

Confirmatur ex Actorum, cap. 1., Judas dicitur Episcopus, et Sacerdos, sicut scriptum est, Psal. 68. *Episcopatum ejus accipiat alter:* sed Apostoli ordinati sunt Sacerdotes et Episcopi tantum in institutione Eucharistiæ: igitur cum aliis Judas præsens aderat.

. **Eamdem veritatem affirmant** Origenes, Tract. 35. in *Matth.,* S. Chrysost., Homil. *De Proditione Judæ,* S. Cyrill., lib. 9. in *Joannem,* et Auctor Serm. *De Cœna,* apud S. Cyprianum, ubi loquens de Apostolis manducantibus Agnum Paschalem, ait: *Nec Judas ad veterem vitam pertinens diabolo invadente et occupante animum ejus, egredi cogebatur; sed ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et sceleratum os panis sanctificatus intravit, parricidialis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, et præceps cucurrit ad proditionem et pretium, ad desperationem et laqueum.* — S. Hieronymus in illud Marci: *Biberunt ex eo omnes,* ait: *Et Judas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni, qui indigne mysteria Christi suscepit.* — S. Aug., in Psalm. 10. in ea verba: *Justus autem quid fecit?* ait: *Christus quid fecit vobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendata, sicut cæteris Apostolis traderet?* Idem affirmant S. Leo, Serm. 3. et 7. *De Pass.,* ante medium, et plures alii, quos citat Vazquez, disp. 217. cap. 2.

Objicies 1. Plures e sanctis Patribus expresse aut tacite contrarium tenentes. Expresse quidem S. Clementem, lib. 5. *Constit.,* cap. 13. *Cum autem tradidisset nobis antytipa mysteria pretiosi Corporis et Sanguinis sui absente Juda egressus est.* Innocent. III. lib. 4. *De Mysteriis Missæ,* cap. 13., S. Damian., Epist. 61. — **Respondeo** ad S. Clementem, hæc verba *absente Juda,* non ad præcedentia, sed ad sequentia *egressus est,* esse referenda, sicque testantur Evangelistæ: quam Judas prius exierat, quam Christus egressus iret in hortum. Ad

alios Patres dico, forte aliquos in ea versari sententia; vel forte velle Judam non fuisse quidem participem effectus Sacramenti, ac sic caruisset tali Sacramento, quid enim prodest Sacramentum absque illius effectu?

Objicies 2. Judas accepta intincta buccella continuo exivit ab Apostolorum consortio, ut Christum traderet: sed nec illa buccella fuit Sacramentum, ut definit Concil. 3. Braccharense, et asserit S. August., Tract. 62. in Joann., neque etiam post institutum Sacramentum fuit porrecta: ergo Judas præsens non adfuit, dum Eucharistia fuit instituta. — **Concedo majorem**, et primam partem *minoris*, sed *nego posteriorem*. Hunc siquidem ordinem servavit Christus, ut *primo*, Cœnam legalem cum Discipulis faceret. *Secundo*, ea peracta cæremoniali Cœna, quæ fieri debebat a stantibus, et succinctis, ac baculum in manu per modum viatorum gerentibus, recubuit, et accubuit usuali mensæ cum duodecim, ac inter cœnandum proditorem præsignavit, ac futuram instantemque suam Passionem pronuntiavit. Hac autem peracta Cœna, surrexit a mensa, pedes lavit, et iterum recumbens Sermonem habuit de humilitate, et postea ex residuo pane et vino Eucharistiam instituit, ac ministravit singulis. Demum cum id moris esset apud Hebræos, referente Baronio, ut mensæ prætectus buccellam panis, in embammate ex lactucis agrestibus confecto intingeret, intinxit et Christus buccellam panis usualis, quam Judæ tradidit, et ei dixit: quod facturus es, fac citius. *Cum autem*, Judas, *accepisset buccellam, exivit continuo:* hoc est, non expectavit prolixum illum Sermonem, quem eo absente Christus ad Discipulos habuit. — Ita pariter sentit, S. Aug., nam præcitata Homil. 62. sic loquitur: *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Corpus Christi accepit; intelligendum est enim quod suum omnibus distribuerat Dominus Sacramentum Corporis et Sanguinis sui. Ubi et ipse Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat, ac deinde ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per buccellam tinctam suum exprimi traditorem.*

Petes 3. *Utrum panis azymus fuerit semper in Ecclesia Latina, et Occidentali frequentatus?*

Affirmo, idque colligitur primo ex Leone IX., Epist. 6., quæ est ad Michaëlem Constantinopolitanum, his verbis: « Illud autem, *in-*« *quit*, quis non stupescat, quod post tot Sanctos et Orthodoxos Pa-« tres, post mille et viginti a Passione Salvatoris annos, novus ca-« lumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, et « publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sa-« cramentorum ex azymis. » Quibus verbis significat per mille et viginti annos, hoc est, a Passione Christi ad sua usque tempora, Ecclesiam Romanam confecisse ex azymis.

Probatur secundo ex Innocentio III., lib. 4. *Mysteriorum Missæ*, cap. 4., ubi verba faciens de differentia ritus Orientalis, et Occidentalis Ecclesiæ circa azyma, simulque de insolentia Græcorum Ecclesiam Romanam in eo hæresis accusantium, ita loquitur: « Ab ipsis « ergo beatis Apostolis Petro et Paulo, quos vivos habuit, et defun-« ctos custodit, hunc sacrificandi ritum accepit, quem hactenus invio-« labili cultu servavit ».

Probatur tertio ex Algero, lib. 1. cap. ult. Quia ergo, *inquit*, nulla ratio cogit, ut azymum a Christi sacrificio revellamus, dignum est, ut quod Christus instituit, (omnis autem Ecclesia præter Græcam a primordio sui ex Traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet, et Pauli celebravit), indesinenter conservet.

Probatur quarto ex Ruperto, lib. 2. *De divinis officiis*, cap. 22. his verbis: « Cur sancta Romana Ecclesia numquam in sacrificio fermen-« tatum admiserit, non otiose quæritur, nec inutiliter scitur; maxime « quia consuetudini huic tota Græcia refragatur; nam de fermentato « Græci immolant, nescio, qua auctoritate suffragante. Denique op-« posita sententia nullis fulcitur solidis rationibus. »

Objicies 1. Olim consecrabatur in pane a fidelibus oblato, ut ex Concilio secundo Matisconensi, Can. 4. supra dictum est; imo vero Ebionitæ notati sunt propterea, quod panibus azymis mysteria celebrarent.— **Respondeo**, panem a fidelibus oblatum ad usum Eucharistiæ non fuisse fermentatum, sed azymum; quid enim vetat fideles, obtulisse azymum? Quantum ad Ebionitas hæresis notati sunt, non quia azymis utebantur, sed quia illis utendo existimabant se Legem Mosaicam una cum Evangelio observare: in eo itaque notati sunt, in quo errabant; error autem non est conficere in azymis, sed animo Judaico conficere.

Objicies 2. Ex S. Ambrosio, lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 4 Panis, qui est materia Eucharistiæ, est panis usitatus: talis autem non est azymus, sed fermentatus: ergo, etc. — **Respondeo**, *concessa majore, nego minorem;* panis enim azymus est panis usualis, quamvis non ita delectabilis. Responsio est Humberti, loco supra citato. *Addo* S. Ambrosium opponere panem usitatum pani consecrato, hæc sunt ejus verba: « Tum forte dicis: meus panis est usitatus; sed panis iste, panis « est ante verba Sacramentorum, ubi acciderit consecratio, de pane fit « caro Christi: igitur hoc in loco panis usitatus idem est, quod panis « profanus. »

Objicies 3. Ante tempora schismatis Photii, azyma non erant in usu, fuissent enim Latinis objecta a Græcis, qui omnia, in quibus Latini eis adversabantur, tamquam crimina opponebant; imo huc usque nullus canon azymorum meminit: ergo, etc. — **Respondeo** *negando antecedens;* erant enim azyma in usu ante Photii tempora, sed nondum crimini vertebatur. Primo itaque sub Leone IX exprobratum est Latinis, quod azyma consecrarent; ex quo non sequitur tunc primo invaluisse usum azymorum; alias dicendum esset, Ecclesiam Latinam tunc primo abstinuisse a canendo *Alleluja* in Quadragesima, et quia tunc primo suffocata comedit, quia tunc primo id fuit objectum a Græcis.

Petes 4. *Utrum Ecclesia universalis intermiserit celebrationem Eucharistiæ propter hæresim* Ebionitarum, *et* Quartodecimanorum?

Respondeo, id non videri probabile. Primo quidem de Ebionitis: *im* quia nullus e sanctis Patribus, aut Pontificibus, aut veteribus istoricis id asserit, sed solum quidam Scholastici id sine ulla auctotate aut fundamento affirmant, dicentes cum S. Thom., 3. p. q. 74. rt. 4. Alexand., q. 10. membr. 4. etc. utramque Ecclesiam Græcorum, t Latinam a tempore Apostolorum in azymo instar Christi consecrasse; ostea vero exorta Hæresi Ebionitarum, qui dicebant post Christum

legalia esse servanda (ut referunt S. Epiphan., Hæres. 30. et Irenæus *Advers. Hæres.*, cap. 36. libro primo. Augustinus libro *De Hæresibus ad quod vult Deus*, Hæresi 9.) utramque Ecclesiam in fermentato consecrasse; hac vero cessante occasione, Latinam Ecclesiam ad pristinum morem rediisse, Græcam autem fermentatum obstinato animo conservasse; quibus etiam obiter subscribit Doctor, 4. dist. 11. quæst. 6. Et quidem confirmant auctoritate Leonis Papæ. *Verum* quis fuerit ipse Leo Papa non affirmant; et merito quidem, quippe cum nullus a primo ad nonum hujus controversiæ meminerit, nec ipse Leo nonus id concessit, imo in Epistolis ad Michaëlem contrarium statuit, ac ipsum hac de re novum Ecclesiæ Latinæ reprehensorem asseruit, multo minus id asseruit. Imo S. Epiphanius supra laudatus dicit eos hæreticos imitatos fuisse Sanctorum consecrandi morem in azymis.

Nec pariter id congrue fecisset Ecclesia, ab intentoque fine id faciendo excidisset. Nam cum in hoc imitaretur Christum, multoque magis hoc modo dignitatem hujus mysterii significaret, non erat rationi consentaneum hunc panem relinquere, cum plura alia Ecclesia retineat a Christo tradita, quibus Judæi in suis cæremoniis utebantur, nam utebantur aqua in suis baptismatibus, oleo in suis unctionibus, etc. nec tamen aquam in Baptismate, nec oleum in Confirmatione, aut Extrema-Unctione propterea abjicere liceret. *Adde quod*, cum Ebionitæ in eo erraverint, ut temperantiæ prætextu in sola aqua calicem consecrarent, ad vitandum hunc errorem, Ecclesia tamen nusquam abstinuit a mixtione aquæ cum vino, ne in tali mixtione aliquid cum Ebionitis commune haberet. *Denique* si ab eo tempore Ecclesia Græca in fermentato consecrasset, id fuisset usitatum tempore SS. Chrysostomi, Basilii, et Epiphanii, qui multo post sepultam Ebionitarum hæresim vixerunt: at id falsum esse deprehenditur testimonio Epiphanii.

Confirmatur auctoritate Innocenti III, lib. 4. *De Mysteriis Missæ*, cap. 4. ubi referens et refellens Græcorum argumentum, quo contendunt, nos judaizare in azymis consecrantes, hæc ait: *Sciendum ergo, quod non omnes antiquæ legis consuetudines abjecit Ecclesia, sed quasdam provida consideratione retinuit, dicente sponsa ad sponsum in Canticis: Omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi. Adhuc enim conficit oleum unctionis, et thus suavitatis incendit, adhuc solvit decimas, et primitias, adhuc habet candelabrum, et lucernas, et vestes, et vasa, et Pontifices, et Levitas. Nam si propterea repudiandum est azymum, quia lex illud admisit, pari ratione repudietur fermentatum, quia lex statuit in Levitico, offerent panes fermentatos cum hostia gratiarum. Non solum enim de constitutionibus legalibus, verum etiam de scriptis Gentilium libenter assumit Ecclesia, si quid in eis probe dictum, vel factum agnoscit, et tamquam mulieris captivæ resecat ungues, pilosque superfluos, ut ab alienigena falsitate mundata, thalamum veritatis digna sit introire.* Post pauca subdit: *Cæterum id solum Latinis sufficere contra Græcos, quod Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæreseon corruptio fermentavit, ut non solum hæreticos, verum etiam hæresiarchas produceret. Romanam autem Ecclesiam super Apostolicæ fidei petram stabili soliditate fundatam, nulla prorsus hæreticæ pravitatis procella potuit conquassare, sed illud semper integra fide servavit, quod ab ipsis accepit Apostolis... Ab ipsis ergo B. Apost. Petro et Paulo,*

quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. Græci vero postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, *ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temere mutavere, quos Leo nonus per epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum directam super variis confutavit erroribus.*

Siquidem illa gravis Latinos inter et Græcos anno 150. primum innovata, et 198. renovata controversia, non movebatur de azymis non edendis, sed de Paschate, quod Asiana Ecclesia celebrabat 13. Luna Martii, quaque die incideret, Dominica, aut feriali; Latini vero, secus sentientes, affirmabant, celebritatem Paschalem tantum esse faciendam die Dominica, quo scilicet Christi Resurrectio contigerat. Eam litem primus omnium movit Polycarpus, cum enim Romam adventasset, convenissetque Anicetum tunc Romanum Pontificem, usitatam in Asia consuetudinem de celebrando Paschate invertere tentavit Anicetus, verum reluctantem Polycarpum a sententia dimovere non potuit, eo quod assereret, id Asianos accepisse a S. Joanne Evangelista, cujus ille Discipulus, et auditor fuerat, *et sic pace integra, charitate illæsa, unusquisque in sua sententia permansit.* ut loquitur S. Irenæus natione Græcus, officio Lugdunensis Episcopus, in Epistola ad Victorem.

Cum autem diversus celebrandi Paschatis ritus, formandi schismatis esset occasio, Judaismique renovandi, Ebionitis non leve præberet argumentum, Pius summus Pontifex anno 159. referente Eusebio in suo Chronico, decretum tulit, quo omnes ad festum Paschatis die Dominico celebrandum adigebat.

Verum cum nitamur in vetitum, inde factum est, ut plures Ecclesiæ rebellaverint, magnaque in eis orta fuit hac de re contentio, quæ, ut sedaretur plura pluribi, imperante et sollicitante Victore, coacta sunt Concilia, puta *Romanum*, cui ipsemet Victor; *Ponticum*, cui Palmas; *Palestinum*, cui Theophilus Cæsariensis; *Gallicum*, cui Irenæus; *Osroënum*, et alia innumera, inquit Euseb., lib. 5. *Historiæ*, cap. 22. in quibus uno sensu, sententiaque una decretum est, Pascha esse die Dominico celebrandum, juxta Apostolicam traditionem, quam omnes isti Patres ab Apostolis acceptam sibi vindicabant, inquit Eusebius.

Idque merito, nam S. Proterius Alexandrinus Episcopus, Epist. ad S. Leonem Romanum Pontificem, quam habet venerabilis Beda, lib. *De ratione temporis*, cap. 42. affirmat, S. Petrum eamdem veritatem Romæ docuisse, et ab eo acceptam S. Marcum Ægyptiis tradidisse. Si autem eo antiquiorem desideres, habes S. Ignatium, qui temporibus Apostolorum vixit, et Alexandrinam Ecclesiam, quam Petrus fundarat, et Paulus edocuerat, administravit; quem proinde nonnisi, quod ab Apostolis acceperat, scripsisse nemo sanæ mentis denegabit; is enim Epistola 6. ad Magnesianos Asiæ populos, ait: *Celebrandum diem Dominicum, ut dierum principem, et resurrectioni Christi dicatum.* Et ad Philippenses, de non celebrando Paschate more Judaico, hæc contestatus inculcat: *Si quis cum Judæis celebrat Pascha, aut Symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, et Apostolos ejus.*

Imo ipsius S. Joannis testimonio rata haberi videtur celebratio Paschæ die Dominico, nam cum Apocalyps. 1. ejus diei meminerit

tamquam celebris in Ecclesia, quænam quæso potuit esse ratio talis solemnitatis, nisi quod esset jam Christi resurrectioni dicatus, in eoque fideles religiosis studiis Dominicæ resurrectionis Sacramentum recolerent? At si more Judaico 14. Luna esset illa dies habenda, cum incerta esset, utpote quæ singulis annis mutaretur, omnis diei Dominicæ (quæ prima erat) celebrandi ratio cassa videretur. Non tamen inficior, S. Joannem id statuisse initio nascentis Ecclesiæ, ut Judæis ad fidem amplexandam faciliorem viam sterneret, Paulum imitatus, qui Timotheum Episcopum circumcidit, ne Judæis infensus et odiosus videretur.

Exinde tamen nullatenus firmanda et probanda erat Asianorum sententia, licet in suo Concilio ex Victoris ordinatione hac de causa inito statuerint servandam esse Patrum suorum traditionem de celebrando Paschate die 14. in eoque cessanda Ecclesiastica jejunia, ut patet ex epistola, quam Polycrates Ephesiorum Episcopus hujus Concilii præpositus misit, aliorum et suo nomine, ad Victorem, in qua plures ex suis prædecessoribus nominat, qui eumdem ritum servavere, et subdit: *Ego igitur, fratres, qui sexaginta quinque annis in Domino vixerim, qui multis cum fratribus per orbem dispersis de fide communicaverim, qui universam Scripturam studiose evolverim, his, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minime conturbor: mei enim majores dixerunt, magis Deo, quam hominibus obtemperandum.* Ex quo infero Victorem Asianis minitatum fuisse excommunicationem, nisi priorem de celebrando Paschate 14. die mutarent sententiam, ut die Dominico Resurrectioni Domini sacro, una cum cæteris Ecclesiis agerent. — Verum, ut patet, nihil in obduratis profuit tanti Pastoris comminatio; quapropter, ubi Victor ex accepta Asianorum epistola novit eorum in veteri suo tuendo ritu pertinaciam, emisso novo ad eos edicto, a fidelium communione rescidit, et rescissos omnibus aliis notificavit, ut referunt Nycephor., lib. 4. cap. 38. et Eusebius, lib. 5. cap. 24. ubi cum uterque proferat Victorem nimis concitata diligentia, et nemine consulto, talem edidisse sententiam, quam proinde plures Episcopi non probarunt, subdit Eusebius, S. Irenæum id pariter cum cæteris ægre tulisse. Unde quamvis de Paschate die Dominico celebrando eamdem cum Victore haberet sententiam, tamen suo, et cæterorum Galliæ Episcoporum nomine, *Victorem arguit, quod non recte fecerit abscindere a corporis unitate tot ac tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent.*

Plura autem momenta protulit in Victorem S. Irenæus, sed præcipuum petebatur ex Victoris prædecessoribus, puta Aniceto, Pio, Hygino, Telesphoro, Sixto, qui licet ipsi cum Asianis festum eodem die non colerent, nec colere aliis permitterent, tamen cum Asianis Episcopis pacem et concordiam perpetuo retinuerunt, nec ab Ecclesia propter id unquam fuerunt ejecti; imo ipsi Eucharistiam, (et ut habet Nycephorus) *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi ad eos direxerunt.*— Verum S. Irenæi pace dixerim, eum rem non ea, qua decebat, attentione ponderasse; siquidem quamdiu cum Catholicis tantum actum est, tolerabile visum fuit Romanis Pontificibus permittere Asianos more Judæorum 14. Luna celebrare; at cum hæc indulgentia hæresis validandæ esset occasio, ab ea desistere consultius visum est; cum enim his temporibus invaluissent in Asia Montani asseclæ, qui eadem cum

Asianis sentientes, nisi quod illi Lunæ cursum Judæorum more, hi autem Solis, observabant, Pascha celebrandum esse 14. die affirmabant, secus vero facientes erroris insimulabant, ut testis est Pacianus, libro *De Catholico nomine*, ad Sympronianum. Cum, inquam, hæc hæresis ita serperet, ut nullatenus intra Asiæ limites contineretur, sed in alias mundi Provincias grassaretur, ipsam etiam pervaderet Ecclesiam Romanam, ex eoque Blastum, aliquam frustra ambientem Ecclesiæ dignitatem, infecisset, ut Auctor est Tertull. *De Præscript.*, cap. 53. eam indulgentiam diutius tolerare, idem videbatur, quod Schismaticis favere. Quamobrem etsi durum ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ, pernecessarium tamen ad ulcus extrinsecus, intrinsecusque serpente tabo curandum, cum præsertim non eadem esset Asianorum causa, quæ fuerat antea tempore Polycarpi, quandoquidem olim illi ex indulgentia, hi ex necessitate tali die Pascha celebrandum esse affirmabant. Hæc Baronius ad ann. 198.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM ET QUO JURE AQUA SIT VINO CONSECRANDO MISCENDA.

Notandum 1. Unum fuisse ex Armenorum erroribus, quod existimarent, aquam non esse vino consecrando admiscendam, ut apparet ex Can. 32. Concilii Trullani, ubi hic error, ut supra notavimus, refertur et refellitur; illos autem in ipsum errorem induxit sententia quædam S. Chrysostomi perverse et male ab eis intellecta; hic enim expendens illa verba Christi Domini, *Non bibam de hoc genimine vitis*, Homil. 83. in Matthæum scribit: *Cujus rei gratia, non aquam, sed vinum post Resurrectionem bibit, perniciosam quamdam hæresim radicitus evellere voluit: quandoquidem enim sunt nonnulli, qui aqua in mysteriis utantur, ut ostenderent quia, et quando hoc mysterium tradidit, et quando post Resurrectionem sine mysteriis nudam mensam apposuit vino usus est. Ex genimine, ait, vitis, quæ certe vinum, non aquam producit.* Ideo autem Armeni nolebant admiscere aquam vino consecrando, quoniam cum inficerentur hæresi Eutychiana, duarum in Christo naturarum unionem nolebant agnoscere, ut notat Nycephorus, libri 18. cap. 53. *Vinum*, inquit, *aqua non temperatum adhibent in divina re facienda, unam in Christo naturam designantes, neque sicuti nos calicem miscent, per quam mixtionem duarum in Christo naturarum, et unionem declaramus.* Hunc autem errorem pridem damnatum ac sepultum restaurarunt hujus temporis hæretici; Lutherus enim primo contra Regem Angliæ scripto, fatuos et stolidos putat eos, qui peccatum esse sentiunt sine aqua celebrare. Nonnulli autem Calvinistæ gravius exorbitantes, sacrilegos, falsarios esse, ac blasphemos hæreticos pronuntiant, qui vinum Cœnæ miscent aqua, eo quod ad Evangelii puritatem sua adjiciant commenta. Contra quos errores reclamant omnes Catholici, affirmantes vinum consecrandum debere necessario esse aqua delibutum.

Notandum 2. Quod etsi Catholici Doctores invicem consentiant de necessitate miscendi aquam vino consecrando, non conveniunt tamen circa rationem hujusce astruendæ necessitatis. Quidam enim tempore

S. Bernardi contendebant, mixtionem illam necessariam esse necessitate Sacramenti, non secus ac panis et vinum, scribens enim ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus: *Ajunt,* inquit, *sensisse alium Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, idest pane, vino et aqua hoc sacrificium esse, ita ut si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur;* quam utique sententiam S. Bernardus videtur non improbare, subdit enim: *sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundat.* Eam autem expresse tuetur Armacanus, lib. 9. *De quæstionibus Armenorum,* cap. 9. ubi docet, mixtionem illam ita necessariam esse, ut si Sacerdos aquam in calice vel incuria, vel oblivione non admisceat, irrita prorsus ac invalida sit consecratio; contra quem licet reclament cæteri Theologi, affirmantes, hanc aquæ cum vino consecrando admixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed præcepti, dissentiunt tamen, utrum præceptum istud divinum sit, an dumtaxat Ecclesiasticum. Duo itaque hic maxime sunt statuenda: *primum,* utrum revera fieri debeat hæc aquæ cum vino consecrando admixtio: *secundum,* quo jure id debeat impleri.

Notandum 3. Duplicem esse Eucharistiæ significationem, respective ad duplex Christi Domini Corpus; naturale videlicet, et mysticum. *Primo,* in quantum ordinatur ad repræsentandum Christi Domini Corpus et Sanguinem, quæ realiter et substantialiter continet, utpote cum utrumque sit vere ac substantialiter præsens sub speciebus Eucharisticis, ac per eas repræsentetur et significetur. *Secundo* vero ordinantur ad repræsentandum Christi Domini Corpus mysticum, siquidem ait Apostolus 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Prior autem significatio sacramentalis est; posterior vero tantum moralis et mystica.

Conclusio prima. — Aqua vino consecrando est permiscenda.

Probatur primo ab exemplo Christi Domini, qui vinum aqua mixtum consecravit, ut colligitur ex Liturgiis S. Jacobi: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, et permiscens ex vino et aqua.* Tum S. Marci: *Similiter,* inquit, *et calicem postquam cœnavit, accipiens, factaque vini et aquæ commixtione.* Tum S. Basilii: *Similiter,* inquit, *et cum calicem ex genimine vitis accepisset, miscuisset,* etc. — *Probatur secundo,* ex Concilio Cartaginensi 31., Can. 24. supra laudato: *Ut,* inquit, *in Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum.* Idem ex Concilio Trullano, Can. 32. ubi liturgiæ S. Jacobi et S. Basilii fit mentio.

Hanc veritatem probant SS. Patres ex mysticis significationibus, et repræsentationibus, quas hujusmodi mixtio ostentat. **Primo** namque repræsentat Dominicæ Passionis Sacramentum, et sanguinem et aquam, quæ ex Christi Domini pectore lancea transfixo fluxerunt; ita Alexander primus Pontifex, Epist. 1. c. 4. *In Sacramentorum oblationibus,* inquit, *quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est: ut ejus, cujus Corpus et Sanguis conficitur,* Passio

celebretur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur, Non enim debet (ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse legitur. — **Secundo** probant ex significatione unionis fidelium cum Christo capite, cum enim Sacramentum Eucharistiæ repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, vinum et aqua id aptissime significant, quia vinum significat Christum, ex Zach. 9. *Vinum germinans Virgines*: « Sive, inquit S. Hieronymus « vinum boni odoris ad Virgines, per quod intelligimus Dominum « Salvatorem, ipse est vinum, quod lætificat cor hominis, et bibitur « ab his Virginibus, quæ sunt sanctæ corpore et spiritu, ut inebriatæ « et gaudentes sequantur Ecclesiam ». *Aqua* autem populos significat: ita præ cæteris Julius II, Epistola ad Episcopos per Ægyptum, ut refertur *De consecratione*, dist. 2. cap. *Cum omne crimen*, ubi ait: *Cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi esse incipit sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: ergo, quando botrus solus offertur, in quo vini tantum efficientia designatur, Sacramentum nostræ salutis negligitur, quod per aquam significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Et ideo, quia jam ex hac plurima et multiplex majorum manavit sententia, omnis deinceps talis error atque præsumptio cessare debet, ne perversorum inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum sit aliud sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantum, et calicem vino et aqua permixtum. De cætero aliter, quam præceptum est, faciens, tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima Pœnitentiæ satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit.* — Idem docet S. Cyprianus, Epist. 63. quæ est ad Cæcilium, ubi loquens de hac mixtione, ait: « Aquas nam- « que populos significare in Apocalypsi Scriptura divina declarat, di- « cens: *Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, et « turbæ, et gentes Ethnicorum sunt, et linguæ.* Quod scilicet perspi- « cimus, et in Sacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes por- « tabat Christus, qui et peccata nostra portabat, videmus in aqua « populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Quando « autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et « credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur et conjungitur. « Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice « Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde « Ecclesiam, idest, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter et firmiter « in eo quod credidit, perseverantem, nulla res separare poterit a « Christo, quominus hæreat semper et maneat individua dilectio. Sic « autem in sacrificando calice Domini offerri aqua sola non potest, « quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantum quis offerat, « Sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs « incipit esse sine Christo; quando autem utrumque miscetur et adu-

« natione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiri-
« tuale et cæleste perficitur. Sic vero calix Domini non est aqua sola,
« aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus
« Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adu-
« natum et copulatum, et panis unius compage solidatum. Quo et
« ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemad-
« modum grana multa in unum collecta et commolita et commixta
« panem unum faciunt, sic in Christo, qui est panis cælestis, unum
« sciamus esse Corpus, cui conjunctus sit noster numerus et adunatus.
Idem legimus in Matthæi *Commentario* apud Anselmum, c. 26. « Quia
« et vos in Christo, et in vobis Christum manere oportet, vinum Do-
« minici calicis aqua miscetur; attestante enim Joanne, *aquæ populi*
« *sunt;* et neque aquam solam, neque vinum solum, ut nec granum
« frumenti solum sine aquæ mixtione in pane cuiquam licet offerre,
« ne talis oblatio, quasi caput a membris secernendum esse significet,
« et ibi Christum sine nostræ Redemptionis admixtione mortem pati
« potuisse, vel nos sine illius Passione salvari, ac Patri offerri posse
« consignat ».

Tertio, hæc mixtio etiam deservit ad significandam unionem duarum in Christo naturarum, ut notat Nycephorus supra a nobis laudatus. — **Quarto,** etiam indicat transformationem nostræ mortalitatis in immortalitatem; nam, ut notat S. Ambrosius, lib. 5. *De Sacramentis*, c. 1. *Tangit Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, et salit in vitam æternam.* Has rationes complectitur Concilium Trident., Sess. 22. c. 7. ubi scribit: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione, et, cum aquæ in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Dices 1: Veritas debet respondere figuræ: sed in sacrificio Melchisedech, quod fuit figura Eucharistiæ, fuit tantum panis et vinum, non autem aqua: ergo neque in Eucharistiæ Sacramento debet aqua admisceri. — **Distinguo majorem**: aliqua ex parte, *concedo:* omni ex parte, *nego. Ad minorem* respondet S. Ambros., lib. 4. *De Sacram.*, c. 1. « Diximus ergo, *inquit*, quod in Altari constituatur calix, et panis.
« In calicem mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis:
« Quomodo ergo Melchisedech panem et vinum obtulit? Quid sibi vult
« admixtio aquæ? Rationem accipe. Primo omnium figura, quæ ante
« præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia, cum sitiret populus Ju-
« dæorum, et murmuraret, quod aquam invenire non posset, jussit
« Deus Moysi, ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, et petra
« undam maximam sudit, sicut Apost. ait: *Bibebant autem de conse-*
« *quenti eos petra; petra autem erat Christus.* Non immobilis petra,
« quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide
« mysterium. Moyses, hoc est Propheta; virga, hoc est, verbum Dei.
« Sacerdos verbo Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus
« Dei. Tangit ergo Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit
« in vitam æternam, et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus
« est. Didicisti ergo hoc, etc. ».

Dices 2 : Scriptura sacra damnat ac reprobat mixtionem aquæ cum vino; nam Isaiæ, 11. Deus Judæis exprobrat, quod aquam vino miscerent : *Vinum tuum*, inquit, *mistum est aqua :* igitur hæc aquæ in calice mixtio est improbanda. — **Distinguo antecedens :** Scriptura improbat mixtionem, quæ fit in fraudem a cauponibus, qui purum vinum se vendere professi, decipiunt ementes ea mixtione, *concedo;* nam Propheta per ejusmodi mixtionem exprobrat Judæis corruptam animi sinceritatem; ita interpretatur S. Hieronym.; quæ fit ad sobrietatem ab iis, qui bibunt, *nego;* nam est opus temperantiæ, quod multa bona significare potest, et efficere; ideo Sapientia Prov. 9. dicit: *Bibite vinum, quod miscui vobis.*

Dices 3: Si fieri deberet aquæ mixtio in calice, maxime propter exemplum Christi Domini, vel propter significationem aquæ illius, quæ ex perforato ejus latere fluxit: sed neutrum recte asseritur: primo quia non constat Christum bibisse aquam; imo S. Chrysost. id aperte negat, ut observavimus in primo Notabili. Similiter Innoc. III, ut refertur Can. *In quadam nostra*, de celebratione Missarum, negat posse vero argumento probari, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, ex eo quod aqua de latere Christi fluxerit, non enim aqua, sed phlegma inde manavit: igitur non ita est faciendum. — **Nego minorem**, cujus contrarium apparet ex dictis. Ad S. autem Chrysostomum dico cum Patribus Trullanis, Can. 32. eum ibi reprobare Hydroparastatas hæreticos, qui (teste Theodoreto, lib. 1. *Hæretic. fabularum*, cap. 20.) puram aquam in sacrificium offerebant; ideo non vetuit aquæ mixtionem cum vino, utpote cum Ecclesiæ suæ, puta Constantinopolitanæ, id faciendum esse tradiderit. Ad Innocentium autem dico, illum quidem concedere, quod ex hoc solo argumento et momento ea veritas et praxis efficaciter non possit probari; non autem denegat aliis rationibus suaderi posse, maxime autem ex continua praxi totius Ecclesiæ.

Conclusio secunda. — Admixtio aquæ in calice non est de essentia calicis consecrandi, neque de jure divino præcepta, sed tantum Ecclesiastico. Hæc est communis quantum ad omnes partes; primamque aperte docet Concilium Trid. supra laudatum his verbis: « Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia « Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant ». Si enim id a Christo Domino præceptum esse crederet, frustra adderet *ab Ecclesia;* alioquin pari jure dicere potuisset, ab ea præceptum esse, ut nonnisi in vino fieret consecratio; quod sane ridiculum esset et ineptum. Unde Concilium Florent. reprehendit Armenos, quod non miscentes aquam vino, ab universali utriusque Ecclesiæ ritu discreparent; hisque verbis statuit: *Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino.* — Si autem hoc divino præcepto faciendum esse arbitraretur, id sane subjecisset, nec solam universalis Ecclesiæ consuetudinem assignasset. — Hoc ipsum indicat Julius Papa, Epistola ad Episcopos per Ægyptum; et habetur *De Consecr.*, dist. 2. cap. *Cum omne crimen*, ait, hunc ritum fieri juxta canonum ordinationem. *Calix Dominicus*, inquit, *juxta ca-*

nonum præcepta vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero Sanguinem Christi; subditque integram S. Cypriani sententiam supra memoratam.

Dices: Quod præceptum est a Christo, non solo Ecclesiæ præcepto faciendum est: sed hæc aquæ cum vino mixtio est a Christo instituta, et sub præcepto tradita: ergo. *Prob.* 1. ex regula S. Augustini, lib. 2. *De Baptis.*, contra Donatistas, cap. 7. et lib. 4. cap. 31. *Ea, quæ communiter et perpetuo in Ecclesia servantur, nec probantur primitus constituta ab aliquo Concilio, aut Ecclesiæ præcepto ordinata, credendum est, a Christo fuisse instituta, et ordinata:* sed admixtio aquæ cum vino est ejusmodi; nam Alexander I, qui fuit 5. Pontifex a Petro, ait, se accepisse a Patribus, hanc mixtionem esse faciendam. *Secundo,* idem affirmant Concilia; siquidem Carthag. 3. can. 24. et Africanum, can. 4. hoc præceptum divinum et Dominicam traditionem appellant. *In Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini,* inquit, *nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit; et hoc est panis et vinum aqua mixtum.* Et Conc. Aurelian. IV, cap. 4. id evidentius aperit, nam postquam dixit vinum aqua miscendum in calice, rationem hujus reddens, ait: *Quia sacrilegium judicamus aliud offerri, quam quod in mandatis Sacratissimis Salvator instituit.* Imo Concil. Wormacense, can. 4. eamdem aquæ ac vini necessitatem insinuat, cum dicit: *Non potest in calice Domini esse aqua solum, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur.* Idem habet S. Cyprian., laudata Epist. ubi loquens de aquariis, ait: *Non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus Deus noster, sacrificii hujus auctor et Doctor, fecit et docuit.* Paucis interpositis: *Sed quando aliquid Deo inspirante et mandante præcipitur, necesse est Domino servus fideliter obtemperet.* Et circa medium illius Epistolæ ait: *Invenimus non observari a nobis, quod mandatum est, nisi ea, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, et calicem Domini pari ratione miscentes a divino magisterio non recedendum,* etc. Quid evidentius ad præceptum divinum indicandum? — **Respondeo** ad 1. *concessa majore,* ad ejus *minorem,* hanc aquæ admixtionem sufficienter probari ab Ecclesia fuisse institutam, ut patet ex dictis, et ex eo quod Alexander asserat, se hunc ritum a Patribus accepisse, quo denotatur, hanc institutionem antiquam esse, non vero a Christo. *Ad Concilia* Carthaginense, Africanum, et Aurelian. dico, ea non loqui de mixtione aquæ cum vino, dum dicunt, *sicut Dominus tradidit,* sed de oblatione vini in calice, ita quod non aliud quam vinum liceat offerre, nec aliquid vini loco supplere, etsi liceat aquam vino miscere; quod colligitur ex Concilio Antisiodor. a. 590. celebrato, ubi alludens ad ea, quæ in prioribus Conciliis decreta fuerant, cap. 8. hæc habet: *Non licet in Altario in sacrificio divino mellitum, quod mustum appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre, quia ad grandem reatum et peccatum pertinet Presbytero illi quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumpserit.—Ad Concilium* Wormacense dico, non posse quidem licite calicem Domini in vino solo consecrari propter Ecclesiæ præceptum, posse vero valide. — Ita pariter respondendum est ad S. Cyprianum. Dum vero ait, nos esse admonitos et edoctos a Christo, non præceptum, sed exemplum intelligit. Dum vero id esse mandatum, et

a Christo traditum, loquitur, non de mixtione aquæ, sed de vino; non autem de simplici aqua offerenda intelligendus est. Vel per *mandatum* intelligit exemplum a quo recedere nefas esset.

URGEBIS: Nefas est recedere a Christi exemplo; sed vinum in calice miscuit: ergo et nos miscere debemus. — **Concedo totum.**

SUBSUMES: Sed quod Christus fecit, præcepit, ut idem fieret a Sacerdotibus novæ Legis. — **Distinguo:** omnia tum substantialia, tum accidentalia, et cæremonialia, *nego:* substantialia Sacramentorum, puta materiam et formam, *concedo:* alias priusquam fieret consecratio, essent lavandi pedes, Agnus Paschalis comedendus, etc.

URGEBIS: Eo modo mixtio vini et aquæ sese habet ad calicem consecrandum, quo farina triticea et aqua sese habent ad componendum panem consecrandum in Corpus Christi: sed hæc sunt essentialia, ut dictum est: ergo et illa. *Probatur major* auctoritate tum Julii Papæ supra laudati *De Consecrat.* dist. 2. c. *Cum omne crimen:* tum S. Cypriani citata Epist. *Sic calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque admixtum fuerit et copulatum, et panis unius compage solidatum.* — **Respondeo,** materiam consecrandi calicis posse considerari, vel ut est ordinata ad sacramentum, vel ad mysticam significationem unius populi cum Christo. Porro non de priori, sed de posteriori Patres illi sunt intelligendi; nam S. Cyprian. subdit: *Sicut grana multa in unum collecta, et commolita, et commixta panem unum faciunt, sic in Christo unum sciamus esse Corpus, cui conjunctus sit noster numerus et adunatio.* Hanc autem genuinam ejus mentem esse, evidenter constat ex iis, quæ prius dixerat, et probaverat ex figuris et textibus Sac. Script. nempe vinum esse necessariam materiam consecrandi et offerendi calicis; ibi enim concludens, ait: *Unde apparet Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderet Passioni.* Non ergo censet aquam esse materiam necessariam, cum solius vini meminerit.

INSTABIS: Si consecratio fieret in solo vino, non minus repræsentaret illam mysticam unionem Christi nobiscum; eo enim modo quo dicimur ab Apostolo unus panis, unum corpus, etiam dici possemus unus calix, unitate incorporationis cum capite, et unitate vitæ a capite ad nos emanantis: ergo non ob eam unionem significandam dicitur aquæ cum vino mixtio necessaria. — **Distinguo antecedens:** repræsentaret simpliciter, *concedo:* æque proprie, et secundum Christi exemplum et intentionem, *nego:* cum enim, inquit S. Cyprianus, aqua populum, vinum autem Christum significet, utriusque commixtio hanc unionem perfectissime significat.

URGEBIS ITERUM: Idem S. Cyprianus ibid. ait: « In sanctificando « Christi Domini calice, offerri aqua sola non potest, quomodo nec « vinum solum potest »; ergo paris necessitatis censet esse aquam, ac vinum. — **Nego consequentiam;** et ad antecedens dico, S. Cyprianum intelligendum esse secundum aliquam comparationem, ita quod aqua sola non possit offerri sine peccato, sicut nec vinum solum; non autem vult, quod irrita foret consecratio in solo vino, sicut si fieret in sola

aqua. Unde etiam non subdit: si offeratur vinum solum, non erit Sanguis Christi, imo ait: si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: ergo supponit, Sanguinem Christi posse esse in solo vino. Non autem idem dicit de sola aqua, ait enim: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.

Subsumes: Statim addit S. Cyprianus: *Quando utrumque miscetur, et adunatione confusa sibi invicem copulantur, tunc Sacramentum spirituale, et cœleste perficitur:* igitur censet, Sacramentum non posse confici, nisi ex permixtione vini cum aqua. — **Distinguo antecedens:** Sacramentum spiritale perficitur accidentario, quoad significationem speculativam unionis Ecclesiæ membrorum cum capite suo, *concedo:* essentialiter, *nego;* nam etsi desit aqua, vinum in Christi Sanguinem convertitur. Unde videtur ibi S. Cyprianum accipere Sacramentum non stricte, pro signo gratiæ practico, qualia septem in Evangelica Lege numerantur, sed universim et late, pro signo quocumque rei spiritualis, etiam speculativo, ita quod perficiatur spirituale Sacramentum, et mystica significatio, cum aqua miscetur vino; nam, ut ait ibi, « Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui, id quod Christus fecit, « imitatur, et sacrificium verum, et plenum tunc offert in Ecclesia « Deo Patri, si incipiat offerri, secundum quod ipsum Christum videat « obtulisse, puta si vinum est solum, et non aqua, sacrificium est « verum, at non plenum, quia non habet significationis et repræsen- « tationis plenitudinem: si sola sit aqua sine vino, neque plenum « est sacrificium, neque verum: si vinum est cum aqua, sacrificium « est verum et plenum, quia sacrificii naturam habet, et omnem effec- « tum atque significationem ».

Petes 1. *Quænam aqua sit in calice miscenda?* — **Respondeo,** illam debere esse naturalem et elementarem: *tum* quia id suadet exemplum Christi Domini qui talem aquam vino miscuisse creditur: *tum* quia Concilia et SS. Patres aquam calici miscendam, appellant aquam simpliciter, qualis est sola naturalis et elementaris: *tum* denique quia hæc aquæ mixtio idcirco fit, ut significet unionem populi fidelis cum Christo capite, et aquam, quæ e latere perfosso Christi Domini emanavit: sed aqua, quæ in Apocalypsi repræsentat populum est naturalis simpliciter, illa quæ fluxit ex latere Christi, fuit vera elementaris et naturalis, ut docet Innocentius III, lib. 3. *Constitutionum,* const. 134 ubi improbat sententiam illius, qui asserebat in Eucharistia aquam converti in flegma, docetque, quod sicut verus spiritus, et verus Sanguis in Christo, ita vera fuit aqua, quæ e latere ejus exivit, dicente S. Joanne: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, et aqua.* Addit quod si non fuisset aqua, sed flegma, non dixisset Joannes: « *Qui vidit aquam exivisse,* sed *flegma:* nec in ho- « mine verum generationis Sacramentum fuisset ostensum, cum per « Sacramentum Baptismi non regeneremur in flegmate, sed in aqua ».— An vero aqua vino consecrando permiscenda debeat relinqui in sua naturali frigida conditione, an vero calefieri; apud Latinos in sua naturali conditione relinquitur; apud Græcos caleat, ut significet fervorem Spiritus sancti. Utriusque Ecclesiæ consuetudo approbatur in Concilio Florentino, ac proinde a Theologis improbari non debet.

Petes 2. *In quanam quantitate aqua sit vino consecrando miscenda?* — **Respondeo,** debere misceri in modica quantitate. *Probatur primo* ex Honorio summo Pontifice, ut refertur *De celebratione Missar.*, c. *perniciosus;* scribit enim: *Perniciosus in tuis partibus incedit abusus, videlicet quod in majori quantitate de aqua in sacrificio ponitur, quam de vino. Cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus scilicet de vino, quam de aqua sit ponendum.* Similiter ex Eugenio in Florentino: *Eucharistiæ vino ante consecrationem aqua modicissima debet admisceri.* Decernit *ibidem,* ut Armeni Sacerdotes paululum aquæ vino misceant. — Ratio est, quia si tantum aquæ poneretur, ut solveretur vini species, non perficeretur Sacramentum; non enim perfici potest, nisi sit vinum; at non esset amplius vinum, quia per niniam aquæ copiam destrueretur. *Deinde,* parva quantitas aquæ sufficiens et conveniens est ad significationes mysticas, ob quas hæc aquæ mixtio fit. *Primo,* quia per excessum vini supra quantitatem aquæ, designatur excessus dignitatis personæ, naturæque Christi divinæ supra naturam ejus humanam. *Secundo,* per excessum vini super aquam, indicatur excessus meritorum Christi supra hominum peccata: ergo repræsentantur homines ad Eucharistiam, ut par est, accedentes, in Christum aliquo modo mutari, non vero Christum in homines. Nam, inquit S. August., l. 7. *Confessionum,* c. 10. loquens in persona Christi: *Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Petes 3. *Utrum aqua vino mixta convertatur in Sanguinem Christi per consecrationem?* — **Respondeo,** hac de re varias olim fuisse Theologorum sententias, quarum præcipuas declarat Innoc. III, ut refertur *De celebr. Missar.*, § *Quæsivisti,* ubi scribit Archiepiscopo Lugdunensi: « Quæsivisti etiam, utrum aqua cum vino in Sanguinem convertatur? « Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. *Aliquibus* « enim videtur, quod, cum de latere Christi duo præcipua fluxerint « Sacramenta, Redemptionis in Sanguine, ac regenerationis in aqua, « in illa duo vinum et aqua, quæ commiscentur in calice, divina vir- « tute mutantur, ut in hoc Sacramento plene sit veritas et figura. « *Alii* vero tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in Sangui- « nem, cum in vinum transeat mixta vino, licet Physici contrarium as- « severent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. *Præ- « terea* potest dici, quod aqua non transit in Sanguinem, sed remanet « prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit, « quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vi- « num mittatur in calicem, illud quidem non transit in Sanguinem, « nec Sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum « corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans « circumfusum, ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur af- « ficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit « igitur accidentia mutare subjectum, sicut et subjectum contingit ac- « cidentia permutare; cedit quippe natura miraculo, et virtus supra « consuetudinem operatur. Sed nec inconveniens creditur, aut absur- « dum, si aqua in Corpore Christi esse credatur, cum legatur de illius « latere processisse. *Et infra:* verum inter opiniones prædictas illa

« probabilior judicatur, quæ asserit aquam vino mixtam in Sanguinem « transmutari, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti; nam cum « aquæ multæ sint multi populi, juxta quod alibi legitur: *Beati qui « seminatis super omnes aquas*, ideo vino aqua unitur, ut Christo po- « pulus adunetur; per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, et ac- « cepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur, ut qui est « unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per « admirabilem unionem, ac per hoc, ipso cummuniter mediante cum « Patre, unum efficimur. *Pater*, inquit, *sancte, serva eos, quos dedisti « mihi, ut sint unum, sicut et nos, non pro his rogo tantum, sed pro « eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut et ipsi in nobis « unum sint, et mundus credat, quia tu me misisti* ».

Innocentio subscribunt illustriores Theologiæ Principes, Alensis, 4. p. q. 10. n. 4. art. 10. S. Thomas, 3. p. q. 74. art. 8. Subtilis Doctor, dist. 11. q. 7. n. 2. ubi ait: *Quia quando aqua apposita non convertitur in Sanguinem, nisi prius conversa sit in vinum, ita modica est apponenda, et ita tempestive, quod ante consecrationem possit conversa fuisse in vinum*. Probatur autem hæc sententia: illud tantum immediate vertitur in Sanguinem Christi, quod est materia calicis consecrandi: sed aqua non est materia consecrandi calicis: igitur illa non potest immediate converti in Sanguinem Christi. *Major constat. Minor vero probatur: tum* quia SS. Patres et Concilia agendo de materia calicis in Eucharistia consecrandi, docent esse vinum de vite, non autem aquam; sic S. Hieronym., lib. 2. contra Jovinian., *de Christo Domino*, sic ait: *In typo Sanguinis sui, non obtulit aquam, sed vinum*. Et S. August., lib. 3. *De Trinitate*, cap. 4. *Corpus Christi et Sanguinem dicimus*, inquit, *illud tantum, quod de fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, et memoriam pro nobis Dominicæ Passionis*. Nam ex Concilio Carthaginensi III, can. 24. *Non amplius in sacrificiis offeratur, quam de vinis et frumentis*.

Deinde, illud solum immediate convertitur in Sanguinem Christi, quod ab eo institutum est pro legitima materia consecrandi calicis, siquidem solus ipse materias Sacramentorum novæ Legis instituit, sed Christus non instituit aquam tamquam materiam consecrandi calicis, et transubstantiationis, quia illa non miscetur vino consecrando ex mandato Christi, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ, igitur, etc. *Deinde*, illud solum immediate transubstantiatur in Christi Sanguinem, sub cujus accidentibus, aut speciebus Sanguis Christi consecratus continetur, et conservatur in calice substantialiter, at Christi Sanguis continetur solum, et conservatur sub speciebus vini, non sub speciebus aquæ; Tridentinum enim aliud non asserit.

Denique, si sub aquæ speciebus in calice Christi Sanguis esse posset, in iis a vino, vinique speciebus separatis adhuc posset existere; ex aliquibus enim Physicis aqua vino mixta, per artem chimicam ab eo separari potest, ut ipsi volunt: ergo species aquæ consecratæ possent a speciebus vini separari: si autem Christi Sanguis in calice sub aquæ speciebus fuisset, post ejusmodi separationem, eum adhuc servare possent: sola quippe separatione Christi Sanguis ab iis non recederet, quia tamdiu consecratæ species Christi Corpus et Sanguinem servant, quamdiu maneret in iis substantia rerum consecra-

tarum, si conversa non esset: at aquæ substantia maneret adhuc in iis speciebus, si tantum a vino separarentur, ergo consecratæ Christi Sanguinem seorsim a vini speciebus in se retinerent: at hoc est absurdum, si possent enim aquæ species in se Christi Sanguinem habere seorsim a vini speciebus, aqua seorsim a vino consecrari posset, quod est hæreticum.

Repones, materiam quidem per se consecrationis esse vinum de vite dumtaxat; materiam autem per accidens, et ratione alterius, esse particulas aquæ vino permixtas; siquidem ex ipsis et vino fit potus aptus ad nutrimentum; cum autem Concilia et SS. Patres dicunt, solum vinum esse materiam Sacramenti, loquuntur de materia per se, non vero per accidens. — **Verum contra**, sicut Sacramentum Eucharistiæ est per se non solum in toto sensibili, sed etiam in singulis particulis materiæ consecratæ, ita ratio materiæ idoneæ ad hoc Sacramentum debet non solum consistere in toto sensibili vini, sed etiam in singulis ejus partibus, ut possint per consecrationem converti in Sanguinem Christi. *Deinde*, Concilium Trid., Sess. 13. can. 2. definit facta consecratione, et conversione panis in Corpus et vini in Sanguinem, manere solas species panis et vini, nulla facta mentione aquæ, et specierum ejus: ergo vult rationem materiæ consecrationis convenire solum vino. Et in eadem Sess. Can. 3. definit, in Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus facta separatione, esse Corpus et Sanguinem Christi: sed sub illis particulis, in quibus non sunt qualitates et proprietates vini (siquidem in illis non fuit substantia vini, sed solum aquæ) si separentur ab illis, non erit Sanguis Christi, cum non habeant proprietates vini: ergo particulæ aquæ vino admixtæ, quæ non sunt conversæ in substantiam vini, non sunt partes alicujus speciei consecratæ: ergo nec materia consecrationis.

Repones iterum, probabile esse quod sub illis speciebus aquæ a vino separatis maneat Sanguis Christi, sicut manet sub speciebus vini, quamvis aqua a vino separata non sit apta consecrationis materia; plura enim interdum requiruntur ad rei effectionem, quam ad illius conservationem. — **Contra**, hæc responsio directe militat tum in Concilium Trid. docens, nonnisi sub speciebus panis et vini conservari Corpus et Sanguinem Christi, tum in ipsam rationem; siquidem solæ illæ species possunt Christum continere, ex quarum substantia Sacramentum potest confici: at ex sola aquæ substantia non potest Sacramentum confici: ergo neque sub solis speciebus aquæ poterit conservari. *Adde quod* eodem modo Patres et Concilia asserant, vinum esse materiam Eucharistiæ conficiendæ, et conservandæ, sicut panis triticeus est materia conficiendi, ac conservandi Corporis Christi: sed si hostiæ consecrandæ admisceatur aliqua pars farinæ hordeaceæ, aut alterius generis in notabili quantitate, illa nullo modo convertitur in Corpus Christi, neque, si separaretur a partibus panis triticei consecrati, conservaret præsentiam Corporis Christi: sicut enim antequam pani triticeo uniretur, non erat materia apta ad consecrationem, ita neque fiet talis, eo quod pani triticeo uniatur, nisi in panem ipsum substantialiter convertatur: igitur a simili, aqua vino permixta, aut ab eo consecrato separata, non potest esse materia apta ad consecra-

tionem, et conservationem Sanguinis, si enim antequam uniretur, non erat materia ad consecrationem Sanguinis idonea, ita neque talis fieri potest per solam unionem, et juxtapositionem cum vino, sed per solam conversionem in vini substantiam.

Objicies 1. Varias SS. Patrum et Conciliorum auctoritates supra a nobis expressas, asserentes vinum aqua permixtum esse materiam calicis consecrandi. Ita præcipue Alexander I, *Epistola ad orthodoxos*, et habetur *De consecratione*, dist. 2. cap. 1. *Non habet*, inquit, *in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur, quia utrumque ex latere ejus in Passione profluxisse legitur*, etc. ubi dicitur, æque offerri aqua, ac vinum: sed vinum non offertur nisi per consecrationem: ergo æque in sua substantia manet aqua ante consecrationem, ac vinum. Urget etiam S. Cypr. supra citatus illa Epist. 3. art. 63. qui ait, *tunc Sacramentum cœleste effici, quando aqua et vinum confusa admixtione copulantur*, etc. quod non fit, nisi utrumque in sua substantia maneat. Item cap. 4. *De consecr.*, dist. 2. quod sumptum est ex Concilio Martini Papæ, dicitur, *Vinum et aqua dicuntur offerri, et benedici*, etc. quod nequit fieri, nisi aqua maneat in substantia ante consecrationem. Item S. Ambr., lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 5. *Ante verba Christi, calix est vino et aqua plenus, ubi verba Christi operata fuerint, Sanguis efficitur.* S. Aug., *De Trinitate*, cap. 14. *Aqua mittitur in calicem, et fit Sanguis conversione verbi cœlestis.* Similiter Paschasius Corbejensis, lib. 1. *De Corpore Christi*, cap. 11. *Nec dubium*, inquit, *quin sub hoc mysterio bibamus aquam, quam, inquit, ego dabo ei, et fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in Sanguinem, ut significet quid fides præcipiat.* Ex quibus inferre licet: aqua dicitur a Patribus et Conciliis benedici, offerri, consecrari, converti in Sanguinem: igitur remanet in sua substantia, donec sic convertatur; et consequenter ex sententia SS. Patrum aqua immediate convertitur in Sanguinem. — **Nego consequentiam**; dum enim SS. Patres docent, vinum aqua mixtum offerri debere, intelligendi sunt de obligatione præparatoria; et sic verum est, quod aqua nondum in vinum conversa offeratur. Vel intelligendi sunt de oblatione essentiali, seu consecratoria, et sic pariter verum est, quod aqua in vinum conversa mediate convertatur in Sanguinem Christi; nemo enim eorum dixit, aquam immediate in Sanguinem converti, sed quod simpliciter et absolute convertatur in Christi Sanguinem, dum ipsa prius in vinum conversa est.

Instabis: Si aqua non converteretur in Sanguinem Christi immediate, et quin prius converteretur in vinum, inepta esset SS. Patrum locutio, dum asserunt aquam converti in Sanguinem Christi, sicut inepte et ridicule diceretur quis convertere herbam in propriam substantiam, quia manducat Agnum, qui herbam in suam carnem converterat: igitur intelligendi sunt SS. Patres de conversione immediata. — **Nego antecedens**; conversio enim mediata recte et legitime vera censeri potest, quamquam res, quæ dicitur converti, non existat in sua substantia dum fit illa conversio, nam panis et vinum recte dicuntur in carnem et sanguinem mutari, quamvis hæc non subsi-

stant in sua substantia, dum fit illa in carnem conversio, sed per stomachi decoctionem in chilum transierint, et per hujus conversionem in sanguinem, et sanguinis in carnem. Potest igitur hoc communi loquendi modo aqua dici permanere, etiamsi in vinum sit conversa; maxime cum ipsa aqua in vinum conversa adhuc aquæ appellationem retineat, ut legimus 1. Joann. Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam. *Adde quod* sicut elementa dicuntur manere in mixto, in quod convertuntur, licet non maneant secundum propriam formam, ita eadem proprietate dici posset aquam mutari in Sanguinem, quamvis prius fiat vinum. Non tamen cum tanta proprietate dici potest quis convertere in propriam substantiam herbam, quam Agnus ab eo comestus manducavit, quia hæc comestio herbæ a manducante Agnum nimium remota est, et pluribus conversionibus intermixta. Hac ratione solvendus est pariter S. Justinus Martyr., *Apologia* 2. pro Christianis, ubi ait circa finem: *Posteaquam, et is, qui præest, gratias egit, et populus omnis benedixit ii, qui apud nos Diacones dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum, et aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, et ad eos, qui adsunt, perferunt, atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur*, etc. Ubi dicit dari post consecrationem panem, vinum, et aquam ratione specierum; intelligendus est enim S. Justinus, non quidem litteraliter, quasi species aquæ remaneant post consecrationem, sicut et vini, sed præparatorie, quia calix consecrandus debet esse permixtus aqua et vino.

Objicies 2. Concilium Triburiense, cap. 19., in quo præcipitur, ut in calice apponantur duæ partes vini, et tertia pars aquæ: sed dum tanta apponitur aqua, facile non potest in vinum converti ante consecrationem: igitur ex mente Concilii non est necesse, quod aqua prius in vinum convertatur, quam fiat consecratio; et consequenter potest immediate consecrari, et in Christi Sanguinem converti. — **Respondeo primo**, Concilium illud fuisse dumtaxat Provinciale, cujus decretum rescissum est et emendatum per Concilium Florentinum præscribens toti Ecclesiæ, ut aqua modicissima vino consecrando apponeretur. *Dico secundo*, Concilium istud in suo Decreto non attendisse ad conversionem aquæ, sed solum ad retinendam mysticam significationem unionis populi cum Christo, ad quam retinendam voluit, ut numquam major, quam tertia pars aquæ misceretur, ut constat ex ipsius Concilii verbis, ait enim: *Non debet in calice vinum solum, aut aqua sola offerri; sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere Christi fluxit, sed sic, ut duæ partes sint vini, tertia vero aquæ; ratio est, quia major est dignitas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi.* Quod autem ob illum alium finem ab Ecclesia intentum, ut scilicet aqua convertatur prius in vinum, quam in Sanguinem, multo minor aquæ portio sit admiscenda, patet ex Concilio Florentino cit. quod præcipit, ut admisceatur modicissima.

Objicies 3. In prima Calicis consecratione aqua conversa fuit immediate in Sanguinem Christi: igitur etiam ita nunc fieri credendum est. *Probatur antecedens;* cum enim Christus Dominus sobrietatis, sicut et aliarum virtutum, sectator esset zelantissimus, haud dubium est, quod uberiorem aquam infuderit calici consecrando: sed aqua illa

non potuit converti in vinum; refert enim Evangelista, quod accipiens calicem benedixit, et dedit Discipulis suis, dicens: accipite, et bibite ex hoc omnes; tam modico autem tempore non potuit hæc aqua largiter super vinum infusa in vinum converti: igitur immediate conversa est in Christi Sanguinem. — **Nego minorem**; Christus enim in institutione hujus Sacramenti pie creditur calicem vini aqua dumtaxat modica miscuisse, maxime cum id faceret non modo usuali, et solius temperantiæ causa, nec ut communem potum præpararet, sed propter significationes mysticas prima Conclusione expressas. *Adde quod,* ut colligitur ex Liturgia S. Jacobi, Christus Dominus post illam mixtionem aquæ multas interposuit actiones ante benedictionem et consecrationem calicis, ac subinde sat temporis effluxit inter mixtionem et consecrationem, ut aqua illa posset in vinum transmutari. Unde etiam Ecclesia ad imitationem Christi statuit, ut modica aqua vino consecrando admisceretur, non quidem immediate ante consecrationem, sed tali mora interposita, quanta sufficere possit ad ipsius aquæ in vinum conversionem.

Objicies 4. Forma calicis, *Hic est calix Sanguinis mei,* vel *hic est Sanguis meus,* designat totum liquorem in calice transire in Christi Sanguinem: sed sæpius accidit, quod, dum hæc verba proferuntur, aqua nondum sit in vinum conversa, puta si infusa fuerit in majori copia, vel si vinum sit minus generosum, et valde debile: igitur aut illa aqua remanet secundum substantiam in calice, aut immediate convertitur in Sanguinem Christi. Sed dici nequit, quod remaneat secundum substantiam: *tum* quia daretur occasio idololatrandi Christi fidelibus, quippe eis proponitur adorandum id omne, quod est in calice, et consequenter, si aqua remaneret secundum substantiam, fideles id, quod est in calice, adorantes, committerent idololatriam, quippe cum puram creaturam adorarent: *tum quia* Sacerdos liquorem calicis, in quo esset illa aqua, bibens, non remaneret jejunus, atque adeo non posset illo die aliam Missam celebrare, quando id jure, aut privilegio conceditur, ut in die Natalis Domini. — **Nego posteriorem partem sequelæ minoris**; illa enim forma consecrationis calicis solum indicat vinum, et non alium liquorem, calix enim supponit pro vera et necessaria materia consecrationis, quale est solum vinum; unde si musca, aut gutta mellis, vel aquæ rosaceæ caderet in calicem paulo ante consecrationem, illa non transirent in Christi Sanguinem; quippe cum non sint materia consecrabilis; idem autem dicendum est de aqua nondum in vinum conversa, quippe cum hæc non sit materia necessaria calicis, sed tantum illius appendix. *Ad primam* autem probationem dico, inde non sequi ullam committi idololatriam, quia populo non offertur adorandum, nisi quod est adorationis capax, nempe Sanguinem Christi Domini. Neque fideles, adorando calicem, suo cultu in aliud feruntur, quam in Christi Sanguinem, et ea quæ ipsi per se connectuntur, non vero in ea quæ ei junguntur per accidens; unde si musca, vel aliquid aliud cadat in calicem consecratum, non adoratur a populo, neque ibi ulla est idololatria. *Ad secundum* dico, quod in eo casu solvetur quidem jejunium naturale, quod consistit in abstinentia cujusvis potus et cibi, non vero jejunium Ecclesiasticum, seu Canonicum, idest, ab Ecclesiæ

Canonibus præceptum; ea siquidem aquæ bibitio cum Sacramento conjuncta non prohibetur ab Ecclesia ante iteratum sacrificium in diebus ab Ecclesia concessis; hanc enim admixtionem aquæ tanti facit ob ejus mysticas significationes Ecclesia, ut non prohibeat iterari sacrificium a Sacerdote, qui naturale jejunium haustu aquæ Sacramento mixtæ solverit: cum enim jejunium imperavit Ecclesia solum ad Eucharistiæ venerationem et majestatem commendandam, et ea majestas imprimis commendatur aquæ mixtione cum vino, et ne prætermittatur ea mixtio, maluit Ecclesia Sacerdotem, qui, potando parum aquæ Dominico Sanguini mixtum, aliqua ratione solvit jejunium naturale, iterato posse Missam eodem ipso die celebrare, quam ab aqua vino consecrando miscenda etiam in his angustiis cessare.

Objicies 5. Aqua est corpus simplex, quod nequit transire in mixtum, nisi concurrentibus tribus aliis elementis, ut docet Aristoteles, lib. *De Generatione*, cap. 10. Quod utique confirmatur experientia, quia per artem chimicam separari etiam potest aqua a vino consecrato: igitur illa non potest converti in vinum, ac subinde converti debet immediate in Sanguinem Christi. — **Nego antecedens**; quamquam enim aqua sit elementum, tamen revera converti potest in mixtum; falsum enim est, quod ex elemento non possit fieri mixtum, siquidem pisces formantur ab aquis, ut docet Doctor, in 2. dist. 25. Ad Aristotelem dico, eum ibi non negare aquam converti posse in corpus mixtum, maxime in vinum, ibi enim contrarium asserit; agit enim de distinctione augmenti, quæ fit per nutritionem a mixtione vini cum aqua, dicit autem: « Cum in hac quoque mixtione « id, quod imperat, idest, prædominatur, ut si id vinum fuerit, excre« visse dicatur: omnes enim istius mixtionis congestæ partes, non aquæ, « sed vini naturam retinent, et illius opera efficiunt »: igitur censet vinum convertere in se aquam, quia ejus naturam et efficaciam retinet. *Ad experientiam* autem petitam ex chimicis, respondeo, quod aqua, quæ ex vino consecrato posset elici, non esset aqua substantialis et elementaris, sed quidam aqueus humor, quem vinum etiam depuratum in superficie quandoque continet, estque ipsius vini pars tenuior et subtilior, quæ, licet colorem aquæ præseferat, tamen saporem, et alias affectiones vini redolet.

Objicies denique, hanc sententiam de conversione aquæ in vinum, priusquam in Sanguinem Christi, recens esse commentum excogitatum a Theologis scholasticis; nam ante ipsorum tempora communis erat Ecclesiæ sententia, aquam in calice, sicut et vinum converti immediate in Sanguinem Christi, ut colligitur ex Epistola Gaufredi Clarevallensis Monachi, quam scripsit ad Albanensem Episcopum Cardinalem, quam refert Baronius sub finem anni 1188. in qua observat circa hoc tempus magnam in Gallia hac de re subortam fuisse controversiam, nonnullis affirmantibus aquam in Christi Sanguinem converti, cæteris vero id negantibus, scribit enim: « Ad partes enim « Galliæ, sicut nostis, hoc anno cum vestra benedictione, novam, et « mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem « de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur, et « an ipsa similiter cum eodem vino in Sanguinem convertatur »: *Et cum attulisset quædam, quibus probat, Christum miscuisse aquam*

vino, deinde sujungit: « igitur circa hoc, et ejusmodi, affirmantium « totius mixti liquoris, qui in calice continetur, in Sanguinem Do- « mini conversionem, ratiocinatio studiosa versatur. Auctoritates etiam « quasdam protulere, quas præsentis Scripturæ consummationi duxi- « mus reservandas; nam qui iis super hoc adversantur, ex nullis An- « tiquorum, sive etiam Modernorum scriptis, tam evidentia testimonia « protulere suæ assertionis. Cæterum innituntur potissimum uni verbo, « quod principales Sancti in duabus speciebus panis et vini conse- « crationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicujus diversæ « speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod respondetur eis, « quod non consuevere homines mixturam vini et aquæ, nec si quan- « titas aquæ prævaleat, aquam nuncupare, sed vinum. Præterea ca- « licem legitur Dominus accepisse, non vinum, quamvis continens « Evangelista posuerit pro contento. Sacerdos quoque cum Missam « celebrat, quid dicere soleat attendendum; similiter postquam cœna- « tum est, accipiens, et hunc sacrosanctum calicem (in quo videlicet « continetur vinum mixtum aqua) benedixit, et dedit Discipulis suis « dicens: accipite, et bibite ex hoc omnes, hic est Sanguis meus » etc. *Affert deinde Patrum auctoritates, quibus affirmans sententia com- probatur, quas supra citavimus, et subjungit:* « cæterum pars adversa « auctoritates priores utcumque permittit, dicens: vinum, quod aqua « mixtum est converti, sed non propterea aquam mutari. Testimo- « nium vero Paschasii, quod evidens est, eadem pars contemnit, licet « magnum ipsius B. Papa Gregorius in libro Dialogorum perhibeat « testimonium sanctitati, sicut Hildebertum ajunt versificatorem fuisse, « non Ecclesiasticorum dogmatum assertorem. De Algero dictum, Ne- « scimus hominem, ipsius tamen nullum adhuc comperi librum, et « Sancti, vel cujuscumque Doctoris auctoritatem similiter suffragari ». *Deinde petit quid tenendum sit doceri: subdit Baronius:* « quid autem « rescripserit ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Alba- « nensis, non invenimus, sed aliud rescribere non potuisse certum « est, quam quod credidit, et custodivit semper Sancta Romana Ec- « clesia, nimirum aquam simul et vinum transubstantiari in Sangui- « nem Christi ». *Qui etiam infra in fine anno* 1192. *contrariam senten- tiam vocat nuper exortam hæresim.* Et quibus infert Coninch, q. 74. n. 160. *Primo,* fuisse tunc temporis communissimam opinionem, aquam non converti in vinum ante consecrationem, quia cum, hac conversione admissa, potuisset tam facile utraque sententia concordari, aut altera alterius argumentis respondere, incredibile omnino est, potuisse acci- dere, ut neutra pars ullam ejus faceret mentionem, si credidissent vel probabiliter eam fieri. *Secundo* ait, affirmantes ipsam conversionem locutos fuisse de conversione immediata, cum tunc nemini veniret in mentem mediata illa conversio. Infert *tertio,* cum Gaufredus dicat, usque ad illa tempora fuisse inauditum in Ecclesia, aquam non converti in Sanguinem, fuisse communem omnium opinionem eam absolute semper converti in Sanguinem, sive convertatur prius in vinum, sive non. Infert *quarto,* Innocentium III non approbasse nostram sententiam, imo vero improbasse, si verba illius attendan- tur, imo probabilius est, eum nullam fecisse illius mentionem. — **Verum respondet Hiquæus** *Commentario,* in dist. 11. qu. 7. n. 28.

contrarium postremæ hujus illationis apparet ex verbis Innocentii: *Quærebatur*, inquit, *utrum aqua cum vino in Sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur.* Aliquibus *enim videtur, quod cum de latere Christi duo fluxerint præcipua Sacramenta Redemptionis in Sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo, vinum et aqua, quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur, ut in hoc Sacramento plene sit veritas et figura.* Alii *vero tenent, quod aqua cum vino transubstantietur in Sanguinem, cum in vinum transeat aqua mixta, licet Physici contrarium asseruerint, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Propterea potest dici, quod aqua non transit in Sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa*, etc. Deinde infra concludit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti*, etc. Assignat rationem, quam alias adducunt priora Concilia, ut populus Christo maneat coadunatus. Hæc, quam veram censet Pontifex, est secunda in ordine, quia *prima* dicit aquam mutari in aquam, quæ fluxit ex latere Christi: *secunda* dicit manere in propria substantia: *tertia* autem cum vino mutari in Sanguinem, quia convertitur in vinum: nam illud quod dicit de Physicis, non spectat ad Theologos, et in responsione sequitur contrarium. Ita omnes Theologi interpretantur Canonem. *Confirmatur* interpretatio ex ipso Innocentio, lib. 4. *Mysteriorum Missæ*, cap. 29. ubi disserit an aqua in Sanguinem convertatur; et partem affirmativam docet contra eos, qui negant aquam converti, cap. 30. rejiciens opinionem eorum, qui dicunt non aquam naturalem, sed phlegma exivisse ex Corpore Christi, docet modum, quo convertitur: *Quibusdam vero*, inquit, *non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in Sanguinem, ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum, et vinum per consecrationem transit in Sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ? Alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutatur, ut quoddam fiat ex ipsis confusum, quod nec sit aqua, nec vinum*, etc. Ecce quomodo Pontifex resumens casum propositum in capite *Cum Marthæ*, doceat aquam cum vino mutari in Sanguinem, ita ut prius mutetur in vinum aqua. Hæc ergo fuit communis sententia Theologorum tunc temporis, quam Pontifex, tam in illo Decreto, quam etiam in doctrinali discursu super Missa est secutus. — *Addit Hiquæus*, quod cum Innocentius tertius Parisiis studuerit, et a Clemente tertio inter Cardinales fuerit assumptus, eo tempore, quo Gaufredus supradictus florebat, ac tandem paulo post ad summum Pontificatum evectus, aud dubium est, eum resolvisse ·nsum quæstionis et controversiæ, de qua fuerat interrogatus. Porro ntroversia illa erat, an aqua superinfusa vino consecrando conver·etur in Sanguinem Christi. Communis sententia id affirmabat, quam ıam docet Innocentius; negabant vero alii, putantes ex opinione ıysicorum aquam, utpote elementum, non posse ulla ratione con·erti in corpus mixtum, quale est vinum; ac proinde eam manere in propria substantia in calice. Neque aliam controversiam insinuat Gaufredus in sua Epistola; proposita enim sententia inter affirmantes et negantes, subjungit fundamenta sententiæ affirmativæ, quam commu-

nem appellat: *primo*, quia calix Domini fuerat mixtus: *secundo*, quia aqua mixta similæ non remanet converso pane in Corpus, ergo etiam, nec mixta vino: *tertio*, quod falsum esset elementa non posse converti in corpus mixtum: igitur communis sententia affirmans tunc temporis erat, quod aqua posset converti in vinum, virtute agentis naturalis, ac subinde idem docebant, quod postea docuerunt ac communiter docent Theologi, nempe, aquam prius converti in vinum, quam in Sanguinem, virtute ipsius vini prædominantis; alioqui hæc ratio non fuisset ad propositum, si nempe sustinuissent, aquam immediate converti in Sanguinem virtute divina; siquidem de hoc nullus salva fide dubitare potuit. Ac subinde, ut colligit Hiquæus, perperam nonnulli Recentiores, cum Coninch, colligunt, communem fuisse sententiam tempore Gaufredi, quod immediate verteretur in Sanguinem. — Nec contrarium colligi potest ex illis omnibus Auctoribus, quos ipse Gaufredus laudat, nempe Algerum, lib. *De Sacramento Altaris*, cap. 5. Adonem Cameracensem Episcopum in Canonem *Missæ*, Berengosium Abbatem, *De laude, et Inventionem Sanctæ Crucis*, lib. 1. cap. 16. Stephanum Eduensem Episcopum, lib. *De Sacramento Altaris*, cap. 14. et Paschasium Corbejensem, lib. *De Vero Corpore et Sanguine Christi*, cap. 11. Hi namque omnes expresse ac diserte docent, vinum converti in Sanguinem; ac subinde censent, aquam vino permixtam, esse jam in vinum conversam, dum fit illa vini conversio in Sanguinem.

SECTIO TERTIA.

DE FORMA, PER QUAM CONSECRATUR EUCHARISTIA.

Consentiunt omnes Catholici Doctores, formam consecrationis Corporis et Sanguinis Christi in his maxime verbis consistere: *Hoc est Corpus meum*, et *hic est Sanguis meus;* id enim aperte docet Apostolus, 1. Cor. 11. ubi referens formam, qua Christus Dominus consecravit, hanc profert: *Hoc est Corpus meum*, et *hic est calix Sanguinis mei*. Verum dissentiunt hæretici, maxime Lutherus, lib. *De abroganda Missa privata*, ubi deridet sacram Ecclesiæ Romanæ praxim, quod verba consecrationis minime velit esse vulgata, solisque reservata Sacerdotibus, nec ab iis, nisi in intimo sacrarum rerum secreto agentibus, tractanda, *Quibus*, inquit, *in toto orbe oportet nihil esse notius, neque vulgatius*. — Calvinus autem lib. 4. *Instit.*, cap. 17. n. 19. eamdem Ecclesiæ doctrinam, et praxim, ea, qua solet, impudentia, damnans, scribit: *Nihil magis præposterum fieri in Cœna potest, quam si vertatur in mutam actionem, quod sub Papæ tyrannide factum est: totam siquidem vim consecrationis a Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quasi hoc nihil ad populum pertineret, cui mysterium maxime explicari oporteret. Inde autem natus est hic error, quod non observabant promissiones illas, quibus conficitur consecratio, non ad elementa ipsa, sed ad eos, qui recipiunt destinari. Atqui non panem alloquitur Christus, ut Corpus suum fiat, sed Discipulos jubet manducare, atque illis Corporis et Sanguinis sui communicationem pollicetur. Nec alium ordinem docet Paulus, quam ut una cum pane et calice promissionis fidelibus offerantur. Ita est sane: non hic magicam aliquam incanta-*

tionem imaginari nos decet, ut satis sit verba demurmurasse, quasi ab elementis exaudiantur; sed verba illa vivam prædicationem esse intelligamus, quæ auditores ædificet, quæ intus penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur ac insideat, quæ efficaciam in complemento ejus, quod promittit, exerat. — Ejus hæresiarchæ impietatem et in Ecclesiam Catholicam odium æmulatur et vincit Ostinianus, lib. 1. et 2. *Historiæ Sacramentariæ*, cap. 1. ubi cum dixisset « benedicere, con- « secrare, seu sanctificare panem et vinum, non esse incantare, et oc- « culta quadam vi verborum panem et vinum transelementare, tran- « substantiare; sed esse ea divinis, sacrisque usibus destinare, nimi- « rum ut, quæ communia erant corporum alendorum adminicula, fiant « efficacia deinceps symbola Carnis et Sanguinis Christi »; in Ecclesiam deinde Romanam ore petulco blasphemans, ait eam hac in re, quemadmodum in aliis, Ethnicos egregie imitari, quin et Magos, eorumque artem æmulari, dum verba consecrationis tam sollicite occultat, et a vulgi auribus removet. — *Scarpius* vero controversia, 2. *De Sacra Cœna*, q. 4. Preces, et totam institutionem ad consecrationem pertinere ait; quem sequitur *Chamierus*, lib. 6. cap. 5. addit tamen consecrationem distingui a forma, ut totum a parte. Consecrationem autem vult esse in tota Christi institutione, ne exclusis quidem Ecclesiæ precibus, quibus a Deo postulat fieri, quod Christi institutione continetur; formam vero non diffitetur illis verbis contineri: *Hoc est Corpus meum*, et *hic est Sanguis meus. Deinde* vero iræ, acerbitatisque suæ virus adversus Ecclesiam genio hæretico et infrunito, atque ore mendaci evomens, subjungit, se cum suis improbare magicam illam vim, quam Papistæ verbis ipsis tribuunt, quasi iis indita quædam potentia mysterium peragat, et aliter operetur, quam per significationem in animis humanis. Hæc Hæretici; quid Catholici, ex sequentibus clarebit. — Testatur etiam Cardinalis Bessarion, lib. *De Sacramento Eucharistiæ*, Græcos recentiores censere Eucharistiam confici precibus Sacerdotum, quia suis in Liturgiis hoc modo habetur: *Rogamus Pater, ut mittas spiritum tuum super nos, et super hæc apposita munera, et fac panem istum pretiosum Corpus Filii tui, et quod est in calice, pretiosum Sanguinem Filii tui.* Hujus sententiæ præcipui defensores fuerunt Nicolaus Cabasilas in *Expositione Liturgiæ*, cap. 27. Marcus Ephesinus in speciali opusculo *De forma Eucharistiæ*, et Simeon Thessalonicensis in *Liturgia*, qui omnes licet doceant debere verba Christi proferri, illis tamen apposita elementa non consecrari asserunt, nisi Sacerdotis oratione applicentur.

Tria itaque hac in Sectione sunt determinanda: *Primum*, utrum Christus Dominus in consecratione sui Corporis et Sanguinis aliquibus verbis usus fuerit: *secundum*, utrum eisdem verbis uti debeant Sacerdotes novæ Legis in consecrando Christi Domini Corpore et Sanguine: *tertium*, quænam verba consecrationis sint de essentia formæ, et quomodo proferri debeant, significative, seu assertive, vel solum historice, et recitative.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM CHRISTUS DOMINUS ALIQUIBUS VERBIS USUS FUERIT IN CONSECRATIONE SUI CORPORIS ET SANGUINIS.

Notandum 1. Eam esse plurium Theologorum sententiam, maxime Innocentii III, lib. 4. *De Mysterio Missæ*, cap. 6. Archidiaconi, ut refertur cap. *Qui scelerate, De consecr.*, dist. 2. Francisci Mayronis, in 4. dist. 8. q. 1. a. 5. Catharini in opusc. de hac re edito in Concilio Tridentino, etc. docentium Christum Dominum ratione potestatis excellentiæ absque omni verborum forma consecrasse, verba tamen postmodum protulisse, quibus in Ecclesia futuris temporibus Eucharistia a Sacerdotibus novæ Legis consecraretur. Sunt etiam qui existimant, Christum Dominum verbis quidem, et oratione consecrasse, sed nobis ignotis. Ita præcipue Erasmus, qui in suis annotationibus in 1. Epist. ad Cor., cap. 11. dixit: *Utinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille a Christo: nam illa, hoc est Corpus meum, potius sunt porrigentis, quam consecrantis.* Cæteri vero Theologi docent, Christum Dominum revera verbis consecrasse suum Corpus et Sanguinem, his videlicet: *Hoc est Corpus meum*, et *hic est Sanguis meus*. Quæ utique sententia apud Catholicos jam receptissima, ut evidentius appareat et firmetur efficacius,

Notandum 2. Christum Dominum cum hoc Sacramentum instituit, quatuor juxta narrationem Evangelistarum fecisse, nempe gratias egisse, benedixisse, et fregisse panem, ac Discipulis distribuisse. Porro, inquit illustriss. Marca in *Dissert. De Eucharistia*, Christus Dominus morem istum benedicendi panem usurpavit Judæis familiarem, qui cibum nullum, aut vinum sumere soliti, nisi prius tamquam Conditori, Donatorique χορηγῷ τῆς τροφῆς laudes, et grates egissent addita precatione, ut notum est non solum ex Thalmudicis scriptoribus, sed etiam ex Philone, atque Josepho. Precatio isthæc a Judæis *sanctificatio* dicitur, quoniam nisi ea præcessisset, cibus pro profano habebatur; ea vero adhibita, *sanctus*, idest, quo vesci fas esset. Quem morem commendat Paulus, cibum nullum recipiendum docens, quin *cum gratiarum actione* sumatur, quippe sanctificari per verbum Dei, et *orationem*. Ubi observabit lector, *gratiarum actionem*, per *orationis* verbum a Paulo ipso explicari: quia duo hæc pietatis officia unica formula conjuncta erant. Nempe, ut adnotavit Josephus, *Justa est gratiarum actio, quæ et ad recipiendum beneficium jam acceptum refertur, et ad futura mala amolienda.* Ex quo factum, ut passim, quando de panis benedictione sermo instituitur, promiscue pro eodem ponantur, *Benedicere*, et *gratias agere*. Quod in historia panum multiplicandorum Matthæus, et Lucas dixere: *Cœlum intuens benedixit*, Joannes sic expressit: *Gratias agens dedit;* Marcus vero, *Gratias agens fregit*. Non mirum ergo, si in recitandis verbis de sacrato pane Lucas et Paulus dixerunt, *Gratias agens*, quod Matthæus et Marcus, *Benedicens*. — Plena autem et propria locutio est, *Gratias agere Deo*, quæ integra reperitur, et quidem in mentione frangendi panis, Actor. 27. quod tantumdem valet, ac Lucæ illud cap. 1. et 2. et 24. et Jacobi 3. *Benedicere Deo*. Sed Hebræi, atque istos secuti Hellenistæ, qui Græce scribentes, vim Hebraicarum di-

ctionum in Græcas invexerunt, amant locutionis compendia; quare *benedicere alicui* dicunt, pro plena phrasi, quæ est *benedicere Deo pro aliquo*. Quod loquendi genus non solum apud 70. Interpretes, sed etiam in Evangeliis reperire est, ut Marci 10. Lucæ 2. 9. et 24. Hac ratione, *Benedicere pocula*, dixit in hoc argumento Paulus, et *Gratias agere*. Non enim minus recte dicitur εὐχαριστεῖν ἄρτν aut ποτήριον *Gratias agere pani, vel poculo*, quam εὐλογεῖν benedicere. Quo Apostolorum exemplo Christiani veteres usi sunt, ut patet ex Justino, qui dixit εὐχαριστθέντα ἄρτον, panem Eucharisticum, sive, in quo gratiæ actæ sunt. — Cæterum formula communis *benedictionis*, sive *gratiarum actionis*, apud Hebræos hæc erat: *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui produxit panem de terra*. De vino similiter dicebant: *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui creavit genimem vitis*. Sed diebus festis accedebat mentio beneficii, cujus tum memoria celebrabatur, ut in Paschate, liberationis ex Ægypto. Quare Christus in hac Eucharistiæ institutione, non pro veteri tantum panis creatione gratias egit, sed etiam pro redemptione generis humani, quæ in eo articulo posita erat, ut quasi peracta haberi possit, cujus memoriam hoc Sacramento consignabat. Veteres Christiani hac in re secuti sunt Dominum, conjungentes in peragendæ Eucharistiæ formulis, gratiarum actiones, tum pro veteri creationis rerum aspectabilium ad usum hominis beneficio, tum præcipue pro liberatione a peccatis per Christi mortem adepta, ut patet ex Justino, et Irenæo. Quo sensu in vetustissima quoque Missa Latina hæc leguntur: *Per Christum Dominum nostrum, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis*. Hæc Marca. — Observat insuper Vazquez, disp. 96. n. 39. Christum numquam usum in Cœna, aut prandio cum Discipulis fractione panis, nisi una ex duabus causis, aut quia non satis haberent panem ad manducandum, aut quia Corpus suum consecrare voluit, et Discipulis suis distribuere. Ob priorem causam usus est Matth. 14., Marci 6., Luc. 9. et Joan. 6. cum ex quinque panibus saturavit quinque millia virorum, ut fractione ipsa illis ostenderet virtutem suam, qua panes illos multiplicavit. Ob posteriorem autem causam fregit panem Matth. 26., Mar. 14. et Lucæ 22. ut ipsa fractione Discipulis suis significaret effectum peculiarem Sacramenti, quod statim operaturus erat, nempe unionem, eo quod ex eodem pane manducaturi, sicut etiam ex eodem calice bibituri essent. Et ideo existimo, hunc peculiarem morem frangendi panem inter plures, Christum semper retinuisse; atque a Discipulis euntibus in Emmaus Lucæ 24. in ipsa fractione panis agnitum fuisse, quod numquam ea uteretur in communi mensa, sed in sola Eucharistiæ administratione.

NOTANDUM 3. In Christo Domino duplicem fuisse potestatem circa Sacramentorum institutionem et confectionem, videlicet potestatem ordinariam, seu exemplarem et potestatem capitis, seu excellentiæ. Prior fundabatur in dignitate Legislatoris, qua Christus Dominus ab Æterno Patre in Dominum, Ducem ac Legislatorem delegatus, Ecclesiam tamquam cæleste ac spirituale regnum instituit, legibus ac divinis sanctionibus et præceptis informavit, et Sacramentis, tamquam fontibus aquæ salientis in vitam æternam, ditavit, ac fœcundavit. Posterior vero ortum ducebat ab ipsa incarnati Verbi persona,

quæ nullis creaturarum adminiculis, utpote divina, in suis moliendis operibus egebat; sed pro nutu, et absolutæ voluntatis imperio quidquid placitum erat, poterat exequi. Porro hic non est sermo de potestate excellentiæ; siquidem ultro fateor, Christum Dominum potuisse, si ita placuisset, solo divinæ suæ voluntatis nutu, absque ullius Sermonis adminiculo, suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini constituere; sed dumtaxat sermo est de potestate ordinaria et exemplari, ea scilicet, qua in cæteris Sacramentis usus est, utrum videlicet revera in consecratione sui Corporis et Sanguinis usus fuerit iisdem verbis, quæ Sacerdotes novæ Legis ad hujus Sacramenti confectionem usurpant. Cui quæstioni ut fiat satis, sit

Conclusio unica. — CHRISTUS DOMINUS CONSECRAVIT SUUM CORPUS PER HÆC VERBA: Hoc est Corpus meum; ET SUUM SANGUINEM, HIS VERBIS: Hic est Sanguis meus, *vel*, Hic est calix Sanguinis mei.

Probatur primo auctoritate Concilii Tridentini, Sess. 13. cap. 4., ubi hæc habet: *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum, id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ,* etc. Ex quo sic argumentor: Christus per id consecravit, ex quo Ecclesia colligit factam fuisse, et fieri transubstantiationem: sed illa facta est, et fit per prædicta verba: ergo, etc.

Idem insinuant SS. Patres: *primo,* Justinus, in secunda *Apologia* pro Christianis, circa finem: *Hic etiam cibus, qui per preces sermonis, quem ab ore recepimus, consecratus est, et quo sanguis, carnesque nostræ Communione aluntur, Jesu Christi ejus, qui homo factus est, et Carnem et Sanguinem accepimus.* Ex quo infero *primo,* Christum consecrasse per preces sermonis, idest, per verba: *secundo,* consecrasse per sermonem, quem ab eo accepimus: sed nullum alium sermonem ab eo accepimus, præter *Hoc est Corpus meum,* etc. — Item Tertullianus, lib. 4. *Contra Marcionem,* cap. 40. *Acceptum panem, et distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum,* dicendo. — Similiter Auctor Sermonis *De Cœna,* apud S. Cyprianum: *Ex quo a Domino dictum est,* inquit, *Hæc est Caro mea,* et, *Hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, et hac fide dictum est, panis iste supersubstantialis, et calix solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit* — Chrysostomus pariter, Homil. 60., ad populum Antiochenum, loquens de consecratione a Christo in Cœna facta, ait: *Qui namque dixit, Hoc est Corpus meum, et verbo factum confirmavit.* Idem docet S. Ambrosius, lib. 4. *De Sacramentis,* cap. 17., cum ait: *Cum panem accipiens diceret, Hoc est Corpus meum, plane monstratur, verbum illud operatorium fuisse.* — Denique, omissis aliis, S. Damascenus, lib. 4. *De Fide,* cap. 15., ait: *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem; ita dicendo, Hoc est Corpus meum, et Hic est Sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.* Quod pariter insinuat Apostolus, 1. ad Cor. 11. dicens: *Accepit Jesus panem, et fregit, ac dixit, Hoc est Corpus meum.*

DICES 1: Christus Dominus panem consecravit, antequam diceret, *Hoc est Corpus meum;* siquidem panem tunc consecravit, cum eum

benedixit: sed prius benedixit, quam verba illa protulerit, id testante Evangelista Matthæo 26., a nobis memorato. *Insuper* Marci, cap. 14., apparet, Apostolos jam bibisse calicem, quando Christus dixit: *Hic est Sanguis meus. Denique* Discipulis in Castello Emmaus Eucharistiam sine verbis ullis consecratam porrexit, dicente S. Luca, cap. ult. *Accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis:* igitur Christus non consecravit per præfata verba. — **Respondeo** *negando consequentiam;* et ad *primum* dicunt aliqui, per benedictionem ibi expressam non debere intelligi consecrationem, sed piam aliquam super panem precationem et orationem, et divinæ potentiæ ac munificentiæ super illum invocationem, qua ipsius mox futuram consecrationem et transmutationem postulabat. Quod utique docet Concilium Tridentinum, Sess. 13. cap. 1., dicens: *Post panis vinique benedictionem, se suum Corpus illis præbere ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.* — *Verum* quoniam plurimi e SS. Patribus asserere videntur, quod illa benedictio Christi fuerit sui Corporis et Sanguinis consecratio; maxime S. Chrysostomus, Homil. 25., ubi ait: *Cum benedictionem dico, Eucharistiam dico.* Et S. Ambrosius, lib. *De Iis, qui initiantur* cap. 9. *Hic est panis, quem benedictio consecravit: major est jus benedictionis, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Similiter Auctor Sermonis *De Cœna Domini,* apud S. Cyprianum: *Calix,* inquit, *benedictione Domini sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit.* Idem pariter docet S. Remigius, in cap. 10. Epistolæ ad Cor. et S. Bruno, in cap. 11. ejusdem Epistolæ; quam utique sententiam pariter docent Innocentius III, lib. 4. *De Mysterio Missæ,* cap. 6. Lyranus, in 1. ad Cor., cap. 11., et Catechismus Romanus, loquendo de forma Eucharistiæ, etc.— Idcirco *respondeo* 2. *negando minorem* et ad ejus probationem dico cum S. Augustino, lib. *De Consensu Evangelistarum,* cap. 30. et 44., sacros Evangelistas non semper eumdem ordinem in recitando servavisse, quo res gestæ sunt; atque adeo cum Evangelistæ dicunt, quod Jesus accepit panem, *benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate, hoc est Corpus meum,* hæc non sic sunt intelligenda, quasi eo ordine facta fuerint, quo referuntur; sed sensus eorum est, *Accepit Jesus panem, et gratias agens, benedixit, dicens: Hoc est Corpus meum,* seu dum Jesus benediceret, frangeret, et daret Discipulis suis, hæc verba dixit: *Accipite, et manducate, hoc est Corpus meum.* Ita explicat Catechismus Romanus laudandus infra quæst. 3. Concl. 2. — Quantum autem ad factum Christi in Castello Emmaus memoratum Lucæ ult. dico, quod Christus tunc Eucharistiam confecerit, proferendo verba consecratoria, quamquam S. Lucas hanc circumstantiam non expresserit; *vel* si eam formam omiserit, tunc usus est potestate excellentiæ, qua pro suæ voluntatis arbitrio potuit suum Corpus præsens fecisse sub speciebus panis. *Ad auctoritatem* petitam ex S. Marco jam tactum fuit satis in præcedentibus.

Dices 2: Verba illa; *Hoc est Corpus meum,* sunt demonstrativa rei jam præsentis et existentis: ergo jam Corpus Christi præsens erat, quando illa Christus Dominus protulit. — **Distinguo antecedens:** sunt demonstrativa rei præsentis, et ibi realiter existentis, *concedo:* præexistentis, et prius ibi positæ, *nego.*

Dices 3: Quando Christus instituit Sacramenta, et materiam et

formam designavit, quam usurpare deberent Ministri in Sacramentis conferendis, ipse talem formam conferendo ejusmodi Sacramenta non usurpavit: igitur etiamsi dicendo, *Hoc est Corpus meum*, præscripserit Sacerdotibus novæ Legis formam consecrandi sui corporis, inde non est consequens, quod ea pariter fuerit usus. *Patet antecedens:* dum enim Christus remisit peccata, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam, non usurpavit ea verba, quæ postmodum designavit pro forma utriusque Sacramenti; non enim legimus eum baptizasse, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc. nec quando condonavit peccata pœnitentibus refertur dixisse, *Ego te absolvo:* igitur, etc. — **Nego consequentiam**; et ratio discriminis est, quod, ut optime notat Arcudius, lib. 3. cap. 27. quando Salvator dixit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, tunc illis verbis Christus neminem baptizavit, sed instituit, quomodo Apostoli Baptismum exercere deberent. Similiter quando dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, designavit materiam saltem remotam hujus Sacramenti, nempe peccata, et formam, nimirum verba, quæ hanc remissionem explicarent; illo tamen tempore cum hæc diceret, ipse nullum remisit peccatum. *Idem* dicendum de cæteris formis, ac materiis Sacramentorum. At vero quando dixit, *Hoc est Corpus meum*, non solum formam præscripsit, qua confici posset illius adorandum Corpus, sed revera etiam panem propositum consecravit, et suum Corpus effecit. Porro hujus quæstionis solutio et resolutio planior ac plenior apparebit ex sequenti.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM SACERDOTES NOVÆ LEGIS EISDEM OMNINO VERBIS CONSECRENT CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI, QUIBUS IPSEMET CONSECRAVIT.

Notandum 1. Sensum quæstionis non esse, utrum eadem numero verba, quæ Christus Dominus cum Eucharistiam instituret, et consecraret, protulit, physice et entitative considerata, quatenus revera a Christo prolata fuerunt, nunc operentur confectionem ejusdem Corporis et Sanguinis; certum enim est, quod illa Christi Domini verba præterita, jam vere et realiter non existunt, sed statim ac illa protulit, ita effluxerint, ut nulla ratione amplius possint physice existere, aut agere. Sed tantum quæstio movetur de repetitione eorumdem verborum, quæ a Sacerdote proferuntur; utrum, inquam, repetita eorumdem verborum prolatio sit efficax et necessaria ad constituendum Corpus et Sanguinem Christi sub speciebus panis et vini; quod ut evidentius appareat, *Observandum* insuper, Eucharistiam considerari posse duobus modis, scilicet in fieri, vel in facto esse, seu quatenus efficitur actu, vel quatenus confecta p rmanet ac jugiter perseverat. In hoc enim discrepat Eucharistia a cæteris Sacramentis novæ Legis, quod alia in usu dumtaxat consistant; hæc autem maxime habeat esse permanens, ac post suam confectionem tamdiu perseveret, quamdiu integre et incorrupte conservantur et subsistunt species Eucharisticæ. Hic autem non est sermo de Eucharistia quatenus consideratur in facto esse; certum enim est, quod sic spectata nullam habeat formam ver-

borum; siquidem verba formæ Sacramentalis simul cum illo Sacramento subsistunt: Eucharistia autem perseverat, non permanentibus verbis, quibus illa conficitur; ac subinde verba non possunt dici proprie forma Eucharistiæ, sed potius consecrationis, nisi forte eo sensu, quo Concilium Florentinum panem appellat Eucharistiæ materiam, non quod panis remaneat cum Eucharistia, sed quod sit materia, ex qua conficitur.

Notandum 2. Eam esse peculiarem quorumdam recentiorum Græcorum sententiam, quod sola verba, quibus diximus Christum consecrasse, et quibus Ecclesia Latina pro forma consecrationis utitur, non sufficiant ad consecrationem, nisi adjiciantur preces, et orationes quædam, quibus a Deo postulatur, ut panis convertatur in Corpus Christi, et vinum in ejus Sanguinem. Ita præ cæteris docuit Nicolaus Cabasilas in *Expositione Liturgiæ*, cap. 27. 29. et 30. scribit enim cap. 27. *Deinde*, inquit, *pretiosa dona* (Sacerdos) *consecrat, et totum sacrificium peragitur. Et quonam modo? Cum venerandam illam Cœnam narravit, et quomodo ipsam ante Passionem dedit sanctis suis Discipulis, et quod accepit calicem, et quod accepit panem, et actis gratiis sanctificavit, et quod dixit ea, per quæ significavit mysterium, et cum ea ipsa verba dixit, deinde procidit, et orat, et supplicat, ut divinas illas voces ipsius unigeniti Salvatoris nostri etiam ad dona proposita applicet, et suscepto ejus sanctissimo, et omnipotente spiritu, convertatur quidem panis in ipsum pretiosum et sanctum ejus Sanguinem. Hæc cum oravit, et dixit, universum sacrificium peractum et perfectum est.* Idem docet Marcus Ephesiorum Antistes in lib. *De Verbis Consecrationis*, ubi ait, *quod non solum a voce dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verum a consequente oratione et benedictione Sacerdotis.* Similiter Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in *Censura Augustanæ Confessionis*, cap. 10. *Invocatione*, inquit, *et gratia Omnipotentis, sacrorumque rituum Antistitis Spiritus, sacrarum precationum, et divinorum oraculorum interventu, panis quidem in ipsum Domini Corpus; vinum vero in ipsum Christi Domini Sanguinem convertitur et transmutatur.* Quibus verbis, si per *preces* et *divina oracula*, nihil aliud intelligat, quam Christi Domini verba, revera nobiscum sentit; sin autem, recentium Græcorum erroneæ sententiæ subscribit. Porro quam absurda sit hæc sententia, demonstrabit sequens Conclusio.

Notandum 3. Aliquid dici ac pronuntiari posse duobus modis, nempe vel *historice*, seu *recitative*, aut materialiter, quod tantum refertur tamquam ab alio dictum, ita ut illud ipsum non asseratur, nec negetur ab eo, qui ejusmodi dictum refert, ut cum dicimus: *Aristoteles dixit: mundum esse ab æterno, et Deo coævum;* neque enim hæc dicendo affirmamus, aut negamus esse verum; vel formaliter et *significative*, seu *assertive*, quando videlicet per verba, quæ pronuntiamus, aliquid affirmare, vel negare intendimus, ut cum dicimus, *Filius Dei factus est homo.* Hinc controversia emergit inter Theologos, quonam ex his modis verba consecrationis a Sacerdote proferantur; quidam enim dicunt, verba formæ tantum recitative et historice proferri. Ita Innocentius III, lib. 4. *De Mysterio Missæ*, cap. 17. Durandus in 4. dist. 8. q. 2. Picus Mirandulanus in *Apologia* suarum assertionum q. 10. Catharinus, opusculo *De Verbis Consecrationis*, et plures alii Re-

centiores. E contra vero Gabriel, sect. 48. in Can. Vazquez, 3. p. disp. 200. cap. 3. et aliqui ex Recentioribus, existimant, ea assertive tantum, seu formaliter et significative proferri. Cæteri vero contendunt illa verba recitative et significative dici; non enim pugnat aliquid dici recitative simul et significative, nam cum dicimus: Christus Dominus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Cœlorum*, hæc recitative dicimus, nempe Christum ea verba dixisse; et assertive, nimirum Baptismum esse necessarium ad vitam æternam consequendam.

Duo itaque hac in Quæstione occurrunt determinanda: *primum*, utrum Sacerdotes novæ Legis conficiant Eucharistiam per eadem verba, quæ Christus Dominus protulit: *secundum*, utrum ea verba proferant recitative simul et assertive.

Conclusio prima. — Revera Sacerdotes novæ Legis conficiunt Christi Domini Corpus et Sanguinem per eadem verba, quibus primo ipsemet Christus Dominus Eucharistiam confecit. Ita definitur in Decreto Eugenii, ubi docet summus Pontifex, consecrationem fieri verbis Salvatoris, quibus Sacerdos in persona Christi loquens Sacramentum hoc conficit: sed hæc sola verba, *Hoc est Corpus meum*, etc. sunt verba Christi, eaque Sacerdos in persona Christi pronuntiat: igitur censet ad formam consecrationis sufficere ea Christi Domini verba.

Probatur itaque Conclusio auctoritate SS. Patrum, maxime Græcorum, imprimis vero Justini Martyris, qui *Apol.* 2. pro Christianis ita scribit: *Non ut communem panem, nec ut communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus Jesus Christus Salvator noster, et Carnem et Sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per orationem verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis et carnes nostræ per mutationem aguntur, illius incarnati Jesu, et Carnem et Sanguinem esse edocti sumus.* Quibus verbis comparat Justinus Eucharistiam cum Incarnatione, et ad eum modum fieri docet, sicut et Incarnatio: non ergo censet eam fieri per humanas preces. — Et subscribit S. Gregorius Nyssenus in *Oratione Catechetica*, cap. 37. *Recte igitur*, inquit, *etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem, in Dei Verbi Corpus credimus immutari. Etenim Corpus illud panis erat potentia, sanctificatum est autem inhabitatione Verbi, quod in Carne habitavit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus in divinam virtutem transiit, eadem de causa nunc etiam idem fit. Ut enim illic Verbi Dei gratia sanctum efficit illud Corpus, cujus firmamentum ex pane constabat, et ipsum etiam quodammodo panis erat; sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum Dei, et orationem sanctificatur, non quia comeditur, eo progrediens, ut Verbi Corpus evadat, sed statim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum est a Verbo: hoc est Corpus meum.* — Favet etiam S. Chrysostomus, Hom. 2. in 2. ad Timoth. *Volo tamen*, inquit, *adjicere plane mirabile. Et nolite mirari, neque turbemini. Quid vero istud est? Sacra ipsa oblatio, sive illam quilibet Sacerdos, sive illam Paulus, sive Petrus offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habet ista, quam illa, minus. Cur id? Quia non hanc sanctifi-*

cant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem est. Eademque ratio Baptismi est. — Adjungi potest Eusebius Emissenus Homil. in Ramis palmarum: *Qui dixit tunc per se,* inquit, *modo dicit per suos Ministros, hoc est Corpus meum, et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat quod dicitur.* Et in Sermone *De Corpore et Sanguine Domini: Quando,* inquit, *benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris Altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi Corpus et Sanguis est Christi.* Theophylactus in cap. 6. Joannis, *Transformatur,* inquit, *arcanis verbis panis iste per mysticam benedictionem, et accessionem Spiritus sancti in Carnem Domini:* at quæ talia possunt esse arcana verba, si non sunt Christi? Quæ non propterea dicuntur arcana, quod secreto pronuntientur, cum Sacerdos Græcus clara voce ea proferat, sicut et Christus; sed *tum* quia celabantur Gentilibus, *tum* etiam propter significatum et mirabilem vim in eis contentam. Hæc ex Patribus Græcis.

Idem docent Latini Patres, imprimis Auctor Sermonis *De Cœna,* apud S. Cyprianum: *Hoc est,* inquit, *Corpus meum. Manducaverant et biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo Corpori commodus erat, et vitæ corporalis subsidium ministrabat; sed ex quo a Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, hæc est Caro mea, et hic est Sanguis meus; quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste substantialis, et calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum, et holocaustum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates existens.* — S. Ambrosius in lib. 4. *De Sacramentis,* cap. 4. *Tu,* inquit, *forte dicis, Meus panis est usitatus: panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi.* Quæ sit ista consecratio, explicat in eodem capite, his verbis: *Quomodo potest, quod panis est, Corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur, quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua cum dicuntur, laus Deo offertur,* etc. *ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* Et in libro *De Iis, qui Mysteriis init.,* cap. 9. *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam convertere* (recenset miracula Moysis, Heliæ, et Helisæi) *quid dicemus de ipsa consecratione divina? ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Et in Psal. 38. *Et si nunc Christus videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur. Immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* S. Augustinus, Serm. 28. *De Verbis Domini: Ante verba Christi, quod offertur in Altari, panis dicitur. Ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus appellatur.* — His adde Paschasium, lib. *De Corpore Domini,* cap. 5. dicentem: *Hoc Sacramentum non meritis, non verbis humanis, sed proculdubio divinis efficitur et consecratur mandatis. Sed verbo Creatoris, Hoc est Corpus meum, in hoc verbo creatur illud Corpus, quia divinum verbum est, et omnipotentia plenum.* — *Adde quoque*

Remigium Altisiodorensem, *De celebratione Missæ: Christi ergo virtute,* inquit, *et verbis, iste panis et calix ab initio est consecratus, et semper consecratur et consecrabitur. Ipse enim loquens per Sacerdotes verba sua cœlesti benedictione sanctum Corpus et Sanguinem suum perficit.* Adjice quoque Stephanum Eduensem Episcopum, *De Sacramento Altaris,* cap. 14. ajentem: *Credimus et quod, cum benedixit, Corpus suum fecit, et in his verbis, Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei, data est virtus Sacramenti; dixit enim et facta sunt.* Et cap. 15. *Fides nostra est, et vere credendum est, quod Sacerdote proferente hæc verba, Hoc est Corpus meum, jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cœlo descendit. Item virtute verborum istorum, Hic est calix Sanguinis mei, vinum convertitur in Sanguinem. Adde* et Odonem Cameracensem in expositione Canonis. *Tolle,* inquit, *verba Christi, non fiunt Sacramenta Christi. Vis fieri Christi Corpus et Sanguinem? appone Christi sermonem: facit sermo Veritatis, quod dicit, quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Sine dubio fit in creatura, quod Christi sermo dicit de creatura. Est enim omnipotens sermo tuus, o Genitor: fit ergo sermone Christi Corpus et Sanguis Christi.*

Hac traditione permotum Concilium Trident., Sess. 13. cap. 1. docet Christum Eucharistiam his perspicuis verbis, *Hoc est Corpus meum,* instituisse. Et cap. 3. docet vi verborum, solum Corpus sub specie panis, solum Sanguinem sub specie vini poni. Ergo supponit verbis illis consecrari panem, quibus solum Corpus significatur, consecrari vinum illis, quibus unus Sanguis significatur: at ejusmodi verba non sunt alia, quam recensita verba Salvatoris: ergo, etc.

Eamdem veritatem suadet ratio Theologica: *tum* quia Sacerdotes Christi vices obeunt: ergo non aliis verbis, quam iis, quibus usus est, et quæ instituit, uti debent: hæc autem non sunt illæ Græcorum preces, quas nulla Scriptura sacra continet, sed verba a nobis assignata: *tum* quia idcirco Græci, imo et hæretici colligunt hæc verba, *Ego te baptizo,* esse formam Baptismi, quia Christus dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc. sed ipsemet hoc Sacramentum instituendo, dixit: *Hoc est Corpus meum:* ergo hæc verba formæ rationem obtinent. *Tum* denique quia Sacramentorum materiæ debent esse perpetuæ et immutandæ, ut diximus: sed Ecclesiæ preces hoc in mysterio celebrando usitari solitæ tales non sunt: quippe cum pro Ecclesiæ libito mutari possint, ut decernit Concilium Milevitanum secundum, cui S. Augustinus interfuit, in quo Can. 12. statuitur, *Ut preces vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint,* etc.

Objicies 1. SS. Patres asserentes, Eucharistiam confici, ac consecrari oratione Sacerdotum. Ita enim docet Justinus Martyr, *Apolog.* 2., ubi docet *oratione confici Eucharistiam.* Et S. Dionysius, *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 3. docet consecrationem fieri post illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem;* loquens enim *De Consecratione,* ait: *Postquam divinus Pontifex laudavit, et venerandam, intellectualemque speculationem* (operum Christi) *mentis oculis perspexit, ad sym-*

bolicam eorum consecrationem venit, idque secundum traditionem divinam; unde religiose simul, et ut Pontificem decet, post sacras divinorum operum laudes, se purgat, dum primo devote ad eum clamat. Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem; deinde cum rogavit ut dignus fiat hac consecratione, et ad similitudinem Christi hæc divina perficiat, casteque distribuat, et ii, qui Sacramenta participaturi sunt, digne sumant, consecrat divinissima, etc. Quibus verbis significat consecrationem fieri tantum post laudata verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Porro hæc dumtaxat proferunt post prolata verba, *Hoc est Corpus meum:* igitur censet Corpus Christi confici solum per orationes. Unde cap. ult. vocat formas Sacramentorum *consecratorias invocationes*. — Similiter Irenæus, lib. 4. *Contra hæreses*, cap. 34. docet Eucharistiam fieri invocatione Dei: *Quemadmodum*, inquit, *qui est a terra pacis, percipiens invocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et cælesti, sic et Corpora nostra*, etc. Idem docet Eusebius Emissenus, Serm. 5. *De Paschate*, dicens: *Benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris Altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur*, etc. Idem etiam Origenes, in cap. 15. Matthæi, ubi Eucharistiam appellat *Cibum, qui per Verbum Dei, et orationem sanctificatur*. Similiter S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 37. scribit: *Invocationis verba in ostensione panis Eucharistiæ, et poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Evangelium mentionem fecit; sed ante, et post, alia dicimus, veluti magnum robur ad mysteria habentia, quæ ex doctrina scripta non prodita nos accepimus*. — Idem docent Latini Patres, maxime Optatus Milevitanus, lib. 6. *Contra Parmenianum: Quid*, inquit, *est tam sacrilegum, quam Altaria Dei, in quibus aliquando et vos obtulistis, frangere, radere, removere, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus?* etc. Quæ posteriora verba propter consecrationem dicta esse videntur. Similiter S. Hieronymus, Epist. 85. quæ est ad Evagrium: *Quis patiatur*, inquit, *mensarum, et viduarum Minister, ut supra eos se tumidus offerat, ad quorum preces Christi Corpus, Sanguisque efficitur?* Et S. Augustinus, lib. 3. *De Trinit.*, cap. 4. ait: *Eucharistiam esse id, quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem*. Et lib. 1. *De Baptismo*, contra Donatistas, cap. 20. ait, *Deum exaudire homicidam deprecantem super Eucharistiam*. Et Epist. 59. ad Paulinum, in solutione 5. quæstionis, *orationes* appellat *ipsam benedictionem et consecrationem Eucharistiæ*. — **Respondeo**, SS. Patres idcirco formam consecrationis appellare preces aut orationes, vel propter preces, quas præmittere solet Ecclesia in canone Missæ, quibus Sacerdos Deum, ut panem in Corpus, et vinum in Sanguinem dignetur convertere, deprecatur his verbis: *Hanc igitur oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi*. Propter has, inquam, preces præmitti solitas, dixerunt SS. Patres Eucharistiæ Sacramentum confici orationibus Sacerdotum; non quod Eucharistia illis precibus formaliter consecretur, sed quod preces illæ ipsam consecrationem immediate præcedant. *Vel dico*, SS. Patres per preces et ora-

tiones, quibus confici Eucharistiam interdum ajunt, non aliud intelligere, quam verba Salvatoris, quæ quia verba sunt, oratio dici possunt, quia videlicet per hujusmodi verba formaliter hostia immolatur et mystice mactatur; tunc enim Deum precari jure merito censemur, cum sacrificii immolatione divinæ ejus majestati litamus. *Vel deniqne* dico, idcirco verba consecratoria Patres appellare preces et invocationem, quia per illa verba virtus divina ad sanctificationem et consecrationem materiæ panis et vini evocatur, Deusque adjuratur, et interpellatur, ut meminerit sui pacti cum hominibus initi de conferenda signis sensibilibus sanctificativa virtute; qua ratione S. Augustinus, *Contra Donatist*, lib. 5. cap. 20. vocat omnes Sacramentorum formas deprecationes: *Homicida*, inquit, *exauditur deprecans super oleum, super Eucharistiam, super cætera capita eorum, quibus manus imponitur.* Imo et ipse Theophylactus in cap. 26. Matth. verba consecrationis preces appellat, dicens: *Id quod etiam nos facimus preces adjungendo, Hoc est Corpus meum.* Idem pene habet Gregorius Nyssenus *Oratione Catechetica*, cap. 37.

Objiciunt 2. S. Gregorium, lib. 7. *Epistol.* 63. ubi ait: *Orationem Dominicam idcirco post precem* (idest canonem) *mox dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Ergo censet Eucharistiam per Dominicam orationem confici. — **Nego consequentiam**; nec enim ea mens est S. Gregorii, sed respondet ad quorumdam querimoniam, qui (ut ibidem habet) ægre ferebant, quod ipse statuisset, ut oratio Dominica statim post canonem diceretur. *Respondet* huic querimoniæ, se hac in re imitari Apostolos, et subdit: *Et valde inconveniens mihi visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam orationem, quam Redemptor noster composuit, super ejus Corpus, et Sanguinem taceremus.* Idest, si verba, et preces a Scholasticis compositas consecrationi præmittimus et subjicimus, quanto magis inter celebranda divini sacrificii mysteria debemus adhibere orationem Dominicam? *Quæ*, inquit, Tertullianus, lib. De Oratione *est Breviarium Evangelii*, necnon auctore Cypriano, *cælestis doctrinæ compendium*, et ut loquitur S. Ambrosius, lib. 5. *De Sacramentis*, cap. 4. *Est cunctarum plena virtutum.* Non ergo negat S. Gregorius per Christi Domini verba fieri consecrationem Corporis et Sanguinis, sed contendit, quod huic consecrationi, necnon et Canoni Missæ adjicienda sit oratio Dominica, secundum praxim et traditionem Apostolorum; quod enim Apostoli recitarent Dominicam orationem in sacrificio Missæ post consecrationem, etiam ex traditione Christi, docet S. Hieronymus, lib. 3. *Contra Pelagianos*, circa finem.

Objicies 3. Ex Liturgiis SS. Marci, Basilii, Chrysostomi, et Jacobi, postquam Sacerdos protulit verba: *Hoc est Corpus meum, et hic est Sanguis meus*, precatur in hæc verba, *Rogamus te S. Pater, ut mittas Spiritum sanctum tuum super nos, et super hæc apposita munera; et fac panem istum pretiosum Corpus Filii tui, et quod est in calice sancto, pretiosum Sanguinem Christi tui*, etc. Ergo censent illi per prædicta vocabula Corpus Christi non fieri præsens. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* respondet Cardinalis Bessarion in Opusculo de hac controversia edito; vel illas preces Scriptorum incuria aut studio et

malitia fuisse transpositas post verba consecrationis, cum eis præmitti deberent, more scilicet Latinorum, qui ante consecrationem hanc præmittunt orationem, *Quam oblationem tu, Deus, quæsumus, benedictam, acceptam,* etc. Et ita notavit Scholiastes Liturgiæ S. Basilii in margine. *Verum* hæc solutio non satis arridet, quippe cum nullæ apud veteres hæ legantur postpositiones ; imo Germanus Patriarcha Constantin. qui vixit tempore VII. Synodi in sua Mystica contemplatione rerum Ecclesiasticarum, quæ est in 6. Tom. Bibliothecæ sacræ, ubi præmisit, et exposuit verba: *Hoc est Corpus meum*, rursus exponit orationem quam Deo, et Patri recitat Sacerdos, et ait: *Et rursus consecrat, ut conficiatur mysterium Filii ejus, et fiat sive transmutetur panis et vinum. — Unde respondeo* cum illis Græcis, qui in Concilio Florentino ab Eugenio rogati cur hanc verbis consecratoriis orationem postponerent, dixerunt se profiteri ac firmiter credere Eucharistiæ Sacramentum confici verbis illis: *Hoc est Corpus,* etc. Sed quemadmodum Latini confecto Sacramento solent uti hac oratione, ut legebatur in veteri Missali Romano, *Fiat commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam,* etc. ita ipsi orant, ut sanctissimum Christi Corpus fiat in salutem animarum, etc. ut patet ex verbis S. Basilii infra. *Confirmatur* ex eo, quod in iisdem Liturgiis Sacerdos communicaturus orat in hunc modum: *Fiat mihi Domine Jesu Christi Corpus tuum in remissionem peccatorum meorum, et Sanguis tuus pretiosus in vitam æternam,* Quod in Latina Ecclesia dicimus, *Corpus Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus,* etc.

Instabis : Epiphanius Diaconus, cujus asserta probantur in septima Synodo, respondens ad ea, quæ ex Pseudo-Synodo septima referebantur, quibus sola Eucharistia imago veneranda dicebatur, suum discursum concludendo, hæc habet: *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine Sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus, et ipsum Sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem antitypa quibusdam Sanctorum hæc pie visum est nominare, quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei, et Arianæ destructor vesaniæ, et Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne, quod sub Sole est, plenam rectorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque spiritu disputantes, unus quidem eorum interpretans Salomonicum dictum, quod in Proverbiis legitur,* Comedite panem meum, et bibite vinum. quod miscui vobis, *hic dicit: Per panem et vinum typos corporalium Christi prædicat membrorum. Alter vero ex eodem fonte hauriens (ut noverunt omnes Sacerdotii mystici cultores, in oratione divinæ oblationis* (idest in canone Missæ) *ita dicit:* Confidentes appropinquamus sancto Altari, et proponentes typos sancti Corporis et Sanguinis Christi tui, te deprecamur, et te rogamus; *et quod deinceps infertur, certiorem partis hujus perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi, post sanctificationem autem Corpus proprie, ac Sanguis Christi dicuntur.* Ex quo sic argumentor: per ea verba dicendum est Corpus Christi confici, post quæ prolata panis non dicitur a S. Basilio typus Corporis: sed post prolationem verborum, *Hoc est Corpus meum,* et ante illam orationem,

S. Basilius vocat panem typum Corporis in sua Anaphora. Ubi enim præmisit narrationem omnium Christi mysteriorum, Sacerdos extollens vocem suam dicit: *Cum esset exiturus ad crucem suam voluntariam ac salutarem, in ea nocte, qua tradebatur pro vita et redemptione mundi, accepto pane in sanctas, incontaminatas, et illibatas manus suas, gratias egit, benedixit, sanctificavit, et fregit, et dedit Discipulis suis, et Apostolis sanctis dicens: Accipite, et comedite de ipso, hoc est Corpus meum, quod pro vobis et pro multis frangitur, et dividitur in expiationem culparum, et remissionem peccatorum, et in vitam æternam. Populus respondet: Amen*, etc. Post plura, quæ precatur Sacerdos, et respondet populus, Diaconus clamat, *Quam veneranda est hora, et hoc tempus, dilectissimi, cum spiritus vivus et sanctus e supremis cælorum sedibus descendit, atque incubat, manetque supra hanc Hostiam propositam, eamque consecrat: tacite igitur, reverenter orate. Sacerdos inclinatus, plura orat, postque subjungit: Cum fiducia jam accedimus, ut contingamus altare tuum sanctum, et qui proposuimus typon Corporis et Sanguinis tui, adoramus, ac supplices rogamus te per bonitatis tuæ benignitatem, veniat Spiritus tuus super nos, et super hæc, quæ proposuimus dona, ac sanctificet ipsa.* Sublata voce, *Domine exaudi me*, populus, *Kyrie eleison*, Sacerdos, *et efficiat panem Corpus gloriosum Domini Dei nostri Jesu Christi, Corpus cæleste, et Corporis vitæ efficiens, Corpus pretiosum in expiationem culparum, et remissionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt.* Populus, *Amen.* Et Sacerdos prosequitur orationem super calice. Nec satisfit dicendo * " vocem *antitypon* præpostero ordine in Liturgia esse positam; nam Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui vixit tempore VII Synodi, in expositione sacræ Liturgiæ, appellat dona proposita *antitypon* post verba illa: *Hoc est Corpus meum. Insuper* " * id gratis dicitur, et absque ullo fundamento. Itaque respondent aliqui, non incongrue materiam oblatam ad consecrandum dici typon Corporis et Sanguinis Christi, non pro tempore, quo verba prædicta proferuntur, sed pro eo tempore, quo talis materia oblata est ad conservandum, nec enim ait Basilius: *Qui proponimus typon*, sed *qui proposuimus*, quasi diceret: supplices rogamus te per bonitatis tuæ benignitatem, ut veniat sanctus tuus Spiritus super nos, et super hæc, quæ proposuimus dona (quæ ante consecrationem erant typon Corporis Filii tui, nunc autem sunt ipsummet Corpus.) Nec contrarium videtur posse elici ex Epiphanio, siquidem is solum intendit probare neminem Patrum appellasse Eucharistiam typum Corporis, ubi confecta est, licet plures consecrandam materiam hoc nomine appellaverint. — **Verum in hoc fallitur Epiphanius ille**; etenim plurimi Patres Græci, etiam post consecrationem munera sacra vocaverunt ἀντιτύπα; nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri sororis Gorgoniæ, ubi testatur miraculose sororem sanatam a morbo fuisse ex perceptione sacratissimæ Eucharistiæ, quam olim Christiani pro necessitatibus suis asservare solebant: *Si quid*, inquit, *uspiam antityporum pretiosi Corporis, aut Sanguinis, manus* (Gorgoniæ) *thesaurizaverat, hoc est, instar thesauri recondiderat:* at non asservabant panem non consecratum, sed veram Eucharistiam: ut propterea etiam Nazianzenus utatur illo verbo σθησαύρισε quasi rem, sicut est, pretiosissimam. *Adde quod* Nazianzenus

dicit, hæc antitypa super Altare collocata et servata fuisse, ibique a S. Gorgonia adorata. Eodem nomine post consecrationem Eucharistiam apertissime vocat Eustathius Episcopus Ancyræ, exponens dictum illud proverbii Salomonis: *Edite meum panem, et bibite vinum, quod miscui vobis; Hæc,* inquit, *per panem et vinum* ἀντιτύπα *membrorum corporalium Christi prædicat.* Unde Arcudius, lib. 3. c. 34. proponit tres alias solutiones; quarum *prima* est, quod Corpus Christi verum in Eucharistia sit figura Corporis Christi mystici, quia illud significat, et repræsentat; quemadmodum enim panis ex multis constans granis, ita compositus est, ut nusquam grana videantur; et sunt quidem grana, sed propter conjunctionem nullo discrimine discernuntur; ita nos quoque, et invicem, et Christo conjungimur. Et S. Augustinus: *Quemadmodum,* inquit, *ex multis granis unus conficitur panis, et ex racemis unus calix exprimitur, sic ex multis fidelibus unum Corpus mysticum integratur.* Hanc solutionem dant Cardinalis Bessarion, et Rothensis Martyr. qui in procemio 2. libri *De Veritate Corporis Christi* adversus Œcolampadium, ait: *Panis et vinum jam in Christi Corpus et Sanguinem versa, exemplaria sunt colligationis Christianorum ad invicem, velut membrorum sub uno capite.* Quamvis hi Auctores alias quoque dent solutiones. — *Secunda solutio est,* quod hoc mysterium dicatur antitypum, seu signum, et symbolum Corporis et Sanguinis Domini, partim ratione specierunt panis et vini, quæ sub oculorum sensum cadunt, et sunt signa Corporis et Sanguinis ibi revera existentium; quæ, *inquit Arcudius,* solutio omnium est optima. Nihilominus hanc *tertiam* subjicit, nimirum Eucharistiam dici *antitypum* Corporis Christi veri, et visibilis, quod est in cælo. Sic S. Ambrosius in libro primo *Officiorum,* cap. 48. *Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Ante Agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, quasi homo, quasi recipiens Passionem, et offert seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus; illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.*

QUÆRES: *Utrum Græci non existimantes verba Christi sufficere ad consecrationem, revera consecrent?*

RESPONDET ARCUDIUS, lib. 3. cap. 37. Quod, quamvis Græci opinentur verba Christi non sufficere ad consecrationem, quando tamen celebrant, si non habent contrariam intentionem actu, et intendunt facere, quod jussit Christus, vere consecrant. Quippe illorum universalis intentio, cum sit velut formalis, corrigit particularem errorem, et intentionem, quæ materialis est. Nam hæc particularis alteri universali se subjicit. Secus, si non haberent hanc universalem intentionem. Sed nemo est adeo temerarius, qui directe generalem intentionem excludat, si suæ privatæ repugnet. Si quis enim intendat non proferre verba Christi formaliter, etiamsi ex Christi institutione sciat formaliter esse proferenda, certe is nihil conficit. Ut in dissimili materia quidam Ruthenus Consul Vilnensis, cum urgeretur testimoniis Scripturæ in materia genuflexionis, quam Christus Dominus et Apostoli sæpe in precibus adhibuerunt, et in usu habuerunt; respondit, ita quidem

esse; se tamen nolle genua flectere, ne cum Latinis in hoc conveniat, et eos imitari videatur. Si quis ergo similis adeo stultus esset, ut in despectum Latinorum, quamvis sciret veram formam, eam tamen intentione minus formaliter enuntiaret, nihil sane efficeret. Sed vix puto aliquem hujusmodi posse inveniri. Unde colligit, quod si quis Sacerdos Græcus, dum celebrat, expresse intendat, se nolle tunc consecrare, quando profert verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, sed tantum quando dicit hanc orationem expressam in Canone suæ Ecclesiæ, *Fac hunc panem*, etc. revera eum non consecrare; cum enim in conficiendis Sacramentis tria requirantur, scilicet materia, forma, et intentio Ministri, Sacerdos hanc habens intentionem non consecraret, quia haberet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ. Ita Arcudius.

Conclusio secunda. — Verba formæ proferuntur a Sacerdote recitative simul, et assertive. Hæc est communior et verior. Quod autem *historice* et *recitative* dicuntur, patet ex Canone, ubi Sacerdos panem consecrandum in manus accipiens, dicit: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, et fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes; Hoc est enim Corpus meum*. Quibus verbis, duo declarant hæc verba recitative proferri; particula enim, *dicens*, manifeste declarat, Christum Dominum verba illa consecratoria dixisse, et Sacerdotem ea referre, tamquam ab ipso dicta. Id etiam significat particula, *enim*, quam verbis consecratoriis adjecit Ecclesia; etenim nisi verba formæ recitative proferrentur, frustra adjuncta fuisset hæc particula; siquidem additur tantum ad connectenda verba formæ cum præcedentibus, quæ utique tantum recitative proferuntur; eatenus autem connectuntur, quatenus referuntur eodem modo a persona Christi prolata. — Quod etiam ea dicantur *significative* a Sacerdote, *patet: tum* quia ex SS. Patribus Sacerdos verba proferens, loquitur in persona Christi, ut docet Concilium Florentinum in Decreto unionis: sed non loqueretur in persona Christi, si tantum historice referret, Christum illa verba dixisse; qui enim tantum recitat verba alterius, non censetur in illius persona loqui, sed in propria; quippe cum ejus personam non inducat, ut illam in se repræsentet: igitur Sacerdos non profert mere historice verba consecrationis, sed etiam assertive ea pronuntiat. *Tum* quia Sacerdos non solum recitat quæ Christus dixit, sed etiam affirmat hic et nunc eorum verborum a Christo Domino prolatorum virtute significari et effici Corpus Christi: simplex autem recitatio non habet annexam affirmationem; dum enim refero, v. g. Aristotelem docuisse, mundum esse ab æterno, non propterea affirmo mundum esse Deo coævum et ab æterno. Itaque cum affirmetur, et simul efficiatur præsentia Corporis Christi per verba consecrationis, consequens est, quod ea non solum recitative, sed etiam significative proferantur. *Tum denique*, quia si Sacerdos verba consecrationis historice dumtaxat et recitative proferret, sequeretur, quod ea verba dirigerentur, non ad præsentem materiam, quam Sacerdos habet præ manibus, sed ad illam, quam

Christus Dominus in ultima Cœna accipiens in sanctas ac venerabiles manus suas consecravit; siquidem Sacerdos dumtaxat enuntiaret actionem a Christo factam, et significaret tantum conversionem materiæ, quam Christus tunc accepit in manus, et præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub ejusdem materiæ speciebus; non autem significaret actionem, seu consecrationem, quæ statim est facienda: sed hoc recte non potest affirmari: ergo nec illud.

Dices 1: Eo modo Sacerdos profert verba consecrationis, quo modo præcedentia, nempe *Accipite, et manducate ex hoc omnes:* sed ea tantum recitative proferuntur a Sacerdote; siquidem hæc solum refert, ut a Christo dicta, ut indicat particula, *dicens:* ergo et verba consecrationis tantum recitative profert. — **Nego majorem;** Sacerdos enim omnia hæc verba simul proferendo duo significat: *primo* quidem id quod fecit et dixit Christus Dominus in ultima Cœna, instituendo et ministrando Eucharistiam per seipsum solum et immediate: *secundo,* id quod ipsemet Sacerdos facit et dicit in persona Christi, proferendo videlicet verba consecrationis, et simul consecrationem efficiendo; hinc antecedentia verba dicit solum recitative, subsequentia vero recitative et significative simul. Unde participium *dicens* significat quidem Christum verba Sacramentalia dixisse, sicut et illa: *Accipite, et manducate ex hoc omnes:* non tamen denotat Sacerdotem verba consecratoria tantum historice et recitative proferre; siquidem ea etiam significative et assertive profert in persona Christi, quam repræsentat.

Instabis: Eo modo profert Sacerdos verba consecrationis panis, quomodo consecratoria Sanguinis: sed hæc profert tantum recitative: ergo et illa. *Probatur minor:* eodem modo profert hæc verba consecratoria calicis: *Hic est calix Sanguinis mei,* quomodo hæc sequentia: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur:* sed hæc profert tantum recitative; alioquin falsum enuntiaret, quia Sanguis Christi jam non est effundendus; quippe cum Christus gloriosus sit et immortalis: igitur, etc. — **Respondeo** *primo, negando minorem,* necnon et *minorem* illius *probationis;* quemadmodum enim verba antecedentia formam consecrationis dicuntur tantum recitative proferri, pari ratione quæ subsequuntur hujusmodi formam etiam recitative proferri possunt; maxime cum illa non spectent ad essentiam formæ consecrationis calicis. *Respondeo secundo,* negari posse *minorem probationis;* nam illa verba, *pro vobis effundetur,* aliquo sensu dici possunt significative proferri, non solum quatenus Sacerdos repræsentat personam Christi loquentis ea nocte qua tradebatur, et sub speciebus vini ponit eumdem Sanguinem, qui, quo tempore hæc Christus Dominus dixit et fecit, erat fundendus in cruce, sed etiam quia cum vi verborum Sanguis ponatur sub speciebus vini seorsim a Corpore delitescente sub speciebus panis, mystice videtur fundi, maxime cum etiam in Altari offeratur in remissionem peccatorum. Quam utique explicationem confirmat lectio Græca; loco enim *effundetur,* legimur ἐκχυνομένον, idest, qui funditur: eo autem tempore, quo Sacerdos ea profert, Sanguis Christi effunditur oblatione incruenta, et immolatur.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM VERBA SINT DE ESSENTIA FORMÆ CONSECRATIONIS CHRISTI CORPORIS ET SANGUINIS.

NOTANDUM 1. Ex Doctore Subtili, in 4. dist. 8. q. 2. n. 3. « quod « sicut istud Sacramentum est unum unitate integritatis, non indivi- « sibilitatis, quia in se includit duo signa partialia, quæ primo si- « gnant duo propria signata, et proxima, scilicet Corpus et Sangui- « nem, et remota, scilicet cibationem et potum spiritualem, ita etiam « est una consecratio unitate integritatis, et tamen duæ consecrationes « partiales. Sicut enim aliqua res est una, sic est una ejus inceptio, « et sicut plures, sic plures ejus inceptiones; et sicut consecratio est « plures, sic ejus inceptio est plures. Est ergo consecratio plures par- « tiales consecrationes; tamen una unitate integritatis; et sic est una « forma consecrationis unitate integritatis, sed tamen continens in se « plures formas partiales. Distinctio autem formarum illarum partia- « lium *patet*, quia una est efficax sine alia, quod manifestum est; « alioquin enim fideles Corpus adorantes ante consecrationem San- « guinis, essent idololatræ, quod falsum est ». *Ita Doctor*, quibus verbis significat, duas esse partiales formas consecrationis Corporis et Sanguinis, quarum quælibet efficax est seorsim ab altera; siquidem per formam consecratoriam Corporis fit Corpus Christi præsens sub speciebus panis, et adoratur a fidelibus, antequam vinum consecretur. Difficultas autem est, quænam verba sint de essentia utriusque partialis consecrationis.

NOTANDUM 2. Consecrationem Corporis Christi fieri per hæc verba, quæ in persona Christi inter consecrandum profert Sacerdos: *Qui* (Christus) *pridie quam pateretur, accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem: item tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, etc. Quæritur autem utrum omnia illa verba sint de essentia hujus formæ. Circa quod triplex capitalis videtur sententia: *prima* tribuitur Subtili Doctori affirmanti probabiliter n. 5., requiri ad efficacitatem consecrationis Corporis, non solum verba: *Hoc est Corpus meum*, sed etiam antecedentia: *Qui pridie, quam pateretur*, etc. « Unde, *inquit*, non sine causa Ecclesia ita connexuit to- « tum Canonem Missæ, quod ab illo loco, *Communicantes*, usque ad « illum locum post consecrationem: *Supplices te rogamus omnipotens « Deus*, non est aliqua oratio, quæ non necessario connectatur cum « præcedente, vel per conjunctionem copulativam, sicut *Hanc ergo « oblationem*, et hujusmodi; vel per pronomen infinitum, ut, *Quam « oblationem tu Deus*, et, *qui pridie, quam pateretur*, et post conse- « crationem, *Supra quæ propitio;* vel per relationem, ut ibi, *Simili « modo* ». *Secunda* est quorumdam Græcorum contendentium ultra hæc quatuor verba: *Hoc est Corpus meum*, alia sequentia, nempe, *quod pro vobis tradetur, seu frangetur*, etiam esse absolute necessaria ad veritatem consecrationis. *Tertia denique* est communis inter Theo-

logos, docentes consecrationem Corporis essentialiter consistere in illis quatuor verbis: *Hoc est Corpus meum.*

NOTANDUM 3. In consecratione calicis hæc a Latinis Sacerdotibus verba usurpari: *Hic est calix Sanguinis mei, novi, et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* ubi *calix* accipitur per metonymiam, qua res continens pro re contenta usurpatur, juxta vulgare effatum, quo dicitur, *bibe calicem vini,* idest, vinum in calice contentum. Advertendum autem cum Catechismo Romano, num. 21, plura ex his verbis colligi ex Scriptura, quædam vero ex Apostolica Traditione. Nam, *inquit,* quod dicitur: *Hic est calix,* a S. Luca, et ab Apostolo scriptum est; quod vero sequitur, *Sanguinis mei, vel Sanguis meus, novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* partim a S. Luca, partim a S. Matthæo dictum est; verba autem illa, *æterni, et mysterium fidei,* sancta Traditio Catholicæ veritatis interpres et custos nos docuit. — Docet præterea idem Catechismus his verbis explicari tres Sanguinis Christi in Passione fusi mirabiles effectus ad hoc Sacramentum potissime pertinentes, nimirum aditum ad æternam vitam, qui nobis novi et æterni Testamenti jure patescit: *Habemus* enim *fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi,* ut dicitur Hebr. 10. Secundus effectus est accessus ad justitiam, quæ est per fidem dilectione operantem, juxta illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius.... ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Tertius effectus est remissio peccatorum, quibus uterque aditus intercludebatur; unde dicitur Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Primi effectus designandi gratia apponuntur illa verba: *Novi et æterni Testamenti;* ratione secundi additur: *mysterium fidei;* ratione tertii subjungitur: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde subdit: « Quoniam vero « hæc ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimeque « ad rem conveniunt, diligentius perpendere ea oportet. Quod ergo di« citur: *Hic est calix Sanguinis mei,* sic intelligendum: *Hic est San« guis meus, qui hoc calice continetur.* Recte autem et apposite, dum « Sanguis hic, ut est fidelium potus, consecratur, calicis mentio fa« cienda est; neque enim Sanguis hujusmodi potionem satis signifi« care videtur, nisi vase aliquo receptus esset. Sequitur deinde, *Novi « Testamenti;* quod quidem ob eam rem additum est, ut intelligere« mus Christi Domini Sanguinem non figura, quemadmodum in veteri « Testamento fiebat (de eo enim apud Apostolum ad Hebr. legimus: « sine Sanguine Testamentum dedicatum non esse), sed vere et reipsa « hominibus tradi; quod ad novum Testamentum pertinet. Quare Apo« stolus inquit: *Ideo novi Testamenti mediator est Christus, ut morte « intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hære« ditatis.* Verbum vero, *Æterni,* ad hæreditatem æternam, quæ Christi « Domini æterni testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est. « Quod subjungitur, *Mysterium fidei,* non rei veritatem excludit, sed « quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa « fide credendum esse significat ». — His ita præmissis, duo hic occurrunt determinanda: *primum,* quænam verba sint de essentia et necessitate

formæ consecratoriæ Corporis: *secundum*, quænam verba sint essentialia formæ calicis.

Conclusio prima. — QUATUOR HÆC VERBA, Hoc est Corpus meum, SUNT DE ESSENTIA FORMÆ CONSECRATIONIS CORPORIS; NIHILOMINUS PRÆCEDENTIA, qui pridie, quam pateretur, etc. VIDENTUR NECESSARIO PRÆMITTENDA. Hæc Conclusio duobus partibus constat, quarum

Prima communis est apud Theologos, et colligitur ex omnibus illis auctoritatibus tum Patrum, tum Conciliorum, quibus probatum est in præcedenti Conclusione Eucharistiam confici per verba Christi Domini; non quidem per alia, quam per quatuor assignata, ut optime colligit Catechismus Romanus, n. 20. scribens: « A sanctis Evange-« listis Matthæo et Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse « formam: *Hoc est Corpus meum;* scriptum est enim: *Cœnantibus « illis, accepit Jesus panem, et benedixit, et fregit, deditque Discipulis « suis, et dixit: Accipite, et manducate; Hoc est Corpus meum.* Qua-« quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea « perpetuo Ecclesia Catholica usa est. *Et infra:* Sed ratione etiam « id facile persuaderi potest; nam forma ea est, qua illud significatur, « quod in hoc Sacramento efficitur: cum autem hæc verba id quod « fit significent ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum « Domini nostri Corpus, sequitur formam in illis verbis constituendam « esse, in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, *Bene-« dixit*, licet accipere; perinde enim videtur intelligendum, ac si di-« xisset; *Accipiens panem, benedixit, dicens: Hoc est Corpus meum.* « Quamvis enim Evangelista verba illa, *Accipite, et comedite*, præpo-« suerit, illis tamen non materiæ consecrationem, sed usum tantum-« modo significari, perspicuum est; quare a Sacerdote quidem omnino « proferri debent, sed ad Sacramentum conficiendum necessaria non « sunt ».

Secunda pars videtur esse Subtilis Doctoris, dist. 8. q. 2. n. 5. ubi inquirens utrum sola præfata quatuor verba sufficiant ad conse-crationem, ait: « Dicitur quod sic, quia ista sunt præcisa forma, alia « sunt propter reverentiam, *vel* propter orationem præmittenda. *Sed « contra*, inquit, istud arguitur; quia verba Sacramentalia ex vi ver-« borum debent significare illud, quod efficitur ex vi Sacramenti: sed « ex vi consecrationis hujus efficitur ibi esse verum Corpus Christi: « ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi con-« tineri. Sed hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, prolata sine præce-« dentibus, hoc non significant absolute, quia ly *meum* significat re-« ferri ad personam ipsius loquentis; quia licet Minister possit inten-« dere, ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc signi-« ficatum illorum verborum esset, quod ly *meum* demonstraret Corpus « Christi, sed corpus loquentis. Sicut si ego inciperem loqui in per-« sona Christi, tamen ex vi verborum non habetur, quod ista doctrina « sit Christi, sed mea, et per consequens non esset propositio falsa « secundum sensum, pro quo fieret, tamen non erat significatum « proprie hujus orationis, quod ly *ego* supponeret pro persona Dei ». *Ita Doctor.* Quibus verbis, inquit Hiquæus in *Commentario*, n. 8.

Doctor aperte significat, quatuor verba antecedentia prædicta esse formam sacramentalem, et perfectam illius significationem; quod utique sic probat: Verba Sacramentorum ex vi verborum debent significare illud, quod efficitur ex vi Sacramenti: sed ex vi hujus consecrationis efficitur ibi esse verum Corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri: sed hæc verba, *Hoc est enim Corpus meum*, prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolute; quia pronomen significat referri ad personam ipsius loquentis; nam, licet Minister possit intendere loqui in persona Christi, id non facit, quod oratio significet Corpus Christi, sicut qui intenderet in persona Christi dicere: *Doctrina mea non est mea:* vel hæc est doctrina mea, ex vi verborum non haberetur, quod illa doctrina esset Christi, sicut quando Angelus loquebatur in persona Dei: *Ego sum Deus Abraham*, etc. vi sermonis non significabatur persona Dei.

Confirmatur hæc ratio Doctoris: tam Patres, quam Ecclesia, ex vi verborum et proprietate probant præsentiam realem: ergo forma in ea determinatione facit sensum sacramentalem ex vi verborum, qua ex expressa significatione non possit torqueri in aliud cum proprietate; ideo Patres Tridentini improperant hæreticis, quod abusive torqueant formam in tropos, et sensum alienum a proprietate verborum: sed hæc oratio prolata absolute ex vi verborum significat corpus loquentis, non alterius: ergo nisi aliud addatur, significat corpus Sacerdotis loquentis. *Probatur subsumptum* ex particula, *meum*, quæ pronomen est possessivum, et denotat loquentem, nisi aliud addatur: unde ex eo quod Christus protulerit illam formam, ex vi pronominis illius, intelligunt omnes, eum locutum fuisse de corpore proprio, alias nullum esset fundamentum colligendi ex vi verborum realem præsentiam Corporis Christi: ergo eum sensum facit ex vi verborum forma illa absolute, et sine limitatione ulla prolata, quem fecit sic prolata a Christo, qui protulit eam absolute, ac proinde denotavit ex vi pronominis Corpus suum: ergo etiam prolata a Sacerdote non denotat aliud ex vi sermonis, quam proprium ejus corpus, et non Corpus Christi, et consequenter sic prolata non facit sensum sacramentalem ex vi verborum, et erit invalida. Quæ ratio fundatur in iisdem principiis, quibus Patres et Doctores ex vi verborum colligunt præsentiam realem.

Secundo probatur idem: quia Ecclesia in Canone ideo adjecit verba antecedentia, ut forma faceret sensum sacramentalem. *Probatur:* non enim ad orationem proferuntur, quia in illis nihil petitur; non ut essentialia formæ, quia supponitur: ergo ad narrationem, quæ præponi debet, ut forma in sensu sacramentali, et in persona Christi proferatur.

Repones, Sacerdotem intendere in persona Christi proferre formam.— **Contra**, intentio non facit, ut oratio significet ex vi verborum quod non est nata significare: sed ex vi verborum non est nata significare, nisi corpus proferentis eam absolute, et sine limitatione: ergo, etc. *Major patet*, quia oratio est significativa, non ex beneplacito proferentis, sed ex instituto, quia est signum commune: sed ex communi instituto non significat, nisi corpus proferentis, neque alius conceptus

in audiente eam ex vi verborum præcisa causari potest: ergo non sufficit intentio proferentis, ut aliud significet. — *Deinde*, intentio est occulta, neque cognoscitur, nisi ex vi sermonis: ergo nequit limitare orationem, ut faciat alium conceptum vi sermonis in audiente, nisi alias ex communi instituto competat; et maxime quando ipsa oratio non est ambigua, sed limitata ad sensum determinatum per particulam specificantem, qualis est in proposito pronomen possessivum *meum*. *Ita Hiquæus.*

Verum quamquam illa opinio probabilitate non careat, nihilominus opposita videtur probabilior: *tum* quia eam tuentur plures Theologiæ Principes, nimirum Alensis, 4. par. q. 10. memb. 5. S. Bonaventura, dist. 8. par. 2. ar. 1. q. 1. Richardus, ibid. ar. 3. q. 1. Durandus, par. 2. memb. 6. et S. Thomas, 4. quæst. 78. cum suis Discipulis: *tum* quia hoc ipsum suadet ratio theologica; siquidem illa solum verba necessaria sunt ad consecrandum Corpus Christi, quæ Christus protulit conficiendo hoc Sacramentum, et quæ profert Sacerdos, quatenus gerit personam Christi, ut docet Florentinum in Decreto unionis, his verbis: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum:* sed verba antecedentia, nempe, *qui pridie quam pateretur*, etc. neque a Christo consecrante dicta sunt, neque proferuntur a Sacerdote, tamquam ex persona Christi, sed referuntur mere historice, et non tamquam a Christo dicta: igitur non sunt necessaria ad consecrandum Corpus Christi. *Confirmatur:* si illa verba præcedentia essent absolute necessaria ad efficiendam consecrationem, maxime quia non sufficeret Sacerdotis intentio, ut significetur eum loqui in persona Christi, cum dicit: *Hoc est Corpus meum*, neque etiam ut Corpus Christi vi verborum ponatur sub speciebus panis: sed hoc falsum est; nam quantumcumque Sacerdos verba præcedentia præmittat, si tamen non habet intentionem ea verba proferendi eo modo, quo Christus instituit, et efficiendi quod effecit, Sacramentum non efficiet; quippe sine tali intentione ea verba proferendo, tantum proferret materialiter et recitative, non vero significative et formaliter. Quod utique constat, quia quantumvis Sacerdos initiatus, qui cæremonias discit, hujusmodi verba proferat super præsentem materiam, tamen revera non consecrat, quamvis hæc agendo referat personam Christi, quia scilicet non habet intentionem consecrandi: igitur illa verba non sufficiunt ad hoc, ut ponatur Corpus Christi sub speciebus panis, nisi adsit intentio, ac subinde illa intentio Sacerdotis sufficit, ut cum profert hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, censeatur loqui in persona Christi. Quod utique non negat Doctor; siquidem postquam fuse disseruit de sensu illius orationis, *Hoc est Corpus meum*, secundum rigorem, et sensum logicum, subjungit n. 25. sufficere Ministro, quod illam orationem proferat sub ea intentione, qua Christus Dominus instituit eam proferendam: *Sufficiet*, inquit, *Ministro non disputanti eo tempore, quo illa profertur oratio, intendere proferre istam orationem eo modo, quo Christus instituit eam proferendam; et sic habetur intentio debita, et instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento a tali agente adhibito Deus assistit ad causandum in ultimo instanti talem effectum*. Unde etiam celebriores et graviores Scotistæ oppositam sententiam tuentur,

puta Bassolius, Aretinus, Hiquæus, Tataretus, qui ait, Doctorem oppositum docuisse solum disputandi gratia, nec ipsi sententiæ oppositæ firmiter adhæsisse, sed dumtaxat dubitative. Quod utique ipsemet Doctor luculenter significat n. 10, ubi ait: « Dico, quod si quis Sacerdos « inciperet sic loqui: *Hoc est Corpus meum*, non prædicens verba præ« missa totaliter, quod in omnibus talibus non est adorandum, nisi « sub conditione, si vere consecratum est. Et numquid iteranda sunt « verba? Dico, quod non absolute. Sed numquid sub conditione? Dico, « quod hic non est talis necessitas, sicut in Baptismo, quia ibi quando « dubitatur de baptizatione, dubitatur de salute, ideo licitum est ibi « quandoque sub conditione baptizare. Sed hic si probabiliter dubi« tatur, in altero istorum casuum, an consecratio sit completa, nullum « periculum salutis imminet, si non hæretur, nec absolute, nec sub « conditione. Quid ergo? Estne illa materia semper servanda? Dico, « quod non, quia putresceret; sed Sacerdos post Communionem in sua « Missa potest illam materiam recipere sub intentione conditionata tali, « si istud est consecratum, recipio ut consecratum, sed si non, non, « sed ut tale, de quo est incertum; nec in hoc potest esse periculum, « quia jejunus est ante perceptionem vini ablutionis, etsi non est San« guis, quem percipit, non tamen facit irreverentiam Corpori et San« guini jam perceptis, quia mox post Sanguinem jam perceptum, « statim in Altari percipimus purum vinum ». — Unde ad rationes superius allatas ex Doctore, respondet Aretinus q. 2. *negando minorem:* sufficit enim, quod talia verba ex intentione Christi, et ex intentione Ministri significent effectum suum; nam si requireretur, quod ex vi sermonis significarent effectum sacramentalem, sequeretur, quod etiam cum verbis Canonis præcedentibus non fieret consecratio: quia verba præcedentia, scilicet, *Qui pridie, quam pateretur*, etc. non recitantur ibi ut dicta a Christo, quapropter quoniam post illa verba diceret Sacerdos: *Hoc est Corpus meum*, non significaretur ex vi sermonis, quod Corpus Christi esset sub speciebus illis, quas Sacerdos tenet in manibus; sed significaretur fuisse sub illis speciebus, quas ipsemet Christus tenebat, quando primum dixit: *Hoc est Corpus meum*.

Dices 1: Intentio Sacerdotis non sufficit, ut Sacerdos censeatur verba consecrationis proferre in persona Christi: igitur ad id necessario adhibenda sunt verba præcedentia. *Probatur antecedens:* unde censeatur Sacerdos illa verba proferre in persona Christi, oportet ut verba, quæ profert, ex naturali sua significatione, designent aliquando fuisse prolata a Christo absque ullo prorsus respectu ad intentionem Sacerdotis proferentis; nam hoc vocabulum, *panis*, v. gr. ex vi sua panem significat independenter ab intentione proferentis; et licet proferens vocabulum panis intenderet significare lignum, non propterea lignum significaret, sed panem: at hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, non aliud significant, quam Corpus loquentis, ex hominum instituto: igitur quantumcumque alia accedat intentio Sacerdotis loquentis, non aliud significabunt. *Deinde*, si intentio proferentis salvare posset significationem verbis competentem ex propria natura, sequeretur posse aliquem in forma Baptismi his verbis uti, *Baptizo te*, intendendo tamen Baptismum dare alteri; nam ad id dirigeretur significatio ex vi verborum ob intentionem dicentis: at hoc est absurdum: igitur, etc.

Tandem verba significant eo modo, quo a primis imponentibus sunt deputata, et instituta; neque si proferens verba illa intendat aliud significare, talia verba fient proinde significativa illius, quod intendit: sed hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, sunt imposita ad significandum Corpus illius, qui loquitur: ergo nulla intentio proferentis poterit ea reddere non significativa eo modo, sed aliter. — **Respondeo**, hæc et similia argumenta fore quidem vera, si assereretur significatio verborum consecrationis pendere a sola intentione Ministri proferentis, nude et absolute sumpta, quod utique non asserimus, sed solum quod ea significatio verborum consecrationis pendeat ab intentione Ministri, ut subordinatur intentioni Christi, qui instituit, ut verba illa cum debita intentione a Sacerdote prolata talem vim significandi haberent. Unde *concesso antecedente, negatur consequentia*: quamvis enim verba illa, *Hoc est Corpus meum*, ex vi sua, corpus loquentis significent, quando is loquitur in propria persona, possunt tamen significare etiam corpus alterius, quando proferens loquitur in aliena persona, ut contingit in proposito, ad hunc enim effectum a Christo instituta fuere, ut per illa cum debita intentione prolata supra materiam debitam, Sacerdos Sacramentum Eucharistiæ conficeret, et quidem loquens in persona ipsius, non autem propria. *Ad secundum, nego sequelam majoris*, non enim sola voluntas loquentis, aut intentio proferentis tribuit verbis vim significandi, sed voluntas Christi instituentis verba illa cum intentione debita a Ministro prolata talem vim significativam habere; et ita instituit formam Baptismi, ut is solum diceretur baptizari, qui aqua ablueretur a Ministro formam pronuntiante cum debita intentione faciendi quod Christus instituit. *Ad ultimum patet* per idem, quamvis enim verba illa sint imposita ad significandum corpus loquentis, quando ea profert in propria persona; possunt tamen significare corpus alterius, etiamsi proferens loquatur in persona aliena, et cum debita intentione ab illo alio ordinata et instituta, ut tali modo proferantur, et ad talem effectum significandum, ut contingit in proposito nostro.

Dices 2: Verba consecrationis non possunt habere vim effectivam præsentiæ Corporis et Sanguinis Christi, nisi præcise quatenus sunt verba in persona Christi prolata: sed talia censeri non possunt, nisi præcedant aliqua verba, quæ faciant hanc determinationem; nam hæc determinatio debet fieri per aliquod signum sensibile: at nullum est magis sensibile et significativum, quam verba: ergo hæc determinatio debet fieri per verba præcedentia. *Confirmatur*, quia certum est, Sacerdotem illa verba proferre materialiter et recitative, licet quoque dicat formaliter et significative: sed illa verba absolute sumpta absque præcedentibus, ex propria natura et vi non habent, ut recitative dicantur a Sacerdote, sed ut propria verba Ministri, et significative, ut patet in quacumque simili locutione, ut si dico, *hæc est doctrina mea*, vel *hæc est caro mea*, semper istæ locutiones supponunt pro persona loquentis, et dicuntur significative, non materialiter et recitative. *Tandem*, Sacramentum Eucharistiæ est simul Sacramentum, et sacrificium: at de ratione sacrificii est, ut sit oblatio externa facta soli Deo, in qua res sensibilis consecratur: ergo in hoc Sacramento debet esse aliqua oblatio: hæc autem non potest fieri, nisi verbis et signis præcedentibus consecrationem rei sensibilis: ergo in hoc Sacramento de-

bent verba aliqua præcedere ipsam consecrationem, ut censeatur fieri nomine Christi. — **Respondet Mastrius**, q. 6. n. 152. *negando minorem;* nam, *inquit,* sufficienter determinantur illa verba ad personam Christi, quatenus proferuntur supra materiam debitam a Christo institutam, et cum intentione illa proferendi, sicut Christus præcepit, et protulit, et efficiendi quod ipse effecit; et intentio Ministri satis est, ut proferatur oratio illa in persona Christi formaliter, et falsum est determinationem istam debere fieri per aliquod signum sensibile præcedens sensibilitatem formæ, ut satis constat ex dictis. *Ad confirmationem* dicit, nihil concludi; non enim conficit Sacerdos Sacramentum, quatenus verba consecrationis profert materialiter et recitative, sed quatenus illa profert formaliter et significative, hoc est, cum intentione proferendi illa, ut sunt a Christo instituta, et efficiendi quod ipse effecit; unde si illa solum formaliter et significative proferret, adhuc Sacramentum conficeret. *Ad ultimum negat minorem,* ultimam nempe oblationem, quæ de ratione sacrificii Altaris ponitur, fieri debere signis et verbis consecrationem præcedentibus, quia sufficiens est oblatio ipsa implicite facta per positionem victimæ in Altari, præterquam quod licet de facto in Eucharistia ex institutione divina Sacramentum et Missæ sacrificium sint simul conjuncta, unum tamen non est de ratione intrinseca alterius, et absolute separari possunt.

Conclusio secunda. — Forma consecrationis essentialiter consistit in his solis verbis: Hic est Calix Sanguinis mei, *vel* Hic est Sanguis meus. Ita Subtilis Doctor, q. 3. n. 6. ubi cum objecisset: *De verbis autem consecrationis Sanguinis, est dubium magis, quantum ad duo: primum est, quia formam, qua utimur, nullus Evangelistarum recitat; ideo non videtur ex Evangelio certa. Græci etiam alia forma utuntur, dicentes:* Hic est Sanguis, etc. *et per consequens forma nostra non est præcisa.* Ita opponit contra ordinariam formam Ecclesiæ Latinæ. Respondet autem: *Non dubito, quin forma nostra sit certa, secundum auctoritatem illam Innocentii,* cap. *Cum Marthæ, De Celeb. Miss., quia multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Evangeliis.* Verba autem Innocentii Pontificis sunt: *Sane multa tam de verbis, quam de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur.* Quod utique probat Pontifex: Paulus enim, *inquit,* in Actibus Apostolorum, sic ait: *Meminisse vos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit, Beatius est magis dare, quam accipere: Hæc autem nullus quatuor Evangelistarum descripsit.*

Unde Doctor, n. 6. dicit: « communiter tenetur, quod ista: *Hoc facite in meam commemorationem,* non pertinent ad illam formam hoc « modo. Quod probatur, quia non magis facit illud: *Hoc accipite,* etc. « ad Sanguinem, quam ad Corpus; præcepit enim Christus ita fieri « consecrationem Corporis, sicut Sanguinis: ergo si illud pertinet ad « consecrationem Sanguinis, pari ratione et Corporis; et per consequens « quando hostia levatur, adhuc non est ibi Corpus Christi, et sic est « idololatria, quod non est dicendum ». *Ita Doctor.* Quinimo etiam Sanguis adoratur ante illa verba; nam juxta Rubricas consecratione facta, Sacerdos reponit calicem consecratum super Altare, et statim

illum adorat, ac postmodum populo adorandum exhibens, profert illa verba: *Hæc quotiescumque feceritis*, etc. Igitur prolatio illorum verborum supponit consecrationem jam esse factam. *Deinde*, præceptum de usu consecrationis *(inquit Doctor)* non est consecrationis forma: sed illa verba: *Hæc quotiescumque feceritis*, etc. præseferunt præceptum usus calicis consecrati: igitur, etc. *Denique*, ait ibidem Doctor, per ista verba contulit Apostolis potestatem consecrandi, per hoc enim ordinavit eos Sacerdotes: collatio autem potestatis consecrandi non fit per verba pertinentia ad consecrationem, quia verba consecrationis materiam respiciunt, quæ consecratur, vel terminum, in quem tendit consecratio; verba autem potestatem respicientia respiciunt potestatem, quam conferunt, et illum, cui confertur; ac subinde non spectant ad legitimam et essentialem consecrationis formam.

Probatur itaque Conclusio: *primo* quidem auctoritate SS. Patrum; nam S. Justinus, *Apologia* 2. ad Antoninum Imperatorem: *Apostoli*, inquit, *in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum præcipisse tradiderunt, eum accepto pane cum gratias egisset dixisse: Hoc facite in memoriam mei: Hoc est Corpus meum: dixisse etiam accepto populo: Hic est Sanguis meus, ipsisque solis dedisse.* Illis etiam mox prolatis consecrari vinum, et in Sanguinem Christi converti docet non solum Ambrosius, lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 5. sed etiam Sermone *De Cœna Domini*, apud S. Cyprianum: *Ex quo*, inquit, *a Domino dictum est: Hæc est Caro mea, et hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit.* Quod totidem fere verbis repetit Innocentius III, lib. 4. *De Mysteriis Missæ*, cap. 6.

Nec valet reponere, Sanctos Patres non fuisse sollicitos referre integram formam Sacramenti: hæc, inquam, responsio non valet: *tum* quia Patres illi testantur verbis consecratoriis ab eis laudatis vinum converti in Sanguinem Christi, quod utique non efficerent, nisi integram formæ rationem haberent: *tum* quia idem omnino sentiunt de verbis illis: *Hic est Sanguis meus*, vel *Hic est calix Sanguinis mei*, atque de istis, *Hoc est Corpus meum:* sed ex dictis constat integram formam consecratoriam Corporis consistere in quatuor illis verbis: igitur idem sentiendum est de forma consecrationis calicis: *tum* quia asserunt, ex quo verba illa prolata fuerint, calicem benedictione solemni sacrari, ac subinde censent cætera verba ad essentiam formæ calicis consecratoriæ non pertinere.

Confirmatur ex sententia et Liturgiis Græcorum; refert enim Arcudius, lib. 3. cap. 26. *quod forma consecrationis Eucharistiæ apud Græcos sunt hæc certa, et determinata, eaque sola verba:* Hoc est Corpus meum, *et*, Hic est Sanguis meus; Quæ, *inquit*, sunt verba Salvatoris. Idem asserit de *Liturgiis Maronitarum* Cardinalis de Lugo, disp. 11. Sect. 4. n. 6., ubi loquens de *Liturgiis Maronitarum*, sic ait: in aliis vero Liturgiis, scilicet S. Joannis Evangelistæ, sanctorum Apostolorum, S. Eustasii, S. Joannis Patriarchæ verba sunt: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* In Liturgia sancti Marci Evangelistæ: *Corpus meum est hoc, Sanguis meus est hic.* In Liturgia S. Matthæi, seu Pastoris: *Hoc Caro mea est, Hoc Sanguis meus est.* Quas formas, *inquit*,

ex Missali manuscripto Maronitarum, a Monte Libano Romam misso, dedit mihi perdoctus vir Victorius Scialach, Abbas S. Gregorii, natione Maronita, et in urbe Roma a multis annis linguarum publicus interpres. Hæc prædictus Cardinalis. Igitur omnia verba, quæ in consecratione calicis proferuntur a Sacerdotibus Ecclesiæ Latinæ, non sunt de essentia formæ; alioquin nec Græci, nec Maronitæ Christi Domini Sanguinem consecrarent, quod utique absurdissimum est.

Denique probatur ratione: illa sola verba sunt de essentia consecrationis calicis, quæ sufficienter significant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini: sed sola illa verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*, id sufficienter significant: ergo, etc. *Major patet:* illa enim verba sufficiunt ad essentiam formæ, quæ id omne significant, quod est de essentia Sacramenti. *Minor vero patet: tum* quia illa verba significant id omne, quod sub speciebus vini continetur, esse Christi Sanguinem, antecedenter ad prolationem sequentium verborum, ac subinde causant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus, cum necessario sint vera, et ex institutione divina efficiant quod significant: ergo ipsa sola sunt de essentia consecrationis calicis, quia antecedenter ad sequentia verba continent veritatem, et verissima sunt. *Tum* quia non sunt minoris efficaciæ verba illa: *Hic est Sanguis meus*, in consecratione calicis, quam ista: *Hoc est Corpus meum*, in consecratione panis: ergo sicut hæc sufficiunt ad conversionem panis in Corpus Christi, nec sunt de essentia alia sequentia verba, *quod pro vobis tradetur*, ita et illa ad conversionem vini in Sanguinem, nec erunt de essentia alia sequentia verba, *qui pro vobis effundetur*.

Objicies 1. Illa verba sunt de essentia formæ consecrationis calicis, quæ non possunt salva Sacramenti essentia prætermitti: sed Ecclesia Latina censet aliquid eorum verborum non posse prætermitti: igitur censet ea omnia verba esse de essentia formæ. *Major constat:* verba enim, quæ non pertinent ad essentiam formæ, possunt omitti, quippe cum eis omissis salva sit Sacramenti essentia. *Minor vero probatur:* Ecclesia enim non solum omnia illa verba vult proferri a Sacerdote eodem ritu et modo, cum calicem in manu tenet, antequam adorandus populo ostendatur, et eisdem characteribus majusculis in Missali notantur, sed etiam ubi aliquid fuerit omissum, jubet ex integro formam repeti. Insuper in Conc. Coloniensi, p. 7. cap. 14. omnia verba hæc ponuntur pro forma calicis, et statim subjungitur: *Reliqua, quæ dicuntur, vel ad usum Sacramenti pertinent, vel laudes, vel gratiarum actiones sunt, vel petitiones; tam autem apertus est sermo Christi, quo hoc Sacramentum conficitur, ut plane insani sint, qui depravare contendunt:* igitur constat, illa verba esse essentialia, atque eis omnibus confici Sacramentum. *Denique* in *Catechismo Romano*, S. Pii V Summi Pontificis jussu edito, ea omnia verba simul scribuntur pro forma consecrationis; unde idem S. Pontifex censuit expungendam illam Cajetani commentariorum partem in art. 3. qu. 78. partis, qua Cajetanus S. Thomæ opinionem deserens, affirmabat hanc nostram sententiam: igitur censuit Sanctus Pontifex oppositam sententiam esse veriorem et certiorem. — **Nego minorem**; et ad *primam* ejus *probationem* dico, idcirco omnia verba illa eodem ritu et modo a Sacerdote proferri, quia sunt formæ essentialis explicatio et declaratio, atque integram

et adæquatam propositionem determinando, præcipuum prædicatum componunt: inde tamen non sequitur illa ad ipsam essentiam absolute requiri; sicut patet ex forma Pœnitentiæ in qua, juxta ritum præscriptum multa verba essentialibus adjunguntur: nemo enim assereret, *in nomine Patris* etc. ad essentiam absolutionis pertinere. — Cum vero dicitur interdicere Ecclesia, ne ex illis verba ulla prætermittantur, id probat quidem necessitatem præcepti, at non necessitatem Sacramenti. — Quod vero additur, Ecclesiam in casu omissionis alicujus particulæ formæ illius totam ex integro repeti velle, sollicitudinem et cautelam Ecclesiæ in Sacramentis conficiendis securiora sectantis ostendit; cum enim omnia verba illa ad essentiam desiderari multi Doctores teneant, illa præsertim, quæ effusionem Sanguinis significant, et aliunde in possessione illius formæ Ecclesia sit, eam retinere, et omissam instaurare prudentissime studet, ut in re omnium maxima, centro nimirum Religionis et pietatis, Eucharistia, nullum prorsus dubium supersit. — Ad Concilium *Colonieuse* et *Catechismum* dico, in eis non affirmari omnia verba illa esse de essentia formæ et necessitate Sacramenti, sed tantum quod in eis contineatur forma, quodque necessario omnia proferenda sint ex præcepto et consuetudine Ecclesiæ. — Ad censuram S. Pii respondeo, varias illius proferri causas, sed potissima est, quod Cajetanus, qui S. Thomæ sententiam elucidare ac tueri susceperat, non ea, qua par erat, reverentia illam tractaverit, quippe cum hac in parte reprobaverit, et ea rejecta contrarium docuerit.

Objicies 2. Verba sequentia pertinent ad eamdem orationem cum præcedentibus: igitur etiam spectant ad eamdem formam Sacramenti. *Probatur antecedens:* primo quidem de illis verbis, *qui pro vobis effundetur;* nam ratione illius relativi, *qui,* ad eamdem orationem pertinent, ad quam spectat antecedens, nempe *Sanguinis mei:* sed antecedens illud est de forma essentiali consecrationis: ego et illud consequens, nempe, *qui pro vobis effundetur,* etiam ad formam consecrationis spectat. Idem constat de vocabulis, *novi et æterni Testamenti;* sunt enim determinatio illius prædicati, *Sanguinis mei:* sed determinatio et determinabile ad eamdem orationem pertinent: ergo sicut illa verba, *calix Sanguinis mei,* sunt de essentia formæ, ita *novi, et æterni Testamenti,* erunt pariter de essentia. — **Nego antecedens,** et ad ejus probationem dico, non omnia verba, quæ pertinent ad eamdem orationem, pertinere etiam ad eamdem formam Sacramentalem; alioqui in Absolutione Sacramentali, verba illa, *In nomine Patris,* etc. quæ determinant prædicatum formæ Sacramenti Pœnitentiæ, essent de essentia illius Sacramenti; cujus tamen contrarium apparet ex dictis in Tract. *De Pœnit.* Igitur sola verba, quæ determinant prædicatum ad conversionem vini in Sanguinem, sunt de essentia formæ calicis. Unde quemadmodum illa verba, *pro vobis tradetur,* licet determinent prædicatum illud, *Corpus meum,* in consecratione panis, tamen ad integritatem formæ non pertinent, ita quamvis illa verba, *novi et æterni Testamenti,* determinent illud prædicatum, *Sanguinis mei,* in consecratione calicis, non tamen spectant ad eamdem essentiam.

Instabis: Ista verba censenda sunt essentialia, quæ necessaria sunt ad explicandum effectum conversionis vini in Sanguinem, nempe quod

illa fiat in remissionem peccatorum: sed prætata verba, *qui pro vobis effundetur*, etc. talia sunt: igitur censenda sunt de essentia formæ. *Probatur major* a simili: licet enim in Sacramento Baptismi per verba illa, *Ego te baptizo*, significetur spiritualis ablutio, tamen ante prolationem illorum verborum, *In nomine Patris*, etc. non censetur ablutio Sacramentalis; ita a pari, quamvis illa verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, habeant sensum perfectum, requiruntur tamen sequentia verba, ut explicetur beneficium Passionis, et effectus effusi Sanguinis. — **Nego majorem**; et ratio disparitatis est, quod illa verba, *Ego te baptizo*, internam ablutionem spiritualem non significant, nisi adjiciatur expressa invocatio Trinitatis, quia cum Baptismus sit janua Legis novæ, per quam homo incipit esse membrum Ecclesiæ per fidem, idcirco necessum est, ut in eo fiat professio præstantissimi fidei objecti et mysterii, nempe divinæ Trinitatis; verba autem illa, *Hic est calix Sanguinis mei*, conversionem vini independenter a posterioribus significant, ideo statim ac proferuntur, fit conversio et consecratio.

Urgebis: Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium, ac subinde sub hac utraque ratione exprimi debet per formam consecrationis: sed exprimi nequit sub ratione sacrificii, nisi fiat mentio fusi sanguinis per hæc verba, *qui pro vobis effundetur:* igitur saltem illa verba spectant ad essentiam formæ. — **Respondeo** *primo*, quod, licet Eucharistia habeat rationem Sacramenti simul et sacrificii, tamen hæc utraque ratio separari potest, ut diximus, siquidem in Altari conservata hostia habet rationem Sacramenti, non tamen sacrificii; ac subinde non requiritur essentialiter, quod in forma consecrationis explicetur repræsentatio sacrificii cruenti. *Deinde* dico, quod quamvis Eucharistia sit Sacramentum, et simul sacrificium, tamen utrumque essentialiter significant verba hæc, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*. Cum enim significent Corpus mystice separatum a Sanguine, imo et significando illud mystice, separent sacrificium, etiam significant, et significando peragunt, et adorandam victimam Deo immolant.

Concludendum est ergo cum Doctore, n. 9. *Quod*, inquit, *non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis Sanguinis pertineant aliqua verba post illud*, Sanguinis mei, *vel an aliquod illorum sequentium usque illic*, Hoc facite, etc. *ideo periculosum est hoc asserere, de quo sufficiens auctoritas non habetur: non est autem periculosum ignorare, quia videtur ignorantia invincibilis.* — Nec valet reponere cum Soto, quod laxa sit nimis hæc ignorandi licentia, quænam sit forma Sacramenti, neque sit valde tuta, nam, cum Ecclesia præscriptis formis Sacramentorum utatur, quamvis licitum sit verbum aliud pro alio æquivalens usurpare, tamen non licet liberius rem extendere. Haud enim pium est credere, quod Christus, ac subinde Apostoli, in re tam necessaria, quam sunt materia et forma Sacramentorum, Ecclesiam tam ancipitem et perplexam reliquerint. Hæc, inquam, criminatio non est ad rem, nec ad sensum Doctoris, aliud enim est scire formam sufficientem Sacramenti, et aliud est scire, quæ verba formæ sint præcise essentialia, eaque a non essentialibus et adjectis discernere. Primum non negat Doctor, sed postremum; unde subdit: *Ex hoc patet improbatio cujusdam dicti minus discreti, quod necesse est in quolibet Sacramento scire præcise, quæ verba sunt de forma ad*

hoc, ut aliquis conferat Sacramentum. Istud enim manifeste falsum est, non solum in proposito, sed etiam in Baptismo, et Pœnitentia, et Sacramento Ordinis. Quod utique verissimum est; alioquin unde tot altercationes inter Doctores de hac, vel illa particula formæ, sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, an necessaria necessitate Sacramenti, an solum præcepti? Hic asserit ly *Te*, in forma Baptismi requiri ad valorem, ille negat; iste prætendit formam Pœnitentiæ non valere, nisi addatur ly *A peccatis tuis*, hic docet valere sine tali particula; et ita in pluribus aliis verbis, imo et in ipsa materia plurimæ inveniuntur oppositæ sententiæ circa illius necessitatem. Unde Doctor (inquit Hiquæus n. 28.) verissime docet, non requiri ad valorem Sacramenti, ut Minister sciat præcise hæc aut illa verba formæ esse practica et essentialia, ut discernantur ab aliis, quia idiotæ valide conficiunt Sacramentum, quamvis hoc discrimen nesciant, et inter ipsos Doctores circa verba essentialia formæ decertatur, perinde ac de materia, ut pervium est, cum qua discrepantia opinionum nemini dubium est, quin forma et materia, quæ est in usu Ecclesiæ, sint certa; recte ergo stat Sacramentum valide fieri, et debitam formam et materiam applicari, stante illa ignorantia discernendi inter essentialia aliqua, et alia adjecta. Recte proinde Doctor admonet talem scientiam non requiri ad valorem Sacramenti in Ministro, licet requiratur in eo scientia, qua cognoscat hanc formam esse, quam adhibet, sicut et materiam, quia sine hac scientia nequit stare intentio efficax, et requisita; sine priori stare potest; imo nihil facit ad Sacramenti completionem. Hinc prudenter addit Doctor: *Dico, quod Sacerdos intendens facere, quod facit Ecclesia, legens distincte verba Canonis a principio usque ad finem, vere conficit, nec est tutum alicui se reputare valde peritum de scientia sua, et dicere, Volo uti præcise istis verbis pro consecratione Sanguinis, sed securior est simplicitas, Volo ista verba proferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit ea esse proferenda, ut quæ ex Christi institutione sunt de forma, dicam ut de forma, et quæ ad reverentiam, ad reverentiam.*

Quæres 1. *Utrum et quando hæ propositiones,* Hoc est Corpus meum, *et,* Hic est calix Sanguinis mei, *sint veræ?*

Respondet Doctor, dist. 8. q. 2. n. 14. eas orationes, et propositiones esse veras pro ultimo instanti earum prolationis. « Quod pro« batur, *inquit*, quia non habetur conceptus omnium partium orationis « ante illud instans; conceptus enim totius orationis non habetur sine « conceptibus omnium partium. Hoc confirmatur per simile, quia con« ceptus formatus per dictionem, non habetur ante instans ultimum « prolationis illius dictionis: ergo a simili de oratione. Et ratio simi« litudinis est, quia sicut partes dictionis non significant conceptum « simplicem, quem dictio significat, ita dictio non significat conceptum « aliquem complexum, quem significat tota oratio. Sed differentia est, « quia pars orationis aliquem conceptum simplicem significat; sed ad « propositum non est ita differentia, quia utrobique totus conceptus « non habetur, nisi in fine omnium dictionum prolatarum ».

Repones: Si hæc ita sunt, sequitur, quod oratio causat conceptum, quando non est, quia quando complete prolata est oratio, nihil ora-

tionis est. — **Respondet Doctor** *ibidem,* quod argumentum non cogit, « quia idem posset argui de conceptu importato per dictionem; ideo « dico, quod cum conceptus fiat in instanti in intellectu post prola- « tionem orationis, vel dictionis, non sit per illam, quia non est, sicut « arguitur, sed in fine prolationis cujuscumque dictionis per aliquid « causatum in phantasia a dictione, dum fuit in prolatione, intellectus « causat in se conceptum aliquem dictionis; vel ad propositum magis, « per aliqua derelicta a singulis dictionibus, dum proferebantur, in- « tellectu in ultimo instanti per collationem suam, causat intellectum, « vel conceptum totius. Ideo autem dixi *de conceptu,* qui causatur per « orationem, quia secus potest esse de conceptu illo signato, qui non « causatur per eam, utpote conceptus, qui est apud loquentem, quem « scilicet intendit per orationem exprimere ».

Instabis: Significatum totius orationis consistit ex significatis partium: sed partes significant, quando proferuntur: igitur oratio non significat tantum in ultimo instanti suæ prolationis. — **Respondet Doctor** *ibidem,* « quod significatio illa non est ratio formalis causandi « illum conceptum in audiente; sed est quædam dispositio præambula, « ad quam per collationem intellectus sequitur causatio totius conce- « ptus ex specialibus conceptibus causatis per partes orationis ».

Dices: Si propositiones illæ essent veræ, earum objectum, seu significatum prius esset, quam earum propositionum veritas, aut tantum posterius: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, siquidem, ut mox diximus, illa propositio in quantum vera, efficit suum objectum; nam propositio, *Hoc est Corpus meum,* ponit Corpus Christi sub speciebus panis: igitur objectum non potest esse prius ipsa propositione, omnis enim effectus est posterior sua causa. Secundum etiam dici nequit; quia ex eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ut ait Aristoteles, 1. *Perihermenias:* igitur prius est objectum propositionis esse, quam sit veritas illius propositionis, quæ illud denuntiat. — **Distinguo secundam partem dilemmatis:** objectum et significatum illarum propositionum est posterius posteritate temporis, vel durationis, *nego:* naturæ, aut signi, *concedo.* Cum enim hæ propositiones sint practicæ, earum significatum existit eodem instanti temporis, quo completur illarum sensus, et significatio, licet posterius dici possit posteritate signi, vel naturæ; siquidem prius intelligitur completus sensus illarum propositionum, quam intelligatur significatum, quod denotant. Unde *ad effatum Aristotelis* dico, ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, aut falsa, speculativa, *concedo:* practica, *nego.* Porro propositiones præfatæ sunt practicæ, et effectivæ, sive conversæ; qui enim, inquit Doctor n. 18., principaliter faceret in instanti, pro quo enuntiat illud, quod ista oratio tunc signat, ipsi principaliter convertunt. Nam facere principaliter hoc ens esse Corpus Christi est realiter facere conversionem, per quam Corpus Christi accipit esse hoc, quia eadem est factio, qua hoc ens fit Corpus Christi et qua Corpus Christi fit hoc ens, hoc est, fit ens, quod est sub istis speciebus: sed illa oratio dicitur esse conversiva, quæ significative agit pro illo instanti, pro quo convertens agit realiter: ergo ista oratio est simpliciter effectiva.

Instabis: Propositio practica rem affirmat, quæ revera est: igitur

supponit rem esse. — **Distinguo antecedens**: affirmat rem, quæ tunc fiat, *concedo:* quæ facta sit pro aliquo instanti temporis antecedente, *nego*. Unde Seraphicus Doctor, dist. 8. part. 2. art. 1. q. 1. docet verbum *est*, in illis propositionibus, non significare identitatem, sed transitum, seu conversionem, ita quod idem significet, ac *fit* vel *transit: Ideo*, inquit, *hoc verbum* est, *in hac oratione, non identitatem, nec similitudinem signat, sed hoc esse Corpus; hoc est, ad hujus verbi prolationem, hoc totum tansire in Corpus. Unde oratio ista in ore alterius, quam in ore Sacerdotis falsa est, quia non convertit, nec transubstantiat in illud, nec vera est per identitatem.* Et post pauca: *Nec videatur inconveniens dicere, quod hoc verbum*, est, *non identitatem dicit, sed potius conversionem in hac oratione, quæ non tantum est significativa, sed etiam operativa, magis tamen debuit poni verbum essendi, quam operandi, quia magis competebat formæ, ut simul esset efficacia cum veritatis enunciatione, simul etiam notaretur termini immutabilitas cum conversione.*

An autem valeret consecratio, si loco verbi *est* constitueretur verbum *fit*, aut *transit:* negant communiter Theologi; at si verum sit, quod scribit Seraphicus Doctor, nempe, verbum *est* non significare identitatem, sed effectionem, non video cur consecratio foret invalida, quamvis graviter peccaret, qui sic ageret.

Quæres 2. *Cum in his propositionibus,* Hoc est Corpus meum, *et,* Hic est calix Sanguinis mei, *possit distingui veritas a significatione, utrum illæ producant Corpus et Sanguinem Christi, quatenus veræ sunt, aut quatenus sunt significativæ?*

Respondeo, non producere quatenus sunt veræ, sed quatenus sunt significativæ, ut docet Doctor, q. 2. n. 23. ubi postquam veritatem harum propositionum utrinque libravit in tredecim conclusionibus tandem resolvit, et suam ponit sententiam sub his verbis: « Propter hoc dico, « quod tota illa disputatio in tredecim conclusionibus, et earum pro- « bationibus, vel improbationibus, subtilis est, et logica de veritate « hujus propositionis salvanda; sed Theologo sufficit, quod ista oratio, « ut est tale signum sensibile, institutum a Deo, est instrumentum « Dei ad consecrationem illam, quæ sequitur in ultimo instanti, ita « quod Deus assistat sibi tamquam cuidam dispositioni præviæ efficaci, « ut ea completa causet talem effectum invisibilem; non autem ipsa « veritas præcedit, ut talis dispositio, actionem Dei, quia est ut signum « sensibile in fieri, et per consequens in tempore non intelligitur habere « suam propriam veritatem, quando etiam habet eam, illa veritas se- « quitur ordine naturæ actionem Dei. Breviter ergo diceret Theologus, « quod qualitercumque Logicus salvet istam propositionem esse veram, « saltem non est oratio Sacramentalis ut vera, sed ut tale signum « sensibile præcedens forte tempore, et ad minus naturaliter suam « veritatem, sicut dispositio continua in tempore præcedit ultimum « instans, et conditionem cujuscumque in ultimo instanti; causa etiam « præcedit conditionem causati. — Et si quæras tunc, qualis, aut ut « vera, aut ut falsa est propositio conversiva? dico, quod neque sic, neque « sic, sed tantum ut est propositio neutra, et prior naturaliter, et forte « tempore sua veritate ». Quæ est nostra conclusio, et *probatur primo,*

quia juxta Philosophum 1. *Perih.* 9. Ab eo, quod res est, propositio dicitur vera: prius igitur est, Corpus et Sanguinem Christi per propositionem practicam poni in esse, quam ipsa sit vera. Prius, inquam, saltem naturaliter; neque enim objectum dependet a veritate propositionis, sed e contra ratio formalis verborum, sive verba, ut vera veritate formalis, dependent, sive includunt existentiam objecti; ergo ut sic non possunt illud causare, nisi idem causet seipsum.

Quod si objicias, quia Sacerdos antequam proferat verba consecrationis, credit illa esse vera: ergo prior est veritas, quam operatio verborum. — **Respondet Bosco,** sufficere ad veracitatem in propositionibus vocabilibus et practicis, quod proferens sciat causari per sua verba tale objectum, quale enuntiatur. Sic quippe Rex non mentitur, quando dicit alicui simplici nobili: *Tu es Comes,* vel *hic sit Comes, Comes sit Joannes,* etc. tametsi ante prolationem talis non sit Comes. Aliud autem in prolationibus mere speculativis, quæ prærequirunt cognitionem existentiæ sui objecti, ut enuntians non mentiatur. Sane consecrans manifestat mentem suam, non quam habet de veritate, sive existentia objecti præcedente, sed consequente, seu dependente a suis verbis, sicuti si aliquis scriberet alteri in hæc verba: *Jam non poteris amplius dicere, te non vidisse a me scriptam aliquam propositionem.* Quis dubitaret scripturam esse veracem? Et tamen scribens scit, hoc solum esse verum dependenter a sua scriptura; manifestat ergo per scripturam scientiam, quam habet ea mediante. *Ita Bosco.*

Si urgeas: Verba consecrationis a parte rei, et per ordinem ad intellectum divinum, vel sunt vera, vel non. — **Respondet idem Bosco,** esse vera, sed cum ordine posteritatis, saltem naturæ, ad significationem; quem ordinem etiam ipse Deus cognoscit. Porro hunc ordinem probat Doctor supra hac ratione: *Quia omne fundamentum prius est naturaliter relatione sua accidentali: propositio autem, seu conceptus est fundamentum respectu veritatis, quæ est relatio accidentalis, quia potest inesse, et non inesse, sicut potest esse conformis, et difformis rei; Sorte enim sedente, vera est oratio, quæ dicit Sortem sedere..... Ergo prior est naturaliter conceptus orationis, ut in re talis, quam ut verus.* Adhuc etiam prior duratione est ipsa oratio, ut variabilis, et in fine, quam conceptus ejus causatus per eam, eo modo, quo tempus dicitur esse prius suo ultimo instanti terminante. *Confirmatur* exemplo discipuli; prius enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur a discipulo, et tunc quidem ut neutra, et tamen totus per se ejus conceptus percipitur, vel concipitur. Secundo, demonstratione ad ipsam applicata concipitur ut vera. *Confirmatur secundo,* quia oratio ex vi suæ impositionis significat, sive id, quod per eam significatur, ita sit, sive non. Porro veritas insuper requirit, non significatam esse. Itaque pro illo priori, propositio est neutra, idest, neque vera, neque falsa, tametsi significativa. Et sane veritas, aut falsitas non desumitur ab instanti naturæ, sed temporis; ita quod illa propositio similiter sit vera, quæ pro nulla parte, vel instanti temporis aliter dicit objectum esse, quam in se sit; igitur forma consecrationis est vera, licet in aliquo instanti naturæ prius significet, quam objectum ejus existat. Enimvero talem vim habent verba consecrationis ex divina voluntate, ut in eodem instanti temporis efficiant id, quod significant, suam signi-

ficationem in seipsis complendo per productionem effectus, ne verba divinitus assumpta, et in persona Christi prolata, falsa (quod absit) inveniantur, si in aliquo instanti temporis effectu suo frustrarentur. *Hæc Bosco.* Ex quibus patet, veritatem præfatarum propositionum pendere a conversione panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi; non enim ideo illa verba vera sunt, quia per illa facta est conversio, sed quia convertunt, ideo sunt vera; ita quod conversio sit causa veritatis, non e contra. Hinc quando Tridentinum, supra cap. 3. dicit ex vi verborum sub specie panis existere Corpus Christi, et sub specie vini Sanguinem, per vim verborum intelligere debes eorum significationem, quatenus efficiunt et significant præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus. — Non abnuo tamen, Christum Dominum potuisse instituere aliquam orationem non significativam, ad cujus prolationem a Sacerdote Corpus et Sanguis Christi fierent præsentia sub speciebus: *Quia,* inquit Doctor num. 24. *posset Deus instituisse aliquam orationem non significativam, ad cujus prolationem a Ministro ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis: ergo qualitercumque sit de ista disputatione logica, qualiter ista propositio est vera, hoc est tenendum pro certo, quod ipsa ut signum vocale, et in fieri extra est signum efficax respectu consecrationis, quia dispositio prævia, cui Deus ex pacto assistit ad causandum effectum efficaciter in termino, sive ipsa propositio significet talem effectum (quod verum est in proposito, et congruum, et hoc nude, scilicet nec ut vera, nec ut falsa, scilicet in quantum est dispositio), sive significet illud ut propositio vera, et hoc vel pro tunc, quando est dispositio, vel pro instanti illo, pro quo causabitur illud, ad quod est dispositio, et hoc vel prius naturaliter, quam in illo instanti causetur ille effectus, vel posterius naturaliter.* Unde concludo hanc controversiam verbis Doctoris nostri supr. num. 25. *Sic ergo breviter sufficiat Ministro non disputanti tunc, pro quo intelligitur oratio, intendere proferre istam orationem eo modo, quo Christus instituit eam proferendam, et sic habetur intentio debita, et instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento, a tali agente adhibito, Deus assistit ad causandum in ultimo instanti talem effectum.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EXISTENTIA CHRISTI DOMINI SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS.

Ordo doctrinæ, ratioque postulat, ut declaratis Eucharistiæ signis et symbolis, jam ad eorum explicationem, quæ hujusmodi symbola continent ac signant, accedamus; in cujus utique veritatis indagatione ac assertione, nobis maxime lis erit cum hæreticis hujus temporis, quorum *nonnulli* realem Christi Corporis et Sanguinis in Eucharistia præsentiam insectantur, ut Calvinistæ; *aliqui* panis ac vini in Corporis et Sanguinis conversionem ac transubstantiationem in dubium revocant, ut Lutherani. *Cæteri* denique modum, quo Christus sub consecratis speciebus existat, latitet, et humana ratione curiosius inquirentes, nec propter genii imbecillitatem certe deprehendentes, tanti mysterii arcanum et secretum infuscare potius, quam elucidare

tentant. Quocirca tria hoc in Articulo occurrunt examinanda: *primo*, utrum revera Christus Dominus sit realiter ac substantialiter præsens sub speciebus Eucharisticis: *secundo*, utrum fiat transubstantiatio ac conversio substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi: *tertio*, quomodo Christus sub iis speciebus latitet et operetur; quæ utique tria capitalia dogmata in tribus sequentibus Sectionibus expendemus.

SECTIO PRIMA.

DE VERA, REALI, AC SUBSTANTIALI CHRISTI DOMINI PRÆSENTIA SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS, NECNON ET DE ERRORIBUS IN EAM PUGNANTIBUS.

Cum nullum sit, post Verbi incarnationem, hominibus concessum beneficium Eucharistia præstantius; quippe cum omnes amoris sui divitias erga homines in eo Deus effuderit, cumque illa sit *turris David, ex qua pendent mille clypei omnis armatura fortium*, nullum etiam est, quod infesto magis bello impugnare simul, et expugnare diabolus per suos asseclas molitus fuerit. Vix enim Christus Dominus ingens hoc beneficium hominibus se concessurum spoponderat, Joan. 6. dicens: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*, cum illico murmurantes Capharnaitæ, litigabant ad invicem, dicentes: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Quibus auditis cum reposuisset Christus: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, multi ex Discipulis ejus eadem incredulitate laborare cœperunt, dixeruntque: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Unde *abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.* — Illos secuti sunt primum Simonis Magi et Menandri sectatores; *Nam*, ut ait S. Ignatius, Epistola *Ad Smirnenses, illi hæretici Eucharistiæ oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse Carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.* Fateor quidem, eam S. Ignatii sententiam non inveniri in ea, quæ jam extat ad Smirnenses Epistola; nihilominus a Theodoreto refertur Dialog. 3. qui inscribitur, *Impatibilis.* — Eumdem errorem amplexati sunt quotquot circa Christi Domini personam, sive veritatem Corporis et humanitatis, sive Divinitatem humanitati hypostatice uniri inficiantes erraverunt. Nam, ut observat Lanfrancus, fatebantur quidem panem et vinum in veram Filii hominis Carnem, verumque ejus Sanguinem converti; verum quænam, et qualis esset illa conversio, diversimode hæretico spiritu exponebant. *Quidam* enim arbitrabantur, per hunc Filium hominis intelligi quemlibet hominem, sive justum, sive peccatorem, in cujus carnem et sanguinem conversa terrena panis et vini substantia sumeretur in remissionem peccatorum. *Aliqui* vero hunc Filium hominis existimabant esse virum eximiæ virtutis, in cujus carnem et sanguinem posse commutari panem et vinum Altaris delirabant; quæ utique hæresis damnata est in Concilio *Ephes.* ut colligitur ex declaratione undecimi anathematismi, jussu Synodi a S. Cyrillo editæ, ubi hæc *habentur: Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrifi-*

cium peragimus, Corpus quod proponitur, similiter et pretiosum Sanguinem non communis, vobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tamquam proprium Corpus effectum, et Sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat accipientes; siquidem communis caro vivificare non potest. Et hoc Salvator ipse testatum facit: Caro, inquiens, non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat. Quia vero Caro Verbi facta est propria, ob id intelligitur, et est vivifica, quemadmodum ipse Salvator ait: Sicut misit me vivens Pater, etc. Cæterum isti omnes veteres hæretici non tam Corporis et Sanguinis Domini veritatem, et actualem atque corporalem in Eucharistia præsentiam impugnasse videntur, quam negasse veritatem Carnis ipsius in Incarnatione; contendebant enim Christum solum habuisse Carnem apparenter et secundum existimationem, non realiter et secundum veritatem; unde quamvis non crederent conversionem substantiæ panis et vini in Carnem et Sanguinem Christi, non tamen hujus mysterii impugnatores recensentur a S. Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, et aliis, qui hæreticorum catalogos contexuere.

Itaque primi veritatis Dominici Corporis et Sanguinis in Eucharistiæ Sacramento impugnatores referuntur Iconomachi, idest, imaginum hostes, qui, ut habetur in VII. Synod. actione 6. contendebant unicam esse Christi imaginem ab ipso institutam, nempe panem et vinum in Eucharistia, quæ Christi Corpus et Sanguinem repræsentant. Unde Epiphanius Diaconus, post multam dissertationem, qua hoc hæreticum dogma impugnat, colligit: *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine Sanguine, et ante significationis quidem celebrationem, typos quibusdam Sanctorum Patrum hæc pie visum est nominare, etc. post sanctificationem autem Corpus proprie ac Sanguis Christi dicuntur, sunt et creduntur. Ipsi vero viri fortes volentes venerabilium imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed Corpus et Sanguis,* etc. Exhinc videre est quantum allucinentur hæretici, qui realitatem Corporis Christi negantes in Eucharistia, tuentur se auctoritate septimæ Synodi, cum tam expresse septima Synodus hoc improbet in Iconoclastis, quorum ipsi cum filii sint et imitatores, figuram tamen et imaginem Eucharisticam sibi confingunt.

Nec valet reponere, illos hæreticos, quamvis asseruerint, Eucharistiam esse imaginem et figuram Corporis Christi, propterea negasse per consecrationem substantiam panis in Corpus Christi converti; dicebant enim, *panem Eucharistiæ veluti veram imaginem naturalis Carnis per S. Spiritus aggregationem sanctificatam, divinum Corpus esse voluit, illique, sicut placuit. Medicus autem venit Sacerdos, qui ex communi sanctum id facit sacra illa anaphora;* est autem *anaphora* idem, quod pars illa Missæ, in qua sunt verba consecrationis. Hæc, inquam, responsio non impedit, quominus illi hæretici prave de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia interdum senserint; nam eo loco Epiphanius Diaconus prædictos hæreticos notat et suggillat inconstantiæ, quod modo negent præsentiam Corporis Christi, nimirum cum species Eucharisticas vocant typum et imaginem Corporis et Sanguinis Christi; modo autem sacrum et divinum Corpus appellent, quasi confiterentur præsentiam illius sub speciebus. Ex quibus saltem col-

ligere licet, eos hæreticos realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam non firma, sed fluctuanti fide credidisse; unde ipsorum hac de re anceps sententia, necnon et modus loquendi de Eucharistia, cum illam imaginem ac figuram Christi Domini Corporis et Sanguinis appellant, cæteris errandi gravius ac audacius hanc realem præsentiam impugnandi ansam præbuerunt.

Primus autem, qui hoc pessimum dogma erecta fronte induxit ac propalavit, fuit quidam Joannes Scotus, non ille quidem Subtilis Doctor de Fide et Ecclesia bene meritus, sed is qui subnominatus fuit Erigena, ex Hibernia oriundus, quæ patrio idiomate Erin, seu Eri nominatur; quia vero antiqua Hibernia etiam complectitur Scotiam, inde Joannes ille etiam Scotus fuit subnominatus. Obiisse legitur anno 876.

Ut autem ex nominis similitudine oriunda controversia præcaveatur, advertendum est imprimis, varios apud Auctores memorari hoc nomine Joannis Scoti donatos. Nam Honorius Augustodunensis, lib. *De luminaribus Ecclesiæ*, meminit cujusdam Joannis Scoti subnominati Chrysostomi, quem vixisse memorat tempore Paschasini, et Juliani Pomerii, ac subinde 300. annis ante Scotum Erigenam; siquidem Paschasinus florebat circa finem imperii Theodosii junioris, Julianus autem Pomerius sub Zenone. — Baleus autem centuria 14. cap. 32. et Cellotius Societ. Jesu in append. *Ad histor. Godescalci*, opusc. 8. duos alios distinguunt nomine Joannis Scoti illustres; *unum* quidem appellat Joannem Scotum Erigenam, qui vixit sub Carolo Calvo Francorum Rege; *alterum*, Bedæ discipulum, et Alcuini socium, quem volunt vixisse sub Carolo Magno Imperatore, ac unum fuisse ex fundatoribus Universitatis Parisiensis, ut indicat Anonymus apud Vincentium Bellovacensem in *Speculo historiarum*, lib. 23. cap. 173. his verbis: *Alcuinus*, inquit, *studium de Roma Parisios transtulit, quod illuc a Græcia translatum fuerat a Romanis, fueruntque Parisiis fundatores illius studii quatuor Monachi Bedæ discipuli, scilicet Rabanus, et Alcuinus, Claudius, et Joannes Scotus.* — Verum, quam leve sit hoc momentum, inde apparet, quod nullus fuit Joannes Scotus Bedæ discipulus, et Facultatis Parisiensis fundator; quippe cum Anonymus ille Auctor eamdem appellationem tribuat Rabano Archiepiscopo Moguntino, qui obiit ann. 856. necnon et Claudio Taurinensi; qui adhuc in vivis erat anno 839. ut testatur Hughellius in *Italia sacra*, tom. 2; ac proinde neuter eorum potuit esse Discipulus Bedæ, qui mortuus est ann. 735. *Adde quod* si hac ratione duo essent distinguendi nomine Joannis Scoti, duo pariter appelandi essent nomine Rabani, et Claudii Taurinensis: igitur nutat omnino hoc fundamentum ex Anonymo depromptum. Quapropter licet invicem non conveniant Auctores circa Joannis Scoti, vel Erigenæ ætatem, personam et dogmata, nihilominus non alium nomine Joannis Scoti, quam subnominatum Erigenam designare voluerunt.

Sed quidquid sit de illa controversia circa Joannis Erigenæ personam et ætatem, certum est, illum fuisse suspectæ fidei circa Eucharistiam, siquidem negavit, fieri conversionem substantiæ panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi; quod utique gravissimis momentis suadetur: *primo* quidem ex epistola, quam scripsit

Berengarius ad Lanfrancum, quæ incipit, *Pervenit ad me*, et extat in manuscripto codice Bibliothecæ Regis, in qua conqueritur Berengarius, quod ipse Lanfrancus pro hæretica censuerit doctrinam Joannis Scoti, de Sacramento Altaris. *Secundo*, ex epistola ejusdem Berengarii ad Asulinum, quem redarguit Berengarius, quod hæreticum appellaret et censeret Joannem Scotum, idque inconsiderate, impie, et indigne Sacerdotio suo, cui respondens Asulinus: *Joannem vero Scotum*, inquit, *nec inconsiderate, nec impie, nec indigne Sacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto nisu, totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet, quod in Altari consecratur, neque vere Corpus, neque vere Sanguinem;* hoc autem astruere nititur ex SS. Patrum opusculis, quæ prave exponit. *Tertio*, quia ejusdem Joannis Scoti liber lectus et damnatus fuit in Concilio Vercellensi, ut testatur Lanfrancus in lib. *De Eucharistiæ Sacramento*, contra Berengarium, his verbis: *In audientia omnium, qui de diversis mundi partibus, illic apud Vercellas convenerunt, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus.* Testatur etiam idem Lanfrancus, Berengarium non ex alio fonte, quam ex libro Joannis Scoti virus suæ hæresis hausisse, quem propterea tamquam auctorem sui erroris, in ignem conjicere coactus est in Concilio Romano sub Nicolao Secundo, anno 1059, sic enim Lanfrancus Berengarium alloquitur cap. 1. *Tu quoque*, inquit, *inclinato corpore, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in ignem conjecisti.* Inter combustos autem libros recensetur Joannis Scoti codex in fragmento Floriacensi, tom. 4. *Hist. Francorum*, p. 87: *In præsentia Papæ, et multorum Episcoporum, ait, Joannem Scotum igni comburens, cujus nefaria lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam.*

Repones, Joannem Scotum a plurimis haberi ut Sanctum et Martyrem; ita enim testantur Matthæus Westminsteriensis, Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus, ex Guillelmo Malmesburiensi, qui lib. 2. *De Gestis Regum Angliæ*, cap. 4. scribit: *Hoc tempore creditur fuisse Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii, et multæ facundiæ, qui dudum increpantibus undique bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Calvum transierat... Succedentibus annis munificentia Alfredi allectus, venit in Angliam, et apud Monasterium nostrum a pueris, quos docebat, graphariis, ut fertur, perforatus, etiam Martyr æstimatus est; quod sub ambiguo in injuriam sanctæ animæ non dixerim, cum celebrem ejus memoriam sepulchrum in sinistro latere Altaris, et epitaphii prodant versus, scabri quidem, et moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non ita deformes.*

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit, Sancti regnant per sæcula cuncti.

Addit Simon Dunelmensis in recapitulatione ad annum 883. *Hujus Regis Alfredi tempore venit in Angliam Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii et multæ facundiæ, qui dudum relicta patria in Franciam ad Carolum Calvum transierat... Quare et honestius putatus est... Hujus opinionis particeps fuisse cognoscitur Nicolaus Papa, qui ait in Epi-*

stola ad Carolum: Relatum est Apostolatui nostro, etc. *Propter hanc ergo infamiam tæduit eum Franciæ, venitque ad Regem Alfredum, cujus munificentia illectus, et Magisterio ejus, ut ex scriptis Regis intelligitur, Melduni resedit, ubi post aliquot annos a pueris, quos docebat graphariis foratus, animam exuit, tormento gravi et acerbo, ut dum iniquitas valida, et manus infirma sæpe frustraretur, et sæpe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquamdiu inhonorata sepultura in beati Laurentii Ecclesia, quæ fuerat nefandæ necis conscia. Sed ubi divinus favor multis noctibus super eum lucem indulsit igneam, admoniti Monachi in majorem transtulerunt Ecclesiam, et ad sinistram Altaris posuerunt.* — **Verum his non obstantibus** dubia prorsus et anceps est de Martyrio Joannis Scoti fides: *primo* quidem, quia quotquot illius meminerunt, videntur maxime niti testimonio et relatione Guillelmi Malmesburiensis: at Guillelmus id dumtaxat dubitando, et ex incerta fama refert, ut colligitur ex duobus locis, in quibus maxime de Martyrio Joannis sermonem instituit; ait enim: « Hoc tempore « creditur fuisse Joannes Scotus. Propter hanc infamiam, credo, « tæduit eum Franciæ, graphiis, ut fertur, perforatus, etiam Martyr « æstimatus est ». Quæ omnia verba omnino cespitantem ac dubium animum de relatione, quam suscipit, manifeste ostendunt. *Secundo,* scribit Guillelmus, Joannem Scotum ideo in Gallia infamia notatum, quod eum uti de fide suspectum, ad se transmittendum scripserat Nicolaus II Pontifex; et idcirco ipsum ex tunc migrasse in Angliam, quo fuerat evocatus, munificientia Regis Alfredi; quæ utique subsistere non possunt, quippe cum Alfredus non fuerit Angliæ Rex salutatus, nisi post mortem Nicolai Papæ; et per decem annos ab assumpto Regno ita bellis, et Barbarorum irruptionibus infestatus est, ut ne tantillum quidem quieverit; quomodo autem eo tempore potuisset Joannem Scotum sua munificentia allicere, ut ejus magisterio uteretur? *Tertio,* quotquot meminerunt præceptorum Regis Alfredi, non eis adscribunt Joannem Scotum, sed alterum Joannem, quem *Sapientem* appellant. Sic præcipue Asserus, qui unus fuit ex illius pii Principis præceptoribus, in rebus gestis Alfredi Regis, nominat quidem inter eos Joannem, sed ne verbum quidem facit de illius cruenta morte, quamquam paulo post referat graves persecutiones, quas Joannes Saxo, Abbas Monasterii Æthelengii in Anglia passus est a Monachis illius Monasterii. *Quarto,* sanctitas et martyrium Joannis Scoti per septuaginta annos ignota fuere in Ecclesia, scilicet toto tempore a Scoti morte, donec Guillelmus Malmesburiensis suam scripsisset historiam de Regibus Angliæ; quomodo enim Berengarius, qui Joannem Scotum in sui erroris patronum toties advocavit et laudavit, nusquam illius sanctitatis et martyrii meminisset? *Adde quod* Ascelinus non tanta constantia scribens adversus Berengarium asseruisset, Joannem Scotum esse hæreticum, et se illum pro hæretico semper habiturum, si revera illa ætate Joannes Scotus pro Martyre in Ecclesia fuisset celebratus.

URGENT HÆRETICI: Thomas Fullerus in *Historia Ecclesiæ Anglicanæ,* testatur Joannem Scotum haberi pro Martyre, et quod ejus anniversaria Commemoratio fiat 4. Idus Novemb. ut habetur in Martyrologio typis mandato Antuerpiæ jussu summi Pontificis Gregorii XIII

anno 1586. Idem habet Dominus du Saussay Episcopus Tullensis in supplemento *Martyrologii Ecclesiæ Gallicanæ* 4. Idus Novembris. Idem pariter Molanus in Ecclesia Scotica. — **Respondeo** *primo*, falsum esse quod refert ipse Thomas Fullerus; in nullo siquidem Martyrologio Romano reperitur Commemoratio Joannis Scoti ad 4. Idus Novembris jussu Gregorii XIII anno 1586. nam ipso anno jam Sixtus V, Gregorio successerat mense Majo. Similiter quod referunt Dominus du Saussay, et Molanus, nullius debet esse momenti; quippe cum id omne nitatur auctoritate Hectoris Boëtii Deidonati, quem noverunt omnes esse levioris fidei auctorem, utpote qui pro libito adjiciat vel detrahat ex antiquioribus Scriptoribus id quod sibi arriserit; unde non mirum si Molanus hoc levi fundamento nixus, graviter lapsus fuerit, cum ipsum Joannem Scotum in album Sanctorum reposuerit in appendice ad Martyrologium Usuardi, quod typis mandari voluit Antuerpiæ anno 1583. Unde Arnaldus Wion, lib. 3. *Ligni Vitæ*, sumpsit ansam scribendi, Joannem Scotum insertum esse in Martyrologio Rom. Antuerpiæ typis mandato. — Censerem ergo, hæc omnia, quæ referentur de Martyrio Joannis, vel esse supposititia, vel si vera sint, intelligenda esse de Joanne Saxonico; vel tandem si sint accipienda de Joanne Scoto, dicendum est eum a suo errore resipuisse, dum viveret, cujus indicium est, quod verisimile sit, illum a Nicolao II errorum fuisse admonitum et emendatum; siquidem Nicolaus Pontifex de Joanne Erigena scribens ad Carolum Calvum Fancorum Regem, inter cætera hæc habet: « licet multæ scientiæ esse prædicetur (Erigena), non sane sapere in « quibusdam frequenti rumore dicitur; quocirca rogat Pontifex, ut ad « sedem Romanam ipse Erigena transmittatur, quatenus ab eo resciat, « utrum vera sint ea, quæ de illius erronea doctrina vulgabantur ».

Ejusdem erroris insimulatur Bertramus aut Ratramnus primum Corbejensis Monachus, et Presbyter, deinde præpositus Orbacensis, ut testatur Flodoardus, lib. 3. *Historiæ Ecclesiæ Rhemensis*, cap. 28. Ille enim scripsisse dicitur lib. *De Corpore et Sanguine Domini* circa annum 850. in quo videtur Sacramentariis et Calvinistis facem præbuisse. Unde illum Auctorem non solum suum esse gloriantur Calvinistæ, sed etiam ipsum hæreticis accenset e Catholicis Genebrardus in Chronologia. *Verum* ab hac nota illum liberant plurimi; imprimis vero Cardinalis Perronius, qui arbitratur, errores, qui in eo libro inveniuntur, inspersos fuisse malitia et vafritie Œcolampadii, qui opus illud primus publici juris fecit anno 1532. non enim infrequens est Hæreticis, Catholicorum operibus, quibus edendis invigilant, nonnulla assuere et attexere, ut illos in sui erroris patrocinium asciscant.

At rectius sentire videntur illi, qui existimant cum illustrissimo Petro Marca, non ita pridem Parisiensi Archiepiscopo, in sua Epistola apud P. Lucam Dacherium, præfixa ejus Spicilegii tom. 2. librum illum *De Corpore et Sanguine Christi*, editum quidem fuisse a Joanne Scoto Erigena, sed vulgatum fuisse sub ementito nomine Bertrami, quo facilius sub tanti viri auspiciis hæresis virus spargeret. Quam utique suppositionem Bertramo factam, asserit quoque *Sanctesius* repetitionis cap. 14. et Sixtus Senensis in præfatione *Bibliothecæ sanctæ*, et Espencæus, lib. 2. *De Adoratione Eucharistiæ*, cap. 41. sed omnium efficacissime id probat D. Antonius Arnaldus, in suis disser-

tationibus lib. 12. *De perpetuitate fidei Ecclesiæ Catholicæ*, circa Eucharistiam; cujus utique falsæ et ementitæ adscriptionis plurima apparent indicia. — *Primo*, quod Trithemius, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, et Sigebertus, cap. 96. Ratramnum tamquam virum Catholicum laudibus celebrant; scribit enim Trithemius: *Bertramus Presbyter et Monachus in divinis Scripturis, et in litteris disciplinarum sæcularium egregie doctus, ingenio subtilis, et clarus eloquio, nec minus vita, quam doctrina insignis, præclara opuscula, de quibus ad me inter notitiam pauca pervenerunt, ad Carolum Regem fratrem Lotharii Imperatoris scripsit commendabile opus de Corpore et Sanguine Domini.* Non est autem verisimile, Trithemium Abbatem Catholicum ita Bertramum commendare, si Catholicum de Eucharistia dogma impugnasset. — *Secundo*, per totos 700. annos nemo Bertramum hæreseos reprehendit, quasi male scripsisset, nec ab ullo Scriptore hæresis insimulatus deprehenditur. Imo in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ut vir non minus vita, quam ingenio, doctrina, et eloquio illustris adscriptus est. Unde etiam Usserii, lib. *De Eccles. Christi Success. et Statu*, cap. 2. fatentur, Clerum Gallicanum eum selegisse, ut responderet objectionibus Græcorum adversus Latinos, quas objectiones ad Præsules Gallos direxerat Nicolaus Summus Pontifex. — *Tertio*, quia in gravissimis controversiis tempore Berengarii circa realem Christi præsentiam in Eucharistia, et panis ac vini in ejus Corpus et Sanguinem conversionem, nulla fuit Bertrami mentio, quem dubio procul in sui patrocinium advocasset Berengarius, si revera ex illius scriptis causæ suæ aliquod subsidium accedere potuisset. — *Quarto*, si revera Bertrami scripta Berengarianæ hæresi facem prætulissent, haud dubie in Concilio Vercellensi una cum libro Joannis Erigenæ proscriptus ac damnatus fuisset: quod cum factum non fuerit, inde argumentum est, Bertrami scripta, tamquam erroneo dogmati adstipulantia, eo tempore non habita fuisse. — *Quinto*, liber ille, qui inscribitur Ratramno seu Bertramo, diu vulgatus est absque ullo nomine Auctoris, ut colligere licet ex Ruperto Abbate in cap. 6. Joannis, ubi sic incipit respondere objectionibus hujus libri: *Hoc loco silendum non est, male quosdam ignotos, et absconditi nominis homines opinari, suis quoque defendere dictis et scriptis, panem verum, quem in sancto Altari sumimus, Patres illos manducasse tunc temporis, et bibisse, et nihilo magis hoc esse verum Corpus et Sanguinem Christi, quam fuit illud Manna, quod ille populus comedit*, etc. Hic enim Rupertus librum Bertramo tributum indicat, ut ex lectione libri patere potest, cujus tamen Auctorem ait ignotum, et absconditi nominis: ergo vere Bertrami non erat, sed alterius cujuspiam. Nec alterius certe quam Scoti Erigenæ; quod colligere licet tum ex conformitate dogmatum, *tum* quia Berengarius Epist. ad Richardum duo de libro Joannis Erigenæ notat, *primo*, quod fuerit editus ad instantiam Regis Franciæ; *secundo*, quod Rex ille non alius fuerit, quam Carolus Magnus: *Noverit regia Majestas*, inquit, *quæ scribit Joannes Scotus, monitum illum scripsisse precario Caroli Magni... Unde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium, nisi se mavult exhibere indignum Successore, et Sede illius magnifici Antecessoris sui.* Porro hæc duo maxime conveniunt libro

Joannis Scoti; Auctor enim illum inscribit Carolo Magno, testaturque se illius jussu ad scribendum de Eucharistia fuisse provocatum; sic enim habet: *Bertrami Presbyteri de Corpore et Sanguine Domini ad Carolum Magnum Imperatorem: Jubes, gloriose Princeps, ut quid de Sanguinis et Corporis Christi mysterio sentiam vestræ magnificentiæ significem, imperium quam magnifico vestro principatu dignum, tam nostræ parvitatis viribus constat difficillimum.* Ex quibus verisimile fit, librum istum primum a Discipulis Berengarii sub ementito Bertrami nomine vulgatum, ut videlicet Joannis Scoti in Conciliis Romano et Vercellensi damnati injuriam declinarent, et nihilominus inde suo errori patrocinium accerserent.

Quod utique confirmatur, *primo,* quia nullus videtur Auctor nomine Bertrami; quamquam enim Sigebertus, Trithemius, et Anonymus asserant, Auctorem nomine Bertramum scripsisse lib. *De Corpore et Sanguine Domini,* et *De Prædestinatione,* nihilominus in hoc videntur lapsi; quia manifeste declarant se levissimam dumtaxat illius Bertrami notitiam habuisse; nam Sigebertus, qui in quibusdam exemplaribus manuscriptis eum vocat Ratramnum, non indicat, an Sacerdos fuerit, aut Monachus, Abbas aut Episcopus: Trithemius quidem Bertramum Sacerdotem et Monachum appellat, ut diximus supra; nihilominus licet ter illius meminerit in suis opusculis sub nominibus Bertrami, Bertramni, et Bertranni; attamen significare non potuit, cujusnam Diœcesis, et Monasterii fuit; quamvis ipse ex 100. circiter et 50. Scriptoribus Benedictinis, quos laudat in secundo libro Virorum illustrium ejus Ordinis, neminem alium præter Bertramum refert, quin illius Monasterium, Diœcesim, et locum, in quo vixerit, declaret.

His adde, quod ut Bertramus ille non videatur confictus, et opusculum *De Corpore et Sanguine Christi,* ipsi adscriptum, distinctum appareat ab opusculo Joannis Scoti, necessum esset astruere, ac probare, *primo,* quod circa medium noni sæculi duo fuissent Auctores, unus subnominatus Joannes Scotus Auctor primæ versionis Latinæ operum S. Dionysii, alter appellatus Bertramus, aut Ratramnus, et Intramnus, aut Ratramus, et Bertramnus, aut Bertrammus; sic enim diversimode a diversis Auctoribus laudatur: *secundo,* quod uterque fuisset adversarius Paschasii contraria ipsius doctrinæ scribendo, ac docendo: *tertio,* quod eorum quisque duo composuisset opuscula ad instantiam Caroli Calvi, unum *De Corpore et Sanguine Christi,* alterum *De Prædestinatione: quarto,* quod utrumque opusculum breve ac compendiosum fuisset: *quinto,* quod neutrum eorum opusculorum nuncupatum fuisset Carolo Calvo, quamquam plurimi Auctores illius sæculi, qui de eadem materia scripserunt, suas elucubrationes ipsi Regi nuncupaverint, ut Ratramnus Monachus Corbejensis, et Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis: *sexto,* quod uterque in sui dogmatis patrocinium emendicasset sententias depromptas ex SS. Patribus Ambrosio, Hieronymo, et Augustino, quas parum sinceris explicationibus in suam sententiam detorsisset; et alia plura ejusmodi; quæ cum stare non possint, inde colligere licet, Bertrami nomen, sub quo præfatum opusculum *De Corpore et Sanguine Domini* vulgatum est, omnino larvatum ac suppositititium fuisse. *Adde quod,* etiamsi opu-

sculum illud *De Corpore et Sanguine Christi* a Ratramno Corbejensi fuisset editum, non tamen redderet Auctoris illius fidem suspectam; imo quamplurima in illo opusculo testimonia doctrinam Catholicam de *Realitate Corporis et Sanguinis*, necnon et de *Transubstantiatione* contestantur, et aperte confirmant; respondens enim ad priorem quæstionem, quam initio libri proposuerat, scribit: *Panis, qui per Sacerdotis ministerium Christi Corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, et aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur; ast interius longe aliud, multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia cœleste, quia divinum, idest, Christi Corpus ostenditur... Post mysticam consecrationem, nec panis jam dicitur, nec vinum, sed Christi Corpus et Sanguis... Sub velamento corporei panis, corporeique vini spirituale Corpus Christi, spiritualisque Sanguis existit.* Et infra: *Panis, qui offertur, ex fructibus terræ cum sit assumptus, in Christi Corpus transponitur, sicut et vinum, cum ex vite defluxerit, divini tamen significatione mysterii efficitur Sanguis Christi, non quidem visibiliter, sed operante invisibiliter Spiritu sancto.* Denique sic concludit: *Ex his omnibus, quæ hactenus dicta sunt, monstratum est, quod Corpus et Sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figura sunt secundum speciem visibilem; at vero secundum invisibilem substantiam, idest, divini potentiam Verbi, Corpus et Sanguis Christi vere existunt; unde secundum visibilem creaturam Corpus pascunt, juxta vero potentioris virtutem substantiæ mentes fidelium, et pascunt, et sanctificant.* Hac de causa non solum Galetius, sed ipsi etiam Magdeburgenses, Centuria 9. cap. 4. 6. et 8. contendunt non solum Bertramum credidisse Corpus et Sanguinem Domini super Altare poni, et inde populo distribui, sed etiam transubstantiationis habere semina; utitur enim, inquiunt, vocabulis *commutationis*, et *conversionis*. — Nec obstat, quod in eo libro scripserit, *primo*, in Eucharistia figuram esse, et quod in Ecclesia fidelium ore sumitur, fieri Corpus et Sanguinem Christi in mysterio, seu figura: *secundo*, quod Corpus ex Virgine natum non sit idem, quod ore fidelium per Sacramentorum mysteria sumitur in Ecclesia: *tertio*, quod creaturæ secundum substantiam fuerunt ante consecrationem, hoc postea consistunt. Hæc enim tria capita sunt, quæ doctrinam illius opusculi erroris insimulant. Hæc, inquam, non obstant, facile enim ex aliis ejusdem opusculi locis benigne possunt explicari: *primus* quidem locus solvi potest hac regula Facundi Hermianensis, lib. 10. cap. 6. *Solitum est*, inquit, *hæreticis ex dubiis et obscuris, quæ apud Auctores certa et manifesta sunt, male interpretari: solitum etiam est prudentiæ ac pietati Catholicæ ex indubitatis, atque evidentibus firmare ambigua, et latentia declarare.* Sed ex mox dictis constat Auctorem illius opusculi veram et Catholicam tradere doctrinam de Eucharistia, ac subinde obscuri illi loci benigne sunt interpretandi, non quasi voluerit solam in Eucharistia Christi figuram existere, sed quod species panis et vini, quibus Corpus et Sanguis obvelantur, sint eorum figuræ; nam, ut ipsemet ait, figura est obumbratio quædam quibusdam velaminibus, quæ intendit ostendens. *Secundus* vero locus æque facilem patitur interpretationem; solum enim vult, quod Corpus ex Virgine natum non sit eodem modo

in Eucharistia, quo visibiliter natus est, sed in ea existat modo speciali ac spirituali sub speciebus Eucharisticis delitescens, ac præterea sit figurativum et rememorativum sui ipsius, quatenus modo visibili ex Virgine natum cruci fuit affixum. *Denique,* tertio loco vult solum panem et vinum post consecrationem remanere secundum apparentiam substantiæ, non quod substantia panis remaneat, sed quia mediis accidentibus illa sensibus apparere videtur.

Berengarius Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, Joannis Scoti hæretica doctrina imbutus, illius virus jampridem sopitum restaurare cœpit, ac propagare circa annum Domini millesimum quinquagesimum. Juveniles egerat annos in Academia Carnotensi, sub præceptore Fulberto Carnotensi, ut colligitur ex Epistola Adelmanni Brixiensis Episcopi ad Berengarium ipsum: *Collectaneum,* inquit, *te meum vocavi propter dulcissimum illud contubernium, quod cum te adolescentulo ipse ego in Academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate Fulberto jucundissime duxi.* Sectæ suæ ipse nomen dedit, quem tamen plurimum adjuvit in hæresi sua disseminanda Bruno Andegavensis Episcopus, de qua Deoduinus Leodiensis Episcopus Epistola, ad Henricum Francorum Regem, et extat Tom. 9. Bibliothecæ Patrum sub nomine Durandi Leodiensis, cujus tamen esse non potest, nam obiit Durandus anno 1026. ut Sigebertus refert in Chronico; tunc vero nondum erat coronatus Henricus, qui anno dumtaxat 1027. coronatus est, solusque regni habenas suscepit anno 1031.

Accusatur autem Berengarius a prædicto Leodiensi Episcopo: *primo,* quod Baptismum parvulorum everteret: *secundo,* quod legitima conjugia destrueret: *tertio,* quod astrueret Corpus Domini non tam Corpus esse, quam umbram et figuram Corporis Domini. Huic accusationi subscribit Guitmundus Archiepiscopus Aversanus, in lib. 1. *De Corporis et Sanguinis Christi veritate in Eucharistia,* ubi Berengarii mores et errores in hunc modum refert ac perstringit: « Is, *inquit,* cum juve« niles adhuc in scholis ageret annos (ut ajunt, qui eum tunc nove« runt) elatus ingenii levitate, ipsius Magistri sensum non adeo cu« rabat, condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium « contemnebat. Sed cum per se attingere Philosophiæ altioris secreta « non posset; neque enim homo ita acutus erat, sed et tunc temporis « liberales artes intra Gallias pene obsoleverant; novis saltem ver« borum interpretationibus, quibus etiam nunc mirum gaudet, singu« laris scientiæ laudem sibi arrogare, et cujusdam excellentiæ gloriam « venari, qualitercumque poterat, affectabat; factumque est, ut pom« patico incessu, sublimi præ cæteris suggestu, dignitatem Magistri « potius simulans, quam rebus ostendens, profunda quoque inclusione « intra cucullum, ac simulatione longæ meditationis, et vix tandem « satis desideratæ diu vocis lentissimo quasi plangore incautos deci« piens, doctorem sese artium pene inscius profiteretur. Sed postquam « a D. Lanfranco in dialectica de re satis parva turpissime est con« fusus; cumque per ipsum D. Lanfrancum virum æque doctissimum « liberales artes Deus recalescere, atque optime reviviscere fecisset: « desertum se iste a Discipulis dolens, ad eructanda impudenter di« vinarum Scripturarum Sacramenta, ubi ille adhuc adolescens, et « aliis eatenus detentus studiis nondum adeo intenderat, sese con-

« vertit. Sed et ibi insipiens, quippe *in malevolam animam non in-*
« *troibit sapientia*, et ea, quorum novitate omnium corda permoveret,
« atque ad se omnium oculos traheret, studiose perquirens, maluit
« esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis
« Dei private vivere Catholicus. Tunc illa, quibus mundanis homi-
« nibus (etsi inculte) licet semper peccare cupientibus, placeret, ape-
« ruit; legitima videlicet conjugia, quantum in ipso erat, destruens,
« et parvulorum Baptisma evertens. Ita ut in altero, pessimis homi-
« nibus diabolus per os ejus licite omnibus fœminis abutendum esse;
« in altero cassato Baptismate infantiæ in profundum omnium malo-
« rum, utpote postmodum baptizandis impune ruere suaderet. Lege
« Epistolam Leodiensis Episcopi contra Berengarium ad Henricum
« Regem Francorum: et eisdem pene verbis eadem ipsa ibi scripta
« reperies. Illis sane diebus, et hanc quoque (contra quam Deo pro-
« pitio acturi sumus) est ausus dementissime propinare blasphemiam,
« ad hoc etiam hic diabolo militans, ut ablata veritate Dominici Cor-
« poris, peccare volentes, nulla reverentia, nullus motus percipiendæ
« sacræ Communionis ab aliquo scelere revocasset. De cæteris sane
« impietatibus, quas satis multas per id temporis evomuit, nunc te
« remorari nolo. Ita igitur hujus pestis initium accepimus ». — *Subdit*
infra, Berengarii Discipulos varios in errores fuisse divisos: « Omnes
« quidem, *inquit*, in hoc conveniunt: quia panis et vinum essentia-
« liter non mutantur, sed, ut extorquere a quibusdam potui, multum
« in hoc differunt, quod alii nihil omnino de Corpore et Sanguine
« Domini Sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras hæc, et
« figuras esse dicunt. *Alii* vero rectis Ecclesiæ rationibus cedentes,
« nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum
« esse videantur, dicunt ibi Corpus et Sanguinem Domini revera, sed
« latenter contineri, et ut sumi possint quodammodo (ut ita dixerim)
« impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam
« ajunt. *Alii* vero non quidem Berengariani, sed acerrime Beren-
« gario repugnantes, argumentis tamen ejus, et quibusdam verbis
« Domini paulisper offensi (quod suo loco dicemus uberius) solebant
« olim putare, quod panis et vinum ex parte mutentur, et ex parte
« remaneant. *Aliis* vero irrationabilem istorum sensum longe horren-
« tibus, eadem verba Domini, quibus isti moventur, non satis apte
« intelligentibus, videbatur panem et vinum ex toto quidem mutari,
« id cum indigni accedunt ad communicandum, Carnem Domini et
« Sanguinem iterum in panem et vinum reverti ».

Verum de duobus primis errorum capitibus difficultas est; siquidem de ipsis erroribus in Conciliis, in quibus damnatus est Berengarius, nulla eorum errorum fit mentio, neque in opusculis adversus ipsum editis hujusmodi errores confutati fuerunt, quos haud dubie non si-luissent Auctores, si revera de iis Berengarius fuisset insimulatus. Guitmundus id quidem asserit ex Epistola Theoduini Episcopi Leo-diensis; Theoduinus autem ex fama, quæ omnium, ut ait, repleverat aures; fama autem, ut plurimum mendax est; ac proinde Conciliorum, et Patrum hac in re silentium, argumentum est, Berengarium de his duobus erroribus non fuisse accusatum.

Igitur propria et singularis Berengarii hæresis in eo sita fuit, quod

negaret in Eucharistia veram fieri substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi conversionem; quamvis enim initio Berengarius cum Discipulis inficiaretur realem Christi præsentiam, nihilque Corporis et Sanguinis Domini Sacramentis inesse contenderet, sed umbras tantum, et figuras: in progressu tamen Ecclesiæ rationibus convictus, dixit in Sacramento Corpus et Sanguinem Domini revera inveniri, sed una cum pane et vino; unde transubstantiationem aperte negabat.

Porro Berengariana hæresis (si Durando Abbati Troarnensi in Normannia, p. 9. credatur) talem habuit progressum, cum anno 1053. Berengarius Normanorum finibus irrepsisset, atque in cœnobium Pratellis nuncupatum appulisset, honeste exceptus est, atque fortiter confutatus ab Abbate, qui Durandi familiaris erat, et cum quo de blasphemiis ipsius collocutus fuerat; inde digressus, Normanorum Principem adiit festinus, quem sua quoque irretire perfidia subtiliter attentavit, sed frustra; nam Princeps apud Brionam viros, quos potuit, eruditos coëgit, præfatumque hæresiarcham cum alio quodam Clerico, in cujus eloquentia victoriæ spem posuerat, ita coram omnibus confutavit, ut ei silentium imponeretur, atque extorqueretur assensus fidei Catholicæ. Hinc non sine pudore evadens, Carnutum petiit, ubi Clericis ejusdem urbis illum interrogantibus de eadem quæstione, promisit se responsurum, si opportunitas daretur. Postea vero respondit per litteras multa vanitate refertas.

Cum tamen virus latenter et aperte jam propagaretur, Henricus Francorum Rex Concilium Parisiis cogi præcepit 17. Kal. Novembris, in quo Berengarius audiretur; sed nec comparere ausus est, nec Bruno Andegavensis interesse. In eo Concilio, lectis quibusdam litteris Berengarii ad amicum (quæ interceptæ fuerant), damnatus est Auctor, damnati complices, una cum codice Joannis Scoti, ex quo sumpta videbantur ea quæ damnabantur; Auctor cum sequacibus ejuraret errorem, aut morte plecteretur, decretum fuit. Ea autem ordinatione territi Berengarii Discipuli, fidem Catholicam professi sunt juxta mentem hujus Concilii. Eodem quoque anno tria adversus hanc nascentem hæresim coacta fuerunt Provinciæ Turonicæ Concilia, de quibus meminit Bruno, Epist. citata.

Dum autem hæc in Galliis agerentur, Leo Pontifex hujus nominis IX, an. 1050. adversus eamdem hæresim Synodum Romæ convocavit, in qua quid actum fuerit, ostendit Lanfrancus in *Commentario*, quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua* (alloquitur Berengarium ipsum) *ad Apostolicam Sedem. Qui cum Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordines e diversis Regionibus religiosarum Personarum: jussum est in omni audientia recitari, quas mihi de Corpore et Sanguine Domini litteras transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus me in Northumania non reperto, tradidit eas quibusdam Clericis: quas cum legissent, et contra usitatissimam Ecclesiæ fidem scriptas animadvertissent, zelo Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te, quam de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris, putantibus multis, me fovere, ac favere, quæ a te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem, vel fide, qua revera ita esse indubitanter tenerem.*

Igitur cum a quodam Rhemensi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto, quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, privans te Communione Sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sancta ejus Communione satagebas. Post hæc præcepit Papa, ut surgerem, pravi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctoritatibus, quam argumentis probarem. Itaque surrexi; quod sensi, dixi, quod dixi, probavi: omnibus placuit, nulli displicuit. Hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato Berengario, ipse Lanfrancus absolutionis sententiam retulit. *Insuper* eodem an. 1050. aut 1053. celebratum est Concilium Vercellense, ad quod evocatus Berengarius, et comparere detrectans, damnatus fuit una cum libro Joannis Scoti, ut refert Lanfrancus in *Commentario: Dehinc,* inquit, *declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo Septembri eodem præsidente Pontifice est celebrata Vercellis, ad quam vocatus non venisti. Ego vero præcepto et precibus præfati Pontificis usque ad ipsam Synodum suam remansi. In qua, in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus; sententia tua exposita, ac damnata: fides Sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, et tenendam astruo, audita, et concordi omnium sensu confirmata. Duo Clerici, qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim congressu defecerunt, et capti sunt. Ab hac sententia numquam discessit S. Leo in omnibus suis Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis Provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ Papam Victorem.* Hucusque Lanfrancus de Synodo Vercellensi. Cujus meminit etiam Guitmundus in libris, quos scripsit de Corpore et Sanguine Christi, eidemque præfuisse Leonem Pontificem tradit. — Defuncto Leone IX Berengarius verbis et scriptis memoriam ejus infuscare tentavit, eumque *infatuatione Lanfranci infatuatum, vanitatis Consilium adunasse blasphemavit;* cujus insaniam et audaciam, ut comprimeret Victor II Leonis successor, Concilium Turonis coëgit an. 1055. ut scribit Guitmundus: cui per Legatos, maxime per Hildebrandum, qui postea fuit summus Pontifex nomine Gregorius VII præfuit. In ea Synodo data est optio Berengario causæ suæ defendendæ; at illam tueri reformidans, communem Ecclesiæ fidem iterum professus, juravit se ab illa hora ita crediturum, nec usquam ab ea recessurum; quod utique juramentum confirmavit propriæ suæ manus syngrapha. — Verum hæresiarcha, sui sacramenti immemor et violator, ad vomitum rediit; unde ne virus ultra serperet, Nicolaus II Romæ Concilium ex 1013. Episcopis, cui et Berengarius interfuit, an. 1059. coëgit, ibique iterum ejus sententia a Patribus examinata, atque damnata fuit; cui damnationi ipsemet Berengarius subscripsit, sicut et professioni fidei, quam mandantibus Concilii Patribus Umbertus Episcopus Cardinalis sub hac formula condiderat: « Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauricii « Andegavensis, cognoscens veram, Catholicam, et Apostolicam fidem, « anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hactenus in- « famatus sum, quæ astruere conatur, panem et vinum, quæ in Altari

« ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, et non « verum Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse; nec « posse sensualiter in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, « vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ « Romanæ et Apostolicæ Sedi, et ore et corde profiteor de Sacramentis « Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus et venerabilis « Papa Nicolaus, et hæc sancta Synodus auctoritate Evangelica et « Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem et « vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sa- « cramentum, sed etiam verum Corpus et Sanguinem Domini nostri « Jesu Christi esse: et sensualiter non solum Sacramenta, sed in veri- « tate manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri: « jurans per sanctam, et homousion Trinitatem, et per hæc Sacro- « sancta Christi Evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, « cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse « pronuntio. Quod si ego ipse aliquando contra id sentire ac prædi- « care præsumpsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto, et perlecto « sponte subscripsi ». Ita referunt Lanfrancus, Guitmundus, et Alge- rus, habeturque *De consecr.*, dist. 12. quæst. 1.

Post tam solemne sacramentum, Protheus levis Berengarius, fide- fragus et sacrilegus violator, veritatem Catholicam iterum impugnavit scriptis ac dictis nefariis, Ecclesiam regente Alexandro II. Cui cum post mortem successisset Gregorium VII Concilium Romæ in Ecclesia sancti Salvatoris, an. 1079. denuo coëgit, cujus acta habentur apud eumdem Gregorium, lib. 6. *Epistolarum*, post Epist. 17. ubi firmata veritate Catholica, convictus iterum Berengarius, veniam exoravit, et iterum hanc suæ fidei professionem emisit: *Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor panem et vinum, quæ ponuntur in Altari per mysterium sacræ orationis, et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram ac propriam ac vivificatricem Carnem et Sanguinem Jesu Christi Domini nostri; et post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum San- guinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum, et virtutem Sacramenti, sed in veritate naturæ, et proprietate substan- tiæ. Sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligetis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo.* Ita habetur in Editione Lanfranci an. 1540. opera Francisci Quadrati adornata ex vetusto co- dice Bibliothecæ Beccensis Monasterii. Quamvis enim opus Lanfranci editum sit ante obitum Alexandri Papæ, ad quem Lanfrancus ad Ar- chiepiscopatum Cantuariensem assumptus, opus suum transmiserat; potuit tamen professio illa fideliter exscripta operi illi adjici, utpote argumento illius peropportuna. Utut sit, ex actis Concilii Romani habetur, Berengario præcepisse Gregorium VII ne amplius de Corpore et Sanguine Domini cum aliquo disputaret; nisi forte eorum, qui ejus doctrina decepti, in errorem prolapsi fuerant, ad fidem Catholicam reducendorum gratia. Absoluto Concilio, secum per aliquod tempus Berengarium paterna benignitate summus Pontifex detinuit, ut insta- bilitatem viri toties lapsi figeret, et fidei constantiam probaret. Explo- rata vero illius in fide firmitate, cum post multas moras ad proprios

lares cum litteris commendatitiis remisit, quibus et rectam illius fidem testatus est, vetuitque ne ullum vel personæ, vel bonis ejus nocumentum importaretur.

Quis autem fuerit exitus Berengarii, et utrum in fide Ecclesiæ ad finem usque constans perseveraverit, non convenit inter Catholicos, et hæreticos; hi namque contendunt cum Bertoldo continuatore Hermanni ad an. 1083. ipsum in errorem relapsum, in eo obiisse. *Verum* communis Catholicorum sententia est, Berengarium peracta suarum culparum aut errorum pœnitentia, in Ecclesiæ Romanæ fide et communione diem ultimam clausisse. Ita imprimis testatur Gulielmus Malmesburiensis, lib. 3. *De gestis Anglorum*, ubi illius morientis extrema verba fidei professionem continentia refert: *Licet*, inquit, *Berengarius primum aliquarum hæresum defensione infamatus fuerit, ævo posteriori ita resipuit, ut sine retractatione habeatur sanctus: innumeris bonis, maxime autem humilitate, et eleemosynis approbatus est. Secundo*, egregiis laudibus ac epitaphiis celebratus est ab Hildeberto, qui postea fuit Episcopus Cenomanensis, et a Baldrico Abbate Burguliensi; quod utique argumentum est manifestum, ipsum in Ecclesiæ Romanæ communione vita fuisse functum. *Tertio*, quia sepultura Ecclesiastica donatus fuit in claustro S. Martini Turonensis, ut scribit Papirius Masso, lib. 3. *Annalium Franciæ*, ex chronico Turonensi Joannis Monachi, necnon ex chronico S. Martini Turonensis. *His adde*, quod idipsum testentur quam plures historici, nec dissentit Baronius ipse ad an. 1088. quamvis Hildebertum arguat, quod gloriosius, quam hæresiarchæ toties sacrilege relapsi conditio postularet, epitaphium ei scripserit. Neque enim iis honoribus excipiendus est hæreticus etiam pœnitens; quamvis enim ipse resipiscat, tamen erroris sui pestifera semina reliquit; quod maxime verum est de Berengario, ut notavit Gulielmus Malmesburiensis, lib. 3. *De gestis Anglorum*, ubi hæc scribit: *Berengarius plane, quamvis ipse sententiam correxerat, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeo pessimum est alios exemplo, aut a bono infirmare; quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum.* Et sane cum Berengarii retractatione, et obitu ejus errores extincti non sunt, sed infeliciter pullularunt diversis sæculis, apud diversas sectas hæreticorum. Unde apparet deceptum fuisse Bertoldum, non solum quia Berengarius non est mortuus an. 1083. sed 1088. verum etiam quia cæteri historici ipsius Bertoldi auctoritati sunt præferendi.

His hæreticis adnumerandi sunt Petro-Bruziani, Petri de Bruis discipuli circa a. 1126. qui nolebat infantes extra ætatem discretionis baptizari, et inter alios similes errores, etiam veritatem Corporis et Sanguinis Domini in Eucharistia, ejusque juge in Ecclesia offerri solitum sacrificium deridebant.

His accensendus est Joannes Wicleffus Anglus circa a. 1312. Nam, ut in Concilio Constantiensi, Sess. 8. refertur, substantiam panis et vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, et accidentia panis non manere sine subjecto sustinuit; et Christum in eodem Sacramento realiter adesse negavit, et Sacerdotem in peccato mortali existentem non conficere, neque consecrare Eucharistiam tradidit. Ejus errores secutus est Joannes Hus Boëmus, ut patet ex Sess. 57. ejusdem Con-

cilii, et ex processibus contra illum factis, ac per testes idoneos et locupletes probatis. Nihil tamen contra Eucharistiam scripsit, nec illum errorem omnes ejus discipuli secuti sunt.

Denique orti sunt Lutherani, et Calvinistæ, quorum infinitæ adhuc circa Eucharistiam, mutuoque inter se pugnantes sunt erroneæ sententiæ. Etenim, *inquit* Gamachæus, Lutherus initio negavit realem Christi in Sacramento præsentiam, ut colligitur ex ejus lib. *Ad Valdenses*, ubi negat Eucharistiam adorandam esse; dubitat etiam an Divinitas Christi sit in Eucharistia simul cum humanitate. Et lib. *De Captivit. Babyl.* asserit, Sacramenta Legis novæ esse nuda signa. Legi adhuc potest sermo, quem scripsit *De Natali Domini*. Ad extremum tamen, cum sæpius opinionem mutavisset, conclusit Christum realiter esse in Sacramento, sed simul cum substantia panis et vini, ut liquet ex ejus Epistola ad Argentinenses: *Vellem*, inquit, *posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia, præter panem et vinum; magno ille beneficio me devinciret; jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, et videbam me hoc modo plurimum posse Papatui incommodare; verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta, textus Evangelii nimis est apertus.* Agnovit ergo tandem Lutherus realem Christi in Sacramento præsentiam, neque in eo fuit tunc proprie hæreticus, sed solum quod dixerit substantiam panis et vini simul cum Christi Corpore et Sanguine remanere, ut inferius suo loco ostendetur. Nec tamen discipuli Lutheri eamdem doctrinam tenuerunt, sed Carlostadius statim ab eo defecit, ac primam Berengarii hæresim amplexus est, idemque fecit Zuinglius, licet uterque Luthero antea adhæsisset.

Calvinus vero circa a. 1534. omnium se judicem, arbitrumque constituit, ut ipse loquitur, lib. *De Cœna Domini*, et Lutherum damnavit, quod diceret, Christum revera esse in Sacramento; damnavit etiam Carlostadium, ac Zuinglium, quod assererent, nil esse in Sacramento præter figuram Corporis et Sanguinis Christi; nihilominus tamen quidquid fingat homo astutus, quamcumque in partem et faciem se convertat, idem omnino affirmat, quod Zuinglius et Carlostadius, ut patet ex lib. *De ratione ineundæ concordiæ*, tom. 2. Opusculorum, solisque verbis dissidet; docet enim Corpus Christi solummodo esse in cælo, et tamen sumi a nobis realiter, sed non substantialiter, solumque derivari in nos quamdam ejus virtutem, per quam interius reficiamur, eamque virtutem vocat *substantiam Corporis Christi*, eo quod sit substantialis ejus qualitas, ut si quis calorem vocet substantiam, aut virtutem substantialem ignis. Lib. etiam 4. *Instit.*, cap. 17. § 12. *Si solem*, inquit, *conspicimus radiis micantem ad generandos fœtus, suam quoque substantiam quodammodo ad terram trajicere, cur inferior erit Spiritus Christi irradiatio ad communionem Carnis et Sanguinis in nos traducendam?* Moxque addit, *Corpus Christi esse finitum pro perpetua Corporis humani ratione, et contineri cælo, quo semel receptum est, donec ad judicium redeat, ita ut sit nefas sub elementa hæc corruptibilia ipsum retrahere, aut ubique præsens imaginari.* Et § 19. *Quemadmodum e fonte hauritur aqua, et ducitur per canales ad rigandos agros, quia scaturigo novam fonti largitatem subministrat, ita etiam Caro Christi instar fontis est, et vitam a Divinitate in se scaturientem ad nos transfundit.* Tandem concludit § 30. *Quamvis Christus ubique sit*, non

tamen totum, quod in eo est, ubique esse, quia in Carne sua cælo comprehenditur, donec in judicium appareat, et quamvis sit speciali modo in Eucharistia, non tamen, inquit, *ibi est totum, sed totus.* Et § 31. *Longe falli eos, qui nullam Carnis Christi præsentiam concipiunt, nisi in pane sistatur, vel nisi in tegumento panis lateat, quasi non posset esse præsens, nisi descendat ad nos, cum et possit nos ad se evehere, et sufficiat arcana Spiritus operatio, quæ Christum nobis uniat.*

His ita prælibatis, adversus hos omnes præfatos errores, et errones stabilienda est Catholica veritas circa realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis omni argumentorum illorum genere, quibus certissima fidei dogmata, et apud hæreticos indubitata demonstrari solent: 1. quidem ex promissione; 2. ex institutione Eucharistiæ; 3. ex Traditione divina et Apostolica; 4. ex unanimi Christianarum Ecclesiarum consensione, etiam ante ortum Sacramentariorum et Calvinistarum erroneum dogma.

Conclusio unica. — Vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguis Christi Domini sunt sub speciebus Eucharisticis. Hæc est de fide determinata in Conciliis Nicæno, Lateranensi sub Innocentio III, Constantiensi, et Florentino; novissime autem, et expressissime in Trident., Sess. 13. cap. 1. his verbis: *Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, atque hominem vere,* idest, non tantum figurate, *realiter,* idest, non tantum objective, *ac substantialiter,* idest, secundum substantiam, et non tantum secundum effectum, *sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Et Can. 1. ejusdem Sessionis, sic inquit: *Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Hanc Catholicam veritatem Doctor Subtilis, tamquam verus Ecclesiæ Catholicæ filius, apertissime tradidit 4. dist. 10. q. 1. n. 3. *De primo,* inquit, *dico, quod Corpus Christi esse ibi vere realiter, est simpliciter de substantia fidei eo modo, quo veritas alicujus Sacramenti pertinet ad articulos fidei; ista enim veritas a principio fuit expresse tradita, ex quo Eucharistia fuit instituta.*

§ I. — *Probatur vera, realis, et substantialis Corporis et Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia ex Verbis Christi Domini Eucharistiam promittentis.* — Cum Christus Dominus sit ipsa veritas et sapientia, aperte constat, quod nec falli, nec fallere, nec subinde promissa negare potest; unde sic argumentari licet: quod Christus promisit se daturum, revera concessit et implevit: sed promisit constantissime se daturum vere et realiter ac substantialiter Corpus et Sanguinem suum in cibum et potum: igitur revera utrumque concessit: at non aliter, nec alibi, quam instituendo Eucharistiam: igitur hæc Christi Domini Corpus et Sanguinem vere et realiter continet. *Majorem* ultro admittunt hæretici. *Minor* vero clarissime patet ex illis verbis Joan. 6. ubi Christus ex occasione celebris illius miraculi, quo

multiplicatis quinque panibus, quatuor et amplius hominum millia satiaverat: *primum*, eos instruit de suæ Incarnationis mysterio. Cum enim turba ei dixisset: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit Jesus et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Cumque circumstantes dixissent: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cælo dedit eis manducare;* hoc est, Moyses suam ad homines a Deo delegationem probavit ex concessione Manna; tu vero quodnam signum profers, ut probes te verum esse Messiam? Duo respondet adorandus Salvator: *primo*, quod Pater dederit ipsis panem de cælo verum fide percipiendum, nempe credendo eum esse vere Messiam: *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum; panis enim Dei est, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo.* Cum autem ei dixissent Judæi: *Domine, da nobis hunc panem;* respondit Jesus: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.* Cum autem murmurarent Judæi, quod dixisset: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*, et dicerent: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus Patrem, et Matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?* Respondit *ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem, nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei*, etc. Quibus omnibus declarat, se verum Messiam fide credendum, quatenus videlicet ipsa fides de ipsius Incarnatione animam illustrando eam præparet, ac disponat ad recipiendum irriguum gratiæ et donorum cælestium, quibus anima velut divino cibo et potu reficiatur ac saginetur. *Secundo*, respondens ad præfatam Judæorum objectionem, ut verum se Messiam probet, et longe Moyse præstantiorem, utpote qui concessurus sit panem de cælo verum, et longe excellentiorem Manna, quia, qui manducaverunt Manna in deserto mortui sunt, qui vero manducaverit panem, quem ipse daturus erat, vivet in æternum. *Tum*, quis sit ille panis concedendus, statim aperit, dicens: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Cum autem litigarent Judæi ad invicem, dicentes: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* statim subdit, prius assertum confirmans: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus, qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, et mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Reponunt Hæretici, Christum ibi loqui de manducatione spiritali, quæ fiat non ore corporis, sed mentis, seu per fidem, qua quis sumendo Eucharistiam, credit se recipere Corpus et Sanguinem Christi.— **Contra**, manducatio panis illius cælestis, quem Christus promittit se

daturum, diversa est ab ea, de qua prius sermonem instituerat, dicendo se panem esse verum ab æterno Patre datum: sed hæc fit per fidem, ut mox dictum est: igitur Eucharistica manducatio non fit solum per fidem. *Probatur major: primo,* quia Christus, cum de manducatione sui per fidem loquitur, non loquitur in futuro, sed in præsenti vel præterito, ait enim: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum,* quia objectum fidei semper est præsens. Fides enim, inquit S. Bernardus, est exemplar quoddam æternitatis, quæ præterita, præsentia, futura suo vastissimo sinu comprehendit: manducatio autem panis, quem dicit esse Carnem suam, non dicitur præsens, sed futura: ait enim: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est,* quia videlicet hoc Sacramentum nondum instituerat. — *Secundo,* Christus ibi expresse distinguit manducationem suæ Carnis a potione sui Sanguinis, dicens: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus:* at si loqueretur solum de manducatione per fidem, illa distinctio inanis erat et superflua; siquidem comestio et potio per fidem, sunt unum, et idem, fiuntque eodem modo, videlicet credendo in Christum, igitur ibi non erat sermo de sola manducatione per fidem. — *Tertio,* Christus Dominus ibidem ait: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus:* at si Caro manducaretur, et Sanguis biberetur solum per fidem (sicut volunt Calvinistæ), Caro non esset vere cibus, nec Sanguis vere potus, sed tantum metaphorice; sicut enim fides est tantum animæ gustus, et os animæ metaphoricum, ita ejus cibus et potus, est tantum cibus et potus metaphorice; non autem vere et proprie; igitur manducatio Christi in Eucharistia non solum fit per fidem, sed vere, realiter, et substantialiter Christi Domini Corpus et Sanguis sumuntur a fidelibus; quod præclare explicat S. Hilarius, lib. 8. *De Trinit. De veritate Carnis et Sanguinis,* inquit, *non relictus est ambigendi locus, nunc enim, et ipsius Domini professione, et fide nostra vere Caro est, et vere Sanguis est.* — *Quarto,* panis, quem spondet Christus, longe præstantior est Manna; ait enim: *Hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, et mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* sed si Eucharistia esset tantum figura Corporis Christi, non debuisset præferre ipsam Manna; nam Manna fuit etiam figura Christi Corporis, ut diximus supra; et Patres, qui manducaverunt manna in deserto, in Christum crediderunt, ac subinde spirituali manducatione per fidem Corpus ejus comederunt. — *Quinto,* præfata Redemptoris verba: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus,* eam manducationem et potionem significabant, quæ non solum Judæis litigio fuit et scandalo; his enim auditis Judæi *litigabant ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* sed etiam quibusdam Discipulis, qui dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest illum audire?* Sed illi revera intelligebant realem et substantialem manducationem et potionem; neque enim vel tenuissimam causam habuissent litigii, scandali, vel offensionis, si Christum de spirituali manducatione, vel de signo Corporis sui instituendo locutum existimassent. *Insuper* Christus Dominus nullo negotio hoc scandalum sedare potuisset ac removere unico verbo, declarando se loqui dumtaxat de manducatione figurali, *et per fidem,* sicut prius fecerat; nam, ut sedaret eorum murmur, quod

dixerat: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*, statim dixit, *qui credit in me, habet vitam æternam:* sed tantum abest, ut hac interpretatione removeat illam existimationem, quam ipsi habebant de futura reali manducatione sui Corporis, et potione sui Sanguinis, quod utique eorum offensionem et scandalum eliminaret, quin imo illam existimationem confirmat, subjungendo: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ut autem tanti mysterii fidem conciliaret, iterum subdit: *Hoc vos scandalizat: si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* Quasi volens rem mirabilem alia æque mirabili, nempe reali sui Corporis in Cælum ascensione confirmare. Quis autem credat, Christum Dominum totum ad hominum salutem comparatum, qui verbo uno et facili dictorum explicatione potuisset Discipulos, et Capharnaitas ab errore liberare, eorum tamen intelligentiam, quantumvis rationi duram (et reipsa, si vera esset Calvinistarum sententia falsam), confirmare voluisse, subindeque erroris tenebras non repulisse, sed auxisse per tot attestationes et confirmationes? *His adde*, quod illa Christi Domini verba de vera Christi Carne in cibum danda et ore sumenda intellexit Concilium Ephesinum in approbatione Epistolæ Cyrilli ad Nestorium, ubi S. Doctor ex eo Joannis loco Carnem Christi esse vere, realiter, et substantialiter unitam Verbo divino confirmat, quia ab eo haurit, ut in Sacramento accedentes vivificet. *Confitemur*, inquit, *incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sanctæ Carnis et pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam, ut carnem communem suscipimus, absit hoc, aut rursus tamquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti, sed tamquam vere vivificati, ipsius Verbi propriam. Nam cum vita sit, ut Deus secundum naturam, simul atque unum quoddam cum ipsa carne effectus est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat, Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis; neutiquam tamen illam communem, hoc est hominis cujuspiam nostræ conditionis carnem existimare esse debemus. Quomodo enim hominis caro secundum suam ipsius naturam vivifica esse queat? Sed vere illius propriam, qui nostri causa Filius hominis et factus, et appellatus est.* Eodem modo locum illum de reali Carnis Christi præsentia intelligit Conc. Nicænum II. Act. 2. *Nullus*, inquit, *incruentum sacrificium nostrum dixit imaginem Corporis ejus, sed audiunt Evangelice, dicente eo: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis.*

In eumdem sensum locum illum SS. Patres interpretati sunt. Cyrillus enim Alexandrinus in Joannem, ad hæc verba: *Qui manducat meam Carnem*, etc. *Quemadmodum*, inquit, *si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit, eodem quoque (opinor) modo, qui Salvatoris nostri Carnem suscipit, et bibit pretiosum ejus Sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodo, et immixtus ei per illam participationem, ita ut in Christo quidem ille reperiatur, et vicissim Christus in ipso.*

Idipsum clarissime docet S. Hilarius, lib. 8. *De Trinit.*, ubi ex verbis illis probat Patrem et Filium unum esse, non solum affectu et con-

sensu, sed etiam natura, quia Christus nobiscum in Eucharistia non solum charitate et fide, sed vere etiam et realiter unitur: *Eos nunc*, inquit, *qui inter Patrem et Filium ingerunt voluntatis unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum Caro factum est, et nos vere Verbum Carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam Carnis nostræ tam inseparabilem sibi natus homo assumpsit?* Et post plura in hanc rem peropportuna, sic habet: *Quæ scripta sunt, legamus, et quæ legimus, intelligamus, et tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi unitate, quæ discimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie discimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est cibus, de veritate Carnis et Sanguinis non relictus est ambigendi locus.* Eodem modo præfatam Christi Domini promissionem interpretantur Irenæus, lib. 4. c. 34. Origenes, Homil. 16. in lib. *Num.* Cyprianus, lib. *De Orat. Dominica*. Ambrosius, lib. 4. *De Sacramentis*, et omnes alii Patres infra laudandi.

Instant hæretici: Christus Dominus luculenter aperuit ac declaravit, se dumtaxat loqui de manducatione spirituali, quæ fiat per fidem, nam, ut corrigeret murmur Judæorum, et offensionem Discipulorum, qui illius verba de promissa manducatione suæ Carnis et potione sui Sanguinis ægre et acerbe audierant, subjunxit: *Spiritus et vita sunt*, idest, verba, quibus promitto vobis Carnem meam in cibum, et Sanguinem meum in potum, spiritualiter intelligenda sunt, neque de manducatione corporali, quæ fiat per os corporis, sed de spirituali, quæ fiat per fidem, sunt accipienda; unde statim subjicit: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt:* igitur prætata Christi promissio non infert illius realem præsentiam in Eucharistia. — **Nego consequentiam,** *et ad antecedens* dico, Judæos, et Discipulos offensos ex verbis Christi duo in illis apprehendisse, nempe realem Carnis Christi præsentiam, et carnalem illius comedendi modum, quod Caro in frusta dividitur, dentibus premitur, in stomachum trajicitur, et concoquitur, ac multiplici facta mutatione, convertitur in substantiam comedentis. *Priorem* apprehensionem et intelligentiam non correxit; imo confirmavit Christus Dominus ut supra diximus; *posteriorem* vero emendavit, docendo modum, quo Caro ejus esset comedenda, et Sanguis potandus, nimirum realiter quidem, non tamen in propria specie Carnis et Sanguinis, ut existimabant Judæi Capharnaitæ, ac Discipuli offensi, sed in aliena, ac propterea dixit: *Caro non prodest quidquam*, si videlicet carnaliter ac more carnis animalium manducetur et deglutiatur; sed *verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt*, continent enim spiritualem hunc vivificum et reconditum sensum, quod Caro Filii hominis manducanda vobis erit, sumendo eam sub aliena quidem specie, sed tamen credendo sub hujusmodi specierum involucris Corpus et Sanguinem Christi realiter delitescere. Ita prætata Christi Domini verba interpretatur S. Augustinus, Tract. 27. in Joannem: *Non prodest quidquam*, inquit, *sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, proinde sic dictum est:* Caro non prodest quidquam: *quomodo dictum est*, Scientia inflat? *jam ergo debemus odisse scientiam, si sit sola, et sine*

charitate, et ideo adjungit: Charitas vero ædificat; *adde ergo et scientiæ charitatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc Caro non prodest quidquam; accedat spiritus ad Carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum; nam si Caro nihil prodesset, Verbum Caro non fieret, ut habitaret in nobis.* Et paulo post subjicit: *Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum Carnem meam,* hoc est, dentibus mandendam, et commolliendam, quia sic comesta nihil prodesset, sed horrorem potius ingeneraret.

INSTANT: Ipsemet S. Augustinus, lib. 3. *De Doctrina Christiana,* cap. 16. tradendo regulam, qua locutiones figuratæ in Scripturis discernantur a genuinis et litteralibus, scribit: *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficientiam jubens, non est figurata; si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, ac beneficientiam vetare, figurata est.* Quod ut probet, profert in exemplum hæc Christi Domini verba: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus, vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, præcipiens Passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recolendum, quod pro nobis Caro ejus crucifixa et vulnerata sit;* igitur ex mente S. Augustini Christus Dominus, Joann. 6. promittens suam Carnem in cibum, non intelligit Carnem ipsam suam realiter et substantialiter, sed solum in figura donandam. — **Nego consequentiam:** S. enim Augustinus ibi tantum ait, Eucharistiam esse quidem figuram crucifixionis Christi, cui præcipimur communicare, non vero dicit esse figuram Corporis Christi. Unde non negat in Eucharistia contineri verum Corpus et Sanguinem Christi, quasi hæc esset dumtaxat Corporis et Sanguinis figura, sed solum, quod figurata sint illa verba Christi Domini secundum existimationem, qua quis cogitaret Carnem Christi visibili et cruento modo esse comedendam, ex eo quod Christus præcipiat, ut sumendo Eucharistiam recolatur memoria ejus Passionis; si enim modo cruento præciperetur manducanda Eucharistia, sicut modo cruento fuit Christi Corpus crucifixum, hoc esset flagitium; cum autem flagitium non sit Carnem Christi incruento, invisibili, et spirituali modo, realiter tamen porrectam comedere, ita respectu illius existimationis Christi verba non sunt figurata. Quod autem hæc sit genuina mens S. Augustini, aperte colligitur ex c. 10. ubi inquirens quomodo distinguenda sit figurata locutio a propria, *Demonstrandus est,* inquit, *modus inveniendæ locutionis, propria ne an figurata sit. Iste omnino modus est, ut quidquid sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscat. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum, et proximum pertinet.* Cum autem distribuisset peccata in flagitia, et facinora: *Quod agit,* inquit, *indomita cupiditas, ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium vocatur; quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur; et hæc sunt duo genera omnium peccatorum.* Post pauca subdit: *Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sint, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata*

sunt. In cujus veritatis exemplum profert unctionem pedum Christi Domini a Magdalena, quæ in aliis vulgi hominibus luxui deputaretur, in Magdalena vero magnæ cujusdam rei signum est; quod etiam declaravit Christus Dominus, nam cum de hujusmodi unguenti effusione murmuraret Judas Iscariotes et diceret: *Quare hoc unguentum non veniit* 300. *denariis, et datum est egenis?* respondit Jesus, Matth. 26. *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me, nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis, mittens enim hæc unguentum hoc in Corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Subjicit etiam in hujus figuratæ locutionis confirmationem S. Augustinus conjunctionem Oseæ Prophetæ cum meretrice, Deo jubente, initam, similis enim conjunctio in perditis hominibus est flagitiosa, in Osea vero grandis mysterii fuit figura. Porro hujusmodi figuræ rei veritatem non excludunt; nam, ut testatur S. Augustinus, Epist. 119. c. 8. Sabbatum Judæis præceptum est in otio corporaliter celebrandum, ut esset figura spiritalis quietis in æterna beatitudine consequendæ; attamen præceptum illud ad otium corporale Judæos etiam obstringebat. Sic pariter ex eodem S. August., lib. *Contra mendacium*, c. 13. quando Christus interrogavit de Lazaro mortuo, et sepulto: Ubi posuistis eum? et quando apparens Discipulis euntibus in Castellum Emmaus, finxit se longius ire; constat quia vere interrogavit, et vere finxit se longius ire; igitur illa verba Christi Joann. 6. non eo sensu figurativa sunt, quod non significent id, quod exprimunt, nempe Corpus et Sanguinem Christi, sed quia aliud minime expressum figurant, videlicet modum spiritualem et incruentum, quo Caro Christi manducari debeat, et Sanguis ejus potari.

§ II. — *Probatur eadem veritas ex verbis Christi Domini instituentis Eucharistiam.* — Tam aperta sunt, tamque perspicua Christi Domini Eucharistiam instituentis oracula, quibus contestatur se verum suum Corpus, verumque Sanguinem suis Discipulis tradere, ut in meridie quærat tenebras quisquis illa verba ad tropologicas locutiones et figurales interpretationes nititur detorquere; ait enim Matth. 26. Marci 14. et Lucæ 22. tradendo Corpus suum sub specie panis: *Accipite, et manducate, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur,* etc. et porrigendo Sanguinem sub specie vini: *Bibite ex hoc omnes, Hic est Sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ utique verba,* inquit Concilium Trident., Sess. 13. cap. 1. *cum propriam illam et apertissimam significationem præseferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas Carnis et Sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tamquam columna et firmamentum veritatis hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est; grato semper et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.* Hucusque Concilium.

Porro ex his Christi Domini verbis elici potest hæc theologica demonstratio: illud est vere, realiter, ac substantialiter in Sacramento, quod demonstratur per ista pronomina, *hic,* et *hoc,* et quod intelligitur per ista nomina, *Corpus* et *Sanguis,* siquidem hæc pronomina sunt de-

monstrativa, ac subinde modus ille loquendi significat rem, de qua Christus loquitur, revera esse præsentem: sed per ista pronomina, *hic* et *hoc*, et per ista nomina, *Corpus* et *Sanguis*, intelliguntur ac demonstrantur verum et reale Corpus, verusque Sanguis Christi: igitur illa in Eucharistia vere sunt ac realiter præsentia. *Probatur minor:* ea verba significant illud Corpus, de quo Christus Dominus ibidem dixit: *Quod pro vobis tradetur, quod pro vobis frangitur, quod pro vobis datur.* Similiter de eo Sanguine, de quo pariter dixit: *Quod pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* atqui non figura, et imago, sed verum, reale, ac substantiale Corpus Christi pro nobis traditum, fractum, et datum est; item verus Christi Sanguis pro multis effusus est in remissionem peccatorum: igitur Corpus et Sanguis, de quibus Christus loquebatur, et quæ tradebat Apostolis, revera erant ejus reale ac substantiale Corpus et Sanguis.

Confirmatur primo ex circumstantiis rei, quam tunc Christus instituebat; siquidem primo tradebat dogma fidei, Eucharistia enim dicitur *mysterium fidei: secundo,* Sacramentum instituebat: *tertio,* Discipulis præceptum dabat, dixit enim: *hoc facite in meam commemorationem; quarto,* novum Testamentum concedebat: sed *fidei dogma* non patitur tropologicas locutiones et amphibologica ac obscuriora verba; dogmata siquidem fidei concipi debent verbis conceptis secundum suam propriam significationem, non autem in significatione figurata, quæ, cum varias patiatur explicationes, et unus uno, alius altero sensu illam interpretetur, haud dubie foret errandi occasio. Similiter *Sacramenti institutio* exigit verba non figurata, sed perspicua, et distincta, ne scilicet occasio præbeatur circa hujusmodi Sacramenti materiam, formam, et ministrum errandi. *Præceptum* pariter clare cognosci et perspicue sciri debet a subditis; alias ambiguitas et obscuritas foret occasio transgressionis, siquidem de sensu illius præcepti homines invicem non convenirent: quomodo ergo hoc præceptum (quod Christus Eucharistiam instituendo præscribit Apostolis, et Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi servandum) executioni demandari potuisset, si obscurioribus verbis fuisset expressum? *Denique,* ut dictum est, Christus Dominus Eucharistiam instituendo Testamentum suum condebat; siquidem Lucæ 22. et 1. Cor. 12. legimus: *Hic calix novum Testamentum est in Sanguine meo.* Unde SS. Patres Eucharistiam *hæreditarium munus novi Testamenti* appellant: sed Testamenta a viris et sapientibus nonnisi verbis propriis et perspicuis, non autem tropologicis et metaphoricis condi solent; risu enim et cachinno exciperetur testator, qui amico sui Corporis imaginem ac tabellam delegans, in Testamento scriberet: do tali Corpus meum. Unde in lege *non aliter ff. de legatis* statuitur, ut in significatione verborum alicujus Testamenti non liceat ab eorum proprietate recedere, nisi ubi manifestum est Testatorem aliter sensisse: igitur præfata verba, *Hoc est Corpus meum,* et *Hic est Sanguis meus,* quibus Christus Eucharistiæ Sacramentum instituit, et suum Testamentum condidit, non debent in sensu figurali, aut metaphorico intelligi. Hinc Tertullianus, lib. 4. *Contra Marcionem,* cap. 40. scribit: *In calicis mentione Christus Testamentum constituens Sanguine suo obsignatum, substantiam Corporis confirmavit.*

Confirmatur secundo ex circumstantia personarum, quas alloquebatur; siquidem hæc verba direxit ad Apostolos, quibus privatim, ut amicus amicis, Magister Discipulis familiari colloquio absque ambagibus, distincte mysteria pandebat; unde et dicebat Lucæ 8. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Et Joann. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Propter quod cap. 16. dicebant ei Discipuli: *Nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Adde quod,* ubi Apostoli non intelligebant figuratum sermonem, interrogabant Dominum, ut patet Matth. 15. *Edissere nobis parabolam istam.* Et tamen quantum ad præsens mysterium, nullus eum interrogat; quod utique indicium est, eos hæc verba secundum naturalem, non autem figurativum sensum excepisse: igitur non est verisimile in ultimis illis amoris indiciis, et omnigenæ charitatis significationibus solito eos orbasse privilegio, qui desiderio desiderabat hoc Pascha manducare cum Discipulis, extrema ut benevolentiæ argumenta, ultimumque sinceræ amicitiæ conatum demonstraret, atque omnes teneritudinis notas fusissimo sermone non tam daret, quam profunderet. *Forte,* ut verbis Hilarii, lib. 8. *De Trinitate,* utar, *qui Verbum est, et qui veritas est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi?* Nulla ergo tum figura usus est, cum illud implendum erat, quod Joann. 16. spoponderat: *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobiscum. His adde,* quod, ubi aliquis Evangelista oracula Christi verbis obscurioribus expresserit, alter quasi subsidiariam opem conferens, ejusmodi verba clarius enarrat. Sic cum Matthæus Joannem Baptistam a Christo Domino nuncupatum Eliam scripsisset, quo sensu ita sit appellatus S. Lucas indicat, scribens: *Venit Joannes in virtute, et spiritu Eliæ.* Et vicissim, quia S. Lucas scribit ejectum fuisse dæmonium in digito Dei, quis sit ille Dei digitus, exponit S. Matthæus, scribens esse Spiritum Dei. Sic, quia Joseph non semel Christi Pater sine additamento vocatur, ne falleremur ambiguitate dictionis, existimantes ipsum genuisse Christum, S. Lucas addit, *ut putabatur.* Sic quia SS. Matthæus et Marcus scripserant, Christum accusatum, quod dixisset: *Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud,* ne quis existimaret, hoc dictum fuisse de templo Hierosolymitano, sicut perperam id acceperant falsi testes, subdidit S. Joannes, hoc fuisse dictum a Christo de templo Corporis sui. Nec tamen cum sermonem faciunt de institutione Eucharistiæ, eorum aliquis verba institutionis ab aliis scripta interpretatus est, utendo verbo *significat,* nomine *figura,* vel significandum, unanimi consensu referunt istum dixisse, *Hoc est Corpus meum:* igitur argumentum est verba non figurative, sed litteraliter esse accipienda.

Respondent aliqui hæretici: *Primo,* illa verba, *Hoc est Corpus meum,* et, *Hic est Sanguis meus,* hunc facere sensum: hic sedet Corpus meum, et est Sanguis meus: vel hic panis est Corpus meum, qui est a me creatum. — **Verum** hæc expositio ridenda magis, quam impugnanda videtur; quis enim seipsum oculis præsentem, et in conspectu eorum, quos alloquitur, digito videndum commonstret? *Adde quod* Christus non dixit, *hic,* quod est adverbium, sed *hoc,* quod est pronomen, ac subinde ridicula est omnino illa expositio; idcirco

Reponunt alii, ex illis verbis solum colligi in Eucharistia esse figuram et imaginem Corporis Christi; quod utique probant *primo*, quia illud tantum in Eucharistia invenitur, quod Christus Dominus præ manibus accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis: at Christus non proprium Corpus, sed panem accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis; suum autem Corpus figurate dumtaxat accepit, et fregit. *Secundo*, si hæc propositio demonstrativa, *Hoc est Corpus meum*, non esset figurata, significaret illud, quod Christus demonstrabat, nempe panem, et ipsius accidentia esse Corpus suum: sed hoc dici non potest; fieri enim nequit, ut panis sit proprium et naturale Corpus Christi; una enim substantia non potest prædicari de alia specie differente: igitur, etc. *Tertio*, quia particula, *est*, in utraque forma idem denotat, ac *significat*, ut colligitur ex variis Scripturæ textibus. Sic Genes. 14. *septem spicæ plenæ, septem anni ubertatis sunt.* Et Exodi 12. Agnus Paschalis vocatus *phase, est enim phase, idest, transitus Domini*, quasi diceret, significat phase, hoc est, transitum Domini. Sic pariter Lucæ 8. dicitur: *Semen est verbum Dei*, idest, significat verbum Dei. Et 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, idest, significabat Christum. Igitur eodem modo cum Christus ait: *Hoc est Corpus meum*, idem denotare voluit, ac hoc significat Corpus meum. *Quarto*, verba consecrationis calicis non possunt, nisi figurate accipi, sic enim refert S. Lucas: *Hic est calix novum Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur.* Quæ verba nonnisi figurate possunt accipi; calix enim Sanguis non est, nisi figurate, Testamentum, seu signum pacti, et initi fœderis Dei cum hominibus. *Denique*, aperte satis Christus indicat, se dumtaxat figurative loqui, cum post illa verba, subdit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, seu memoriam: memoria autem non est de præsentibus, sed de præteritis: igitur cum imperaret Apostolis, ut Eucharistiam celebrarent, non intendebat, quod eam accipiendo existimarent se revera accipere Corpus, quod esset præsens, sed tantum quod recolerent memoriam illius, qui hæc instituerat: igitur Corpus et Sanguis Christi sunt tantum figurate in Eucharistia. — **Nego consequentiam**, et generatim dico, quod, si ita liceret Scripturæ verba in metaphoricum sensum detorquere, nutaret omnino veritas omnium prorsus mysteriorum fidei, maxime Trinitatis, et Incarnationis; iisdem enim argumentis veteres, et novi Ariani censebant figurative esse accipienda illa verba Joann. 1. *In principio Deus erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et Verbum Caro factum est.* Hæc enim non ad Verbum divinum et substantiale, sed ad verbum Evangelicum et accidentale spectare volunt Sociniani, ut notavimus in septimo volumine, pag. 296. Similiter ubi Christus dixit: *Ego et Pater, unum sumus;* et Joannes testatur in 1. Epist. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* figurative dicta asserere poterant Ariani, ita quod illa unitas non esset naturæ, sed concordiæ et affectus; quemadmodum Act. 4. dicitur, *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Ad cujus utique hæreticæ cavillationis et falsæ interpretationis confirmationem multo opportuniora videbantur Scripturarum oracula, quam sint ea, quibus abutuntur Calvinistæ ad eludendam veritatem illorum verborum: *Hoc est Corpus meum;* siquidem ipsemet

Christus significare videtur se non aliam, quam affectus et concordiæ habere cum æterno Patre unitatem; ait enim Joann. 17. Patrem alloquens de Discipulis et fidelibus: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Similiter S. Joannes idem innuere videtur; nam statim subdit: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt.* Porro hæc tria non sunt unum unitate naturæ, sed dumtaxat significationis et mysterii; ac subinde illa verba non sunt magis perspicua ad adstruendam fidem Incarnationis, et Trinitatis, quam ista, *Hoc est Corpus meum,* ad designandam realem Christi Corporis in Eucharistia præsentiam: igitur si hæc non sint accipienda secundum propriam significationem, nec illa. — Ut autem omnis cavillandi ratio hæreticis eripiatur, placet ad singula eorum momenta respondere. *Respondeo itaque ad primum, distinguendo majorem:* illud tantum est in Eucharistia, quod Christus accepit, deditque Discipulis post factam consecrationem, *concedo:* illud tantum est in Eucharistia, quod accepit, et quale erat, antequam proferret verba consecratoria, *Hoc est Corpus meum, nego.* Neque hanc distinctionem rejicere possunt Calvinistæ; ultro enim nobiscum fatentur, quod, quando Christus accepit panem, antequam proferret verba, *Hoc est Corpus meum,* nondum erat Sacramentum, sed tantum panis usualis. Itaque quemadmodum illi fatentur, panem a Christo acceptum habuisse dumtaxat vim et rationem Sacramenti post prolata illa verba, ita nos ultro concedimus panem a Christo acceptum non fuisse Corpus Christi eodem instanti, quo Christus Dominus illum accepit, sed dumtaxat in ultimo instanti, quo peracta est consecratio. — *Ad id* autem, quod adjiciunt hæretici, Corpus Christi non frangi, optime dicit Contenson, illud posse dici frangi in vero sensu, et non figurato: *primo,* quia revera distribuitur multis per fractionem specierum; sicut enim substantia vere, et non figurate, dicitur visibilis ratione coloris, quo obducitur, ita Corpus Christi fractis speciebus distributum vere dicitur frangi: *secundo,* dicitur Corpus Christi frangi, idest, immolari; ex vi enim verborum Corpus Christi in sacrificio Eucharistiæ a Sanguine separatur, et Deo immolatur, ut alibi dicemus; et quia poterat esse difficultas in hac voce *frangitur,* quam habet textus Apostoli, 1. Cor. 11. ideo in Evangelio habetur, *quod pro vobis traditur, vel tradetur.* Dedit autem Christus Corpus, quod traditur in sacrificio Altaris, vel tradetur in sacrificio crucis. *Denique,* quamvis Christus non contractus, non divisus, sed integer in Eucharistia accipiatur a singulis, *frangi* tamen quadamtenus dici vere potest, quatenus, cum sit totus sub qualibet specierum particula, et continuam habeat sub illis præsentiam, dissoluta per fractionem specierum continuatione, Christus prout sub una parte a seipso, ut sub alia parte existit, sejungi intelligitur, fractione non sub partes, sed sub totum Christum cadente. Unde semper verum est, quod nulla rei fit scissura, sed signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. — *Ad secundum* dicit Doctor, in 4. dist. 8. num. 26. quod ly *hoc, demonstrat singulare ens, non panem, nec accidentia.* Cui concordat

S. Thomas, q. 78. art. 5. ubi docet, quod verba illa demonstrant substantiam absque determinatione, non quod significent substantiam in communi, seu generice, vel specifice consideratam esse Corpus Christi, sed sensus est, quod hoc ens, seu illa substantia, quæ prius erat panis, peracta consecratione, sit Corpus Christi; unde ly *hoc* eo instanti, quo pronuntiatur, demonstrat aliquid, quod videtur esse commune substantiæ panis et Corpori Christi, quæ sibi invicem in Eucharistia succedunt, ita quod initio prolationis connotat substantiam panis, in fine vero substantiam Corporis Christi. — *Ad tertium* dico, quod etsi particula *est* interdum figurate accipiatur in Scriptura, non tamen ita semper est accipienda; alioqui nulla prorsus esset distincta mysteriorum notitia, si quidquid per verbum *sum, es, est,* affirmatur, liceret ad sensum tropologicum detorquere: nulla autem apparet ratio, cur particula, *est,* hic figurate accipiatur; siquidem, ut docet S. Augustinus, verba Scripturæ in proprio semper sensu sunt accipienda, nisi evidenter appareat latens aliquis tropus, qualis utique hic non apparet, siquidem ubi de Sacramentis agitur, verba secundum naturalem significationem sunt accipienda. *Ad exempla* autem adducta ab hæreticis, dico, illa huic assertioni non officere; nonnulla enim, ut *spicæ sunt septem anni,* et, *semen est verbum Dei,* aperte tropologicum sensum redolent, ac proinde de eis non est difficultas. *Ad Agnum Paschalem dico,* ly *est,* in proprio sensu accipi; Agnus quippe Paschalis revera erat victima a Deo instituta in memoriam præservationis primogenitorum Israël a vastatione Angeli interficientis omnia primogenita Ægyptiorum; familiare autem est Scripturæ, ut quando de sacrificio, vel victima loquitur, nomen sacrificii, aut victimæ reticeat, solumque explicetur nomen illius, propter quod sacrificium offertur, et victima, quæ immolatur. Hoc sensu Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi,* idest, oblationes factas a populo pro assequenda remissione peccatorum. Sic pariter 2. Cor. 5. Christus dicitur *pro nobis factus peccatum,* idest sacrificium et hostia pro peccato. Itaque Agnus Paschalis proprie dicitur *phase,* idest victima phase, sic enim eum ibidem appellat Moyses, dicens, *Victima transitus Domini est. Adde quod* nomen *phase* non soli Agno, sed et toti cæremoniæ tribuatur, ut patet ex versu 25. ubi narratis omnibus servandis in immolatione Agni Paschalis, dicit Moyses: *Cum introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas; et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis, Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans.* Unde hæc vocabula, *transitus Domini,* non solum in Agnum qui immolabatur, sed et in omnem cæremoniam, qua offerebatur cadunt, ac subinde illa vocabula, quæ significant hanc religionem, non sunt figurativa, sed in proprio et naturali sensu accipienda. Quantum autem *ad alia momenta,* apparet evidenter, vocabulum, *est,* figurate accipi, quod maxime constat de verbis Apostoli; aperte enim ibidem declarat se dumtaxat figurative loqui: *tum,* quia ibi ait: *Omnia in figuris contingebant illis: tum,* quia ibi petram, de qua loquitur, appellat spiritualem: *Bibebant,* inquit, *de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Quibus significat se simul figuras proponere et explicare, ænigmata

exhibere, et simul eorum sensum detegere. *Adde quod*, licet vocabulum, *est*, his in locis sumeretur tropologice, inde non est consequens, quod perpetuo et in omnibus locis ita debeat accipi; maxime autem in verbis institutionis Sacramentorum, quæ debent esse perspicua, et citra omnem obscuritatem. *Ad quartum* dico, quod, etsi in illis verbis, *Hic est calix Sanguinis mei*, sit aliquis, quia videlicet continens sumitur pro contento; attamen hic tropus facile per se patet, et ultro se ingerit intelligendum secundum vulgarem modum loquendi, quo quis dicitur bibere poculum vini, idest, vinum in vase contentum. *Adde quod*, etsi hæc præseferrent quamdam obscuritatem, per se nullo negotio intelligerentur ex verbis Matthæi, et Marci, qui distincte, et clare referunt, Christum dixisse, porrigendo calicem: *Hic est Sanguis meus.* — Ad id autem, quod objicitur Sanguinem Christi dici *novum Testamentum* tantum tropologice, respondeo, id esse falsum; Testamentum enim, sive fœdus ibi proprie sumitur; siquidem duo significat, pactionem videlicet, et victimam, cujus oblatione fœdus seu pactum sancitur, quæque est causa instrumentalis hujus sanciendi. Hinc apud sacros et profanos Auctores dicitur fœdus feriri, mactari, dividi in partes, etc. Unde retorqueo argumentum: Christus illud dedit bibendum in Eucharistia, quo tamquam victima novum Testamentum sancitum est: atque hoc non est aliud a vero et substantiali Sanguine Christi, sicut enim victimis et sanguine animalium vetus Testamentum sancitum fuit, ita novum vero Christi Sanguine sanciri debuit. *Dici* potest etiam cum Card. Perronio, lib. 1. *De Eucharistia*, cap. 26. quod phrasi usitata Hebræis sacrificium pro ineundo fœdere vocatur *fœdus*, sicut sacrificium pro peccato expiando appellatur *peccatum*. Unde Oseæ 4. Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, idest, victimas pro peccatis populi eluendis oblatas. Unde, cum Christi Domini Sanguis in calice positus sit victima pro peccatis nostris, merito juxta phrasim Scripturæ appellatur fœdus, et novum Testamentum. — *Ad ultimum denique* dico, Eucharistiam non esse commemorationem Christi simpliciter, et præcise, sed Christi patientis et morientis, juxta illud 1. ad Cor. 11. « Quotiescumque manducabitis panem hunc, et « calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: » porro Christi Domini Passio, et mors jam præterierunt; unde potest earum memoria fieri in Eucharistia, licet Christus ibi sit vere et realiter; memoria enim alicujus rei non semper illius excludit realitatem et præsentiam; sic Manna repositum in Tabernaculo juxta præceptum Domini Exodi 14. in memoriam, quod Deus pluerat Israëlitis Manna ad manducandum, erat simul tanti beneficii realitas, et recordatio. *Adde quod*, etiamsi Eucharistia esset commemoratio ipsius Christi ut sic, et non tantum mortis ejus, posset tamen esse memoria rei *simpliciter* præsentis, dummodo sit absens *secundum quid*, videlicet secundum eam rationem, qua ejus memoria et commemoratio datur: sicut ad rationem signi non requiritur, ut sit rei simpliciter et absolute absentis, sed tantum latentis nos; quare, cum Christus sit nobis sub aliqua ratione invisibilis in Eucharistia, quia delitescit sub speciebus, ideo totum Sacramentum posset nobis illum repræsentare, nostrumque intellectum in ejus præsentiæ notitiam perducere.

Concludendum ergo, Calvinistis merito quadrare, id, quod ait S. Au-

gustinus, lib. 3. *De Doctrina Christiana: Si animum*, inquit, *occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur;* quia nimirum, ait S. Irenæus, lib. 4. *Adversus Hæreses*, cap. 85. *Coguntur hi tales semper typos typorum, et imagines imaginum adinvenire: et tamquam figere animum suum in uno et vero Deo.* Sive, ut loquitur Fevardentius noster in *Commentario*, cap. 12. lib. 2. *Umbris et metonymiis inhiantes, veri Corporis Christi usu excidunt: Similes Æsopi cani, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam.* Ut eodem, cap. 12. S. Irenæus, observat. Hoc eodem apologo utitur S. Epiphanius, contra Cerdonianos: *Contigit*, inquit, *his canis proverbium, qui umbræ intentus non continuit quod habebat in ore, et in aqua intuens, et majorem umbram aquæ esse putans, quam cibum, quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum, quem habebat, amisit. Sic, et hi, cum viam repererint, et umbram assequi velint in suspicione eorum obortam, non solum cibum, qui in ore ipsorum, ut ita dicam, erat ex Deo donatus, amiserunt, sed etiam perniciem sibi ipsi attraxerunt.*

URGENT HÆRETICI: Id Christus in ultima Cœna dedit Apostolis, quod ipse comedit; siquidem tunc cum Discipulis comedabat et bibebat: sed ipse solum panem manducavit; nemo enim dixerit, quod Corpus suum manducaverit; siquidem inanis prorsus ac inutilis fuisset ipsa manducatio: igitur solum panem Apostolis manducandum dedit. — **Nego minorem**; nam plurimi e SS. Patribus, maxime S. Hieronymus, in Epist. 150. Chrysostomus, Hom. 83. docent, Christum fuisse convivam simul et convivium, comedentem et id quod comedebatur; quod utique non videtur absurdum; nam, si S. Aug., in Ps. 33. docet, quod Christus suum Corpus ferens ac porrigens adumbratus fuisset per Davidem, qui 1. *Reg.*, c. 21. arreptitium et stultum se simulans, ferebatur manibus suis. *Manibus aliorum*, inquit, *potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David, secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus; ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans Corpus suum*, ait: *Hoc est Corpus meum; ferebatur enim illud Corpus in manibus suis.* Addit Concione 2. Quomodo ferebatur in manibus suis? *Quia cum commendaret ipsum Corpus suum et Sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo dum diceret: Hoc est Corpus meum.* Non videtur autem magis absurdum et incredibile, quod Christus Corpus suum comederit, quam quod Corpus suum portaverit. Hæc autem sui ipsius manducatio non erat omnino inutilis; *primo* enim conveniens erat, ut ipse sacrificio suo incruento participaret: *secundo*, decebat, ne Apostoli abhorrerent ab illa Corporis et Sanguinis sumptione, ut ipse utrumque pariter sumeret: *tertio*, fructum aliquem spiritualem exinde suscipere potuit; non quidem gratiam sanctificantem, cujus utique plenitudinem habebat, sed cælestem quamdam consolationem et spiritualem dulcedinem ac suavitatem, quæ est alter hujus Sacramenti effectus.

INSTANT HÆRETICI: Non aliter Apostoli Christi Corpus et Sanguinem susceperunt, quam suscipere debebant fideles: at revera Christi Domini Corpus et Sanguinem fideles non erant suscepturi, siquidem ipsemet Christus testatur Jo: 12. Discipulis murmurantibus, quod pretium unguenti

in caput ipsius a Magdalena effusi non esset potius servatum pauperibus erogandum, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Similiter Jo. 16. protestatur dicens: *Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Et Actuum 3. testatur S. Petrus, quod *oportet cœlum* (Christum Dominum) *suscipere usque ad tempora restitutionis omnium;* hoc est, usque ad diem generalis hominum resurrectionis: igitur Christus post Ascensionem in cælo est, non in terra: at si realiter et substantialiter esset præsens in Eucharistia, adhuc remaneret in terra: ergo vere ac substantialiter non est in Eucharistia. — **Distinguo minorem**: esset in terra præsentia aspectabili, et humana ac familiari cum hominibus conversatione, *nego:* Sacramentali, supernaturali, et miraculosa, *concedo.* Porro, illi textus, qui negant Christum adhuc esse in terra, loquuntur dumtaxat de priori præsentia, quod utique patet ex *primo* textu, pauperes enim ob oculos positos visibiliter cernimus; patet etiam ex *secundo*, subdit enim, *et non videbitis me*, oculis videlicet Corporis; patet denique ex *tertio;* Christus enim ascendit in cælum, ibique manet usque in diem judicii: visibili nimirum modo quo homines *tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna, et majestate.* Hæc vero non officiunt, quominus adhuc præsens sit in terra præsentia miraculosa, Sacramentali, et omnino supernaturali, juxta id, quod spondet Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum* (in Sacramento Altaris cujus conficiendi habetis potestatem) *usque ad consummationem sæculi.* Porro non est, quod Calvinus irrideat hanc distinctionem de duplici Christi præsentia, lib. 3. c. 17. n. 27. Enimvero ipsemet adorandus Salvator hanc duplicem sui præsentiam cum Apostolis haud obscure significat, dum ait Lucæ 24. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum.* Vere namque cum illis erat dum hæc loqueretur, sed præsentia miraculosa et supernaturali; antea vero erat cum eis præsentia ordinaria et familiari.

§ III. — *Probatur hæc eadem veritas ex Traditione Divina, et Apostolica.* — Hanc divinam Traditionem imprimis nobis ministrat Apostolus, 1. Cor. 11. ubi diserte ait: *Accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite, et manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini: probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans Corpus Domini.* Quo utique divino oraculo Apostolus quatuor præclara nobis momenta subministrat ad rejiciendam et frangendam hæreticorum perfidiam: *primo* enim ait, hanc doctrinam se accepisse a Domino; quod utique asserere non possunt hæretici, quippe nullibi Christus Dominus dixit se tradidisse Discipulis imaginem et figuram sui Corporis et

Sanguinis, quam ex dæmonis suggestu in Eucharistia comminiscuntur. Unde etiam Lutherus initio libri *De abroganda Missa privata,* ingenue fatetur, se omnes ratiunculas et argumenta singula, quibus divinum istud sacrificium, et Catholicam de eo doctrinam impugnat, a dæmone (cum quo familiariter ait se conversatum) audiisse. Quapropter Petrus Faber clarissimus Jurisconsultus merito ei objicit, quod aliter quam Paulus loqui debeat, siquidem Apostolus ait, *Quod accepi a Domino, hoc tradidi vobis;* Lutherus vero dicere: *Quod accepi a diabolo, hoc tradidi vobis.* — *Secundo,* Apostolus distincte ac perspicue ait Dominum tradidisse Apostolis idem Corpus, quod tradendum erat Judæis crucifigendum: at Christi Corpus, quod crucifixum est, non erat dumtaxat larvatum et imaginarium, sed verum et naturale ac substantiale: igitur non dedit Apostolis in Eucharistia dumtaxat imaginem et figuram sui Corporis et Sanguinis. — *Tertio,* ut ait Apostolus, fieri posse, ut quis divinum hoc alimentum suscipiat indigne, ac sic judicium sibi manducet et bibat; ex quo sic licet argumentari: Eucharistia, quam Christus Dominus instituit, quamque Apostolus ab eo accepit et fidelibus tradidit, suscipi potest indigne: sed Eucharistia a Calvinistis juxta eorum dogma nusquam indigne suscipi potest: igitur Eucharistia, quam ipsi tradunt, non est ea, quam Christus instituit, quamque Apostolus tradidit fidelibus. *Major constat. Minorem probo:* quicumque panem illum cælestem manducat, vel fidem habet, vel fide caret: si fidem habet, digne suscipit, quantumvis plurimis sceleribus et peccatis sit inquinatus; siquidem docent Calvinistæ homines justificari per fidem. Ita namque contestatur Calvinus, lib. 3. *Instit.*, cap. 11. ubi colligens ea, quæ prius de fide justificante docuerat, scribit: *Summa,* inquit, *hæc fuit, Christum nobis Dei benignitate datum fide a nobis apprehendi, ac possideri; cujus participatione duplicem potissimum gratiam recipiamus, nempe, ut ejus innocentia Deo reconciliati, jam propitium habeamus in cælis Patrem; deinde, ut ejus spiritus sanctificati innocentiam, puritatemque vitæ meditemur.* Et paulo infra: *Justificationis ratio levius ideo attacta est, quoniam ad rem pertinebat intelligere primum, et quam otiosa non sit a bonis operibus fides, qua sola gratuitam justitiam Dei misericordia obtinemus.* Si fide caret, cum ad Eucharistiam accedit, Christi Corpus et Sanguinem nullatenus suscipit, quia secundum doctrinam et professionem Calvinistarum, sola fide, seu, ut loquuntur, ore fidei suscipi potest: igitur Eucharistia, quam suscipiunt Calvinistæ, non ea est, quam Christus instituit, et Apostolus ab eo accepit atque fidelibus tradidit. — *Quarto* denique, Apostolus panem hunc et calicem indigne usurpantes, reos esse Corporis et Sanguinis Domini, et judicium sibi manducare ac bibere, asserit, *Quia,* inquit, *non dijudicant Corpus Domini:* sed si in pane Eucharistico, nihil nisi figura Dominici Corporis haberetur, profecto non idcirco peccaret comedens, quod non discerneret, dijudicaretque Corpus Domini, hoc est, non statueret discrimen inter Corpus Domini, et cibum usualem; sed Corpus illud non secus ac panem communem absque ulla conscientiæ disquisitione et probatione manducaret; imo potius judicare deberet, ibi non esse Corpus Domini: igitur in Eucharistia Apostolus revera censet esse realiter ac substantialiter Christi Domini Corpus.

Reponunt hæretici, Apostolum ibidem Eucharistiam appellare panem, etiam post prolata verba consecrationis, *Qui manducat*, inquit, *panem hunc:* igitur revera censet in Eucharistia non esse realiter Corpus Christi, sed dumtaxat Sacramentaliter, hoc est, in pane tamquam in signo et imagine. — **Verum nego consequentiam;** idcirco enim Apostolus Eucharistiam appellat panem: *primo,* quia per consecrationem fit conversio panis in Corpus Christi; Scriptura autem solet eum terminum, qui per conversionem existit, appellare nomine termini, seu rei, ex qua facta est conversio. Sic Genes. 2. Eva vocatur os, quia ex osse per conversionem facta erat. Et Exodi 7. Serpens factus ex conversione virgæ Moysis, vocatur virga. Item Joan. 1. Vinum factum ex conversione aquæ vocatur aqua. *Secundo,* quia Eucharistia retinet similitudinem et accidentia panis et vini, vocari potest panis et vinum, ut in Scriptura Gen. 18. et Actuum 1. Angeli, qui habebant exterius speciem hominis vocantur viri. *Tertio,* cibus in Scriptura vocatur panis; unde cum Caro Christi in Eucharistia sit verus animæ cibus, ipso attestante Joan. 6. *Caro mea vere est cibus*, non mirum, quod illa interdum nomine panis designetur, sicut et Sanguis nomine vini.

Probatur eadem Traditio Apostolica ex Liturgiis et Actis, quæ feruntur nomine Apostolorum: *primo* namque in *Liturgia S. Jacobi* fratris Domini hæc habentur: *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu, et tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet: Rex enim regnantium, Dominus Dominantium, Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus; ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio et potentia.* Ibi etiam oblatio appellatur *venerandum, et incruentum sacrificium.* Dicitur etiam, quod *Christus in partes distributus, at non divisus, et fidelibus impertitus in ore fidelium est.* Idem etiam constat ex Liturgia S. Marci, quæ opera Cardinalis Sirleti in lucem prodiit. Idem pariter docetur ex Liturgia S. Petri, in cujus exordio Sacerdos orat, ut panis et vinum fiant Corpus et Sanguis Christi. Idem denique habet Missa Æthiopum, quam a S. Matthæo volunt esse traditam.

Reponunt hæretici, Maxime Philippus Mornayus, lib. 1. *De Missa, et partibus ejus,* cap. 2. necnon et Viretus, lib. 1. *Critici sacri,* cap. 3. has omnes Liturgias esse suppositicias, et novum Catholicorum figmentum: *primo* quidem de Liturgia S. Jacobi evincunt hæc argumenta, inquit Viretus, quod in Ephesino et Chalcedonensi Conciliis, multum desudarunt Patres, ut in antiquioribus Auctoribus Virginem fuisse Deiparam appellatam demonstrarent, et unum aut alterum dumtaxat locum Origenis, et Eusebii protulerunt; unde liquet, hanc Liturgiam illis non præsto fuisse, in qua sexies hæc vox repetita est, quam Apostoli testimonio firmare potuissent. *Secundo,* in Synodo Constantinopolitana adversus Macedonianos non meminerunt Patres in Liturgia S. Jacobi Spiritum sanctum dici consubstantialem Patri, nempe quia illa nondum extabat. Nec etiam illius meminerunt Patres Nicæni in asserenda consubstantialitate Filii, et vocabulo ὁμοούσιον, quod toties in illa Liturgia inculcatur. *Tertio,* in ea Liturgia hymnus *trisagion* canitur cujus in Ecclesia usus refertur ad tempus Felicis III Romani Pontificis, qui vixit a. 480. *Quarto,* ea Liturgia Confessorum meminit, *quod nomen* nonnisi longo post tempore non fuit in usu. Unde Bel-

larminus, lib. 2. *De Missa*, cap. 20. conatur evincere canonis Romani antiquitatem, quod Confessorum non meminerit. *Insuper*, in ea Liturgia oratur pro degentibus in Monasteriis, quæ eo sæculo constituta nulla erant. *Denique*, hæc Liturgia inducit templa, altaria, thurificationes, thuribula, quæ tempore sævientis in Christianos persecutionis nulla erant; tunc enim omnis Dei cultus in ædibus privatis et cryptis impendebatur. — Idem ferendum judicium de Liturgia S. Marci, quippe cum in ea fiat mentio Monasteriorum, Monachorum, Thurificationum, et vocabulorum ὁμοούσιον, ac τρισάγιον, quæ nonnisi postea diuturno tempore fuerunt in usu. *Insuper*, in ea oratur pro Alexandrina civitate, et Marco Martyre; ac quis ille Martyr, nisi qui fingitur auctor? Oratur pro Rege, ut eum conservet Deus in pace, et fortitudine. At quis ille Rex tempore Marci? Offertur incensum in remissionem peccatorum nostrorum, et totius populi. Oratio trisagii subjungitur, quod recentioris est instituti. An Marcus Evangelista petiisset a Deo, ut memor esset ubique degentium sanctorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, semper Virginum, Viduarum, Laicorum? Quis credet sanus, tempore Marci illos ordines fuisse institutos? Vel eodem tempore τὸ ὁμοούσιον in usu fuisse? Ideo etiam Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus interrogatus, an Liturgiæ, quæ conscriptæ dicuntur a SS. Apostolis Jacobo Fratre Domini, et Marco, recipiendæ a S. Ecclesia Catholica sint, necne? Respondet ad quæstionem Marci Alexandrini: *Dicimus nos neque a sacra Scriptura, neque a Canone Synodice edito, edoctos fuisse sacrum ministerium a S. Apostolo Marco traditum*. Addit Canonem Apostolorum LXXXV, et Leodicenum LIX enumerantes veteris, et novi Testamenti, ipsosque Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debent, nullam sacrificii S. Marci et S. Jacobi mentionem facere, neque Constantinopolitanam Ecclesiam ullo modo illas Liturgias agnoscere. Unde pronuntiat non esse recipiendas in Ecclesia. — Idem judicium *De Liturgia S. Petri*, faciendum, quam nonnulli eamdem esse volunt cum ea, quæ Marco tribuitur, quam Ecclesia Romana, inquit Viretus, debuisset suscipere, si a Petro præscripta fuisset. Cui tamen Missam Gregorii, vel Scholastici cujusdam prætulit, hancque urbe exactam in montes Apuliæ relegavit, quod manifesto est indicio eam genuinum Petri fœtum non judicasse. *Insuper*, Petrus non docuisset orare pro venerando Patriarcha nostro, qui tunc nullus erat. Item pro religiosissimis Augustis. Neque tempore Petri ullus erat Sacerdos, quo nomine usus est Petrus pro Ecclesiastico officio. Nec θεοτόκον vox tunc temporis in usu erat, nec tempore Petri recolebatur memoria Xisti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Cosmæ et Damiani, qui omnes in ea sub Petri nomine Liturgia reperiuntur. — *Missa Æthiopum*, quæ Matthæi tribuitur, meminit Epactæ, et aurei numeri longe post tempora Matthæi inventi. Item in ea oratur pro Papis, Patriarchis, Archiepiscopis, non tum institutis, non longo post intervallo instituendis. Fit in ea mentio Synodi Nicænæ, cujus et symbolum cantatur; Constantinopolitanæ etiam, et Ephesinæ. Imo Basilii, Chrysostomi, Gregorii Magni, etc. qui ad 600. usque annum pertingunt, multorumque adeo Regum Christianorum, quamquam non ullius tempore Apostolorum. — **Respondeo**, hæc et similia momenta non solum ab

hæreticis, sed etiam a nonnullis Catholicis obtrudi, non quod inficiantur Apostolos Liturgias et ritum sacrificandi conscriptos habuisse, sed quoniam plurima successu temporis ipsis a posterioribus ita adjecta sint, ut non sit facile dijudicare, inquit Bellarminus, *De Scriptoribus Ecclesiasticis* anno 34. *quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum* (idem dicendum est de cæteris) *habeat auctorem*. Verum quidquid sit, nihilominus non leve nobis contra Calvinistas ex hujusmodi Liturgiis affulget argumentum; nam quod in illis de Eucharistia dicitur vel fuit a sanctis illis Apostolis assertum, aut ab eorum Successoribus; vel ab hæreticis insertum. Si *primum*, veritas Catholica inde firmissimum fundamentum sibi vendicat: si *secundum*, cum illæ Liturgiæ sint vetustissimæ, ut probat Baronius, lib. 1. ad an. 63. consequens est, quod aliqua olim fuerit hæresis, qua infecti hæretici, ut sui erroris patrocinium adsciscerent, illas Liturgias corrupissent: at id asserere, fingere est, quippe cum omnes Patres et Scriptores Ecclesiastici, qui hæreseon indices accuratissime texuerunt, numquam ejusmodi hæresis meminerunt: igitur quæ de veritate Eucharistiæ in illis Liturgiis scribuntur, Catholicum Ecclesiæ sensum sapiunt. His accedit testimonium S. Andreæ Apostoli, qui, ut referunt acta ejus passionis, conscripta a Presbyteris Achajæ oculatis testibus, cum suaderetur ab Ægea, ut diis immolaret, constantissime respondit: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico: non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus.* Porro hæc acta non debent esse dubiæ fidei: *tum* quia quæ in illis Presbyteri Achajæ de Martyrio S. Andreæ referunt, digna existimata sunt, quæ in Ecclesia recitarentur: Ecclesia autem omnino abhorret a confictis historiis, et hæreticorum fabulis. *Secundo*, quia hujusmodi acta laudantur a S. Bernardo, Serm. 2. *De S. Andrea*, et Serm. 16. *De diversis a Petro Damiano*, Serm. 2. de eodem Apostolo, ab auctore lib. *De vera et falsa Pœnit.*, cap. 8. ab Ivone Carnot. lib. *De convenientia veteris et novi Testamenti;* a Lanfranco, lib. *De Euchar. et Missa Ambrosiana*, in præfat. festi S. Andreæ, hæc habet: *Ut quod libera voce prædicaverat, nec pendens in cruce taceret.* Quæ utique verba non aliunde, quam ex ejusmodi actibus videntur esse deprompta; non enim alibi legitur, quod S. Andreas populum docuerit, dum in cruce penderet.

Reponunt hæretici, Acta illa omnino esse apocrypha: *tum* quia Eusebius, lib. 3. *Histor.*, c. 25. reponit Acta SS. Andreæ et Joannis inter libros ab hæreticis conscriptos sub nomine Apostolorum: *tum* quia Epiphanius docet Encratitas, Apostolicos, et Origenistas uti maxime solitos fuisse Actibus Andreæ, Joannis, et Thomæ: *tum* quia illa Acta approbasse Manichæos, refert August., lib. 1. *De fide*, contra Manichæos, cap. 4. et 38. Unde Baronius ad annum 69. n. 34. de Passione S. Andreæ verba facturus, scribit: *Cunctabunda diu hæsit oratio, apochryphorum præpedita timore, quominus libere, ut assolebat, in rebus certa fide exploratis, ac veris hactenus prosiliret.... Illud tantum de Andreæ Martyrii tempore in Passionibus Apostolorum (quas, qualescumque sint, ante Gelasii tempora lectitari consuevisse certum est) licuit reperisse, ipsum scilicet post Petrum coronatum esse martyrio,*

licet quoto Domini anno, vel sub quo Imperatore inexploratum penitus relinquatur; illi enim ipsi a Joanne Apostolo per visum dictum habetur post ascensum Petri: Andrea poculum Petri bibiturus es. De reliquis autem, quoniam S. Andreæ acta a Manichæis corrupta, ab eisque citari solita fuerunt, remansit illorum in Ecclesia dubia fides. Tum quia Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis, his accenset acta S. Andreæ Apostoli: igitur illa eorum auctoritas nullius est momenti. — **Nego consequentiam,** *et ad antecedens* dico, Eusebium, Epiphanium, Gelasium, et Baronium non loqui de actis passionis S. Andreæ, seu de Epistola conscripta a Presbyteris Achaiæ, sed de actis, quæ ab ipso S. Andrea veniente de Ponto in Græciam conscripta fuisse volebant Manichæi, in quibus utique actis plurima inserta erant hæreticorum deliria ac figmenta. Unde hujusmodi acta summopere probabant. Nec aliud certe voluit Baronius; siquidem Tom. 1. ad ann. 45. ex Pilastrio de hæresibus, cap. 89. ostendit, factitatum ab hæreticis, ut falsa Acta Apostolorum nomine scripserint, sed et Manichæos, qui ab Andreæ discipulis de rebus gestis a Ponto in Græciam scripta erant, alia addentes, alia vero detrahentes corrupisse, et Innocentium Papam, Epist. 3. tractantem de his commentitiis Apostolor. Actib. auctores, qui eos confinxerunt, prodidisse, dum ad Exuperium scribens, hæc diceret: *Cætera, quæ sub nomine Mathiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri, et Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel, sub nomine Andreæ, quæ a Nexocharida, et Leonide Philosophis, et sub nomine Thomæ, et si quæ sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.*

Itaque omnes præfati Auctores improbant quidem acta sub nomine S. Andreæ, quorum auctor ipse circumferebatur, vel loquuntur de actis peregrinationis et prædicationis ejus, quæ ab ejus Discipulis fingebantur scripta; non vero loquuntur de Epistola Presbyterorum Achajæ, in qua passio ipsius B. Andreæ enarratur, nam, ut scribit Bellarminus, *Epistola illa nihil continet, quod novitatem redoleat: tum* quia *genus passionis S. Andreæ, et illa ejus verba,* salve Sancta Crux *in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sumpta sunt: tum* quia *Petrus Damianus in Serm. 2. de S. Andrea, de hac historia sic loquitur:* non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, et ministri fuere sermonis; *tum denique, quia Joannes a Lovania in sua censura de passionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hunc librum omnibus modis legendum censet, et idem judicavit Aloysius Lippomanus, ut omittam, quod in Breviario Romano, nuper recognito, suum locum habet passio S. Andreæ ex hoc loco.*

§ IV. — *Probatur eadem veritas ex Traditione et constanti Doctrina SS. Patrum.* — Etsi post egregias, ac numeris omnibus absolutas Eminentissimorum Cardinalium Alani, Bellarmini, Perronii, Richellii, et plurium aliorum non minori pietate, quam scientia illustrium hac de controversia lucubrationes, nihil ferme dicendum superesse videatur; attamen, quoniam veritatis Catholicæ tuendæ necessitas, et in dies recrudescentia hæreticorum vaniloquia, nos aliquid, post tam uberem aliis collectam ex SS. Patrum auctoritatibus hac de re messem,

aliqua etiam ex nostro promptuario cogunt suppeditare; idcirco ne in immensum excrescat, et absque ullo ordine diffundatur hæc dicendi materies, potissima ex SS. Patrum doctrina depromenda oracula placet cum illustrissimo nostro Meurissio Madaurensium non ita pridem Antistite ad novem capita perstringere.

Primum itaque argumentorum caput petitur ex illis auctoritatibus, quæ distincte et expresse omnem figuræ rationem ab Eucharistia excludunt. Ita imprimis S. Damasc., lib. 4. *De Fide*, cap. 14. *Non est figura panis et vinum, Corporis et Sanguinis Christi, absit enim hoc, sed est ipsum Corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, Hoc est Corpus meum, non figura Corporis, sed Corpus, non figura Sanguinis, sed Sanguis.* Similia habet Theophilactus in cap. 26. Matth. *Non enim dixit, Hoc est figura, sed hoc est Corpus meum; ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis, quoniam infirmi sumus, et abhorremus nudas carnes comedere, maxime hominis, ideo panis quidem apparet, sed Caro est.* Simile habet S. Ambrosius, lib. 6. *De Sacram.*, cap. 1. *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, vera Caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus Sanguis, quem potamus.* Et infra: *Forte dices, quomodo vera? quia similitudinem video, non video Corporis et Sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare, et convertere genera institutæ naturæ.* Hæc præclare declarat et expendit Nicæna II Synodus, Act. 6. Tom. 3. ubi scribit: *Nullus aliquando tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere, vel confiteri, sed audiunt Evangelice, dicente eo: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et qui manducat meam Carnem, et bibit Sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Et accepto pane gratias agens fregit, et dedit Discipulis, et ait: Accipite, et comedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et non dixit: Accipite, et comedite imaginem Corporis mei. Sed et Paulus divinus Apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter, et calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine, hoc facite in meam commemorationem. Ergo liquido monstratum est, quod numquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine Sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus, ipsum Sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem* (pergit S. Synodus nondum suborta controversia de realitate Corporis Christi) *typos* (seu, ut alii legunt, *antitypa*) *quibusdam SS. Patrum hoc pie visum est nominare, quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei, et Arianæ destructor vesaniæ, et*

Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne, quod sub sole est, plenam rectorum dogmatum basim edocuit. Recensitis autem utriusque Patris testimoniis, sic concludit: *Quod deinceps offertur, certiorem Patris hujus* (Basilii) *perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi, post sanctificationem autem Corpus proprie, ac Sanguis Christi dicuntur, sunt, et creduntur.*

Secundum caput est eorum, qui expresse et distincte affirmant in Eucharistia Corpus et Sanguinem Christi non solum revera esse post consecrationem, et in ea subsistere, sed etiam ore corporeo sumi. Ita imprimis S. Justinus Martyr, in *Apologia* 2. ubi *De Eucharistia*, ita loquitur: *Non ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei Caro factus Jesus Christus Salvator noster, et Carnem et Sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbis ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam. Unde Sanguis et Caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum; eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationem, hoc est Corpus meum; et poculo similiter accepto, et gratiis actis dixisse, Hic est Sanguis meus.* Observa non esse panem communem, sed Carnem et Sanguinem Christi eodem modo, quo in Incarnatione est vera Caro Christi. *Nec obstat*, quod dixerit, panem et vinum Eucharisticum esse corporum nostrorum alimoniam, vel enim intelligitur de pane et vino ante consecrationem, ut sensus sit, id, quod in corporum alimoniam institutum est, fit consecratione Caro et Sanguis Salvatoris, quibus animæ reficiuntur; vel si loquatur de pane et vino consecratis, significat per hunc divinissimum cibum corporibus nostris semen immortalitatis, et gloriosæ Resurrectionis inseri. Unde a Patribus Eucharistia appellatur *pharmacum immortalitatis*, juxta illud Christi Domini Joan. 6. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* — His præclare adstipulatur S. Irenæus Episcopus, et Martyr, lib. 4. cap. 34. qui floruit secundo et tertio sæculo, loquens enim de Valentinianis docentibus non esse unum, eumdemque Deum Creatorem cum Patre Christi Domini, et insuper negantibus resurrectionem carnis: « Quo« modo, *inquit*, constabit eis panem, in quo gratiæ actæ sunt, Corpus « esse Domini sui, et calicem Sanguinis ejus, si non ipsum fabrica« torem mundi Filium dicant, idest Verbum ejus, per quod lignum « fructificat, et defluunt frondes, terra dat primum quidem fœnum, « post spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem « rursus dicam carnem in corruptionem devenire, et non percipere « vitam, quæ a Corpore et Sanguine Domini alitur? Ergo aut sen« tentiam mutent, aut abstineant offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra « autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursus « confirmat sententiam nostram. *Et paulo post:* quemadmodum enim « qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non com« munis panis est, sed Eucharistia ex duabus constans, ex terrena et « cælesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non « sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia ». Idem habet lib. 5.

cap. 2. — Eis subscribit Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. 8. *Caro*, inquit, *Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Et lib. *De Oratione*, cap. 14. *Accepto Corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii.* — Hoc ipsum momentum confirmatur eis omnibus auctoritatibus SS. Patrum, qui dicunt Christum nobis in hoc Sacramento uniri, non sola fide, sed reipsa, nec per voluntatum concordiam, sed per corporum contactum. Ita Chrysostomus, Homil. 83. *Neque illi satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, et crucifigi, verum et semetipsum nobis commiscet, et non fide tantum, verum et ipsa re suum efficit corpus.* Et Homil. 45. in Joan. *Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem vellet indicare, per Corpus suum se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut Corpus suum cum capite uniretur, hoc enim amantium maxime est. Hoc Job indicavit de servis, a quibus maxime amabatur, qui suum amorem præseferentes, dicebant, quis daret nobis, ut ejus carnibus impleremur? Quod Christus fecit, ut majori nos charitate astringeret, et ut suum in nobis ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed et tangi, et manducari, et dentes Carni suæ infigi, et desiderio sui omnes impleri... Parentes sæpe numero liberos suos aliis alendos dederunt. Ego autem mea Carne alo.* — Sed præclare S. Hilarius disserens contra Arianos, lib. 3. *De Trinit. Interroga istos*, inquit, *utrum per naturæ veritatem, Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis?* Et paucis interpositis: *Vere cibo Dominico Verbum Carnem sumimus, naturamque Carnis suæ sub Sacramento nobis admiscuit.* Et paulo inferius: *Hæc idcirco a nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum unitate hæretici divinas personas unitas esse interpretantur, et ad id exemplo unitatis nostræ cum Deo utuntur, quasi nobis ad Filium voluntate tantum Religionis unitis nulla per Sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Et quidem ad exprimendam hanc unionem realem et substantialem S. Chrysostomus, Hom. 33. in Matth. utitur comparatione fermenti coagmentantis totam massam farinæ. Et S. Dionysius, *De cœlesti Hierarchia*, comparatione ferri candentis. Et S. Cyrillus, lib. 4. in Joann. comparatione duarum cerarum liquefactarum et mixtarum; quæ omnia apertissime probant veritatem Corporis Dominici in hoc Sacramento.

Tertium caput est eorum, qui reddunt rationem, cur hic voluerit Christus adesse sub aliena specie, videlicet ne horrori esset alioqui sumentibus; quæ ratio locum non haberet, si Christus vere et substantialiter non sumitur hic ore corporis. Ita S. Ambrosius, lib. 4. *De Sacramenti*, cap. 4. *Ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen sit redemptionis.* Et Theophilactus, in cap. 26. Matth. *Non enim dixit, Hoc est figura, sed hoc est Corpus meum: ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videtur panis, quoniam infirmi sumus, et abhorremus nudas carnes comedere, maxime hominis, ideo panis quidem apparet, sed Caro est.* Hoc præclare explicat S. Augustinus, in Psalm. 33. ubi scribit: *Unde autem commendavit Corpus et Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: in principio erat*

Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cælestes spiritus, et manducant, et saginantur, et integrum manet, quod eos satiat, et lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactefieret, et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans; sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humiditatem mammillæ, et lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? Quia Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo... idest Verbum illud, quo pascuntur Angeli sempiternum quod est æquale Patri, manducavit homo, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; saginantur ergo illo Angeli, sed semetipsum exinanivit, ut emanducaret panem Angelorum homo, formam servi accipiens, etc. *ut jam de cruce commendatur nobis Caro et Sanguis Domini, novum sacrificium.*

Quartum caput est eorum, qui dicunt non esse hic credendum sensibus, sed verbis Christi, proponuntque articulum hunc tamquam creditu difficillimum, et ideo Christi omnipotentiam et auctoritatem exaggerant, et magnam fidem requirunt; quæ omnia sunt vana, si panem tantum significantem Christi Corpus in hoc Sacramento comedamus. Ita S. Chrysostomus, Homil. 83. in Matth. *Credamus ubique Deo,* inquit, *nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, superet et sensum et rationem nostram sermo, quæso, ipsius, nam verbis ejus fraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est, quoniam ipse dixit: Hoc est Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectus id perspiciamus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. mystagogyca: *Ne ergo consideres,* inquit, *tamquam panem nudum et vinum nudum, Corpus enim est et Sanguis Christi, secundum Domini verba: quamvis enim tibi sensus hoc non suggerat, tamen fides te confirmet, nec ex gustu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio esse tibi donata Corpus et Sanguinem.* Et infra: *Hoc sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi, et vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui vinum videatur, non tamen vinum, sed Sanguinem esse Christi.*

Quintum caput est eorum, qui dicunt hic intervenire magnum quoddam miraculum, ut nimirum Christus existens in cælo, simul reperiatur in Altari. Ita Chrysost., lib. 3. *De Sacerdotio: O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Et Homil. 3. in Epist. ad Ephes. *Elias ascendens, pallium Discipulo dimisit; Filius autem Dei ascendens nobis suam Carnem dimisit; sed Elias quidem exutus: Christus autem nobis suam Carnem reliquit, et ipsam habens ascendit.* Sed id præclarissime Homil. 24. in 1. ad Cor., ubi æquat præsentiam, quam Christus habet in Altari, ei, quam habet in cælo, docetque per consecra-

tionem sacrorum mysteriorum Eucharistiæ terram fieri quodammodo cælum, et hoc ipsum, quod pretiosissimum est in cælo, in terra collocari. Verba ejus sunt: « Hic terram tibi cælum facit hoc mysterium: « aperi ergo cæli portas, et perspice, et tunc videbis quod dictum « est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum, et maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in Regio id « quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum « aureum, sed corpus Regis sedens in solio. Sed hoc tibi non licet « videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cælos, « et cælos cælorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum. Vidisti « quemadmodum quod est omnium præstantissimum, et maxime ho« norandum vides in terra, neque solum vides, sed etiam tangis, et « eo accepto domum reverteris ». *Subscribit* S. Basilius, in *Liturgia:* « Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consedes, et hic nobis « invisibiliter coëxistis ». *Demum* Gregorius Nyssenus, Orat. *De Paschate.* « Sicut divinitas replet mundum, et tamen una est, ita innu« merabilibus locis Corpus Domini consecratur, et tamen unum « Corpus est ».

Sextum caput est eorum, qui dicunt, in quibus locis Eucharistia existit, et a quibus rebus aliquo modo, aut aliquo sensu attingitur, in iisdem existere, et ab iisdem rebus attingi Christi Corpus, ratione videlicet Eucharistiæ; quod non recte diceretur, nisi reipsa existeret in Eucharistia. S. Chrysost., Homil. 60. ad populum, dicit, *Christum videri, et tangi, et intra nos sumi, et dentes ejus carni infigi.* Et Homil. 83. in Matth. 7. *Os igne spiritali impleri, et linguam admirabili sanguine cruentari.* Et S. Cyprianus, Serm. *De lapsis: Jacere Corpus Domini in arca, contrectari manibus, concludi visceribus.*

Septimum caput est eorum, qui ex hoc mysterio alia nostræ Religionis mysteria confirmant. Sic S. Irenæus, lib. 4. *Contra Valentinianos*, cap. 24. probat Christum esse verum Deum, quia potuit convertere panem in Corpus suum. Et cap. 35. ex eodem mysterio, disputat contra negantes Resurrectionem, ut vidimus supra. S. Chrysostomus etiam, Homil. 83. in Matthæum. ex eodem confutat eos, qui veram Christi Carnem negant. S. Hilarius, lib. 8. *De Trinit.*, ex eodem probat substantialem Filii Dei generationem, et ex ipsa reali, seu naturali (ut vocat) conjunctione nostri cum Christo in eodem Sacramento, probat circumincessionem divinarum personarum inter se; ait enim: *Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam vuluntatis? Si enim vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ tam inseparabilem sibi natus homo assumpsit?* Et post plura in hanc rem peropportuna, sic habet: *Quæ scripta sunt, legamus, et quæ legimus intelligamus, et tunc perfecta fide officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi unitate, quæ discimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie discimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est cibus; de veritate Carnis et Sanguinis non relictus est ambigendi locus.*

Octavum caput est eorum, qui docent Sacramentum Eucharistiæ propter Christum in eo existentem esse adorandum; nisi enim Christus

in eo vere et realiter contineretur, non liceret panem Eucharisticum adorare, alioqui manifesta esset idololatria, quippe cultus latriæ impenderetur puris creaturis, nempe pani et vino. Porro Eucharistiam esse adorandam aperte docent imprimis S. Gregorius Nazianzenus, oratione funebri sororis suæ Gorgoniæ, ubi ait illam *ad altare cum fide procubuisse, ipsumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocasse.* S. Ambr., lib. 3. *De Spiritu sancto,* cap. 12. « Itaque, « *inquit,* per scabellum terra intelligatur, per terram autem Caro Chri« sti, quam hodie quoque in mysteriis adoramus ». *Idem docet* S. Augustinus, Epist. 120. cap. 27, ubi ait: « *Quod* fideles veniunt ad men« sam, manducant, et adorant ». *Idem asserit* in Psalm. 21. Exposit. 1. super illud: « Manducaverunt, et adoraverunt » *sed expressius, et plenius* in Psalm. 98. *super illud.* Adorate scabellum pedum ejus, *ubi scabellum terram, et ipsam terram explicat Carnem Christi.* « Quia in « ipsa carne hic ambulavit, *inquit,* et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem carnem illam manducat, « nisi prius adoraverit. Inventum est quomodo tale scabellum pedum « Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non « adorando ». *Sed omnium præclarissime hoc argumentum expendit* S. Chrysostomus, Homil. 24. in 1. ad Cor. « Hoc corpus, *inquit,* in præ« sepi reveriti sunt Magi, et viri impii, et barbari longo itinere con« fecto cum timore, et tremore plurimo adoraverunt. Imitemur saltem « barbaros, nos qui cælorum cives sumus. Illi enim cum ad præsepe « et tugurium tantum, nec eorum quidquam, quæ nunc intueris, vi« derent, summa accesserunt reverentia et honore. Tu vero non in præ« sepi, sed in Altari, non mulierem, quæ in ulnis teneat, sed præ« sentem Sacerdotem, et spiritum superabunde super proposito diffusum « sacrificio vides. Nec simpliciter, ut illi, corpus intueris, sed et ejus « potentiam, et omnem cognoscis administrationem, et nihil eorum, « quæ per ipsum facta sunt, ignoras ». Et Homil. 3. in Epist. ad Ephesios: « Cogitemus ad illum sursum sedentem, qui ab Angelis « adoratur, hunc degustemus. Considera, quæso, mensa regalis est « apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse Rex adest, et tu astas « oscitans? Igitur adora, et communica ». Nec solum homines, sed etiam Angelos Christum in hoc Sacramento adorare diserte docet variis in locis, præsertim lib. 6. *De Sacerdotio,* ubi hæc scribit: « Per id tempus *(quo nimirum Sacerdos sacrificium offert)* et Angeli « Sacerdoti assident, et cælestium potestatum universus ordo clamores « excitat, et locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, « Angelorum choris plenus est; id quod credere abunde licet, vel « ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero, et comme« morantem quemdam audivi, cum diceret senem quemdam, virum « admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa divinitus fuissent « detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo « fuisse: ac per illud quidem tempus repente Angelorum multitudi« nem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferri poterat) fulgen« tibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium; denique sic « capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes vi« deat ». Et Homil. 3. contra Anomæos, versus finem: « Tempore illo, « *inquit,* non solum homines clamorem illum tremendum reddunt,

« sed etiam Angeli Domino genuflectunt, et Archangeli rogant; ha-
« bent sibi tempus ad id idoneum, habent sacram illam oblationem
« in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes, movere Reges
« consueverunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant et
« humanitatem, sic Angeli tunc pro ramis oleaginis, Corpus Domini
« ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: pro
« his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute
« mortem obires, animam in cruce effiares: pro his supplicamus,
« pro quibus ipse tuum elargitus es Sanguinem: pro his oramus, pro
« quibus Corpus hoc immolasti ». Similia docet S. Gregorius, lib. 4. *Dial.*, cap. 58. his verbis: « Quis fidelium habere dubium possit in
« ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo
« Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa imis so-
« ciari, terrena cælestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque
« invisibilibus fieri? » Nec solum Angelos sponte adorare Christum positum in altari, sed etiam dæmones cogi illum adorare, tradit S. Chrysostomus, Homil. citata contra Anomæos: *Agitatos*, inquit, *Diaconus tempore illo adducit, et jubet caput tantum inclinare, atque illo corporis gestu supplicare.*

Tandem hæc veritas evidentissime probatur ex miranda conversione substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi per verba consecrationis; quæ utique stupenda conversio significatur in omnibus Liturgiis Ecclesiæ tam Occidentalis, quam Orientalis. Etenim in Missa Latina de pane et vino propositis in altari, sic precatur Sacerdos: « Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam ad-
« scriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut
« nobis fiat Corpus et Sanguis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu
« Christi. » *Liturgia S. Jacobi* seu Hierosolymitanæ Ecclesiæ: « Ro-
« gamus, ut Spiritus S. adveniens, sancta, bona, et gloriosa sua præ-
« sentia sanctificet, et efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi
« tui, et calicem hunc pretiosum Sanguinem Christi tui, ut sit omni-
« bus ex his sumentibus in remissionem peccatorum ». *Liturgia Æthiopica:* « Benedic, sanctifica, munda, et transfer panem hunc in Car-
« nem tuam immaculatam, et vinum hoc in Sanguinem tuum pretio-
« sum ». *Liturgia S. Basilii:* « Effice panem istum Corpus gloriosum
« Domini nostri Jesu Christi ». *Liturgia S. Chrysostomi:* « Emitte
« Spiritum tuum super nos, et super proposita dona hæc; et fac pa-
« nem quidem hunc pretiosum Corpus Christi tui, et quod est in ca-
« lice illo, pretiosum Sanguinem Christi Filii tui, transmutans Spiritu
« sancto tuo ». Unde egregie Proclus Constantinopolitanus Episcopus, reddens rationem, cur in veteribus Liturgiis a S. Basilio in compendium redactis, tot orationes ipsum ordinem agendi, sive consecratio-
nem antecedant, ait: « Per has preces adventum Spiritus sancti ex-
pectabant, ut ejus divina præsentia propositum in sacrificium panem
« et vinum aquæ permixtum ipsum illud Corpus et Sanguinem Serva-
« toris nostri Jesu Christi efficiat ». — Præter Liturgias vero, ubi, quod a Deo postulatur, beneficium absque ambage ulla proponi necesse est, veteres illi Magistri, qui recens tinctos fideles docebant, quid de hoc mysterio ipsis credendum esset, aperte tradunt, panem videlicet fieri verum Corpus Christi ex vi verborum ad ipso Domino

semel prolatorum. Et ut illius potentiam in mutanda panis natura demonstrent, accersunt varia exempla e Scripturis petita; ex quibus discant fideles Dei potestati subjici naturas, ut eas ex nihilo condat, vel semel productas, in alias naturas convertat. — S. Cyrilli locus insignis est in Catechesi 4. Myst. « Cum igitur Christus ipse sic affirmet, « atque dicat de pane: hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat « dubitare? Ac eodem quoque confirmante et dicente: hic est San- « guis meus; quis, inquam, dubitet, et dicat, non esse illius Sangui- « nem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini pro- « pinquum, in Cana Galileæ, sola voluntate; et non erit dignus, cui « credamus, quod vinum in Sanguinem transmutasset? Si enim ad « nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, et « non multo magis Corpus et Sanguinem suum filiis sponsæ dedisse « illum confitebimur? Quare cum omni certitudine Corpus et Sangui- « nem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi Corpus, et « sub specie vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore et Sanguine Chri- « sti, efficiaris ei comparticeps Corporis et Sanguinis σύσσωμος καὶ σύναιμος « Christiferi erimus, cum ejus Corpus et Sanguinem in membra nostra « receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ consortes naturæ « efficiemur, etc. Hoc sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, « qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse « sentiat, sed esse Corpus Christi, et vinum, quod a nobis conspicitur, « tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed Sangui- « nem esse Christi ». — Elegantissima est in hanc sententiam Gregorii Nysseni *Oratio Catechetica*, in c. 37. ubi postquam docuisset alimentum hominis præcipuum in pane et vino aqua temperato consistere, quod in aliti substantiam vertitur, subjunxit Christum Dominum quando versabatur in terris, pane vitam suam fovisse, qui semel comesus viribus naturæ in Corporis Christi substantiam transibat; quod quidem Corpus ob conjunctionem cum Verbo ad divinam dignitatem evectum erat. Quæ autem fiebat naturæ viribus panis transmutatio in Corpus Christi cum Verbo divino unitum, nunc fieri ostendit in Eucharistia verbis Christi: « Recte ergo nunc quoque, *inquit*, Dei verbo « sanctificatum panem in Dei verbi corpus credo transmutare. *Mox:* « igitur unde in illo Corpore transmutatus panis transivit in divinam « virtutem, per idem nunc fit similiter. Nam, et illic Verbi gratia san- « ctum fecit Corpus, cui ex pane erat substantia, et quodammodo ipsum « quoque erat panis; et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, san- « ctificatur per Verbum Dei, et orationem, non per cibum, et potum « procedens ad Corpus Verbi, sed a verbo, quemadmodum dictum est: « transmutatum, nempe, Corpus meum ». — Ipsis concinit S. Chrysostomus, Homil. *De proditione Judæ*, ubi scribit: « Et nunc ille præsto « est Christus, qui illam ornavit mensam, istam quoque consecrat. Non « enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini Cor- « pus Christi facit et Sanguinem: sed ille, qui crucifixus est pro « nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute con- « secrantur et gratia: hoc est, ait, Corpus meum. Hoc verbo propo- « sita consecrantur, et sicut illa vox, quæ dicit, crescite, et multipli- « camini, et replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore « sentit effectum ad generationem operante natura, ita vox illa semel

« quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodier-
« num diem, et usque ad ejus adventum, præstat sacrificiis firmita-
« tem ». — In idem conspirat S. Cyrillus Alexandrinus, qui Epist. ad Calosyrium ita scribit: *Non dubites an hoc verum sit eo manifeste dicente: Hoc est Corpus meum: sed potius suscipe verba Salvatoris in fide: cum enim sit veritas, non mentitur.* Mox docet, carnem humanam, quam Verbum assumpsit, sibique propriam fecit, vivificandi vim ex Verbo sibi unito trahere. Et cum eadem Caro sit in Eucharistia, non recedere vivificandi vim a reliquiis ejus, quæ in diem sequentem supersunt, quoniam Christi Corpus non mutatur. His deinde verbis concludit: « Decebat ergo eum nostris quodammodo uniri cor-
« poribus per sacram ejus Carnem ac pretiosum Sanguinem, quæ ac-
« cipimus in benedictione vivificata in pane et vino. Ne enim horre-
« remus Carnem et Sanguinem apposita sacris Altaribus, condescen-
« dens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, convertens
« ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam se-
« men vivificativum inveniatur in nobis. Unde subdit: hoc facite in
« meam commemorationem ». — Accedit tamen illius ætate posterior, sed eruditione et nominis fama insignis Joannes Damascenus, qui fuse docet lib. 4. *Orth. fidei*, cap. 14. « Quemadmodum Dei verbo ef-
« ficaci orbis universus conditus est, sic ex pane Corpus Christi et
« ex vino et aqua Sanguinem ejus fieri. *Mox addit:* quo tandem
« modo mihi fiet istud, ajebat sancta Virgo, quoniam virum non co-
« gnosco? Respondet Archangelus Gabriel: Spiritus Sanctus super-
« veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc
« quæris, quomodo panis Christi, et vinum cum aqua conjunctum San-
« guis Christi fiat. Tibi item respondeo: Spiritus Sanctus supervenit,
« atque efficit, quæ orationis facultatem et mentis intelligentiam ex-
« cedunt. *Mox:* quoniam ita fert hominum usus ac consuetudo, ut
« panem edant, vinumque et aquam bibant, idcirco Divinitatem suam
« cum ipsis conjunxit, eaque Corpus et Sanguinem suum fecit, ut per
« usitata naturæque consentanea ad ea quæ supra naturam sunt, as-
« surgamus. Sane Corpus Divinitati vere unitum, est illud corpus,
« quod ex sancta Virgine ortum est, non quod assumptum illud cor-
« pus ex cælo descenderit, sed quia panis ipse et vinum in Corpus
« et Sanguinem Dei immutantur. *Mox:* quin ne hoc quoque alienum
« fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, et
« vinum et aqua per potum in comedentium et bibentium corpus et
« sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priore
« ipsius corpore diversum, sic propositionis panis ac vinum et aqua, per
« Sancti Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi Cor-
« pus et Sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et idem ». — Eamdem sententiam tuentur ac propugnant Latini Patres, at omnium luculentissime mirandam hanc conversionem celebrat ac commendat S. Ambrosius, lib. *De Initiandis*, cap. 9. ubi sic scribit: « quomodo tu
« mihi asseris, quod Christi Corpus accipiam. Et hoc nobis adhuc su-
« perest, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod
« benedictio consecravit: majorem vim esse benedictionis, quam na-
« turæ, quia benedictionibus etiam natura ipsa mutatur? Virgam te-
« nebat Moyses, projecit eam, et facta est serpens. Rursus apprehendit

« caudam serpentis, et in virgæ naturam revertit. Vides igitur pro-
« phetica gratia bis mutatam esse naturam, et serpentis et virgæ ». Et productis in medium variis conversionum et transubstantiationum divinitus effectarum exemplis, subdit: « Advertimus igitur, majoris esse
« virtutis gratiam, quam naturam, et adhuc tamen propheticæ bene-
« dictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana be-
« nedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione
« divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacra-
« mentum illud, quod accipis, Christi sermone conficitur... Incarna-
« tionis exemplo astruamus mysterii veritatem. Numquid naturæ usus
« præcessit, cum Dominus Jesus ex Maria nasceretur? Si ordinem
« quærimus viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet ergo, quod
« præter naturæ ordinem virgo generavit, et hoc, quod conficimus,
« corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi
« Corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Vir-
« gine? Vera utique Caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est;
« vere ergo illius carnis Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus:
« hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium spe-
« cies vocatur, post consecrationem Corpus Christi significatur. Ipse
« dicit Sanguinem suum; ante consecrationem aliud dicitur, post con-
« secrationem Sanguis nuncupatur, et tu dicis panem, hoc est, ve-
« rum est ». Verbis illis non solum sententiam Catholicam exposuit Ambrosius apertissime, sed invictissime illam hæreticorum schismatibus prælocatis confirmavit. — Idem præstitit lib. 4. *De Sacramentis*, c. 5. his verbis: « Antequam ergo consecratur panis, panis est; ubi
« autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi. Et ante verba
« Christi calix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi operata
« fuerint, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte,
« quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere.
« Deinde Dominus Jesus testificatur nobis, quod Corpus suum acci-
« piamus ac Sanguinem; numquid debemus de ejus fide ac testifi-
« catione dubitare? Magnum quidpiam, et venerabile, quod Manna
« Judæis pluit e cælo; sed intelligete, quid est amplius, Manna de
« cælo, an Corpus Christi? Corpus Christi utique, qui auctor est cæli ».
Quid clarius dici potuit, quam illud, quod ante consecrationem panis
« est, consecratione fieri, et esse Corpus Christi, et vinum fieri Sangui-
« nem, qui plebem redemit, et hanc conversionem esse miraculum om-
« nipotentiæ Dei, et alio modo Eucharistiam esse Corpus Christi, quam
« Manna, quæ tamen signum erat Corporis Salvatoris ». — Sed et cap. 4. antecedente omne Calvinistarum effugium præcluserat S. Ambrosius, his verbis: « Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi
« accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi... Quomodo potest
« qui panis est, esse Corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur
« quibus verbis est, cujus sermonibus? Domini Jesu; nam reliqua
« omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt; oratio præmittitur pro
« populo, pro Regibus, pro cæteris; ubi venitur, ut conficiatur vene-
« rabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur
« Christi sermonibus. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.
« Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Do-
« minus, et factum est cælum. Jussit Dominus, et facta est terra.

« Jussit Dominus, et facta sunt maria. Jussit Dominus, et omnis crea-« tura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si « ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non « erant quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commuten-« tur? cælum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem: « ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Ergo tibi, ut « respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post « consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi ». Observa, de pane fit Christi Caro, sermonibus Christi, qui sermo est is, quo facta sunt omnia. Verbis illis quid luculentius, et una efficacius?

Respondent hæretici, S. Ambrosium dicere, post consecrationem Corpus Christi significari, qui modus loquendi innuit solam figuram. — **Contra primo**, S. Ambrosius hoc assumit in exemplum mutationis substantialis: *secundo*, comparat Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento, cum ipso Incarnationis mysterio; ergo quemadmodum realiter vere ac proprie Incarnationis mysterium peractum est, ita etiam Corpus Christi realiter existit in Eucharistiæ Sacramento: *tertio*, docet, quod, quemadmodum præter naturæ ordinem Virgo concepit, ac genuit Christum, ita præter naturæ ordinem idem Corpus, quod est ex Virgine, habetur in Eucharistia: *quarto*, eodem modo post consecrationem Corpus Christi significatur, quo ante consecrationem species, et est, et nominatur: atqui ante consecrationem species, et est, et nominatur: igitur post consecrationem Corpus Christi, et est, et significatur: hic enim vox *significatur*, idem est ac nominatur. Lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 4. et 5. eamdem habet doctrinam.

Verum respondent hæretici, post consecrationem est Corpus Christi sacramentaliter et virtualiter, non autem vere, substantialiter ac proprie. — **Contra**, verba S. Ambrosii distincte inferunt realem Corporis Christi præsentiam: *Panis*, inquit, *iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi*. Et infra: *Quomodo potest, qui panis est, esse Corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis, et cujus sermonibus? Domini Jesu*, etc. Capite sequenti: *Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserunt, Corpus est Christi. Ante verba Christi calix est vini et aquæ; ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit: ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod Corpus suum accipiamus, et Sanguinem; numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare? Magnum quiddam, et venerabile, quod Manna Judæis pluit e cælo; sed intellige, quid est amplius, Manna de cælo, an Corpus Christi?* Ex quibus sic argumentor: dicitur post consecrationem Corpus et Sanguis Christi: dicitur, quod Sanguis efficitur Christi, qui plebem redemit: dicitur fieri per conversionem ab omnipotentia Dei: dicitur denique alio modo Corpus Christi esse in Eucharistia, quam in Manna: atqui in Manna erat significative, et Sacramentaliter Corpus Christi, cujus scilicet erat figura: Sanguis, qui plebem redemit, est verus ac proprius Sanguis Christi: denique figurativa repræsentatio non est ab omnipotentia Dei: ergo ex mente S. Ambrosii non tantum figurative et sacramentaliter, sed realiter et proprie existit Corpus Christi in Eucharistia.

INSTABIS: S. Ambrosius comparat mutationem, quæ fit per consecrationem, illi mutationi, quæ fit per Baptismum, per quam scilicet homo ex veteri mutatur in novam creaturam: atqui hæc mutatio est tantum accidentalis: ergo, etc. *Deinde*, utitur nomine similitudinis, quasi panis et vinum sint tantum similitudo et figura Corporis et Sanguinis Christi. — **Respondeo** *ad primum*, comparationem in eo tantum esse, quod, quemadmodum in Baptismo ex veteri fit nova creatura per operatorium Christi sermonem, ita in confectione Eucharistiæ de pane fit Corpus Christi; quæ verba non excludunt realem præsentiam; adducit enim exempla physicarum mutationum. Itaque vult operatorium Christi sermonem omnia transmutare suo modo, alia scilicet substantialiter, ut fit in Eucharistia, alia autem accidentario, ut fit in Baptismate. *Respondeo secundo*, verba Auctoris perspicua satis esse, ut non tantum similitudinem ac figuram, sed etiam substantialem Corporis Christi præsentiam importent; quamvis, ne cruoris horror deterreat, obvolvatur specie panis.

RESPONDENT SECUNDO, lib. *De Sacramentis*, falso attribui S. Ambrosio. *Probant primo:* quia stylus diversus est a stylo S. Ambrosii; est enim submissus, rudis ac barbarus, ut constat ex lib. 1. cap. 3. et 5. *Secundo*, quia Auctor librorum istorum plures facit observationes leves, ridiculas, et indignas S. Ambrosio, v. g. observat cap. 1. lib. 1. quod baptizati, Romæ fideles dicebantur, quasi vero tempore S. Ambrosii per universum orbem non ita cognominarentur. Cap. 5. expendens hæc verba Christi Matth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*, ait: *Vide, quia omnis justitia in Baptismate constituta est.* Lib. 6. c. 3., ad hæc verba: *Clauso ostio, ora Patrem tuum, Audi*, inquit, *quod ostium habeas, quod debeas claudere, quando oras, utinam mulieres audirent.* Cap. 4. ait, nos secreto magis orare debere, quam cum vociferatione; quod ut probet, ridiculam hanc adducit rationem S. Ambrosio indignam: *Ne aliter putetur Deus, nonnisi clamorem audire.* Nonnulla affert repugnantia, et contradictoria: v. g. lib. 3. cap. 3. profitetur se in omnibus sequi Ecclesiam Romanam, a cujus tamen ritibus et cæremoniis Ecclesia Mediolanensis discrepabat; ipse etiam Auctor libere recedit. *Denique*, falsa profert v. g. lib. 5. c. 4. exponens orationem Dominicam, lagensque *ne patiaris induci nos in tentationem*, subjungit, *Non dicit, non inducas in tentationem*, et tamen constat ex Evangelistis, Christum dixisse, *Ne nos inducas. Tertio*, Auctor iste utitur versione alia ab ea, qua S. Ambrosius usus est. *Quarto*, quia prædictus Auctor ludit allegoriis. *Quinto* denique, quia lib. *De Sacramentis*, idem habet argumentum, quod liber *De Initiandis*. — **Contra** *primo*, consensus omnium editionum hos libros S. Ambrosio tribuit: *secundo*, codices manuscripti omnes consentiunt: *tertio*, sub nomine S. Ambrosii citantur libri illi *De Sacramentis* ab Hincmaro, Floro Lugdunensi, Durando Troarnensi, Hugone Lingonensi, Deoduino Leodiensi, Berengario apud Lanfrancum, Ratramo, et Paschasio, idest, ab octo et amplius sæculis. Unde patet quam falso asserat Rivetus, libros istos non citari a priscis Auctoribus ante Lanfrancum. Taceo, quod, teste S. Augustino, lib. 2. *Retract.*, cap. 4. beatus Ambrosius scripsit librum *De Sacramentis;* nam ibi Sacramentorum nomine intelligit mysteria fidei, ut patebit legenti. *Denique*, quia nullius est

momenti, quod nobis ab hæreticis objicitur. Primum quidem petitum ex styli diversitate ; nam, ut observat S. Augustinus, lib. 4. *De Doctrina Christiana*, cap. 21. ubi agitur de fidei dogmatibus, S. Ambrosius utitur submisso dicendi genere, affert ibidem exempla, quæ legi possunt : at in libris *De Sacramentis* Auctor dat documenta fidei, qualia passim in ejus Sermonibus ad populum reperiuntur. *Observa* libros istos *De Sacramentis* pro concione ad populum habitos fuisse, ut constat ex Sermonibus 2. 4. 5. 34. in quo etiam hæc habet : *Solent*, inquit, *dicere, non possumus laborare, et jejunare, sed ideo non possunt, quia nolunt;* « saltem laborent minus, ut jejunare possint; mo« neo, ea propter, et contestor vos in Domino, ut nullus vestrum, « nisi forte sit infirmus, aut infans, usque ad Pascha, nisi in Domi« nicis diebus ante Nonam manducet, aut bibat ; moneo etiam, ut qui « juxta Ecclesiam est, et sine gravi impedimento potest, quotidie au« diat Missam, et qui potest omnino nocte ad matutinum Officium « veniat ». *Observa* denique ex iis Sermonibus dumtaxat controversiam esse an trigesimus quartus sit Sancti Ambrosii. Videtur non esse illius, quia suo tempore servabatur mos Græcorum de non jejunando die Sabbati : at in eo Sermone reprehenditur Quinquagesima, quam loco Quadragesimæ aliqui introduxerunt ; addentes unam hebdomadam, ut detractis Sabbatis, et Dominicis, quibus non jejunabatur, idem dierum numerus rediret. *Respondeo ad secundum, primo*, non habetur, quod Romæ fideles dicantur qui baptizati sunt : id, inquam, non habetur in variis editionibus, Parisiensi anni 1614. Coloniensi anni 1616. neque in multis codicibus manuscriptis, sed habetur simpliciter : *ideo recte fideles dicuntur, qui baptizati sunt.* Habetur quidem Romæ in codice manuscripto Bibliothecæ S. Michaëlis *in periculo maris*, allato, sed facile oculis ipsis deprehenditur vocem istam loco alterius suppositam fuisse. Ex codicibus manuscriptis, et impressis, qui hanc vocem habent, *Romæ*, alii præmittunt particulam copulativam (*et*), et alii omittunt ; credibile est in quibusdam repertas fuisse duas istas litteras (*Re*) unde factum est, ut aliqui legerint Romæ, cum legere debuissent recte. Nec obstat, quod scribatur per (æ), nam in veteribus manuscriptis una ex iis litteris indiscriminatim scribitur pro alia.

Secundum caput hujus objectionis verissimum est, omnem scilicet justitiam in Baptismo constitutam esse, nec indignum est, nec contra mentem S. Ambrosii, si Catholico sensu propositio, ut debet, intelligatur, scilicet pro plena remissione peccatorum. Tertio cap. S. Ambrosius conformiter ad Evangelium recte docet intrandum esse in cubiculum, hoc est, secreto orandum esse, ut vana gloria atque jactantia fugiatur ; nisi velis, S. Ambrosium reprehendere promiscuas vociferationes virorum ac mulierum, quales fiunt in templis nostrorum hæreticorum. Ubi de lotione pedum sermo est, nulla barbaries, sed submissum dicendi genus continetur. Nihil etiam falsi in eo, quod dicit Auctor se in omnibus sequi Ecclesiam Romanam ; quamvis tunc Mediolanensis in pluribus discreparet : illa enim convenientia, vel intelligenda est moraliter, hoc est in pluribus, vel in his quæ spectant ad fidem. Audiatur S. Ambrosius, lib. 7. *Epistolarum*, Epist. 4. *De Ecclesia*, inquit, *Romana in omnes venerandæ Communionis jura dimanant.* Item Epist. 7. *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia*

Romana intemeratum semper custodit et servat. Epist. 9. quæ est ad Theophilum Alexandrinum, cui contentio de Episcopatu Antiocheno Flavianum inter et Evagrium a Capuana Synodo commissa erat; Theophilo quærenti quid esset agendum, respondit S. Ambrosius: *Referendum arbitramur ad S. Fratrem nostrum Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem; postea ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum ejusmodi examinis adipiscamur.* Ecce quomodo S. Ambrosius in omnibus sequebatur typum et formam Ecclesiæ Romanæ; cum quo tamen bene stat, quod in jejunio Sabbati, vel in aliis privatis ritibus Ecclesia Mediolanensis discreparet. *Denique,* falsi Auctor reprehendi non potest propterea quod scripserit, Christum non dixisse, *ne nos inducas,* sed, *ne patiaris nos induci in tentationem;* id enim facile solvitur ex S. Augustino, lib. *De Dono Perseverantiæ,* cap. 6. ubi distinguit tentationem duplicem, aliam utilem, aliam vero noxiam: *Deus,* inquit, *neminem tentat, tentatione scilicet noxia;* nam est utilis, qua non decipimur, vel opprimimur, sed probamur, secundum quod dictum est: *Proba me, Domine.* Secunda ergo illa noxia tentatione, quam significat Apostolus, dicens: *Ne forte tentaverit vos, qui tentat, et inanis sit labor vester; Deus, ut dixit, neminem tentat, hoc est, nemini vim infert, vel inducit in tentationem; nam tentari, et in tentationem non inferri, non est malum, imo etiam bonum,* etc.

Tertium caput objectionis petitum ex diversitate versionum non magis urget; nam ea operum S. Ambrosii lectione satis constat, illum non semper iisdem terminis eosdem Scripturæ locos citasse.

Quartum non est validius; quia certum est, S. Ambrosium sæpe sæpius Origenem imitari in adducendis allegoriis. *Denique,* leve est, quod quinto, et ult. loco adducitur, quia non raro SS. Patres de eodem argumento tum diverso tempore, tum diversis libris disseruisse, constat ex libris S. Augustini, *De Symbolo* ad Catechumenos; tum maxime, quia lib. *De Sacramentis,* longe tutiores, pluraque continent, quam lib. *De Initiandis.*

Objiciunt hæretici *primo* aliquos Patres Græcos, qui panem et vinum etiam post consecrationem appellant *signum, figuram, symbolum, antitypa, memoriale, et repræsentationem Corporis et Sanguinis Christi.* Sic præcipue S. Gregorius Nazianz. orat. funebri de S. Gorgonia sua sorore, et S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 5. quibus concordant plurimi Latini Patres, maxime Tertullianus, lib. 4. *Contra Marcionem,* cap. 40. *Acceptum,* inquit, *panem, et distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, idest figura Corporis mei.* Similiter S. Augustinus, *Contra Adimantum Manichæum,* cap. 10., sic ait: *Non enim dubitavit Dominus dicere: Hoc est Corpus meum, cum signum daret Corporis sui.* Et in Psal. 3. *Judam adhibuit ad convivium, in quo Corporis et Sanguinis sui figuram Discipulis commendavit et tradidit.* — **Respondeo primo,** quod dum Patres Eucharistiam appellant signum, figuram, vel symbolum Corporis Christi, non intendunt negare realem ipsius Domini Corporis in Eucharistia præsentiam; duplex enim est figura: una, quæ rem absentem, alia vero, quæ rem præsentem exhibet. Sic ad Hebr. 1. Christus dicitur *figura substantiæ Patris,* et ad Coloss. 1. *Imago Dei,* et ad Phi-

lipp. 2. dicitur *ad similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo;* at hæc ratio figuræ non removet ab eo consubstantialitatem cum Patre; nec ratio similitudinis negat in eo veram humanitatem. Igitur quemadmodum Apollinaristæ perperam negabant ex præfato Pauli ad Philipp. oraculo, veram et realem in Christo esse humanitatem et Carnem, pari ratione toto cælo a veritate Catholica aberrant Calvinistæ, dum colligunt, Christi Corpus non esse realiter in Eucharistia, ex eo quod aliqui ex SS. Patribus ipsam Christi Corporis figuram appellent. Nam, ut egregie ait Algerus, *Sicut res antiquæ Legis erant figura sine veritate; res alterius vitæ, veritas sine figura; ita res præsentis status sunt figura, et veritas.* Porro Eucharistia dicitur figura, tum ratione symbolorum externorum, sub quibus Christi Corpus et Sanguis obvelantur: tum ratione gratiæ invisibilis, quam Christi Corpus etiam secundum veritatem significat et efficit: tum ratione ejusdem Christi olim in terra existentis et patientis, necnon et jam in cælo visibiliter triumphantis. *Respondeo secundo,* ad auctoritatem Tertulliani et S. Augustini, quibus maxime adversarii nisi videntur, *primo* quidem, Tertulliani textum et phrasim cum distributione accommoda esse accipiendam; vox enim *figuræ* non applicatur Corpori, sed particulæ *hoc,* quæ ex mente Tertulliani supponit pro pane, ita ut sensus sit: Christus acceptum panem, qui erat figura Corporis sui, Corpus suum fecit dicendo: Hoc, idest, figura Corporis mei, est Corpus meum. Unde Tertullianus transpositione usus est, ne ordinem verborum Christi Domini interpositione particulæ *hoc,* interrumperet. Sicut lib. *Contra Praxeam,* cap. 29. explicans, qua ratione Christus, cum sit Deus, potuerit mori, illud Apostoli, 1. Cor. 15. refert: *Quoniam Christus mortuus est,* aitque: *Dicendo, Christus mortuus est, idest unctus; id quod unctum est, mortuum ostendit, idest, Carnem.* Ubi particulam, *idest unctus,* immediate post ly *Christus* non subjecit, ne verborum Apostoli series interrumperetur. ✳ " Sic, et lib. 4. *Contra Marcionem,* cap. 11. per hyperbaten, ait: aperiam in parabolam aurem meam, idest, similitudinem. Ubi similitudo non ad *aurem,* sed ad *parabolam* refertur. " ✳ Porro quod ea sit mens Tertulliani, perspicuum fiet consideranti, Marcionem duplici potissimum errore laborasse, nam et Christo spectrum et figuram Corporis affinxit, et Legem veterem a malo Deo mundi hujus opifice conditam, a Christo tandem abolitam fuisse somniavit, et hoc libro suo antitheseon Legis, et Evangelii suadere conatus est. *Priorem* errorem hujus libri confutavit Tertullianus; *posteriorem* quarto libro adoritur, probans non venisse Christum, ut legem solveret, sed adimpleret, exhiberetque Servator in novo Testamento eorum veritatem, quorum figuræ in veteri habebantur. Hoc præmisso audiamus Tertullianum: « Professus itaque, *inquit,* se con-
« cupiscentia concupisse edere Pascha, ut suum (indignum enim, ut
« quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem, et distributum
« Discipulis Corpus suum illum fecit. Hoc est Corpus meum, dicendo,
« idest figura Corporis mei; figura autem non fuisset, nisi veritatis
« esset Corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram ca-
« pere non posset. Aut si propterea panem Corpus sibi finxit, quia
« Corporis carebat veritate; ergo debuit panem tradere pro nobis. Fa-
« ciebat ad veritatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem

« panem Corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Mar-
« cion cordis loco habuit? non intelligimus veterem fuisse istam fi-
« guram Corporis Christi, dicentis per Hieremiam: adversus me co-
« gitaverunt cogitatum, dicentes: venite, mittamus lignum in panem
« ejus (scilicet crucem in Corpus ejus). Itaque illuminator antiquita-
« tum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, Corpus
« suum vocans panem; sic, et in calicis mentione Testamentum con-
« stituens, Sanguine suo obsignatum substantiam Corporis confirmavit:
« nullius enim Sanguis esse potest, nisi Carnis, nam etsi quæ Cor-
« poris, qualitas non carnea opponetur nobis, certe Sanguinem, nisi
« carnea, non habebit. Ita consistit probatio Corporis de testimonio
« Carnis, probatio Carnis de testimonio Sanguinis. Ut autem et San-
« guinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Isaias: *Quis*, in-
« quit, *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, sed*
« *decorus in stola violenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua,*
« *et indumenta, sicut de foro torcularis pleno conculcato?...* Multo ma-
« nifestius in benedictione Judæ, ex cujus Tribu Carnis census Christi
« processurus, jam tunc Christum in Judæa delineabat: *Lavabit*, in-
« quit, *in vino stolam suam, et in Sanguine uvæ amictum suum:*
« stolam et amictum Carnem demonstrans, et vinum Sanguinem;
« ita et nunc Sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum
« in Sanguinem figuravit ». Quibus verbis Tertullianus colligit veri-
tatem Carnis et Sanguinis Christi, ex eo quod utrumque figuratum
fuit in veteri Lege per panem et vinum; unde sic ratiocinatur: pa-
nem et vinum, quæ erant Corporis et Sanguinis Christi figuræ le-
gales, verbis suis fecit verum Corpus suum et Sanguinem in Eucha-
ristia: at figura non est nisi alicujus veritatis: igitur Christus habuit
verum Corpus, verumque Sanguinem. Nullum autem foret hujusmodi
Tertulliani argumentum, si panis et vinum in Eucharistia essent dum-
taxat figura Corporis et Sanguinis Christi; inde enim foret consequens,
quod panis et vinum in veteri Lege fuissent figuræ, non veri Corporis,
sed dumtaxat illius umbræ et imaginis; igitur tantum abest, ut Ter-
tullianus patrocinetur hæreticorum errori, imo diserte ac luculenter
veritatem Catholicam astruit et confirmat, quippe ex veritate Cor-
poris et Sanguinis Christi in Eucharistia aperte colligit, Christum
habuisse verum Corpus, verumque Sanguinem. Unde etiam subdit:
panis et calicis Sacramento, jam in Evangelio probavimus Corporis
et Sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis. —
* " Alio sensu non minus naturali et commodo præfata Tertulliani
verba exponi possunt, ut scilicet Sacramentum Eucharistiæ inadæ-
quate spectatum secundum externam dumtaxat sui partem, quæ sen-
sibus obvia est, non adæquate secundum id etiam quod in eo inter-
num est, præcipuum et invisibile figuram Corporis Christi vocaverit,
non inanem et vacuam, sed plenam; plenam, inquam, non sola Cor-
poris Christi virtute (ut Calviniani fingunt), sed ipsa Corporis Christi
veritate. Unde eodem sensu figuræ nomen Tertullianus usurpavit, quo
Sacramenti nomen accipimus, scilicet pro signo externo et sensibili
rei invisibilis: sic autem species panis sunt figuræ et signa Corporis
Christi, non absentis, sed præsentis secundum substantiam. Quod autem
Tertullianus inducendo figuram non excluserit veritatem, alia ejus loca

ostendunt. Etenim præter supra citata, lib. *De Pudicitia*, cap. 9., ait: *Opimitate Dominici Corporis vescitur Eucharistia scilicet.* Et lib. *De Idololatria*, cap. 7. *Alleguntur in Ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie Corpus ejus lacescunt. O manus præcidendæ!* — INSTANT CALVINIANI, et proferunt alium Tertulliani locum lib. 1. *Contra Marcionem*, cap. 14. in quo scripsit de Christo: *Pane ipsum Corpus suum repræsentans.* Ex quo inferunt in Eucharistia verum esse panem, quo Corpus Christi repræsentatur. — **Respondeo**, hoc verbum *repræsentare*, tam usurpari ad significandam rem præsentem, quam absentem. Quid est enim repræsentare, nisi rem præsentem exhibere sive in reipsa, sive in rei signo, et figura? Unde repræsentare pecuniam idem est ac præsentem numerare; et oramus in Missa pro defunctis, ut *Archangelus Michaël repræsentet eas* (animas) *in lucem sanctam*, idest ut Deo revera præsentes sistat. Et ipse Tertullianus hoc sensu repræsentandi verbum sæpius usurpavit, ut lib. *De Orat.*, cap. 5., ubi ait, nos in oratione Dominica *regni Dominici repræsentationem postulare*, idest, præsentiam et possessionem regni cælestis. Et lib. *De Resurrectione Carnis*, cap. 5., ait, *plenitudinem perfectionemque judicii, nonnisi de totius hominis repræsentatione constare*, idest, de totius hominis præsentia et manifestatione. Et lib. 4. *Contra Marcionem*, cap. 22., de Patre testimonium perhibente de Filio in Monte Thabor, ait: *Itaque jam repræsentans eum, hic est Filius meus dilectus quem repromisi.* Ex quibus inferri potest, quod sicut Tertullianus unitatem Corporis Christi in Monte Thabor transfigurati probat ex eo, quod Pater repræsentavit eum ibi, dicendo: *Hic est Filius meus*, ita ejusdem Corporis veritatem probare intendit ex verbis, quibus Christus suum Corpus repræsentans, dixit: *Hoc est Corpus meum;* priora enim verba non magis demonstrant Corpus verum, quam posteriora. " ✻

Ad S. Augustinum respondeo cum Contensone, ipsum priori loco arguere ad hominem Adimantum, qui cum esset Manichæorum hæresi infectus, non solum cum aliis Sectariis existimabat, Eucharistiam non consecratione, sed natura sua esse signum Corporis Christi, non quidem veri, sed dumtaxat apparentis, quod secundum simulatam speciem Corporis passum fuerat in cruce, ut observat S. Augustinus, Hæresi 36. Sed præter illum Christum in phantasmate, sub Pontio Pilato crucifixum, duplicem adhuc Christum delirantes Manichæi fingebant: alium, quem terra concipiens patibilem gignit, ut observat ipse S. Augustinus, lib. *De Fide*, contra Manichæos, cap. 34. *Dicitis magno errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. Numquid forte in eis, qui credunt, et pro nomine ipsius tribulationes, mortemque patiuntur? Non, inquiunt, sed in cucurbitis, et in poris, et in portulaca, et in cæteris hujusmodi rebus, magna ridicula, magna cæcitas: superius Passionibus dæmonum, hic passionibus olerum homines liberantur a peccatis.* Alium vero Christum impassibilem admittebant, per Solem, Lunamque distinctum, ut ait idem Augustinus. Porro Corpus Christi patibilis (quod erat quilibet fructus, et olus, ac proinde panis) secundum Manichæos erat tantum signum corporis phantastici, in quo impassibilis Christus simulate passus et mortuus est. Etenim panis non fiebat consecratione Corpus Christi patibilis, cum esset Corpus Christi

patibilis natura sua; non fiebat etiam verum Christi impassibilis Corpus; alioquin Christus impassibilis, in pane passibilis evasisset, nam in ejusmodi escis Christus, secundum Manichæos, quotidie patiebatur, quotidie moriebatur. Unde, juxta Manichæos, panis erat tantum figura corporis phantastici Christi in cruce passi. Quare S. Augustinus juxta principia Manichæorum locutus est, cum dixit: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum, cum signum daret Corporis sui;* idest, non dubitavit Dominus dicere: Hoc est Corpus meum, cum illud daret, quod secundum vos est tantum signum Corporis sui. Loco enim illo contra Adimantum respondet hæretico illi vetus Testamentum calumnianti ex eo, quod *Deut.* 12., cavetur, ne sanguis animalis comedatur, *sanguis enim eorum pro anima est,* nec debet comedi anima cum carnibus. Hoc autem testimonium impugnabat Adimantus, quia in novo Testamento Dominus dicit, non esse timendos eos, qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt; quæ duo, inquiebat, pugnantia sunt, si anima sit sanguis, isti enim homines nocere possunt. Cui objectioni respondet S. Augustinus, *primo,* in *Deuteronomio* sermonem esse De Anima Brutorum, in Evangelio, De Anima Hominum: nullibi enim veteris Testamenti scriptum est, animam humanam esse sanguinem. *Secundo,* respondet, illud præceptum in signo positum esse, hoc est, sanguinem appellari animam, non quod sit anima proprie, sed quia est signum animæ. In hujus autem responsionis confirmationem addit, quod Dominus non dubitavit dicere Corpus suum, cum illud daret secundum vos, o Manichæi, esse tantum signum Corporis sui: ergo Sanguis, qui est signum animæ, potuit anima appellari. Postquam vero ex Manichæis ipsis ostendit figuram nomine rei, cujus est figura, nuncupari, illud ipsum confirmat, quia in veteri Lege omnia erant figuris plena, utiturque exemplo petræ, quæ Christus dicitur figurative, non solum ex adversariorum, sed ex propria etiam sententia. Ita apposite Contensonus ex Perronio, Bellarmino, et aliis. — *Ad alteram auctoritatem* S. Augustini depromptam ex Psal. 3. *respondeo,* eam non esse intelligendam *de figura quadam inani,* et mere dumtaxat repræsentativa Corporis et Sanguinis absentis; sed *de figura* et speciebus Sacramentalibus, quæ continent et demonstrant ipsummet Corpus vere præsens cum Sanguine; quemadmodum figura corporis naturalis est vere demonstrativa ejusdem corporis, cujus est figura. Id tamen interest, quod hæc sit corpori naturali propria, eique inhærens et adhærens, illa vero nec inhæreat, nec adhæreat Corpori et Sanguini Domini, sed modo existendi prorsus miraculoso vere contineat et designet Corpus et Sanguinem Domini sub aliena specie occultatum. *Confirmatur* hæc responsio: quia cum Christus *faceret Pascha cum Discipulis suis,* et tum Agno Paschali, tum aliis consimilibus figuris finem imponeret, non instituebat novas ac imperfectiores (quandoquidem nudæ panis et vini figuræ longe imperfectius significarent Corpus et Sanguinem, vel etiam Passionem, aut mortem Christi, quam *Agnus Paschalis*), sed substituebat multo perfectiores, quæ nimirum continerent et designarent ipsum verum Corpus et ipsum verum Sanguinem. Nam sic ajebat: *Accipite, et comedite, Hoc est enim Corpus meum; Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem pec-*

catorum. Quod si *novi Testamenti:* ergo et *terminativi* (ut ita loquar) figurarum antiqui Testamenti. Addo a S. Doctore Augustino, *mirandam prædicari patientiam Christi, qui Judam adhibuit ad convivium, in qua Corporis et Sanguinis sui figuram tradidit.* Si enim solam, meram, nudam, et quodammodo inanem figuram tradidisset, non adeo miranda foret patientia Christi Domini. Sed in hoc maxime elucebat, quod perfidissimo proditori simul cum figura Corpus et Sanguinem suum porrigeret, prout idem S. Augustinus clarius, expressiusque aperit, et semetipsum explicat in Psal. 10. dum ait: *Christus traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primum Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis, traderet:* vocat primam hostiam confectam manibus Christi, idest, ipsius potentia consecratam, neque enim ipse panem confecerat.

URGENT: S. Augustinus aperte docet, Corpus Christi in Eucharistia solummodo fide percipi: igitur non censet ibi vere ac substantialiter sub speciebus delitescere. *Probant antecedens* ex Tract. 25. in Joann. *Quid paras dentem, et ventrem? Crede, et manducasti:* et Tract. 26. *Credere in eum, hoc est, manducare panem vivum.* — **Verum respondeo,** S. Augustinum ibi loqui de manducatione Christi spirituali, quæ fit per fidem Incarnationis; non autem de Eucharistia. Quod autem S. Augustinus excludat modum sumendi Eucharistiam tantum per fidem, constat ex Tract. 11. in Joann., ubi expendens hæc verba: *Illi crediderant in eum, et Jesus non se credebat eis,* ait: *Tales sunt omnes Catechumeni. Ipsi jam credunt in nomine Christi; sed Jesus non se credit eis. Intendat, et intelligat charitas vestra. Si dixerimus Catechumeno:* Credis in Christum? *Respondet,* Credo, *et signat se cruce Christi, portat in fronte, non erubescit de cruce Domini sui, Ecce* credit *in nomine ejus. Interrogemus eum:* manducas Cœnam Filii hominis, et bibis ejus Sanguinem? *Nescit quid dicimus,* Jesus *non se credit ei.* Cernis quemadmodum Augustinus discernat *fidem* a *manducatione,* dum asserit Catechumenum *credere in Christum,* negat tamen eum scire quid sit *manducare Carnem Filii hominis, et bibere ejus Sanguinem.* Igitur mens S. Augustini non est, quod Christi Domini Corpus debeat dumtaxat sumi per fidem, alioqui frustra negaret, Catechumenum comedere Corpus Christi, quippe cum Christum per fidem apprehendat. Pari ratione interpretandus est lib. 2. *De peccatorum meritis et remiss.,* cap. 26. *Quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum tamen est, quoniam Sacramentum.* Ibi enim loquitur de pane Catechumenorum, quem vocat Sacramentum laxiori significatione, quia panis ille benedictus erat signum unitatis fidei et Ecclesiæ, necnon et symbolum Eucharistiæ, cujus vice ministrabatur. *Adde quod* vocabula illa, *Quid paras dentem, et ventrem?* distincte non inveniantur apud S. Augustinum, sed solum colligantur ex Tract. 25. et 26. in Joann. sicut notatum reperies de consecrat., dist. 2. ante capitulum: *Ut quid paras dentem, et ventrem?*

INSTANT ITERUM: Revera S. Augustinus censuit Christum in Eucharistia sumi tantum per fidem, et in ea dumtaxat esse significative, seu ut in Sacramento fidei; nam Epist. 3. ad Bonifacium scribit in hunc modum: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die*

populis immolatur? Nec utique mentietur qui interrogatus responderit eum immolari. Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum (quarum Sacramenta sunt) non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum, *Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, et Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei, fides est.* — **Respondeo** cum nostro d'*Astroy*, Controversia de Eucharistia, *primo*, his verbis non negari a S. Augustino, imo expresse asseri, *quod Christus vere immoletur, ita ut non mentiatur, qui interrogatus responderit eum immolari in Sacramento;* sed negari, quod immoletur *in seipso*, idest, *sensibiliter* et *cruente*, quia immolatio illa non afficit Christum *in seipso intrinsece*, quamtumvis illic præsentissimum, sed afficit *sacramentaliter* dumtaxat et *incruente*, repræsentando cruentam illius immolationem olim in cruce factam, seu Corpus instar occisi, ac Sanguinem instar effusi, et hoc ipsum *non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die* fit pro multis in remissionem peccatorum. *Respondeo secundo*, secundum quemdam modum *Corporis Christi esse Corpus Christi*, nimirum in *sensu causali*, idest per *modum* causæ moralis vere et realiter continentis suum figuratum, et saltem moraliter causantis ac conservantis veram et realem illius præsentiam, quemadmodum *fidei Sacramentum* (hoc est, Baptismus) *fides est;* non solummodo significative, sed etiam causaliter et efficaciter, tamquam signum causativum et demonstrativum sui effectus præsentis in fieri. Nam, ut ait S. Doctor, lib. 1. *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 9. *Christus, in quo omnes vivificabuntur, præter quam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis.* Ex hac igitur comparatione Sacramenti fidei, seu Baptismi cum Sacramento Corporis Christi, sequitur ex mente S. Doctoris Augustini, *Sacramentum Corporis esse Corpus*, non nude significative, hoc est, ut signum dumtaxat rememorans, et abstrahens ab effectu et præsentia sui significati, sed ut signum efficax præsentiæ ipsius, eamque continens, et demonstrans in fieri, et conservari, prout loqui solent, qui Theologiam Scholasticam tractant.

Objiciunt secundo *eumdem S. Augustinum*, in Psal. 98. ubi Christum sic loquentem ad Capharnaitas inducit: *Spiritualiter intelligite quod locutus sum; non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum Sanguinem, quem futuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritaliter intellectum vivificabit vos, Caro autem non prodest quidquam.* — **Respondeo**, S. Augustinum intelligendum esse de manducatione Corporis passibilis, et bibitione Sanguinis modo sensibili et cruento, ut seipsum explicat in Epistola ad Irenæum, verbis relatis *De Consecr.*, dist. 2. cap. 45. *Non hoc Corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem, et non ipsum. Ipsum invisibiliter, et non ipsum visibiliter.* Unde præfata verba eo modo sunt accipienda, quomodo ipsemet S. Augustinus explicat illud dictum Christi Domini Joann. 16. *Jam non videbitis me;* ait enim Tract. 95. *Quid ergo est, nisi quomodo sum, cum vobiscum*

sum? Hunc *ergo Christum*, idest talem *Christum non erant visuri.* Quod si negandum sit *verum Corpus Christi in Eucharistia*, quia dixit Augustinus: *Non* hoc Corpus, *quod videtis, manducaturi estis;* eodem plane modo negandus erit *verus Christus suscitatus a mortuis*, quia idem S. Augustinus dixit, hunc Christum *non esse jam videndum;* quod quam impium sit ac blasphemum, et a tanti Doctoris mente alienissimum, nemo non videt. Imo vero ne cui vel minimæ saltem suspicionis umbram relinqueret, cum dixisset, *Apostolos* hunc *Christum non visuros*, statim quo sensu id foret intelligendum, manifestissime declaravit, cum subdidit, idest *talem.* Eodem ita prorsus modo, quando supra dixit: Non hoc Corpus, *quod videtis, manducaturi estis*, subintelligendum est, non *tale Corpus, quod videtis, manducaturi estis.* Sic etiam S. Paulus dicebat ad Galat. 2. *Vivo ego, jam non ego;* unde de eodem homine notabiliter accidentarie mutato dicitur, non est amplius idem, qui fuerat. Hinc S. Ambrosius, lib. 2. *De Pœnitent.*, cap. 10. refert, quemdam recte dixisse, *Ego non sum ego.* Quod autem aliud noluerit S. Augustinus eo loco, manifeste patet; siquidem ibi scripserat, *Christum suscepisse de terra terram, quia Caro de terra est, et de Carne Mariæ accepisse Carnem, in ipsa Carne hic ambulasse, et ipsam Carnem nobis manducandam ad salutem dedisse, neminem autem illam Carnem manducare, nisi prius adoraverit, et non solum non peccari adorando, sed peccari non adorando.* Quomodo autem post hæc tam clare, tam evidenter expressa et inculcata, S. Augustinus in eodem Sermonis contextu, velut sui oblitus, veritatem Corporis Christi in Eucharistia negasset, adeoque idololatriam statuisset? si enim ibi non est Christi Caro, ibi non est adoranda. — Ut autem omnes similes ex S. Augustino depromendas auctoritates facili negotio discutias, placuit hic attexere nonnullas observationes, quas ex doctrina sanctissimi illius Doctoris selegit P. d'Astroy loco supra laudato, pag. 158. *Primo*, quidem monet S. Augustinus, lib. 1. *De Trinit.*, cap. 8. *Arbitror sane*, inquit, *tardiores* (adde et præsumptiores) *in quibusdam locis librorum meorum opinaturos, me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere, quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis Sanctis divinorum librorum auctoribus ullo modo quisquam recte tribueret tam multos et varios errores hæreticorum.* Monet *secundo*, lib. *De Dono Perseverantiæ*, cap. ult. *Qui legunt, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent. Qui vero me errare existimant, etiam atque etiam, quæ sunt dicta, considerent, ne fortassis ipsi errent.* Monet *tertio*, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. 18. *Non ea colligenda et commemoranda sunt, quæ obscure, vel ambigue, vel figurate dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum; talia enim recte intelligi, exponique non possunt, nisi prius ea, quæ apertissime dicta sunt, firma fide teneantur.* Monet *quarto*, Sacramenti mysterium, propter suam summam ipsius profunditatem, non esse temere coram Catechumenis et Gentilibus exponendum: *Catechumenis*, inquit Tract. 96. in Joann. *Sacramenta fidelium non produntur; non ideo, quod ea ferre non possunt, sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur.* Idem docet in Psal. 109. necnon et lib. 10. *De Civitate*, cap. 26. sed evidentissime Serm. 46. *De Verbis Domini: Sicut*

audivimus, cum sanctum Evangelium legeretur, Dominus Jesus Christus exhortatus est promissione vitæ æternæ ad manducandam Carnem suam, et bibendum Sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum omnes intellexistis, *qui enim* fideles et baptizati *estis, quid dixerit* nostis. *Qui autem inter nos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse (cum legeretur) audientes, numquid et intelligentes? ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui jam manducant Corpus Domini, et bibunt Sanguinem ejus, cogitent quid manducent et bibant. Qui autem nondum manducant, et nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent. Per istos dies Magistri pascunt. Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, o audientes* (Catechumeni), *ut mensam videatis, et ad epulas non accedatis? Et forte modo cum Evangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris: Putamus quid est hoc, quod dicit: Caro mea vere esca est, et Sanguis meus vere potus est? Quomodo manducatur Caro Domini, et bibitur Sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est, sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, et solvisti quæstionem. Quid enim dixerit Dominus Jesus jam fideles noverunt.* — Quod ad Paganos, seu Gentiles, seu Infideles attinet, satis patet ex Maximi Madaurensis idololatræ Epistola, quis eorum sensus fuerit, et quam non temere ejusmodi hominibus proponenda fuerint nostræ fidei arcana. Ille enim Ethnicus sic scribit S. Doctori Augustino: *Illud quæso, vir sapientissime, ut remoto facundiæ robore, atque exploso, quo cunctis clarus es, omissis etiam quibus pugnare solebat Chrysipæus argumentis, postposita paululum dialectica, quæ nervorum suorum luctamine nihil certe cuiquam relinquere nititur,* ipsa re *approbes, quis sit* iste Deus, *quem vos Christiani, quasi* proprium vendicatis, *et in* locis abditis præsentem *vos videre componitis? Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium, piis precibus adoramus, et per suaves hostias nobis propitios efficimus, et a cunctis hæc cerni et probari contendimus.* — Similiter S. Chrysostomus, Homil. *De Proditione Judæ: Accepit panem Christus, et dixit: Hoc est Corpus meum; agnoscunt quid loquar, qui mysteriis initiati sunt.* Theodoretus, Dialogo 1. *Non est consentaneum aperte loqui, nam hic fortasse aliqui sunt infideles. Confirmatur:* si enim de aliis arcanis obscure loquendum erat ad vitandum scandalum, multo magis de Eucharistia, quæ est mysterium mysteriorum; unde etiam vocatur *mysterium fidei* in consecratione calicis. *Advertendum insuper* cum illustrissimo nostro Meurissio, quod, quotiescumque Patres verba Sacramentalia transferunt ad spiritualem divinæ doctrinæ manducationem, non secundum sensum litteralem, sed mysticum sunt intelligendi; qui tamen sensus mysticus cum litterali non pugnat, sed potius in eo fundatur. Sic Origenes in cap. 26. Matth. *Panis iste, quem Deus Corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum.* Alias tamen, si nullus supponeretur sensus litteralis, nullum relinqueretur Sacramentum Eucharistiæ. — Sic pariter caput sextum S. Joannis nonnulli Patres metaphorice explicant de manducatione spirituali per meditationem, per fidem, per lectionem Scripturarum, per charitatem, et dilectionem. Ita S. Hieronym., in Psal. 146. S. August. in Tract. 25. et 26. in Joan. Quamvis itaque nonnulli Patres hoc caput sextum

Joannis metaphorice exposuerint, tamen nemo ipsorum docuit non posse aliter, quam figurate explicari; imo prædictus S. Hieronym., Epist. 150. q. 2. et S. August. Tract. 26. in Joann. interpretantur de vera manducatione reali. Unde idem Origenes Homil. 16. in *Numeros*, utrumque sensum conjungit, dicens: *Bibere dicimur Sanguinem Christi, et ritu Sacramentorum, et cum sermones ejus recipimus. — Quarta observatio:* cum dicunt iidem Patres oportere manducare Corpus Christi spiritualiter per fidem, non negant realem manducationem, sed spiritualem addunt, ut realis sit fructuosa. Ita debet intelligi S. August., Tract. 25. in Joann.: *Ut quid paras dentem, et ventrem? crede, et manducasti.* Nam mox superius dixit: *Fideli corde atque ore Christum a nobis suscipi.* Et S. Chrysost., etiam supra: *Non fide tantum, sed re-ipsa.* Ita etiam debent intelligi, cum dicunt Christi Corpus a malis non posse manducari, ut Origenes in cap. 15. Matth. *Verbum factum est Caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.* (Supple prout oportet ad salutem, et ad animæ spiritalem refectionem). Addo, et per illum modum loquendi velle indicare virtutem omnipotentiæ divinæ, quæ hoc efficit miraculum, quomodo Apostolus in Epistola ad Galatas dicit, Isaac natum fuisse secundum spiritum, idest, per miraculum omnipotentiæ divinæ. — Si autem SS. Patres sæpe obscurius de hoc mysterio locuti fuerint, mirum videri non debet; cum enim exorta non esset circa hanc veritatem controversia, liberius loquebantur, quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholica, mentemque suam a fidelibus satis intelligi, potissimum nondum exortis hæreticis Sacramentum hoc negantibus aut oppugnantibus; ideoque de veritate hujus Sacramenti stabilienda ex professo numquam egerunt. Unde hac in re merito quadrat illud S. Aug., lib. *De Præd. Sanctor.*, cap. 14. ubi generatim excusat omnes Patres, quos Semipelagiani in sui erroris patrocinium proferebant, dicens: *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui prius, quam illa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentiant, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, et transeunter attingerent; immorarentur vero in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, et exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo et vero pro adipiscenda vita æterna, et vera felicitate servitur.*

* " Objiciunt 3. S. Athanasium, Homil. in illud Evangelii: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, hæc habentem istiusmodi characterem etiam in Joann. Evangelio vidi, ubi de esu Corporis disputans, ac propterea multos scandalizatos conspiciens, ita locutus est: Hoc vos scandalizat? Quid si igitur Filium hominis spectaveritis ascendentem ubi prius erat? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt et vita. Hic enim de utroque carne et spiritu suo locutus est, et spiritum a carne discriminavit, ut non solum id quod oculis apparebat, sed naturam quoque invisibilem credentes disceremus, ea quæ loqueretur non carnalia esse, sed spiritualia. Quot enim hominibus Corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret? Sed propterea Ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, ut eos a corporali intellectu*

abstraheret; ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum e supernis cœlestem et spiritualem alimoniam ab ipso donandam intelligerent. Quæ enim locutus sum vobis, inquit, spiritus sunt et vita; quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur, et datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuique tribuatur, et fiat singulis tutamen præservatioque ad resurrectionem vitæ æternæ. Quibus non tantum profert, sed et probat Corpus Christi non realiter, sed mystice et spiritualiter manducari. — **Respondeo,** S. Athanasium non negare quod Corpus Christi in Eucharistia a nobis vere manducetur; id enim expresse asserit iis verbis: *quod proinde est ac si diceret: Corpus meum, quod ostenditur et datur pro mundo in cibum dabitur;* sed solum negare quod manducetur modo carnali instar aliorum ciborum. Unde subjungit: *Quot enim hominibus Corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret?* Idest, quomodo in tot frusta ab escio dividi potuisset ut unusquisque de sua carne manducaret. Quod autem ait S. Athanasius, dixerit Christum non carnalia, sed spiritalia esse locutum, cum de manducatione suæ carnis sermonem habuit, non sic intelligendum esse, ut voluerit spiritu dumtaxat et fide manducari a nobis Carnem Christi, sed ita ut per hæc verba significaverit Carnem Christi esse Verbo divino unitam, et verbum illud *spiritus,* quod usurpavit Christus quando dixit: *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt,* designare divinitatem humanitati Christi unitam, sine qua Caro quidquam non prodesset, et cujus virtute multiplicatur Caro Christi sine sui divisione, et fidelibus distribuitur, ut alat eos in vitam æternam. Hunc autem esse germanum præfati loci sensum ex S. Athanasii instituto colligitur. Totus enim illius hoc in Sermone scopus erat, probare Christum nomine blasphemiæ contra Filium hominis blasphemiam contra suam humanitatem; nomine vero blasphemias contra Spiritum, blasphemiam contra suam divinitatem intellexisse. Id ut exequatur loca Sacræ Scripturæ omnia congerit, in quibus nomen *spiritus* ad divinitatem significandam usurpatur, et istum inter alia locum affert: *Spiritus est qui vivificat, Caro non prodest quidquam,* in quo ostendit Christum Carnis nomine humanam naturam, nomine vero spiritus divinam significasse. Quod indicant verba illa jam citata: *Hic enim de utroque Carne et spiritu suo locutus est, et spiritum a Carne discriminavit, ut non solum id quod oculis apparebat, sed naturam quoque invisibilem* (divinam scilicet) *credentes disceremus ea quæ loqueretur non carnalia, sed spiritualia esse.*

Objiciunt 4. S. Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi 5., hæc dicentem: *Gustantes enim non panem, aut vinum, ut gustent jubentur, sed antitypum Corporis et Sanguinis Christi,* idest figuram. Ergo in Eucharistia vere sunt panis et vinum, quæ tamen in mente S. Cyrilli considerari debent non secundum substantiam, sed secundum significationem. — Insuper in eadem Catechesi, legitur: *Panis hic non in ventrem descendit, et in secessum emittitur, sed per totum ad corporis et animæ utilitatem distribuitur.* Sed, inquiunt, panis papisticus in ventrem descendit non solum hominum, sed etiam brutorum: ergo panis de quo loquitur S. Cyrillus est spiritualis et invisibilis. — **Respondeo,** S. Cyrillum per priora verba docere in Eucharistia non esse

panem et vinum, si, ut ait, gustari non possint, etenim si forent id præsentia secundum substantiam, quid ea gustari prohiberet? Optime vero et catholice doctrinæ congruentissime subdit, quod ibi gustetur antitypum Corporis et Sanguinis Domini, idest, quod gustentur species panis et vini, quæ sunt antitypa sive signa visibilia Corporis et Sanguinis Domini realiter ibi, sed invisibiliter præsentium; per antitypum enim intelligit quod nos Sacramentum appellamus. Igitur cum non gustetur panis aut vinum, neque possit gustari ipsummet Corpus et Sanguis Christi saltem physice, per se et immediate; superest, ut innuunt verba ipsa citata, quod gustentur ipsæ species Sacramentales. *Ad secundum* dico, Corpus Christi, quod panis nomen retinet, quia sub speciebus panis sumitur, communium ciborum sorti non esse obnoxium; neque enim proprie et in se teritur, alteratur, aut transmutatur; sed ubi species et qualitates panis, sub quibus latet, eo usque immutatæ sunt, ut corrumperetur substantia panis, si adesset, desinit esse præsens Corpus Christi, cujus non substantia, sed virtus et gratia per omnes hominis partes diffunditur. Panis autem ille cælestis non descendit per se motuque immediate in se recepto in stomachum, sed per species quibus post consecrationem quocumque ferantur præsens manet. Hanc autem esse et S. Cyrilli, et veteris Ecclesiæ fidem demonstrant luculentius quæ in eadem Catechesi leguntur: *Ne ergo consideres tamquam panem nudum et vinum nudum, Corpus enim est, et Sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet; ne ex gustu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, donata tibi esse Corpus et Sanguinem.* Et infra: *Hoc sciens et pro certissimo habens, panem hunc qui videtur a nobis non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiant, sed esse Corpus Christi; et vinum quod a nobis conspicitur non esse vinum, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, sed Sanguis Christi.* Verbis illis intendit S. Cyrillus removere a recens baptizatis gravissimam dubitationem, quæ tum ex Scriptura, quæ modo panem, modo Corpus Christi Eucharistiam vocat, tum ex ipso sensuum judicio oriri potuisset. Quisnam autem dubitandi locus fuisset, si secundum perceptionem sensuum verum ibi panem esse docuisset? An quod panis ille esset figura Corporis Christi? at id non erat creditu difficile postquam Dominus ipse instituerat Eucharistiam in memoriam sui; quinimo si panis et vinum oblata a Melchisedech, panesque propositionis fuerunt in veteri Lege figuræ sacrificii Corporis et Sanguinis Domini, quanto magis in novo Testamento panis et vinum idem significabunt, postquam Christus ad hæc significanda ea in hoc Sacramento instituerit? igitur in sensu Calvinistarum nulla est dubitandi ratio, nulla credendi difficultas; ac proinde cum S. Cyrillus hortetur neophytos, ne sensus consulant, sed verba Domini, ut firmiter humiliterque credant hoc in Sacramento non panem et vinum, sed Corpus et Sanguinem Christi contineri, catholicum dogma professus est et docuit. " ✳

Objiciunt 5. Auctoritatem Ruperti Abbatis Tuittiensis, qui lib. 2. *De Divinis Officiis*, docet, Eucharistiam esse nudam Corporis Christi figuram; unde opus illud Wicleffus, ejusque sectatores maxime commendant. Hinc Thomas Waldensis, Tom. 2. c. 19. scripsit, Auctorem

De Divinis Officiis, serpere ut cancrum. Unde S. Anselmus, in Epist. præfixa tractatui *De Sacramento Altaris*, quam ad Rupertum dirigit, eum monet, illius lib. *De Eucharistia* doctrinam fuisse in Berengario damnatum: igitur tempore Ruperti hæc non erat constans doctrina de reali Christi Corporis et Sanguinis in Eucharistiæ Sacramento præsentia. — **Nego consequentiam,** *et ad antecedens* dico, apertam esse Wicleffi calumniam et imposturam, quod Rupertus realem Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocaverit; quinimo eam acerrime propugnavit pluribi; maxime vero in Epist. nuncupatoria Commentariorum in Joannem, quæ in editione Coloniensi 1526. extat, ubi quorumdam in se calumnias referens, sic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quod aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum S. August. ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem dico, verum Corpus Christi, quod pro nobis traditum est, et verum esse de certo Sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt, Beato me derogare Augustino, contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu diripiendo. Verum hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universa sentiente Ecclesia Catholica, quia verum Corpus et verus Sanguis Christi est.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo, eo quod non videmus, scilicet panem et vinum in veram Corporis et Sanguinis Domini transiisse substantiam.* Quibus verbis nihil luculentius. — *Confirmatur insuper*, ex eo quod Rupertus existimavit, Corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed corporis. Etenim, lib. 6. in Joann: *Panis*, inquit, *semel consecratus numquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi Caro esse desinit; sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est. . . . . Quo ergo devenit, quod indignus manducat et bibit? Hoc certe pium sit et salutare credere per membra diffundi, ita ut non sit obnoxium sucessui, sed hoc plus habet dignus indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in *Regulam S. Benedicti*, sub finem: *Habueram*, inquit, *cum aliquo magni nominis, magnæquæ æstimationis Scholastico, sive Monacho certamen permolestum de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini, qui inter cætera, quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Judæ quoque traditori suo Dominus dedit, sicut cæteris Apostolis; hoc nimirum intendens, quod nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia Corporis et Sanguinis sui.* Quin et lib. *De Divinis Officiis*, doctrina de reali Corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscure continetur; lib. enim 2. c. 2. *Panis et vinum*, inquit, *in verum Corpus et Sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in Sancto Sacrificio præter panem et vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis: Corpus et Sanguis Domini est, murmuraverunt, dicentes: quomodo est? . . . . Verum Dei Verbum, verum Dei Filium Sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, et ore confitens, pariterque manibus panem et vinum, sicut sibi tradidit ipse Salvator, offerens, nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Crea-*

tori, Salvatori, et illuminatori suo, si nihil aliud ei, quam panem et vinum offerret? . . . . Non ergo solum panem et vinum, quæ corporaliter videntur; sed et quod nonnisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, Filium Dei offert Sancta Ecclesia, novum et verum immolans sacrificium. . . . . Si hujus Verbi flumen super panem et vinum effuderis, et ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de Sancto Altari panem ipsum et vinum in Corpus et Sanguinem suum transferendo suscipis, eadem virtute, eadem potentia, vel gratia, qua nostram de Maria Virgine Carnem suscipere potuit, quomodo voluit. . . . . Unum Corpus est, et quod de Maria genitum in cruce pependit, et in Sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini. Nihil certe dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum. — *Nec obstat,* quod idem Rupertus, lib. 1. *De Divinis Officiis,* c. 9. asserat, *in illum, in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire.* Hoc, inquam, non obstat; his enim verbis tantum significat indigne communicantem nihil sibi utile præter species accipere, quia Corpus et Sanguinem Christi ad judicium, non ad salutem comedit. « Que- « madmodum, *inquit,* asinus ad lyram, cum irrationales aures arrigit, « sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit; quia etsi « aures ejus realiter feriant sonus, et cantilenæ modus, harmoniæ ta- « men modum et suavitatem non distinguit ».

Obiciunt 6. Auctoritatem Gregorii VII summi Pontificis, qui negavit realem præsentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. Quod utique probant ex Concilio Brixiensi, anno 1080. celebrato, in quo triginta Episcopi ipsum Gregorium VII Pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, et præcipue sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica Sede depellendum, quamvis absentem, dijudicarunt, et Wigbertum Ravennensem Archiepiscopum ei substituendum elegerunt. Summa Decreti est: *Contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria et homicidia defendentem, Catholicam et Apostolicam fidem de Corpore et Sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromantium, pythonico spiritu laborantem, et idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum, et expellendum; nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum. Facta sunt autem hæc* 7. *Kalend. Julii, fer.* 5. *Indict.* 3. *Confirmant,* quia Benno Cardinalis, in vita Gregorii, refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectius de Corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius; et de Corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magno Gregorio ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit; quod tamen Gregorius VII post multas preces, et jejunia non impetravit; aliaque fecisse, quibus (inquit Benno) se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit, et per hoc manifeste probatur infidelis, cum in Nicæno Concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse. — **Respondeo** *primo,* hæreticos hanc auctoritatem objicientes proprio mucrone jugulari; si enim Conciliabulum Brixiense legitime Gregorium VII exauctoravit, quod de veritate realis Christi in Eucharistia præsentiæ contra Catholicam et

Apostolicam fidem dubitaret, consequens est quod assertio hujus realis præsentiæ sit Catholicæ et Apostolicæ fidei consentanea. *Respondeo secundo*, nihil faciendum esse decretum illius Conciliabuli Brixiensis, utpote a schismaticis Episcopis, agente et urgente Henrico Imperatore, excommunicationis sententia ab ipso Gregorio fulminato, emanatum. Scribit enim Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profectum urbem obsedisse, et Gregorium advertentem Romanorum plures Schismati favere, cum paucis Salernum abiisse, et ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis in ipsa Romæ obsidione Synodum haberi jussit, in qua Gregorius falsis et inauditis criminationibus, ab Henrici fautoribus ficte compositis, absens accusatur, et alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone mulctavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit. Quam autem justo judicio id fecerit Pontifex, utpote in apertum tyrannum, colligitur ex Concilio Romano, anno 1083. celebrato, cujus acta referuntur in hunc modum: « Anno ab Incar- « natione Domini 1084. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ Se- « ptimi anno XI.12. Kalend. Decembris, præsidente eodem Apostolico, « celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua « fuerant Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates Campani, et de Princi- « patibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani; nam plurimos Hen- « rici tyranni perfidia iter retrovertere compulit, qui Ostiensem Epi- « scopum de Apostolica legatione redeuntem contra fas, et juramenti « fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos quadragesi- « malis ejusdem H... persecutio impedivit. Qui semel B. Petrum ag- « gressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum for- « titudine, quam negligentia civium portici muros surripuit. Roma- « num siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bello « fatigatum, acri inedia laborabat; cum nec ipsis ad vicina oppida, « vel castra ire liceret, nec illi jurato H... urbem vellent negotiatum « venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant; proinde cæ- « teri bello remissius attenti, rem ex animo minus gerebant, et a cu- « stodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentius aberant. Hæc « de Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat. « Cæterum Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, et « Christianæ Religionis conversatione, sed et de robore animique con- « stantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano, sed « Angelico patenter edisserens, die tertia totum fere conventum in « gemitus, et lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolica bene- « dictione lætificatum in pace dimisit ». Hanc autem sententiam excommunicationis innovavit anno sequenti in Concil. Romano, ut scribit Bertholdus: *Dominus autem Papa*, inquit, *collecta Synodo, iterum sententiam anathematis in Gilbertum Hæresiarcham, et Henricum, et omnes eorum fautores promulgavit, quod in festo S. Joan. Baptistæ præterito jamdudum Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Teutonicorum usquequaque divulgarunt.* Hæc Bertholdus. Mirum itaque videri non debet, quod a schismaticis Episcopis, et anathemate percussis, emanaverit decretum adversus summum

Pontificem, mendaciis, calumniis, et inauditis accusationibus refertum.— *Ad confirmationem*, dico Bennoni nullam hac in re fidem esse faciendam, utpote qui Henrici Imperatoris fautor, et Gilberti Ravennatis in Antipapam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quam satyram falsitatibus, fabulis, et calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Masso opere *De Episcopis Urbis* in Gregor. VII, librum Bennonis, utpote plenum maledictis, odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum, respuendum omnino esse aperte profitetur. — Quod autem Gregorius signum a Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cum miraculum ad eliminandam mulieris infidelitatem postulavit. *Insuper* illibatam Gregorii fidem ac pietatem testantur non solum Concil. Turonense, cui nomine Victoris secundi, cujus erat Legatus, præfuit, in quo Berengarius suum ejuravit errorem, sed et Romanum, in quo tandem Berengarius post plurimam suam perfidiam, coram ipso Gregorio summo Pontifice Catholicam fidem ita professus est, ut in ea ad mortem usque perseveraverit; eum namque Sum. Pontifex tamdiu detinuit apud se, donec illum amplius in fide non esse dubium constaret. Unde plurimi Scriptores, hujus Pontificis eximiam pietatem et doctrinam commendant, maxime Lambertus Scaphnaburgensis ad annum 1073. qui testatur Pontificem illum ita apostolice vitam instituisse, ut plurimis prodigiis ac miraculis in vita ac post obitum conspicuus fuerit. Inter quæ miranda opera istud silentio non est prætereundum, quod contigit in Conc. Lugdunensi, cui Gregor. VII, tunc Legatus Victoris II præfuit. Cum enim celebraretur hoc Concilium anno 1055. adversus Præsules Simoniaca labe infectos residentibus in ea Synodo Archiepiscopis, Episcopis, et aliarum Ecclesiarum Prælatis, Archiepiscopus vir quidam litteratus et eloquens accusatus est de crimine Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecunia corrupit, et sibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: ubi sunt qui me accusant? Exeat in publicum quicumque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tamquam vir discretus et sapiens, convertens sed ad illum, dixit: credisne, o Archiepiscope, Spir. S. cum Patre, et Filio unam esse substantiam Deitatis? Quo respondente: *Credo*, addit Archidiaconus: dic, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. Tunc ille, *Gloria Patri, et Filio*, expedite dicebat; sed Spiritum Sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, et nihil proficeret, videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, et confessus est proprio ore se Simoniacum esse. Postquam vero a Sacerdotali et Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto* libera et clara voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, et suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt.

Objiciunt 7. Facundum Hermianensem, lib. 9. cap. ult. ubi suscipiens defensionem Theodori Mopsuesteni, asserentis Christum Dominum assumpsisse adoptionem filiorum, sic scribit: *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, etsi antiqui Patres docuisse mon-*

strarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent hæretici; nam Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum Corporis et Sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, Corpus ejus et Sanguis dicitur; non quod proprie Corpus ejus sit panis, et poculum Sanguis, sed quod in se mysterium Corporis ejus sanguinisque contineat. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem Discipulis tradidit, Corpus et Sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi recte dicuntur suscepisse, sic et ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum, cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. — **Respondeo primo**, non magni faciendam esse auctoritatem Facundi, utpote qui animo schismatico trium capitulorum defensionem susceperit adversus Virgilium et Pelagium summos Pontifices, quibus erat infensus, ut ex aliis ejus operibus constat. Ille autem dubiæ fidei, ac veritatis suspectus est, qui Ecclesiæ unitatem scindere non veretur. — *Respondeo secundo*, quod etsi schismatico animo libros illos non scripserit, attamen ex illius dictis nihil patrocinii accedit hæreticorum errori, quando enim comparat Sacramentum adoptionis cum Sacramento Corporis et Sanguinis Christi, ipse nomine Sacramenti intelligit solas species panis et vini, de quibus, quatenus præcise sunt signa, non sunt proprie Corpus Christi; sunt tamen signa continentia Corpus et Sanguinem Christi; nec id negat Facundus; quia vero signa appellari solent nomine rerum, quas significant, ideo species appellantur Corpus Christi, cum hoc sensu sint tantum signa Corporis Christi. Hic modus loquendi ei similis est, quem usurpat Divus Augustinus, Epist. 23. ubi ait: *Sacramentum Corporis Christi esse Corpus Christi, quemadmodum Sacramentum fidei fides est.* — *Respondeo tertio*, dato quod Facundus per *Sacramentum Corporis Domini* totum ex signo continente et re contenta intellexerit, vere dixit ad mentem adversariorum, quos ad hominem impugnabat, Sacramentum Corporis Domini non esse Corpus Domini, licet ad mentem Ecclesiæ verum ejus Corpus sit; Facundus enim Opere illo agit adversus hæresim Eutychianorum, (ut constat ex cap. 2. lib. 1.) qui sub trium capitulorum nomine et obtentu, Concil. Chalcedonense fraudulenter oppugnabant, Theodorumque, Ibam, et Theodoretum in ea absolutos damnabant. In eo autem præcise posita erat hæc hæresis, quod ante Incarnationem Christus fuisset quidem ex duabus naturis; at post incarnationem, unam fuisse factam, conversione scilicet humanitatis in Divinitatem; ex quo sequebatur, juxta illorum sententiam, in Christo post adunationem non fuisse veram Carnem, sed dumtaxat apparentem, ut docet S. Leo, tum Epist. ad Pulcheriam Augustam, tum Epist. ad Julianum Coënsem, tum denique Serm. 6. De jejunio septimi mensis, et 8. de Nativit. Domini. Ex quibus sic ad hominem arguit Facundus: si secundum vos, o Eutychiani, Sacramentum Corporis Corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi Corpus non esse censeatis, quippe qui docetis ipsum apparens et similitudinarium dumtaxat Corpus habuisse, quidni Sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat et figurat?

§ V. — *Probatur eadem realis Christi Domini Corporis et Sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis.* — *Primo* quidem, Lex Evangelica longe præstantior est ac nobilior Lege veteri et Mosayca, ac subinde excellentiora debet habere Sacramenta, ac majori dignitate et efficacitate prædita: sed ita non esset, si Eucharistia dumtaxat esset simplex et nuda figura Christi Domini Corporis et Sanguinis: igitur talis non est æstimanda. *Major constat* ex S. Paulo, tum ad Galat., tum ad Hebr. 9. et 10. ubi maxime demonstrat Legis Evangelicæ præstantiam super Mosaycam, quod illa figuras, hæc veritatem, illa umbras, hæc realitatem et corpus complectatur. *Minor vero probatur:* in veteri namque Lege longe præcellentiores ac clariores erant figuræ Christi Domini Corporis et Passionis, quam sit panis Eucharisticus, si dumtaxat sit simplex panis secundum substantiam, nec aliud dignitatis habeat, quam esse figuram Corporis et Passionis Christi. Enimvero Manna et Agnus Paschalis longe præstantius significabant Christum, ejusque Passionem, quam nudus panis Eucharistiæ Calvinisticæ, nam Manna de cælo pluebat, nullaque hominum, sed Angelorum opera fiebat, et habebat in se omnis saporis suavitatem, atque ita repræsentabat Filium Dei descensurum e cælo sine opere viri in Virginis utero assumpturum Carnem, fideles animas in eo omnem consolationem et delectationem reperturas: quæ omnia dici nequeunt de pane cibario et usuali, qualis est panis Calvinisticus. — *Similiter,* idem de Agno Paschali facile ostenditur; etenim Agnus ille, quem Judæi mactabant, erat animal vivum; panis noster substantia est inanimata, vita et sensu carens; nemo autem dubitare potest, quin vivens substantia sit nobilior inanimata, cum scilicet plures entis gradus habeat. — *Deinde,* melius quoque Caro Christi per veram carnem Agni exprimebatur, et mors per veram ejus mortem, et Sanguis per sanguinem, quam per solum panem, vel per fractionem panis; siquidem nec panis mori potest proprie, sicut Agnus vivens; nec carne etiam aut sanguine præditus est. — *Insuper,* Agnus Hebræorum multo aptius repræsentabat innocentiam et mansuetudinem Christi, quam solus panis, ut per se manifestum est; unde et Christus in Scripturis toties Agnus vocatur. Joann. 1. *Ecce Agnus Dei;* Isaiæ 16. *Emitte Agnum dominatorem terræ;* et cap. 53. *Quasi Agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum;* Apocal. 5. *Seniores stant coram Agno.* — *Denique,* caro Agni melius etiam referebat effectum spiritalem Eucharistiæ, qui est nutritio: magis enim nutrit caro Agni, quam solus panis. Igitur si Eucharistia esset dumtaxat panis usualis, nec alia dignitate ac præstantia polleret, quam quia est figura et repræsentatio Corporis et Passionis Christi, sequeretur Legem veterem longe præstantiorem esse Evangelica, utpote quæ excellentiores figuras habebat.

Reponunt hæretici 1. Veterem Legem comparari umbris, nostram autem corpori, non quod Sacramenta nostra præstantius aliquid contineant, quam Judaica, sed quia hæc solum significabant Christum venturum, et quasi adhuc absentem; nostra vero jam præsentem, et in cælo actu existentem: longe autem præstantius est, inquiunt, significare rem præsentem et existentem, quam futuram. — **Verum contra;** *primo* namque constat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacra-

menta nostra ab antiquis discrepare non solum ratione objecti, idest Christi futuri, aut jam existentis, sed potius ratione efficacitatis; siquidem illa dumtaxat conferebant gratiam ex opere operantis; nostra vero eam conferunt ex opere operato. *Insuper*, quod Sacramenta significent rem futuram, aut præsentem, non efficit, quod aliqua sint magis ipsa veritas, quam illa; ac subinde si panis Eucharisticus tantum significet, non vero contineat Corpus Christi, nulla ratione potiori dici poterit Corpus et Caro Christi, quam Agnus Paschalis, aut Manna: sed ultro admittunt Calvinistæ, Manna, et Agnum Paschalem nonnisi impropriissime appellari posse Corpus et Sanguinem Christi: igitur idem dicendum esset de Eucharistia, sicque perperam Christus Eucharistiam tradendo, dixisset: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.*

Reponunt 2. Hoc Sacramentum nobis exhibere Christum, et eum repræsentare distinctius, quam Sacramenta veteris Legis, non quidem ratione sui, sed ratione verborum ipsius Christi Domini, quare Eucharistiam appellavit suum Corpus. — **Verum** hæc responsio non minus futilis est et inanis, quam præcedens; idem enim est, ac si quis dicat, truncum ligni omnino incultum distinctius repræsentare Cæsarem, quam effigiem et imaginem Cæsaris, quia ego dico truncum illum esse Cæsarem. *Insuper*, quod una imago aliquid perfectius repræsentet, quam alia, inde dici quidem potest perfectior imago non autem res ipsa, quam repræsentat; hinc non desinit esse imago, et umbra ac figura illius rei, quam exhibet: igitur licet panis Eucharisticus distinctius repræsentaret Corpus et Sanguinem Christi, quam Agnus Paschalis, et Manna, inde non esset consequens, quod non foret simplex imago et figura; cum tamen Apostolus dicat, Legem novam non continere amplius umbras et figuras, sed ipsam veritatem. *Denique*, hæc solutio hæreticorum doctrinæ repugnat; negant enim verba, quibus in Sacramentis utimur, esse partes et formas Sacramentorum, ut diximus agendo de Sacramentorum formis. Nec est, quod recurrant ad verbum concionale; illud enim non est internum, nec essentiale Sacramentis nostris, ut ibidem demonstravimus. *Adde quod*, conciones non solum vigent in Lege Evangelica, sed etiam vigebant in Mosayca.

Reponunt 3. alii, nostra Sacramenta esse nobiliora veteribus, eo quod uberiorem gratiam conferant. — **Verum** hæc responsio aperte in ipsos hæreticos militat; nam, aut volunt, gratiam conferre Sacramenta novæ Legis ex opere operato, aut ex opere operantis. Non *primum*: siquidem hæretici absolute negant Sacramenta novæ Legis eam habere efficacitatem, ut gratiam conferant ex opere operato; quapropter has loquendi formulas *opus operatum*, tamquam ineptas et barbaras derident. Non etiam *secundum*; nam in parvulis constat nullam inveniri talem actionem, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam per Sacramentum Baptismi consequendam; in adultis vero hæretici derident cooperationem ad gratiam, et omnia nostra merita respuunt, ajuntque, opera nostra non esse peccati expertia. *Deinde*, si contendant hæretici, Christianos posse sese disponere ex opere operantis ad gratiam per novæ Legis Sacramenta consequendam, ratione eorum virtutis et pietatis, non est cur inde adstruant Sacramenta

novæ Legis esse præstantiora Sacramentis veteribus; siquidem plurimi in veteri Lege fuerunt longe sanctiores, quam nonnulli fideles; nam ipse Moyses, David, Ezechias, Prophetæ, plerique alii Patres veteris Testamenti innumeris Christianis Legis Evangelicæ sanctiores fuerunt, ac subinde habuerunt nobilius opus operantis; proindeque majorem gratiam fuerunt consecuti, et consequenter hac ratione nobiliora habuissent Sacramenta.

Concludendum est ergo, quod si panis Eucharisticus esset dumtaxat figura Corporis Christi, Sacramenta novæ Legis imperfectiora essent Sacramentis Legis veteris, quod aperte militat, nedum in doctrinam S. Apostoli, sed etiam SS. Patrum, ut probatum est in Tractatu *De Sacramentis in genere*.

Probatur secundo hæc veritas: Si Eucharistia non contineret vere, realiter, ac substantialiter Corpus et Sanguinem Christi, sequeretur juxta hæreticorum doctrinam, Corpus et Sanguinem Christi non posse indigne manducari et bibi ab hominibus, quamtumvis perversis et peccatoribus: sed falsum *consequens:* ergo et *antecedens*. *Minor patet* ex Apost. scribente 1. ad Cor. 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Quibus verbis aperte fatetur Apostolus, Eucharistiam a fidelibus posse indigne suscipi. *Major pariter* admitti necessario debet ab hæreticis; volunt enim fideles, dum panem Eucharisticum manducant, dumtaxat recipere Corpus Christi *per os fidei*, hoc est beneficio fidei apprehendentis Christum quasi realiter præsentem, et seipsum eis communicantem; docent pariter nos justificari per fidem, ut dictum est agendo de gratia justificante; ac subinde fateri debent non posse Corpus Christi suscipi, nisi a justificatis; quippe cum non suscipiatur, nisi ab habentibus fidem, quæ in eorum doctrina est forma justificans: igitur si Corpus Christi non esset vere ac realiter sub speciebus Eucharisticis, sed tantum per fidem susciperetur, consequens est, quod non posset a fidelibus indigne suscipi. Unde inferendum est Cœnam Calvinisticam non eam esse, quam Christus instituit, et Apostolus servandam docuit. In hac enim, ut docet Apostolus, potest indigne suscipi Corpus Christi; in Calvinistica autem non potest.

Reponunt hæretici, ideirco indigne accedentem ad Eucharistiam censeri reum Corporis et Sanguinis Christi, non quod utrumque sine debita dispositione et reverentia suscipiat, sed quod irrita faciat symbola, quibus mediantibus, Corporis et Sanguinis Christi particeps esse debuerat, non secus ac ille diceretur reus læsæ majestatis regiæ, qui vitam sibi clementia Regis donatam, et diplomate Regio sigillo munito gratiam consignatam, non solum respueret, sed etiam diploma illud pedibus conculcaret ac laceraret, ille enim indignus esset gratia sibi oblata, et pœnas debitas jure merito lueret. Simile autem quid præstat quisquis indigne panem Eucharisticum suscipit; siquidem vacua et irrita efficit signa et symbola vitæ cælestis, quam consequi debuerat. — **Verum**, facile præcluditur hæc elusio et illusio; primo namque Apostolus non dixit, eum esse reum Corporis Christi, qui illud manducare debuerat, nec tamen manducat propter indignitatem suam, et ob de-

fectum fidei; sed qui revera illud manducat et bibit indigne, ait enim: *Qui manducat et bibit indigne,* etc. Quæ utique loquendi formula connotat manducationem Christi Domini Corporis, non quæ fieret, sed quæ revera fit: igitur vanum et prorsus futile est hæreticorum effugium. *Deinde,* allatum exemplum est prorsus impertinens; siquidem diploma regium supponit jam vitam a Rege donatam reo, qua quidem gratia reus ille sit indignus, dum symbola in quibus continetur, indigne tractat: at panis Eucharisticus non supponit jam Corpus Christi Domini concessum, et revera præsens, in sententia hæreticorum, sed tantum concedendum beneficio ejusmodi symbolorum; ac subinde inter utrumque nulla prorsus est paritas.

Objiciunt hæretici varia argumenta petita a ratione humana, quæ omnia ad quinque præcipua capita reduci solent. *Primo,* inquiunt, implicat contradictionem, quod idem Corpus indivisum manens eodem tempore in diversis locis existat, quia sequeretur idem sibi dextrum et sinistrum esse, quiescere posse et moveri simul, summe calere et frigere, mori et vivere; subindeque Corpus Christi non potest esse simul in cælo empyreo sedens in dextera Patris, et in terra realiter existens in Eucharistiæ Sacramento, et consequenter multo minus simul poni in pluribus Altaribus per consecrationem diversarum specierum, alioquin fieri posset immensum, cum non magis repugnet ipsum in infinitis locis, quam pluribus, distinctisque collocari. — **Respondeo,** nihil quidquam absurdi esse, quod unum et idem corpus simul existat in diversis locis secundum diversos existendi modos, nempe in uno circumscriptive, et in aliis sacramentaliter; sic enim est unum quidem substantia, virtute tamen plura, et in diversis existendi modis diversum, quatenus pluries et diversimode existit, ut diserte docet Tridentinum: *Docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem, Christum realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri; nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.* Simile videmus in anima, quæ est tota in singulis membris, et movetur loco in manu, cum quiescit in capite, simul movetur sursum in dextra, et deorsum in sinistra, in illa sentit calorem, in hac frigus. Quod si Deus hoc tribuerit spiritui, ut naturaliter totus in pluribus locis partialibus sit, et cum nulla sit ratio negandi, quin Deus animam in abscissa manu, et consequenter in distinctis omnino locis possit conservare, cur hoc ei circa corpus denegemus? *Item* plurimos Sanctorum eodem tempore diversis in locis fuisse, plurimæ referunt historiæ. Nec potest commode intelligi, quomodo Christus, Act. 9. et 22. B. Paulo apparuerit, et cum eo collocutus, et ab astantibus auditus fuerit, nec tamen e cælo (ut ipsi hæretici communiter fatentur) discesserit; nisi dicamus eum simul in duobus locis fuisse. Omnino enim Scriptura ibidem innuit eum B. Paulo præsentem, et propinquum fuisse.

Objiciunt 2. Repugnat corpus humanum ita esse inextensum localiter, ut possit existere absque omni extensione, et in loco omnino indivisibili: igitur Corpus Christi non potest contineri intra parvam

hostiam, multo minus subsistere sub qualibet ipsius hostiæ particula. *Patet antecedens;* extensio enim localis est effectus formalis quantitatis, ac subinde non potest, sicut nec ipsa quantitas, ab ipso humano corpore realiter separari, ipso realiter perseverante. — **Nego antecedens,** necnon et ejus *probationem,* siquidem, ut probavimus in nostra Physica, quantitas est accidens absolutum realiter distinctum a materia et corpore, et ab utroque omnino separabile divinitus. *Adde quod,* ut ibidem probatum est, effectus formalis quantitatis non est illa actualis partium extensio et dispositio in ordine ad locum, sed in ordine ad se, quæ consistit in ipsa partium distinctione, ex quibus constat corporis entitas apta coëxistendi loco et spatio divisibili. Unde licet Christi Domini Corpus in Eucharistia non habeat extensionem localem, et subsistat modo indivisibili, non propterea desinit habere partes sibi debitas, et secundum dispositionem naturalem ordinatas, ita ut caput immediate uniatur collo, collum scapulis, scapulæ pectori, et sic de cæteris.

Quod autem corpus aliquod possit divina virtute denudari ac spoliari sua quantitate, colligitur ex Scriptura sacra: testatur enim Christus Dominus, Matth. 19. Marci 10. et Lucæ 18. Deum efficere posse, ut camelus transeat per foramen acus. Non potest autem camelus foramen acus pervadere, nisi locum occupando modo inextenso, alioqui sequeretur, quod corpus majus esset minus suo minori; ac subinde potest aliquod Corpus sua extensione naturali sibi connaturaliter debita spoliari. *Confirmatur* hæc responsio; quia non minus connaturale est corpori esse naturaliter impenetrabile ratione sibi inexistentis quantitatis, quam esse extensum in ordine ad locum; tria siquidem corpori quanto conveniunt: *primum,* est habere partes extra partes: *secundum,* commensurari loco: *tertium,* aliud corpus extensum ab eodem loco expellere, idcirco enim unum corpus non patitur aliud secum in eodem loco, quia habet partes extensas, et commensuratas loco, ac subinde ipsum locum replet: sed fieri potest supernaturaliter, quod unum corpus locum occupet, nec tamen aliud ab eodem loco expellat, sicque fiat penetratio corporum. Quod utique probatur exemplo ejusdem Christi Domini Corporis exeuntis ex utero Virginis, manente illibata ejus integritate, juxta Ezech. 44. vaticinium, ubi beatissimæ Virginis uterus designatur per portam clausam; sic enim interpretatur S. Ambrosius, lib. *De Institut. Virginis,* cap. 7. *Quæ est porta,* inquit, *nisi Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando Virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit, mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine?* Et cap. 8. *Hæc porta clausa erit, et non aperietur; bona porta Maria, quæ clausa erat, et non aperiebatur, transivit per eam Christus, sed non aperuit.* Hinc S. Augustinus, Serm. 159. *De Tempore,* ex illo miraculo colligit, Christum Dominum potuisse pervadere in Cœnaculum januis clausis, ubi erant Discipuli congregati: « Moli corporis, *inquit,* ubi Divinitas erat, ostia clausa non obsti-« terunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente, « virginitas Matris inviolata permansit ». Quod utique miraculum eleganter expendit S. Cyrillus, lib. 12. in Joann.; exponens enim verba illa Joannis: *Cum ergo sero esset die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ,* etc. hæc scribit: *Obseratis foribus, in medio stetit Chri-*

stus inestimabili quadam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo dicat, quomodo, quæso, in crasso corpore cum esset Dominus, nullo tamen negotio, tametsi januæ clausæ essent, penetravit? sed apud se cogitet potius divinum Evangelistam haudquaquam hæc de aliquo nostri simili dicere, sed de eo potius, qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcumque vult, facit. Oportebat enim, cum Deus secundum suam naturam sit, ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creatæ, sed necessitati ipsi et omnium, quæ aguntur, rationi dominari. Alioqui enim quo pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctusque sicco pede tractaret, neque enim nostris corporibus aquæ substernuntur, aut quodammodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?

Objiciunt 3. Admissa præsentia reali Corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam, et Christo prorsus indigna sequuntur; quid enim Christi majestati indignius, quam ipsum in Eucharistia non solum in terram, sed etiam in sordes interdum dejici, dentibus atteri, a muribus et aliis animalibus rodi, putrescere et acescere, cum panis et vini corruptione, in stomachum trajici, et in secessum ire? Ea omnia gloriosum Christi Domini Corpus dedecent: igitur non est verisimile ipsum sub speciebus Eucharisticis realiter delitescere. — **Respondeo primo**, mysteria nostræ fidei eo ipso diviniora censeri, quo Dei majestate secundum humanam sapientiam prorsus videntur indigna. *Stultum quippe,* inquit S. Gregorius, Homil. 6. in Evangelia, *hominibus visum est, ut pro hominibus Auctor vitæ moreretur, et inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit, nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus et indigna suscepit.* Hinc præclare Tertullianus in lib. *De Carne Christi: Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit: salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius, non pudet, quia pudendum est; et mortuus est Dei Filius, prorsus incredibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile.* Et lib. 2. *Contra Marcionem: Assumpsisse Deum quædam sibi indigna,* inquit, *nobis autem necessaria, et ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis.* Quemadmodum ergo Christus Dominus nostræ salutis gratia, dum homo factus est, ea assumpsit, et passus est, quæ Dei majestate indigna visa sunt Judæis et Gentibus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;* ita ejus erga homines charitas ipsum impulit ad instituendum Eucharistiæ Sacramentum, in quo variis indignitatibus hæreticis videtur subjici: at illa summam ejus charitatem commendant. — *Respondeo secundo,* illa omnia inconvenientia frustiliter ab hæreticis objici, atque ex fidei nostræ ignoratione vel dissimulatione; si enim attenderent Christum esse in Eucharistia modo impassibili, et omnem alterationem solis panis speciebus obvenire, quippe cum illæ dumtaxat dentibus atterantur, solæ putrescant, solæ acescant, et moveantur, haud dubie desinerent catholicam doctrinam calumniari, nec iis vilioribus mutationibus Christi Domini Corpus obnoxium esse blaterarent. Quemadmodum enim Solis radii paludum et fimorum sordibus non inquinantur, sic gloriosum Christi Domini Corpus nullis specie-

rum Sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur, aut mutatur. Vel, ut loquitur Auctor *De Cœna Domini*, apud S. Cyprianum : *Integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur et non injuriatur, recipitur et non includitur.* Cui concinit S. Augustinus, apud Bedam in cap. 10. prioris ad Cor. *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur, ut manducetur, sed mortuus vivificat; quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus illum, et postea quod manducetur, non inveniamus; manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.*

Concludo tandem hanc refertissimam adversus Calvinistarum errores probationum segetem iisdem verbis, quibus Guitmundus suum adversus Berengarianos tractatum coronavit. « Multa, *inquit*, contra « istos jam diximus, multa quoque dici possunt; sed piis menti- « bus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim amplius adversus istos « quærerem, cum objectionem eorum, sive per rationes, sive per « Scripturas, nostræ fidei nihil obesse; imo vero ipsas easdem Scrip- « turas nobiscum magis esse, satis, Incideque monstratum sit, cum « istorum dementias, et singulatim, et communiter tam venerabi- « lium Auctorum, quam Propheticis et Evangelicis testimoniis te- « neant plenissime destructas; nostram vero fidem usquequaque fir- « missimam, utilissimam, excellentissimam, summeque necessariam, « videant evidentissime declaratam? At vero impiis quid sufficiet, si « duriores saxis tot argumentorum malleis percussi credere nolunt; « si tenebrosiores inferno, tanta fortissimarum rationum luce collustrari « non possunt? aut certe meretricum similes de sua turpitudine, vel « pervicacia erubescere nesciunt; aut dæmonum simillimi cœptam « semel vecordiam tanta pertinacia diligunt, ut veritatem gratis odio « habeant, et a falsitate vel manifestissima numquam resipiscant. O « miserrimos homines, et immenso lacrymarum imbre lugendos, si « tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut a blasphemiis « propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec « vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare! Redite « quæso, *Redite prævaricatores ad cor.* Quare moriemini gratis? Non « talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. « Non hic, sicut in Scholis, pro victoria, aut sicut in judiciis, pro « quibuslibet terrenis commodis agitur; sed, sicut coram Deo pro vita « æterna, atque cælesti disputatur; falsam etenim partem sempiterna « mors devorat; veram autem vita æterna coronat. Quocirca justo « examine vestra et nostra perpendite; si quid dignum contra nos « habetis, afferte; si non habetis, acquiescite. Quare moriemini gratis? « Sed quid amplius istos prosequar? Jam disputationi huic ponendus « est finis ».

SECTIO SECUNDA.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI.

Transsubstantiationis vocabulum usurpatur a Theologis ad significandam conversionem totius substantiæ præcedentis in substantiam sequentem, nulla remanente prioris substantiæ materia et forma; cujus utique mutationis et conversionis argumentum et exemplum habemus in adorando Eucharistiæ Sacramento. Quippe de fide est, totam panis et vini substantiam per verba consecrationis in Corpus et Sanguinem Christi ita transmutari, ut ne tantillum quidem substantiæ panis et vini sub speciebus Eucharisticis post consecrationem subsistat, sed tota utriusque substantia in Christi Domini Corpus et Sanguinem transmutetur. — Cum autem nulla sit tam constans et aperta Catholica veritas, quam dæmon sibi famulantium hæreticorum ministerio impugnare ac offuscare non tentaverit, hanc præcipue hisce posterioribus sæculis convellere nisus est. Pridem enim extinctam et ejuratam, ac anathemate fulminatam adversus hanc veritatem erroneam Berengarii sententiam ab inferis denuo suscitavit Joannes Wicleffus Anglus circa annum 1312. nam, ut in Concilio Constantiensi, Sess. 8. refertur, substantiam panis et vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, et accidentia panis non subsistere sine subjecto sustinuit. — Hanc pariter erroneam sententiam simili audacia propugnavit Lutherus, qui, licet initio disseminatæ suæ hæresis fluctuaret circa asserendam vel negandam transsubstantiationem, permitteretque affirmantem sententiam, modo negans hæresis non insimularetur: tamen impudentior postmodum factus anno 1522. Catholicum de transsubstantiatione dogma impio calamo blasphemum pronuntiavit, et scripsit. lib. *Contra Henricum Angliæ Regem,* qui hujus novi Hæresiarchæ impia dogmata scriptis et suppliciis extirpare fuerat aggressus. Hanc autem erroneam doctrinam omni, qua possunt, arte propugnare nituntur illius sectatores et discipuli, verba Christi Domini, *Hoc est Corpus meum,* sic interpretantes: *In hoc,* aut *cum hoc,* aut *sub hoc pane est Corpus meum;* ajuntque eodem modo Christum, porrigendo Corpus suum in pane, potuisse dicere, *Hoc est Corpus meum,* quo quis habens diversi generis grana in saccis inclusa, eis successive demonstratis saccis, diceret: hoc est avena mea, hoc est hordeum meum, hoc est frumentum meum; vel sicut scyphum vino plenum porrigens, diceret: hoc est vinum meum. — Demonstrata itaque, quantum nobis licuit, adversus Calvinistas reali Corporis Christi in Eucharistia præsentia, jam demonstranda incumbit adversus Lutheranos panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi transsubstantiatio; necnon et aperiendus modus, quo hæc mutatio fiat; quod utique pro modulo nostro præstabimus in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM TOTA SUBSTANTIA PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI CONVERTATUR.

CONSTANTISSIMUM est apud Catholicos dogma, et certa fidei definitio, nihil de substantia panis et vini manere post consecrationem, sed totam in Corpus et Sanguinem Christi converti; ita namque traditum et definitium est in variis Conciliis: *primo* quidem in eis omnibus, in quibus damnata ac fulminata fuit Berengarii hæresis, maxime vero in Concilis Romanis sub Nicolao II a 113. Episcopis; deinde sub Gregorio VII, ubi iterum suum errorem, quo transsubstantiationem negabat, ejuravit, ut in præcedenti Sectione dictum est. *Secundo*, in Lateranensi sub Innocentio III, ubi definitur, panem et vinum transsubstantiari in Corpus et Sanguinem Christi. *Tertio*, in Constantiensi, Sess. 8. ubi damnatur error Wicleffi asserentis substantiam panis et vini manere in Sacramento Altaris. *Quarto*, in Florentino in Decreto Eugenii, ubi disertis verbis asseritur hæc mutatio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. *Tandem* in Concil. Trident. Sess. 13. Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri: negaritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Quoniam autem hæc veritas ex præcedenti Sectione jam satis aperte liquet, ideirco eam paucis aperiet et confirmabit

Conclusio unica. — COLLIGITUR TRANSSUBSTANTIATIO PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI EX VERBIS CONSECRATIONIS PRACTICE SUMPTIS, NON AUTEM SPECULATIVE.

Hæc Conclusio duas habet partes, quarum *prima* communis est inter Catholicos contra Lutheranos: *secunda* vero controvertitur Scotistas inter et Thomistas.

Prima pars traditur a Concilio Trident., Sess. 13. cap. 4. ubi docet: *Quoniam Christus Redemptor noster Corpus suum, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, adeo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus.* Quibus verbis significat, ideirco persuasum esse in Ecclesia panem et vinum transsubstantiari in Corpus et Sanguinem Christi, eo quod Christus Dominus consecrando panem et vinum, vere dixerit esse Corpus et Sanguinem suum; ac subinde censet transsubstantiationem rite colligi ex his verbis consecrationis, quatenus illa practice usurpantur, hoc est, prout revera Corpus et Sanguinem Christi efficiunt, et significant præsentem sub speciebus Eucharisticis.

Confirmatur ex Catechismo Tridentino, *De Eucharistia*, cap. 37. ubi legimus: *Hæc vero transsubstantiatio ex testimoniis Scripturarum facile fuit colligere: Primum, quod in ejus Sacramenti institutione*

ipse Dominus dixit: hoc est Corpus meum; *vocis enim,* hoc, *ea vis est, ut omnem rei præsentis substantiam demonstret. Quod si panis substantia remaneret, nullo modo vere dici videtur: Hoc est Corpus meum.* Deinde, *Christus Dominus apud Joan. Panis,* inquit, *quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita: panem videlicet Carnem suam vocans. Ac paulo post subjecit: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et rursus: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Cum ergo tam claris et perspicuis verbis Carnem suam panem et cibum verum, Sanguinem item verum potum nominaverit, satis videtur declarasse, nullam in Sacramento substantiam panis et vini remanere.*

✻ " **Constans est doctrina SS. Patrum,** panem et vinum Eucharisticum transmutari in Corpus et Sanguinem Christi Domini. Id verissimum habet universa Ecclesia Græca; nam in Euchologio in hunc modum orant: *Rogamus ideo, valde misericors Domine, gloria, sanctitate et gratia Altare hoc reple, ut oblatæ in eo incruentæ hostiæ illibati Corporis et pretiosi Sanguinis Unigeniti Filii tui, in populi tui nostræque indignitatis salutem transmutentur.* Eadem repetunt in consecratione antimensiorum. Et Oratione in plantanda vinea: *Respice et visita vineam istam tua dextera plantatam, ut in tempore et maturitate fructus proferat, et ex iis offerre tibi in Christi tui Sanguine convertendos.* Gregorius Nyssenus, *Orat. Catechetica:* Καλως ουν και νυν τω λογω του θεου αγιαζομενον αρτον εις σωμα του θεου λογου μεταποιεισθαι πιστευομεν... « *Pulchre nunc dei verbo sanctificatum panem in Dei verbo « Corpus credimus transmutari* ». Theophylactus, in cap. 6. Joan: « Μεταποιειται γαρ αρρητοις λογοις ο αρτος ουτος δια της μυστικης λογιας « και επιφοιτησεως του αγιου Πνευματος εις σαρκα του κυριου ». « *Transfor- « matur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, « et accessionem Sancti Spiritus in Carnem Domini* ». Αρρητα γαρ ενεργεια μεταποιειται καν φαινηται ημιν αρτος, επει γαρ ασθενεις εσμεν, και ουκ αν εδεξαμεθα κρεας εσθιειν ωμον και ανθρωπινον σαρκα δια τουτο αρτος ημιν φαινεται σαρξ δε οντωςεστιν ». « *Ineffabili enim operatione tran- « sformatur, etiamsi nobis videatur panis: quoniam infirmi sumus, et « abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem, et ideo « panis quidem apparet, sed revera Caro est* ». Petrus patriarcha Antiochenus, Epist. ad Episc. Gradensem: ὁ δε δια της προζυμης τελειος αρτος ο δια της αγισειας μεταποιουμενος εις το αμιαντον σωμα του κυριου και σωτηρος Ιησου Χριστου εις αναμνησιν εδοθη της ενσαρκου οικονομιας αυτου. « *Panis vero ex fermento perfectus per consecrationem sanctificatus in immaculatum Corpus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi conversus, in commemorationem illius Incarnationis datus est.* " ✻ S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. mystagogica: *Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: Hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante ac dicente: Hic est Sanguis meus, quis, inquam, dubitat, ac dicat non esse illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galileæ sola voluntate; et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutasset? Quare cum omni certitudine Corpus et Sanguinem Christi sumamus; nam sub specie panis datur tibi Corpus, et sub specie vini datur Sanguis, ut, sumpto Corpore et San-*

guine Christi, efficiaris ei comparticeps Corporis et Sanguinis. Sic Christiferi erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus Corpus et Sanguinem in membra nostra receperimus. Idem habet Auctor Sermonis, *De Cœna Domini*, apud S. Cyprianum: *Panis iste*, inquit, *communis, in Carnem et Sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus; panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi fit Caro.* — Subscribit Fulbertus Carnotensis Episcopus, Epist. ad Adeodatum, quæ reperitur Tomo 1. Bibliothecæ Patrum, ubi sic ait: *Dubitari nefas est, ad cujus nutum cuncta ex nihilo subito substiterunt, si ejus potentia in spiritualibus Sacramentis, terrena materies, naturæ, et generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur, cum ipse dicat: Hoc est Corpus meum, et paulo post: Hic est Sanguis meus.* — Simili discursu utitur S. Gaudentius Brixiensis Episcopus, Tract. 2. in Exod. ubi hæc scribit: *Quod annuntiatum est credas, quia, quod accipis, Corpus est panis illius cœlestis, et Sanguis est illius sacræ vitis; nam, cum panem consecratum et vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Item Guitmundus, lib. 3. *De Corporis et Sanguinis Christi veritate*, hæc habet: *Hos impanatores suos ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cum, accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait: Hoc est Corpus meum. Non ait: in hoc latet Corpus meum, nec dixit: in hoc vino est Sanguis meus, sed dixit: Hic est Sanguis meus.*

Idipsum suadet ratio Theologica; si enim non esset vera transsubstantiatio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, consecrationis verba non essent vera; ut enim pronomen demonstrativum, *hoc*, vere sit demonstrativum Corporis et Sanguinis Christi, necessario indigitare debet omnem substantiam sub accidentibus latentem esse Corpus Christi, ut nempe sit identitas inter prædicatum et subjectum; omnis enim prædicatio de alio supponit identitatem, vel unionem attributi cum subjecto; ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: panis autem, et Corpus Christi sunt res omnino disparatæ, nec inter se ulla identitate vel unione copulantur: igitur particula *hoc* non supponit pro substantia panis, quæ proinde non manet, cum nulla panem inter et Corpus Christi unio in Sacramento Eucharistiæ intercedat. *Confirmatur*, ut propositio constans pronomine demonstrante substantiam sub accidentibus sensibilibus latentem sit vera, necessum est, quod pronomen ejus demonstret, omnem et quamlibet substantiam demonstrabilem ibi contentam, maxime si sit practica propositio, ita ut removeatur omnis substantia delitescens, tali pronomine non demonstrata: sed hæc propositio, *Hoc est Corpus meum*, est vera et practica, demonstratque substantiam latentem sub accidentibus panis esse Corpus Christi: igitur, ut sit vera, necessum est, quod sub speciebus panis sola sit substantia Corporis et Sanguinis Christi. Dixi, *si propositio sit practica;* nam, ut habet *secunda pars*, propositio, *Hoc est Corpus meum*, posset esse vera speculative, seu in sensu speculativo, etiamsi non fieret transsubstantiatio, ut significat Subtilis Doctor, in 4. dist. 11. qu. 3. 14. *Ad primum*, inquit, *concedo, quod etiam in creditis non sunt plura ponenda sine necessitate, nec plura miracula, quam oportet: sed cum dicitur in minori, veritas Eu-*

charistiæ posset salvari manente pane, vel sine transsubstantiatione; dico, quod bene fuisset Deo possibile, si instituisset, quod Corpus Christi vere esset præsens, substantia panis manente cum accidentibus, pane annihilato, et tunc fuisset ibi veritas Eucharistiæ, quia et signum verum, et signatum verum: sed hic non est modo tota veritas Eucharistiæ; non enim sic instituit, ut dicunt auctoritates adductæ. Et cum dicitur, quod ad veritatem Eucharistiæ nihil requiritur, nisi verum signum, et verum signatum. Respondeo, *verum est eo modo, quo signum est institutum, et quo sibi debet correspondere signatum; quod non est nunc præcise, quod Corpus sit cum aliquo, scilicet cum pane, vel cum accidentibus panis indistincte; sed institutum est nunc, quod signatum sit tantum sub accidentibus, ut sub signo.* Quibus verbis Doctor tria declarat: *primum,* quod per divinam potentiam possit esse Corpus Christi sub speciebus panis simul cum ejusdem panis substantia, quod utique omnes ultro fateri debent; nulla siquidem in eo apparet contradictio; quo in casu, Eucharistia non minus esset verum signum præsentis Christi Corporis, quam sit de facto, dum fit transsubstantiatio. *Secundum,* quod in ea hypothesi verba, quæ significant Corpus Christi præsens, possent esse vera in sensu speculativo, sicut nunc vera sunt, quippe significarent realem Christi Domini Corporis præsentiam, sicut eam nunc designant. *Tertium,* quod revera tamen per verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum,* fiat transsubstantiatio substantiæ panis in Corpus Christi, quia illa verba non solum habent significationem speculativam ex institutione hominum, sed etiam practicam et conversivam ex institutione Christi, quæ nobis apparet per definitionem et determinationem Ecclesiæ; maxime vero ex Concilio Tridentino supra laudato, ubi Concilium colligit transsubstantiationem ex veritate verborum Christi, non præcise, et ex sensu pure speculativo, sed prout ea semper Ecclesia intellexit: *Quoniam autem,* inquit, *Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit,* etc. Quibus [verbis significat Concilium transsubstantiationem illam non colligi ex vi verborum Christi secundum significationem speculativam, et communem usum loquendi hominum, sed prout ea semper Ecclesia intellexit.

Quod autem illa verba vi propria, et ex sensu speculativo præcise, et ex natura sua, non significent transsubstantiationem, patet ex eo quod posset Deus instituere, ut hæc verba, *Hoc est Corpus meum,* denotarent præsentiam Corporis Christi sine transsubstantiatione, puta si panis eo instanti, quo incipiunt proferri verba, et antequam compleantur, annihilaretur, vel alibi conservaretur; eo enim in casu subsisteret veritas demonstrationis, et sensus integer speculativus illorum verborum absque ulla conversione substantiæ panis in Corpus Christi: ergo illa conversio non recte infertur ex sensu speculativo et naturali verborum illorum, sed dumtaxat ex sensu practico, quem habent ex institutione divina innotescente per definitionem Ecclesiæ. Confirmabitur hæc nostra assertio ex solutione fundamentorum sententiæ adversantis, ubi primum fecerimus satis objectionibus hæreticorum adversus hanc partem.

PROPONUNTUR AC SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA PRIMAM PAR-

TEM. — OBJICIUNT ITAQUE HÆRETICI 1. Quasdam locutiones Scripturæ sacræ, necnon et SS. Patrum, quibus Eucharistia dicitur *panis:* sic Matth. 26. Joann. 6. 1. Cor. 10. etc. Ergo signum est, quod in ea remaneat substantia panis, alioqui falsæ essent ejusmodi locutiones. — **Nego consequentiam**; quamvis enim nulla subsistat in Eucharistia panis substantia, illa tamen dici potest panis, *vel* quia fit ex pane tamquam præjacente materia, sicut *Genes.* 2. Eva dicitur ex ossibus Adæ, *Dixitque Adam, hoc nunc os ex ossibus meis;* et quemadmodum, Exodi 7. serpens factus ex virga dicitur virga: *Devoravit virga Aaron virgas eorum,* nempe Magorum; *vel,* quia ratione specierum apparet panis, quemadmodum sæpius Angeli apparentes in specie humana in Scriptura sacra homines appellantur. *Vel* denique, quia Eucharistia est panis, sive cibus spiritualis animæ, dicente Christo, Joann. 6. *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum;* nam juxta phrasim Scripturæ nomine panis significatur quilibet cibus, ut colligitur ex pluribus locis, maxime vero ex *Genes.* 18. ubi cum Abrahamus dixisset tribus Angelis sub specie humana sibi apparentibus: *Requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum;* quod per buccellam panis non solum panem intelligat, apparet ex his, quæ Scriptura subjicit: *Festinavit,* inquit, *Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes; ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero, qui festinavit, et coxit illum, tulit quoque butyrum, et lac, et vitulum, quem coxerat, et posuit ante illum.* Ecce buccella panis, ad quam viros invitaverat.

URGENT: Qua ratione Christus dixit Matth. 18. *Hoc est Corpus meum,* eadem dixit Joann. 15. *Ego sum vitis vera:* sed non est consequens, quod vere fuerit conversus in vitem: ergo nec consequens esse debet, quod panis convertatur in ipsius Corpus. — **Respondet Doctor,** in 4. dist. 10. q. 1. n. 3. *negando consequentiam:* « Universa« liter, enim, *inquit,* intellectus verborum Christi, an loquatur figu« rative, an non, colligi potest ex præcedentibus, vel consequentibus « ibidem, vel ex aliis Scripturæ locis. Unde cum Christus ait: *Ego « sum vitis vera,* subjunxit: *Et vos palmites.* Constat autem, quod « Discipuli non erant palmites naturales, sed tantum figurales. Sed « cum dixit Luc. 22. *Hoc est Corpus meum,* subdit: *Quod pro vobis « tradetur.* Cum etiam dixisset, *Hic est calix Sanguinis mei,* subdit: « *Qui pro vobis fundetur* ». Hæc Doctor, quibus significat, priora Christi verba, nempe, *Hoc est Corpus meum,* debere accipi secundum propriam et genuinam eorum significationem, non autem secundum figurativam; quod utique colligitur ex sequentibus; ac subinde non est par utriusque ratio.

OBJICIUNT 2. Quædam Patrum oracula: *primo* quidem Origenis ad c. 18. Matth. ubi docet, Eucharistiam juxta id, quod materiale habet, in ventrem et in secessum dimitti: *secundo,* S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 3. docet, panem Eucharistiæ post invocationem sancti Spiritus non esse amplius panem communem, sed Corpus Christi, sicut sanctum unguentum, postquam consecratum est, non est amplius unguentum commune, et nudum, sed sanctum chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti energiam habet: sed chrisma non amittit per

consecrationem substantiam unguenti : ergo pari ratione panis Eucharisticus per consecrationem suam substantiam non deperdit. *Tertio*, S. Chrysostomus, Epist. ad Cæsarium Monachum docet, *post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, et dignum fieri appellatione Dominici Corporis, etiamsi natura panis in ipso permaneat.* — **Respondeo ad primum**, primo, tractatum illum non esse Origenis, ut etiam ex hæreticis consentit Rivetus in *Criticis*, dicens : « De Homi-« liis in diversos Matthæi locos constat Erasmo non esse Origenis, sed « hominis Latini, reliquas a Rufino impudenter contaminantis. Idem « præ cæteris docet Bellarminus, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, et Six-« tus Senensis, qui de Homil. in caput 25. Matthæi de adventu filii « hominis ad judicium, ait posteriorem partem videri continere duo « Latinorum Patrum fragmenta, quorum alterum habetur in fine Com-« mentariorum Hieronymi in Isaiam, alterum apud Gregorium, lib. 4. « *Moral.*, cap. 14. ». *Dico Secundo*, quod etiam gratis concesso Tractatus illos esse Origenis, nihil inde patrocinii hæreticis accedere; siquidem benigne explicari possunt illius verba de accidentibus panis et vini, dum corrumpuntur, non autem de substantia panis. *Ad secundum* dico, S. Cyrilli comparationem in eo positam non esse, quod quemadmodum mutatio unguenti est tantum accidentaria, sic tantum accidentaria sit mutatio panis Eucharistici ; sed in eo, quod, sicut unguentum post consecrationem non amplius est commune, sed sacrum, ita panis post consecrationem non est amplius panis, sed Corpus Christi ; unde signanter non dixit ungentum post consecrationem esse Spiritum sanctum, sicut dixit panem esse Corpus Christi. Quod autem Cyrillus revera non dubitaverit de transsubstantiatione, sed eam propugnaverit, aperte liquet ex his, quæ supra ab ipso decerpta exscripsimus. *Ad tertium* dico, perperam citari illam Chrysostomi Epistolam, quippe cum omnino fictitia sit, nec inter illius sanctissimi Doctoris opera recenseatur.

Objiciunt 3. Auctoritatem S. Ambrosii dicentis lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 4. « Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inci-« perent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint « quæ erant, et in aliud commutentur? » Igitur ex mente S. Ambrosii in Eucharistia cum Christi Domini Corpore manent quæ erant, idest, substantia panis perseverat una cum accidentibus. — **Respondeo**, S. Ambrosii mentem esse, quod in Eucharistia cum Christi Corpore maneant quæ prius erant, secundum visibilem sensibilium accidentium speciem, licet non remaneant secundum intrinsecam panis et vini substantiam, quæ in Corpus et Sanguinem Christi commutantur. *Adde* quod, ut observat Lanfrancus, in aliis codicibus præfata S. Ambrosii sententia non ita exaratur, sed his verbis : *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut, quæ erant, in aliud commutentur?*

Objiciunt 4. Auctoritatem Gelasii Romani Pontificis, qui lib. 2. *De duabus in Christo naturis*, contra Eutychen et Nestorium, conferens mysterium Eucharistiæ cum mysterio Incarnationis, sic loquitur: *Sacramenta, quæ sumimus, Corporis et Sanguinis Christi, divina res est; propter quod, et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ; et tamen esse non desinunt substantia vel natura panis* et vini. Igitur

censet summus Pontifex non fieri transsubstantiationem. — **Respondet Perronius** *negando consequentiam, et ad antecedens* dicit primo, suspectum omnino haberi debere opusculum istud, eo quod anno 1528. Basileæ hæreticorum studio et cura publici juris factum fuerit, ex codice incorrecto et mendis scatente, ut patet ex collatione ejus cum textibus a S. Fulgentio laudatis; quare suspicari licet vel a Basileensibus mala fide fuisse correctum, vel saltem ex incorrecto codice editum fuisse. *Respondeo secundo,* opusculum illud perperam adscribi Gelasio summo Pontifici, ut recte demonstrat Melchior Canus, lib. 6. *De locis Theologicis,* cap. ult. ad 9. sed forte editum fuit ab alio Gelasio Cæsariensi scriptore Græco: *tum* quia opus de duabus in Christo naturis a Gelasio Rom. Pontifice scriptum appellatur grande volumen a Gennadio, et Honorio Augustodunensi, additque Anastasius Bibliothecarius in vita Gelasii, opus illud fuisse divisum in quinque libros: sed liber ille, unde auctoritas in objectione posita deprompta est, exiguus est: igitur non est is, quem edidit Gelasius adversus Eutychen: *tum* quia libelli illius Auctor referendo testimonia Patrum de duabus in Christo naturis, citat Eusebium Cæsariensem, qui fuit Arianorum signifer, et cujus opera ab ipso Gelasio inter apocrypha declarata sunt: *tum* quia illius libelli scriptor testatur se pro duabus asserendis in Christo naturis referre testimonia Veterum Patrum, attamen solos Græcos laudat, omissis Hieronymi, Augustini, Leonis Magni, et aliorum Latinorum Patrum clarissimis testimoniis. Profert quidem nonnulla S. Ambrosii verba, sed omnino a genuinis aliena, et dumtaxat juxta versionem Græcam Theodoreti, qui opus illud laudaverat: non est autem verisimile Romanum Pontificem Latinorum Patrum opera non calluisse, et quæ producit ex genuinis fontibus non excepisse. *Tum* denique, quia si ea fuisset Gelasii Pontificis sententia, haud dubie illam in sui patrocinium Berengarius, ejusque Discipuli laudassent. His et similibus rationibus permoti Rivetus et Perkensus opusculum istud a genuinis Gelasii operibus respuunt. *Nec obstat,* quod Ecclesia Lugdunensis, lib. *De tribus Epistolis,* meminerit libri, cujus titulus est, *De duabus in Christo naturis,* quem librum scribit omnibus Ecclesiis notum et celebriter commendatum; respondeo enim, hunc librum non esse eum, de quo controvertitur; siquidem liber, cujus meminit Ecclesia Lugdunensis, refert sententias plurium orthodoxorum Patrum Græcorum et Latinorum ad fidei ædificationem spectantes, scilicet Athanasii, Hieronymi, etc. At in libro nobis objecto prædicti Patres non citantur, ac subinde liber, cujus Ecclesia Lugdunensis meminit, non is est, qui nobis objicitur. ✻ " *Respondeo* insuper, quod etsi sententia illa genuina esset Gelasii summi Pontificis, ex ea nihil posset elici adversus catholicum de transsubstantiatione dogma; hoc enim non obscure tradit et confirmat, dum ait in verbis laudatis Sacramenta seu symbola Eucharistiæ, nempe panem et vinum in divinam transire substantiam, scilicet Corpus et Sanguinem Christi, quæ ideirco dicuntur divina substantia, quod divinitati hypostatice uniantur, *permanente tamen in sua proprietate naturæ,* hoc est remanentibus accidentibus in sua priori consistentia et natura. " ✻

Objiciunt 5. Auctoritatem Theodoreti, qui dialog. 1. ita scribit: *Symbola, quæ videntur appellatione Corporis et Sanguinis honoravit,*

non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens. Et dialog. 2. ait: *Neque signa mysticam post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priori substantia figura et forma, et videri et tangi possunt sicut prius:* Igitur ex mente Theodoreti non fit mutatio substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. — ✻ " **Nego consequentiam**; cum enim Eucharistiam dicit symbolum Corporis Christi, solum attendit ad ea quæ sensibus obvia sunt, quæque habent rationem signi, non vero ad ea quæ per symbolum significantur; utitur enim pene simili loquendi modo quo Scriptura Sacra, dum dicit: *Verbum Caro factum est;* quibus non significatur Verbum dumtaxat assumpsisse carnem humanam, non vero animam; sed sicut nomine *carnis,* quæ sensibus patebat, Scriptura totam humanitatem exprimit, ita Theodoretus nomine *symboli Eucharistici,* totum Sacramentum, hoc est significans et significatum declarat. " ✻ *Et ad antecedens* dicunt aliqui *primo,* non esse magnifaciendam auctoritatem Theodoreti, ubi sermo est de Eucharistia, fuit enim de Nestorianismo suspectus, cui errori ut patrocinaretur, et occurreret auctoritati SS. Patrum, qui ex Eucharistiæ Sacramento Incarnationis mysterium comprobabant, ut ex S. Cyrillo liquet, idcirco obscure de Eucharistia locutus est. *Secundo* dico, non posse genuinam alicujus auctoris mentem ex obscurioribus illius scriptis colligi, maxime quando dumtaxat obiter de aliqua materia disserit: testatur autem Theodoretus se de Eucharistia nedum obiter agere, sed etiam obscuritatem affectare; dialogo enim primo sic Orthodoxus loquitur: *Velim te paulo magis mystice respondere, adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysteriis.* Cui Eranistes respondet: *Ita audiam, et ita respondebo.* Et dialog. 2. sic loquitur Orthodoxus: *Non oportet aperte dicere; est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Cui Eranistes ait: *Respondeatur ænigmatice.* Dico *tertio* cum Cardinali Perronio, non sic esse legendum hunc Theodoreti locum, ut in objectione refertur, et plerique legunt, nempe *signa mystica post sanctificationem manent in priori substantia, forma, et figura;* sed hoc modo: *in prioris substantiæ figura et forma,* juxta quam lectionem sensus planus est; quippe significatur, quod eadem accidentia, quæ in priori substantia panis et vini existebant, post utriusque conversionem remaneant, ut prius, immutata, nec recedant a natura sua, seu virtute naturali, quam habebant, vel afficiendi sensus, vel nutriendi, etc. Cujus utique ratio est, quia consueverunt Græci, elegantiæ causa, regimen genitivorum transponere, atque ponere casus, post genitivos, quos regunt, ut norunt linguæ Græcæ periti. — *Nec dicas* particulam καὶ præpositam secundo genitivo significare utrumque genitivum regi per præpositionem præcedentem ἐπί; id enim falsum est; sed conjunctio præmittitur secundo genitivo, non ut illum copulet cum voce οὐσιας, sed cum tertio, per eum Grammaticorum tropum, quo aliqua oratio multis conjunctionibus connectitur, appellaturque polysinteton. — Si autem velis solitam retinere interpretationem, et vulgatam versionem, dico *tertio,* et quidem rectius, et ad mentem Theodoreti accommodatius, Theodoretum illis verbis velle tantum significare, quod accidentia panis et vini maneant integra ac vera post consecrationem, nec ullatenus in sua entitate et natura, forma et figura immutentur,

ita quod eadem omnino sit quantitas et qualitas, quæ prius inerat pani et vino, licet non eidem substantiæ inexistant. Quæ utique solutio ut percipiatur, *observandum* est, Theodoretum tribus dialogis impugnare hæresim Eutychianam, quæ contendebat humanitatem Christi a Divinitate in unione hypostatica velut fuisse absorptam, et in eam quasi transmutatam, solis exceptis remanentibus humanis lineamentis, non quidem veris, sed apparentibus. *Primus* dialogus appellatur *immutabilis*, in quo immutabilem fidei dignitatem propugnat: *secundus* vocatur *inconfusus*, in quo demonstratur naturam divinam, et humanam in Christo non esse confusas et permixtas: *tertius* appellatur *incompatibilis*, in quo ostendit Divinitatem Christi ab omnibus passionibus, atque animi perturbationibus alienam esse. Ut autem convenientiori ordine ac evidentiori methodo procedat, duos collocutores introducit, nempe Orthodoxum, qui tueatur partes fidei Catholicæ, ac Ecclesiæ causam agat, et Eranistem, hoc est, emendicatorem, qui propugnet partes Eutychianorum, quorum hæresis sic a multis erroribus emendicatur, ut similis appareat mendicorum vestibus, quæ ex diversis pannis assuuntur et consarcinantur. — Itaque illos impugnaturus Theodoretus, dialog. 1. docet Christum habuisse verum Corpus, et Deum, qui ex natura sua videri non poterat, carnem assumpsisse, ut videri posset, usumque fuisse vivo et vero quodam veluti velo carnis integumento. Exhorruit Eranista novitatem Verbi, quæsivitque qua in parte Scripturæ Caro Domini *velum* appellatur. Objurgata illius ignorantia, docet Orthodoxus Carnem Christi *velamen* appellari ad Hebr. *vestem* quoque et *indumentum* dici, docet in Genesi his verbis: *Lavabit in vino stolam suam, et in Sanguine uvæ indumentum suum.* Quæ ad Christi Corpus pertinere manifeste docet, quod in cruce suo ipsius Sanguine irrigatum fuit. Qui quidem Sanguis Domini recte dici vinum, sive Sanguinem uvæ probat, quia vitem se esse dixit; unde concludit: *Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem, Domini Sanguinem nominamus, ita veræ vitis sanguinem, uvæ sanguinem nominavit.* Quæ Theodoreti comparatio futilis esset et inepta, nisi admitteret verum Christi Sanguinem esse in mysteriis; licet ex illius mente Sacramentum *sanguis* dicatur, quia figura est veri sanguinis; ea tamen est istius figuræ ratio, ut adjunctam habeat veritatem et gratiam, ut postea patebit; sed noluit aperte pandere totius mysterii veritatem, etsi ea sit usus, ut statim recte monuit sub nomine Eranistæ: *Mystice simul, et dilucide, quod propositum fuerat, ostensum est.*

Pergit in eadem materia Orthodoxus, docetque consentiente Eranista, Christum Corpori suo panis nomen dedisse, imo vero et tritici nomine Carnem suam significasse, Joann. 12. Mox addit: *In mysteriorum autem traditionem Corpus panem appellavit, et Sanguinem id, quod in calice infusum, et commixtum est.* Eran. *Ita nominavit* Orthodox. *Atqui et quod est secundum naturam corpus, corpus jure vocabitur, et itidem sanguis.* Eran. *In confesso est.* Quorum verborum hæc est sententia, pani collatum Corporis nomen, et vino mixto Sanguinis, in Sacramentum Eucharistiæ; verum quoque Domini Corpus et Sanguinem recte dici Corpus et Sanguinem. Ex quo concludit Orthodoxus, permutata fuisse rerum nomina a Christo, qui Corpori quidem vero Sa-

cramenti nomen dedit, nempe panis; et Sacramento viceversa imposuit nomen corporis. Eodem modo, cum se vitem nominavisset, symbolo vini nomen Sanguinis dedisse. « Servator quidem certe noster, *inquit*, « nomina commutavit, et corpori quidem id quod erat symboli ac signi « nomen imposuit; symbolo autem, quod erat Corporis. Ita cum se « vitem nominavisset, sanguinem id quod erat symbolum, appellavit ».

Eranista consentiens sciscitatur causam istius mutationis nominum. Cui satisfaciens Orthodoxus præmittit cautionem consuetam, hæc nota esse initiatis, ne scilicet Eranista expectaret disertissimam explicationem, quamvis veram; ait autem Orthod. *Manifestum est institutum iis, qui sunt divinis mysteriis initiati. Volebat enim eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur; sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura Corpus est, triticum et panem appellavit, et vitem rursus seipsum nominavit, is symbola et signa, quæ videntur, appellatione Corporis et Sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens.* Respondet Eranista: *Et mystice mystica dicta sunt, et aperte declarata, quæ non sunt nota omnibus.*

Ex responsione patet, (inquit Illustrissimus ac doctissimus D. de Marca, Parisiensium Archiepiscopus, in opusculo de mente Theodoreti) insignem alioqui locum, rei quidem veritatem explanasse, sed mystice, et obscuris verbis; adeoque novo, et non cognito omnibus modo illam aperuisse. Quare laborandum est tantisper, ut mens Auctoris detegatur, ad quam nos manuducet fides, qua mysteriis sumus initiati; manifeste quidem docet, *gratiam adjunctam esse symbolis:* atque adeo totum mysterium constare *ex gratia et symbolis mysticis*, idest, *elementis visibilibus panis et vini, et Carne et Sanguine Christi invisibili et immortali*, ut loquitur Augustinus, *ex re sensibili, et ex intelligibili, seu Corpore Christi*, secundum Chrysostomum, *ex Eulogia, et carne vivifica*, juxta Cyrillum Alexandrinum. Sed *gratiæ* nomine significat mystice Corpus Christi, qua vere ipsum Corpus Christi invisibile designatur. Quoniam veritas cujuscumque Sacramenti habet suam gratiam; Baptismus gratiam regenerationis; Sacramentum vero Corporis Christi habet ipsum Corpus immortale Christi pro gratia sibi conjuncta. Hæc mihi videtur afferri posse ratio, cur *gratia* mystice significet, non Christum ipsum, sed Corpus Christi. Quod enim quidam existimant gratiam hic sumi pro Christo, qui est gratia per essentiam, non satis accurate expendisse videntur, hic agi principaliter de Christi Corpore, quod est veritas et gratia Sacramenti, deinde ex consequentia de Christo Domino cujus hoc est Corpus.

Cæterum quo pacto gratia illa accedat ad symbola, Theodoretus significat, nempe per mutationem, quæ fit in symbolis ex gratia, idest, ob adjectionem gratiæ. Corporis quippe substantia mysteria consummantur, ut docuit Chrysostomus, quando, ut cum Justino loquamur, ex prece ab ipso verbo perfecta, panis fit Caro Christi. Mystice vero de hac quoque mutatione locutus est, quam universa tamen profitebatur Ecclesia. Quoniam vero incuriosius videbantur locuti plerique Veterum, qui constituta semel hac mutatione panis, nihil naturæ panis permanere edocebant, aut docere videbantur, Theodoretus au-

dacter ait, et vere, symbola post sanctificationem eam naturam servare, quæ videtur, licet appellatione Corporis et Sanguinis decorata fuerint.

Mens itaque Theodoreti est, quod per verba consecratoria duplex mutatio fiat in symbolis ex gratia: *primo*, quod ipsa symbola sub se contineant Corpus et Sanguinem Christi, et sic habeant præsentiam gratiæ substantialis: *secundo*, quod ipsa symbola visibilia, quæ in sua natura et entitate physica eadem permanent, sortiantur tamen appellationem Corporis et Sanguinis, fiantque Sacramentum, et figura naturalis Corporis et Sanguinis Christi; quod utique ultro fatetur Eranistes; nam Orthodoxus ab eo petens, cujus figuram et symbolum esse putet alimentum sanctissimum Divinitatis ac Corporis et Sanguinis Christi; *respondet* Eranista, hujus esse symbolum, cujus appellationem suscepit, nempe Corporis et Sanguinis; quam responsionem approbat Orthodoxus, dicens: *ut decet amicum veritatis, dixisti, etenim Dominus, cum accepisset symbolum, seu signum, non dixit: Hoc est Deitas mea, sed: Hoc est Corpus meum; et rursus: Hic est Sanguis meus; et alibi: Panis, quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Quibus verbis fatetur Theodoretus, symbola sanctificata non esse nudam ac vacuam figuram Corporis et Sanguinis Christi, ut perperam interpretantur Calvinistæ; alioqui non fuisset ipsi ita cavendum, ne arcanum hoc pateret non initiatis; sed profitetur symbola esse signa Corporis et Sanguinis invisibilis, prout illa conjuncta sunt cum symbolis, et sub eis velantur. Ex quibus omnibus concludit Orthodoxus, Dominum habuisse verum Corpus post unionem cum Verbo in mysterio Incarnationis. Cum autem Eranista contenderet, Corpus Christi non fuisse appellatum *Corpus* post Ascensionem in cælos, ac subinde revera fuisse absorptum a Divinitate; *respondet* Orthodoxus, se quidem probationem illam jam implevisse, quoniam docuerat ex Scripturis Christum in extremo Adventu, quando judicium in homines exerciturus redibit, eodem modo se videndum præbiturum, quo in cælos se sustulit. Interim apertis cælis, visum a Stephano a dextris Dei, addita quoque hac ratione, ut ostendatur vis argumenti, *quod enim videtur Corpus est.* Attamen adjungit insuper locum Pauli in Epistola ad Philippenses, ubi tradit Corpus humilitatis nostræ conforme futurum Corpori gloriæ Christi. Unde, probat post Ascensionem in cælo Corpus Christi, dici verum Corpus ad Apostolo.

Mox gradum facit ad Eucharistiam, his verbis: Orthod. *Dic ergo, mystica symbola, quæ Deo a Dei Sacerdotibus offeruntur, quorumnam dices esse symbola?* Eran. *Corporis et Sanguinis Domini.* Orthod. *Optime, oportet enim imagines esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam, et eorum, quæ videntur, depingunt imagines.* Eran. *Verum.* Orthod. *Si ergo divina mysteria Corpus, quod vere est, repræsentant, ergo Corpus etiam nunc, Domini quoque Corpus est, non in naturam Divinitatis mutatum, sed impletum divina gloria.*

Huic illationi nihil quidem respondet Eranista, sed, quod hæreticis familiare est, vim argumenti declinans, ad novas inquisitiones et scisitationes confugit: et *primo* quidem quærit ab Orthodoxo, quid appellet *donum, quod offertur ante invocationem Sacerdotis.* Respondet Orthodoxus, *donum ante invocationem esse illud nutrimentum, quod*

fit ex ejusmodi seminibus, et commune hoc nomen, quod potus speciem significat; hoc est, panem et vinum. Pergit Eranista: *Post sanctificationem autem, quomodo ea appellas?* Respondet Orthodoxus: *Corpus et Sanguinem Christi.* Instat Eranista: *Et credis te fieri participem Christi Corporis et Sanguinis?* Respondet Orthodoxus: *Ita credo.* Quibus fatetur symbola sic esse Sacramenta, et signa, ut ipsius tamen Corporis et Sanguinis nos participes efficiant. Unde consequitur, verum Corpus his symbolis contineri, licet spiritali et invisibili modo. Ex quibus sic Eranista colligit: *Sicut ergo symbola Domini Corporis et Sanguinis alia quidem sunt ante invocationem Sacerdotis, sed post invocationem mutantur, et alia fiunt; ita etiam Corpus Domini post assumptionem mutatur in divinam substantiam.* Cui respondet Auctor Orthodoxus: *Quæ ipse texuisti, retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri, et tangi possunt, ut prius. Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur, utque illa sint, quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, et videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse ei similem. Illud enim Corpus habet priorem quidem formam, et figuram, et circumscriptionem, et ut semel dicam, Corporis substantiam. Immortale autem post Resurrectionem factum est, et potentius, quam ut illa in ipsum cadat corruptio, et interitus, sessioneque ad dexteram dignatum est, et ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur Corpus naturale Domini.* Ex istis verbis et superioribus testimoniis patet, quænam fuerit sententia Theodoreti de tota hujus mysterii veritate. Quemadmodum enim superius dixerat, hæc mystica symbola post invocationem Sacerdotis Deo offerri a Dei Sacerdotibus, et mutationem subiisse ex gratia, quæ accedit ad symbola, quæ quidem ita sunt Sacramenta Corporis et Sanguinis Domini, ut ipsius veri Corporis et Sanguinis Dominici nos participes efficiant; sic iisdem inhærendo vestigiis, nunc ait, hæc symbola intelligi esse, quæ facta sunt, et credi, ac adorari, utque illa sint, quæ creduntur, idest, per mutationem ex gratia sunt symbola carnis invisibilis præsentis, et ideo adorantur, quoniam nemo carnem illam sumit, quin prius illam adoraverit, ut ait Augustinus. Quare habemus ex Theodoreto symbolorum consecrationem ministerio Sacerdotis, et verbis Christi factam, mutationem symbolorum ex gratia, præsentiam Carnis Christi et Sanguinis, oblationem symbolorum sanctificatorum, quæ Deo fit a Dei Sacerdotibus, symbolorum adorationem, et eorum interventu participationem Corporis et Sanguinis Dominici. — De integro redit Eranista ad congressum, et ex mutatione appellationis, quæ fit in symbolo mystico, quod non amplius panis, sed Corpus vocatur, colligi posse putat hujus Sacramenti veritatem, Deum dici debere, non autem Corpus Christi. Eran. *Atqui symbolum mysticum priorem mutat appellationem, neque enim amplius nominatur, quod prius vocabatur, sed Corpus appellatur. Oportet ergo etiam veritatem Deum, et non Corpus vocari.* Verum ignorantiam Eranistæ arguit Orthodoxus, quod mysterii hujus arcanum non penetrarit, factam scilicet nominum permutationem, ut pani tribueretur appellatio Corporis Christi, Corpori vero panis nomen inditum esset, de quibus egerat dialog. 1. Unde sequitur, quod in hoc

mysterio veritas Sacramenti non debeat, Corporis nomen deserendo, Deus vocari, sed Corpus; symbola enim non sunt Divinitatis signa, sed Corporis. Hinc Eranistæ cavillos sic solvit Orthodoxus, et ejus ignorantiam instruit: *Ignarus mihi esse videris; non enim Corpus solum, sed etiam panis vitæ nominatur, ita Dominus ipse appellavit. Porro autem ipsum Corpus, divinum Corpus nominamus, et vivificum, et Dominicum, docentes non esse commune alicujus hominis, sed Domini nostri Jesu Christi, qui est Deus et homo.*

Ex iis omnibus inferre licet, Theodoretum quinque capita habuisse certissima, quantum ad Eucharistiæ mysterium. *Primum est,* quod in eo distinguuntur symbola et signa mystica panis et vini a Corpore et Sanguine Christi, quorum illa sunt figuræ et imagines, quippe symbolum panis est imago Corporis, quod *panis vitæ* appellatur, et symbolum vini est figura Sanguinis, qui est vinum germinans Virgines. *Secundum est,* quod hujus mysterii pars altera sit ipsum Corpus Christi verum, quod sub symbolis latet, et appellatur a Theodoreto *veritas et gratia divinum, ac vivificum Corpus Domini. Tertium est,* quod in hoc mysterio fiat appellationum permutatio, ita ut sacra symbola post sanctificationem ex invocatione Sacerdotis factam suscipiant nomina Corporis et Sanguinis Christi, et vicissim Corpus Domini panis dicatur. *Quartum est,* quod mutatio fiat in hoc mysterio, quando gratia et veritas, quibus mystice et ænigmatice significatur Corpus et Sanguis Christi, accedit ad symbolorum naturam, ita ut naturalis eorum substantia mutetur in Christi Corpus. *Quintum est,* quod hac mutata symbolorum substantia, ipsa tamen symbola non recedant a sua natura visibili, sintque eadem post sanctificationem, et suæ substantiæ permutationem, quæ prius erant. Porro in hac adstruenda symbolorum immutatione, idcirco maxime adlaboravit Theodoretus, quoniam videbat argumenta ab Eutychianis ad probandam naturæ humanæ in divinam conversionem trahi ex comparatione mysterii Eucharistiæ cum Incarnatione, ex eo quod plurimi e SS. Patribus, maxime uterque Cyrillus, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, et Ambrosius, docerent in transsubstantiatione fieri quoque symbolorum mutationem, ita ut, quæ prius erant accidentia panis, nunc sint pars quædam, et velut accessio Corporis Christi; ex quibus inferebant Eutychiani, quod sicut per consecrationem totus panis convertitur in Corpus Christi, licet permanere videantur accidentia panis, ita pariter per Incarnationem, aut saltem post Resurrectionem, humana natura sic fuerat a Divinitate absorpta, ut ipsa amplius non subsisteret, licet adhuc quædam servaret humanitatis lineamenta. — Quam utique argumentandi rationem ut ipsis eriperet Theodoretus, docuit mutationem quidem in symbolis fieri ex gratia, quia eorum substantia in Corpus Christi convertebatur, ita tamen, ut signa, quæ videntur, a sua natura non recedant; unde optime inferebat contra Eutychianos, quod, quemadmodum facta consecratione, vere immutata manent symbola, ita pariter immutata perseveravit natura humana, facta unione ipsius cum Verbo divino.

Instabis: Ex dictis liquet Theodoretum nomine Orthodoxi ex comparatione Eucharistiæ colligere in Christo post unionem hypostaticam nedum superesse formam et figuram, sed ipsam etiam Corporis sub-

stantiam: at nullum prorsus foret argumentum nisi supponeret in Eucharistia remanere substantiam panis: igitur talis fuit ejus sententia. — **Nego minorem**; Orthodoxus enim non comparat in omnibus Eucharistiam cum Incarnatione, quippe manifestum est, duo illa mysteria, sicut in multis conveniunt, in multis quoque differre. Valide tamen ex Eucharistia, suppositis aliis ab adversariis vel concessis, vel certe necessario concedendis, argumentatur. Ex eo enim, quod in Eucharistia remaneant accidentia panis, infert Orthodoxus in Christo vera quoque fuisse accidentia et proprietates humanitatis afficientes Christum Dominum, non secundum naturam divinam: ergo secundum naturam humanam; quamvis enim accidentia possint divinitus sine subjecto existere, tamen, quia ex Scripturis, et communi sententia constabat accidentia humanitatis vere Christum affecisse, qui propterea vere dictus est flens, comedens, fatigatus, passus, etc. recte inde inferebant Catholici, quod cum non possent Christum afficere secundum Divinitatem, humanitatem prorsus afficiebant. Itaque argumentum adversarii, colligentis in Christo non esse humanitatem, sed esse in Divinitatem conversam, quia substantia panis in Eucharistia convertitur in substantiam Corporis Christi, argumentum, inquam, illud recte retorquet Orthodoxus, dicens: in Eucharistia nedum est Corpus Christi, sed etiam vera panis accidentia: ergo similiter in Christo vera sunt humanitatis accidentia propria. Ex quo, supposito alio principio, inferebat esse quoque in Christo veram humanitatem, quia nimirum accidentia humanitatis vere Christum afficiebant, ut tota Scriptura clamat: ergo aliquam in Christo naturam afficiebant: non divinam: ergo humanam. Ex concessis ergo ab adversario validum ad Eucharistiam argumentum deduxit Orthodoxus.

Objiciunt denique auctoritatem Ruperti Abbatis Tuitiensis, qui lib. 2. in Exodum videtur impanationem docuisse; docet enim panem Eucharistiæ assumi a Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana a Verbo assumpta est; ex quo sequitur, panem esse Corpus Christi: scribit enim lib. ad hæc verba *Exodi: Sed comedetis assum tantum igni. Idest*, inquit, *totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus effectus non est destruere, vel corrumpere substantiam quamcumque, sed substantiæ bono permanenti, quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat: sicuti naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit; sic substantiam panis et vini, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam non mutat, aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem Corporis ejusdem, quod in cruce pependit, et Sanguinis ejusdem, quem de latere suo fudit, ista conjungit.* Et rursum: *Quomodo Verbum a summo demissum Caro factum est, et non mutatum in Carnem, sed assumendo Carnem, sic panis et vinum utrumque ab imo sublevatum fit Corpus Christi et Sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in Sanguinis humorem, sed assumendo indivisibiliter utriusque, divinæ scilicet et humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ unitatem. Proinde sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte et catholice Deum confitemur, sic veraciter id, quod sumimus de sancto Altari, Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus.* Idem non minus perspicue tradit lib. 6. in Joann., ubi docet, *Verbum*

jam dudum factum carnem, panem visibilem fieri, non mutatum in panem, sed assumendo, et in unitatem personæ transferendo panem. Additque ratione illius assumptionis, panem vere dici Corpus Christi. Quod, et lib. 2. *De officiis*, cap. 2. et 9. repetere videtur. — **Respondeo,** quod etsi Eminentissimi Cardinales Bellarminus et Baronius censuerint, Rupertum revera in eo errore versatum esse, nihilominus ab eo vindicari potest et excusari; siquidem cum ait, operatione Spiritus sancti non destrui vel corrumpi simpliciter substantiam panis, sensus est quod non ita destruatur per simplicem annihilationem, sed conversionem, quæ fiat in melius, non enim absolute negat fieri posse divinitus conversionem unius substantiæ in aliam, sed eo loco exemplo conversionis aquæ, in ipsis hoc ipsum astruit et confirmat. *Similiter*, cum ait, permanere substantiam panis, usurpat ibi *substantiæ* nomen pro essentia accidentis, seu pro substantia *secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam*, quam *Commentario* in Joann. appellat *substantiam visibilem*; substantia autem, quam in Corpus Christi converti docet, et credit Ecclesia Catholica, non est visibilis, neque quinque sensibus subacta; ac subinde doctrina Ruperti non militat in Ecclesiæ dogma. Quod autem hæc fuerit ejus sententia, confirmari potest ex eo, quod ibidem videtur negare accidentia panis converti in accidentia Corporis Christi, dum videlicet ait, panem et vinum in Christi Corporis non converti saporem, vel sanguinis humorem. *Denique*, dum comparat assumptionem panis cum assumptione humanitatis, non intendit, quod intercedat unio hypostatica inter panem et Verbum, sed tantum quod idem Verbum, quod assumpsit naturam humanam, convertat substantiam panis in substantiam Corporis a se assumpti, ratione cujus conversionis panis appellatur Caro, et Verbum dicitur panis vivus, qui de cælo descendit.

Porro, quod Rupertus aperte fateatur, panis et vini substantiam converti in Corpus et Sanguinem Christi, colligitur non solum ex his, quæ diximus in Sectione præcedenti, solvendo auctoritatem Ruperti ab hæreticis objectam, sed etiam ex lib. 2. *De Officiis*, cap. 2., ubi ait: *Panis et vinum in verum Corpus et Sanguinem Domini transferuntur.* Quæ certe translatio nihil aliud, quam transsubstantiationem sonat.

Objiciunt denique Confessionem Berengarii, quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao II, et refertur *De Consecratione*, dist. 2. cap. 42. *Ego Berengarius*, fateor, *panem et vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et sensualiter non solum in Sacramento, sed veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri.* — **Respondeo,** quidquid sit de mente Berengarii in hac fidei professione, intentum Concilii ac Summi Pontificis fuisse, ut ille Hæresiarcha profiteretur palam Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, idest signum practicum gratiæ sanctificantis, aut signum speculativum Corporis et Sanguinis Christi, sed etiam illius esse signum practicum, quia panis et vinum revera transferuntur in Corpus et Sanguinem Christi. Itaque in hac priori fidei professione, Berengarius primum suum errorem, quo docebat Corpus Christi non esse realiter et vere in Eucharistia, reprobavit; qui quidem error primo damnatus fuerat sub Leone IX in Concilio Vercel-

lensi, deinde in Turonensi sub Victore II ejus successore, ubi Berengarius primo hunc errorem ejuravit; sed cum paulo post in ipsum relapsus esset, illum iterum reprobavit in Concilio Romano sub Nicolao II. Verum cum hoc abjurato errore incidisset in alium, quo asserebat, integram naturam panis et vini remanere in Eucharistia una cum Christi Corpore et Sanguine, hunc tandem errorem abjuravit in Concilio Romano sub Gregorio VII.

Plura etiam argumenta petita ex ratione proferunt Lutherani. Verum illa convenientiori ordine solventur in sequentibus Quæstionibus.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Conclusionis. — Objiciunt primo Thomistæ auctoritatem Concilii Tridentini, Sess. 13. cap. 4., ubi verbis supra a nobis laudatis colligit, transsubstantiationem ex verbis institutionis Christi, nempe, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus:* sed hæc collectio et illatio non esset legitima, si verba consecrationis possent esse vera, remanente panis et vini substantia: igitur falsum est quod sensus speculativus illorum verborum non connotet veram conversionem panis in Corpus Christi. — **Nego minorem:** siquidem Concilium colligit transsubstantiationem tantum ex sensu practico, prout Ecclesia ea verba semper intellexit; non enim censet Concilium eumdem esse Articulum fidei, quod Christus sit realiter præsens in Eucharistia, et quod fiat transsubstantiatio; nam *præsentiam* docet Tridentinum cap. 1. *Transsubstantiationem* autem cap. 4., præsentiam definit Can. 1. Transsubstantiationem autem Can. 2. Et quidem præsentiam, Christus, inquit Concilium, disertis ac perspicuis verbis testatus est, nam ut ait cap. 1., ibi: *Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac Sanguinem suum disertis ac perspicuis verbis testatus est.* At vero de transsubstantiatione non sic loquitur Concilium, sed, ut supra audivimus, *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit,* idest, quia Christus disertis ac perspicuis verbis testatus est præsentiam sui Corporis sub specie panis, *ideo persuasum semper fuit,* etc. idest, ideo Ecclesia, edocta a Spiritu sancto, verba Christi, tametsi possent absolute esse vera in sensu non conversivo, tamen semper intellexit in sensu conversivo, et declarat sic esse intelligenda: igitur ex verbis Christi præcise, secluso hoc intellectu, et declaratione Ecclesiæ, non habetur, nisi probabile argumentum. Unde optime Subtilis Doctor, in 4. dist. 10. qu. 1. num. 9. *Quantum ergo ad istum Articulum* (scilicet realem præsentiam Christi in Eucharistia sine mutatione locali) *non videtur necessarium fugiendum esse ad conversionem panis in Corpus Christi præcipue, cum a principio, ex quo res hujus Sacramenti fuit credita, fuit semper creditum, quod Christi Corpus non mutatur de loco suo in cœlo, ut sit hic, et tamen non fuit a principio ita manifeste creditum de ista conversione.* Puta, quia præsentia *ex disertis ac perspicuis verbis*, conversio autem ex auctoritate Ecclesiæ, verba illa sic interpretantis, quæ interpretatio non fuit a principio ita manifesta sicut post condemnatum Berengarii errorem.

Objicit S. Thomas, 3. parte qu. 75. art. 2. Christo in Eucharistia debetur cultus latriæ: sed si ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idololatriam, adorando creaturam. — **Respondet Doctor Subtilis**, 4. dist. 11. qu. 3. num. 9. *Modo non est idololatra, qui adorat Christum in Eucharistia; et tamen non potest negari, quin sit ibi creatura aliqua, scilicet species illæ. Sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus. Et eodem modo tunc dicitur Christum contineri sub pane quanto, et quali, et ita non panem adorari, sed Christum contentum in pane ut in signo.* Prævenienque replicam, *Et si objicias*, inquit, *saltem simplices, qui non sic distinguunt, essent idololatræ. Dico quod ita potest nunc argui contra te, quia simplices non distinguunt accidentia illa a Corpore Christi. In omnibus autem talibus est una responsio; quia simplices adorant in fide Ecclesiæ* (idest, adorant quod Ecclesia adorat) *et hoc sufficit eis ad salutem. Majores autem distincte adorant contentum, non signum continens, et hoc sive signum continens sit accidens tantum, sive substantia panis cum accidente.* Quæ utique solutio est clarissima.

Urgebis: Eucharistia debet primo significare Corpus, ut primum significatum: sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationem primi significati. — **Respondet Doctor** *supra:* « Quod est ad op- « positum, quia, si esset hic substantia panis, illa duplex significatio « esset vera, scilicet naturalis, qua accidentia significant substantiam « panis; et illa quæ est ex institutione divina, qua sensibile significat « Corpus Christi: sed nunc non potest salvari, nisi præcise altera « vera ». *Et post pauca:* « Respondeo ergo, quod primum significatum « ex institutione debet esse Corpus Christi; et ita est, sive maneat « substantia panis, sive non: sed primum significatum accidentium, « quod scilicet naturaliter significant, semper est substantia illa, « quam primo affecerunt, vel nata essent afficere, quia illa signifi- « catio naturalis non mutatur ».

Objicies 2: Tollitur debitus usus Sacramenti; quia si maneret vere substantia panis, ipsa esset vere cibus corporalis: hujus autem Sacramenti usus est, quod sit cibus spiritualis. — « **Non valet** *(in- « quit Doctor noster supra* num. 10.) quia modo manifestum est, quod « illæ species nutriunt, secundum Apostolum, 1. Cor. 11. vers. 21. *Et « alius quidem esurit, alius autem ebrius est;* et hoc ex perceptione « specierum sacramentalium; et tamen non negatur hic esse cibum « animæ; tamen datur ipsum contentum sub nutrimento corporali; et « ita si poneretur panem manere, esset ibi nutrimentum corporale, et « tamen contentum sub illo esset tantum nutrimentum animæ ». *Ita Doctor.*

Instabis: Si substantia panis perseveraret sub speciebus, vel annihilaretur, et non converteretur, verius diceretur; *Hic est Corpus,* quam, *Hoc est Corpus:* ergo, ut verba consecrationis sint vera, etiam secundum sensum speculativum, necessario debet fieri transsubstantiatio. — **Respondet Doctor** n. 10. utrumque posse dici: *Verum est enim,* inquit, *quod,* Hoc est Corpus meum, *et,* Hic est Corpus meum. *Sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eodem modo, si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset Corpus, sed hoc quod est contentum sub pane est Corpus.* Ne autem quis existimaret,

ipsum asserere, formam consecrationis posse concipi his verbis, *Hic est Corpus meum;* statim subdit Doctor: *Maluit autem Salvator uti* hoc *vocabulo, quam* hic, *quia magis exprimitur veritas, licet utrumque dictum esset verum.* Magis inquam exprimitur veritas hujus mysterii per pronomen *hoc*, quam per particulam *hic*. Quoniam ly *hoc* demonstrat ipsam rem primo, quia particula *hic* demonstrat ratione loci: Christus autem non est sub speciebus, ut in loco, licet sit in loco specierum, seu ubi sunt species. — Ex his itaque sequitur vocabula ista, *Hoc est Corpus meum,* secundum sensum practicum, et prout illa usurpat Ecclesia, revera denotare transsubstantiationem. Licet enim alius eorum posset esse sensus, ita quod, inquit Doctor, aliquis dicere posset per pronomen, *hoc,* non demonstrandum panem, si maneret, sicut nec per idem pronomen nunc demonstrantur accidentia, sed contentum sub pane, scilicet Corpus Christi, cum etiam hoc pacto ista propositio potuisset esse vera, si Christus decrevisset panem mansurum cum Corpore suo; tamen simpliciter intellectus ille falsus est; non enim sic Christus instituit, nam hoc Sacramentum sic institutum est, ut signatum ejus non esset cum pane, sed solum cum accidentibus, inquit Doctor. Et ultra quod iste intellectus facile concipitur ex verbis ipsis; rursus accedit auctoritas Ecclesiæ; *Eo enim spiritu,* inquit eleganter, et notanter idem Doctor, *expositæ sunt Scripturæ, quo conditæ. Et ita supponendum est, quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum elegit, quia solus verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis; sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis.* Neque enim putandum est (inquit noster Bosco) Doctorem aliquid detrahere voluisse veritati verborum consecrationis, quibus ponitur Christi Corpus in Sacramento, non tantum vere et realiter, sed etiam per transsubstantiationem. Licet enim, ut dictum est, et ut notavit ipse, potius inquirendo veritatem, et opponendo, quod protervus aliquis posset opponere, detorqueri possent illa verba ad alium intellectum; tamen intellectus transsubstantiationis simpliciter verus est. Et hoc est quod intendit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 4. ex verbis Christi in Ecclesia Dei semper persuasum fuisse, fieri transsubstantiationem panis in Corpus Christi, quasi scilicet Ecclesia Spiritu sancto inspirata elegerit hunc sensum verborum, qui solus ex veritate instituentis verus est. — Nec inficeretur Doctor, quod addunt alii, scilicet hunc eumdem intellectum manifeste satis ex verbis deduci, quia is magis est proprius; videtur enim, quod pronomen, *hoc,* non potest applicari, nisi rebus, quæ vel natura sua, vel arte, et usu alias continent, cujusmodi non est panis: unde si simul cum Corpore Christi panis maneret, non ita recte diceretur, *Hoc est Corpus meum.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM SIT ACTIO TRANSSUBSTANTIATIVA, AN SCILICET PRODUCTIVA, VEL SOLUM ADDUCTIVA CORPORIS CHRISTI SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS.

NOTANDUM 1. In Transsubstantiatione intercedere actionem aliquam, quæ ex parte dicitur *transsubstantiatio activa*, cui ex parte panis et vini correspondet *transsubstantiatio passiva:* id enim modus loquendi Patrum et Conciliorum aperte declarat; utuntur enim nomine transelementationis, mutationis conversivæ, transitus unius substantiæ in aliam; unde hoc Sacramentum appellant opus Omnipotentiæ divinæ, et ad illud explicandum usurpant exempla Creationis, Incarnationis, et conversionis aquæ in vinum, quæ omnia quamdam actionem denotant. *Insuper*, per transsubstantiationem fit hic aliquid de novo, quod antea non erat, tum circa substantiam panis et vini, quæ desinunt esse sub speciebus Eucharisticis, tum circa Corpus Christi, quod sub ipsis fit præsens, cum antea non esset; quæ utique omnia actionem aliquam denotant. — Sed controvertitur inter Theologos, quæ et qualis sit illa actio. Circa quam dirimendam controversiam, varia sunt eorum placita; quidam enim existimant, actionem illam esse conservationem Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, virtute verborum continuatam, et repetitam, quæ illa produceret de novo in rerum natura, nisi jam aliunde producta essent. Ita Suarez disp. 40. sect. 4. ubi plures laudat ex veteribus, et recentioribus Theologis, qui eamdem sententiam tueri videntur. Thomistæ communiter cum Cajetano contendunt, transsubstantiationem veram esse Corporis et Sanguinis Christi productionem, non quidem simpliciter loquendo, sed sub novo modo essendi, sive sub speciebus Eucharisticis. Quam utique sententiam pariter docet Doctor noster Quodlibeto 10. licet aliam in 4. dist. 11. q. 3. et 4. proponat, nempe actionem illam non esse productivam, sed dumtaxat adductivam Corporis Christi sub species Eucharisticas; quæ ideo ad solam præsentiam localem formaliter terminetur; in quam utique sententiam cum ipse magis inclinet, inde fit, quod omnes pene illius Discipuli eamdem tueantur. Quibus subscribunt Bellarminus, lib. 3. *De Euchar.*, cap. 18. Vazquez., disp. 181. et plures alii Moderni.

NOTANDUM 2. Ex Doctore, in 4. disp. 13. qu. 1. n. 12. actionis nomen quinque modis usurpari: *primo*, quidem pro operatione, puta pro intellectione, vel volitione, quæ dicitur operatio, tametsi in rei veritate sit qualitas. *Secundo*, pro respectu producentis ad productum, puta patris ad filium. *Tertio*, pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, puta ignis ad calorem inductum in lignum; et actio sumpta his duobus modis et respectus intrinsecus adveniens; et sic proprie est in genere Relationis. *Quarto*, pro re acta includendo esse ab alio; et sic actio non constituit unum ens per se, quia connotatum ejus est semper ens aliquod absolutum, utpote quantitas, vel qualitas, quæ ex 3. Phys. textu 19. est opus et finis, seu actus activi et passivi: activi ut ab ipso, passivi ut est in ipso; id autem quod principaliter significatur, est esse ab alio, scilicet a producente, vel ut

inducente, vel transmutante; et quidem ab alio, ut producente vel inducente, dicit respectum intrinsecus advenientem; ut autem a transmutante, dicit respectum extrinsecus advenientem. *Quinto*, pro respectu transmutantis ad transmutatum, juxta illam descriptionem libri Sex Principiorum cap. *De actione: Actio est secundum quam in illud, quod subjicitur, agere dicimur:* et actio hoc modo sumpta est respectus extrinsecus adveniens, constituitque prædicamentum Actionis, ut ibi fuse probat Doctor.

NOTANDUM 3. Conversionem esse transitum unius rei ad aliam; unde Subtilis Doctor transsubstantiationem sic definit, in 4. dist. 11. qu. 1. n. 2. *Transitio totalis substantiæ in substantiam;* in quo distinguitur a generatione substantiali, quæ secundum Aristotelem 1. *De generatione*, tex. 10. et 24. *Est transmutatio totius in totum: Quia*, inquit Doctor, *illud totum ex partibus, quod fuit vere totum scilicet per se unum, non manet, sed aliud totum succedit, non tamen quælibet pars succedit; quia materia manet communis secundum ipsum;* in transsubstantiatione autem nulla pars substantiæ manet communis, sed substantia tota, et talis collective, quæ fuit in termino *a quo*, transit in terminum *ad quem*. Porro ad veram et perfectam conversionem tres desiderantur præcipue conditiones: *prima*, quod illa fiat inter duos terminos positivos, seu inter duas res, quarum una sit terminus *a quo*, et altera sit terminus *ad quem;* in omni enim conversione debet aliquid transire in aliud. *Secunda* est, quod terminus *a quo* conversionis aliquo modo esse desinat, et terminus *ad quem* aliquo modo incipiat esse de novo, tamquam quid succedens in locum illius, quod esse desinit. *Tertia* est, ut sit aliqua cognatio et dependentia inter desitionem unius, et successionem alterius; ita ut desitio termini *a quo* sit inceptio termini *ad quem*, quatenus hic vi desitionis prioris termini succedit in locum ipsius; nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quæ dici posset conversio; sed essent duæ actiones per accidens se concomitantes, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur; unde si Deus annihilaret unum Angelum, et in eodem loco alterum crearet, non fieret conversio prioris Angeli subsequentem propter defectum hujus connexionis et dependentiæ. Contigit autem aliquando connexionem illam esse necessariam et naturalem propter oppositionem formarum sibi succedentium in eodem subjecto, qualis reperitur in generatione et corruptione, et in omnibus alterationibus; aliquando vero hæc dependentia tantum pendet ex voluntate divina, ut contingit in transsubstantiatione, in qua termini *a quo* et *ad quem* non sunt oppositi, sed tantum disparati; proindeque sibi succedentes tantum non naturaliter, sed ex divina ordinatione.

Conclusio unica.—PROBABILIUS EST, CHRISTI DOMINI CORPUS FIERI PRÆSENS SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS, ET PANEM CONVERTI IN SUBSTANTIAM CORPORIS CHRISTI, PER ACTIONEM ADDUCTIVAM, QUAM PER PRODUCTIVAM. Ita Doctor in 4. dist. 11. q. 3. n. 23. et q. 4. n. 15.

Probatur primo, quia, inquit Doctor q. 5. n. 1., transsubstantiatio fieri non posset per actionem productivam, quin panis fieret Corpus Christi, vel Corpus Christi fieret ex pane: sed neutrum dici potest, « quia *inquit Doctor*, panis nec fit, nec factus est, nec fiet Corpus Christi,

« nec e converso; et ratio istorum est, quia *fieri*, quando prædicatur « secundum adjacens, prædicat *fieri* simpliciter ejus, de quo dicitur, « et sic non conjungit aliquod oppositum ipsi subjecto, sicut panis « fiebat, quando coquebatur, et hic Corpus fiebat, quando in utero « Virginis formabatur; sed quando *fieri* prædicatur tertium adjacens, « tunc denotat subjectum fieri secundum formam prædicati: sed panis « pro nulla differentia temporis fit secundum formam prædicati, sci- « licet Corporis, nec e converso. Et patet illud in simili per oppositum, « ideo enim hæc est vera, *homo fit albus*, quia *hic homo* fit sub forma « albedinis; et per oppositum hæc est impossibilis, *homo fit asinus*, « et hoc, loquendo stricte de virtute sermonis; sic videtur esse in « proposito ».

Secundo, per transsubstantiationem Eucharisticam Corpus Christi tantum acquirit esse accidentale, et locale, nempe esse præsens sub speciebus Sacramentalibus: sed ad id sufficit actio adductiva ipsius Corporis ad illas species: ergo ad transsubstantiationem sufficit adductio. *Minor constat;* ut enim corpus aliquod sit alicubi præsens, non est necesse, quod ibi de novo producatur, sed tantum quod ibi constituatur. *Minor autem probatur*: istud solum acquirit Corpus Christi per transsubstantiationem, quod verba consecrationis efficiunt: sed nihil aliud efficiunt, quam quod significant; nec aliud significant, quam præsentiam Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis, et desitionem substantiæ panis et vini: igitur ad id sufficit actio adductiva.

Tertio, ea sententia in explicandis mysteriis videtur esse probabilior, et magis recipienda, quæ minores difficultates involvit; et hujusmodi mysteria captu et intellectu faciliora cuilibet fidelium ostentat: at ita est de adductione Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis; nemo enim est tam rudis et agrestis, qui facile non concipiat Deum per suam omnipotentiam posse constituere unum et idem corpus in duobus locis, ita ut fiat præsens uni loco, non deserendo alterum; ac subinde facile concipiet Deum posse constituere Corpus in Sacramento, non quidem deserendo locum, quem in cælo obtinet, sed acquirendo novam præsentiam sub speciebus Eucharisticis: vix autem potest concipi, quomodo idem corpus revera existens, et habens id omne, quod ad sui constitutionem et complementum desideratur, iterum censeatur produci.

Confirmantur hæ omnes rationes: Si Corpus Christi denuo produceretur per transsubstantiationem, vel acciperet novum esse substantiale et entitativum, vel dumtaxat novum esse locale et Sacramentale: *primum* dici nequit; ut enim res aliqua accipiat novum esse entitativum, necessum est, quod transeat ab illo non esse ad illud esse; nihil enim producitur secundum id, quod jam est, siquidem productio entitativa et substantialis connotat existentiam, quæ acquiritur; res autem, quæ jam existit, alteram existentiam suscipere non potest; ac subinde, si Corpus Christi producatur per transsubstantiationem, necesse est, quod dumtaxat producatur secundum esse locale et Sacramentale: sed ad illud novum esse sufficit actio adductiva: igitur ad id non opus est actione productiva.

Objiciunt primo Thomistæ, necnon et nonnulli Scotistæ varias auctoritates SS. Patrum expresse dicentium, quod in consecratione

Corpus Christi fiat de pane. Sic S. Ambrosius, lib. 8. *De Sacramentis*, cap. 4. *Ubi accesserit consecratio, de pane fit Corpus Christi.* Sic pariter S. Hieron. Epist. ad Heliodorum, explicans Sacerdotum dignitatem, scribit: *Qui Christi Corpus sacro ore conficiunt.* Unde S. Ephremius Sacerdotium appellat *stupendum miraculum, omnium ornamentum præstantissimum, bonorum omnium, quæ in hominibus sunt, apicem, divinum quoddam, omniumque, quæ inter homines expetuntur, velut extremam metam.* Hinc etiam celebratur illa sententia, quæ S. Augustino et S. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur!* Sicut ergo Deipara Virgo Verbum concepit in utero, ut lepide expendit Bernardus, Homil. 4. super *Missus est*, ubi sic eam alloquitur: *Responde. Virgo, verbum, et suscipe Verbum, profer tuum, et concipe divinum, emitte transitorium, amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, suscipe. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori.* Quibus verbis significat B. Virginem operationem habuisse in formando Christo: igitur similem etiam habent Sacerdotes, dum quotidie Christi Domini Corpus verbis consecratoriis producunt, ac subinde Corpus Christi in Eucharistia accipit novum esse per actionem productivam. — **Respondet Doctor**, q. 5. n. 2. particulas *de*, et *ex* non absolute denotare, quod unum revera producatur ex alio, sed tantum quod unum succedat in locum alterius desinentis: *Accipiendo*, inquit, *utrumque extremum*, panem scilicet et Corpus in recto, *non oportet alterum de altero prædicari. Si ergo vera debet esse prædicatio, oportet eorum alterum in obliquo accipere, denotando ordinem extremi ad extremum; et hoc potest esse dupliciter, vel cum hac præpositione* ex, *vel* de, *addendo ad terminum a quo, sicut dicit Philosophus* 2. *Metaphys.*, cap. 3. quod ex mane fit meridies, et non e converso, *et hoc modo potest concedi*, quod ex pane, vel de pane fit Corpus Christi. *Alio modo addendo termino ad quem hanc præpositionem*, in, *quæ denotat ipsum esse terminum ad quem, hoc modo, panis transit in Corpus Christi.* — Et si quæras, quæ sit magis propria ex illis duabus locutionibus, audi quod sequitur. *Et omnes*, inquit, *aliæ locutiones de virtute sermonis ad aliquam istorum reducuntur, sed secunda est magis propria, quia non denotat aliquid commune manere, sicut aliquo modo denotat ista propositio*, ex, *secundum proprium modum recipiendi*, ex; *non enim ex opposito fit oppositum, nisi quia ex subjecto communicatur utrique, secundum* Philosophum 1. *Physicorum*, 1. *de generatione, et* 2. *Metaphysicæ*. Hæc Doctor. Qui ibidem n. 1. respondet hanc conversionem non vere significari per verbum *essendi*, neque per verbum *posse*, vel *possibile*, ut si dicas: *Panis est*, vel *potest esse Corpus Christi, fuit*, vel *erit*. Ratio est, *Quia esse notat unionem extremorum essentialem, vel accidentalem pro illo tempore, quod assignat, sed pro nulla temporis differentia habent hæc extrema unionem essentialem, sed pro omni instanti, pro quo natum est, et aliud non est.* Et tamen ita loquitur S. Ambrosius, lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 4. ubi ait: *Quomodo potest, qui panis est, Corpus esse Christi? Consecratione.* Similiter Berengarius in sua confessione, quæ habetur *De Consecr.*, dist. 2. cap. 42. dicens *panem et vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, non solum Sacramentum, sed*

etiam verum Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse. Sensus igitur istarum et similium propositionum est: panis transit, seu convertitur, vel est conversus in Corpus, et vinum in Sanguinem Christi. — Monet quoque Doctor supra n. 1. cavendum esse, et bono sensu explicandam hanc propositionem: *Panis mutatur in Corpus: Quia,* inquit, *non est hic mutatio, ut dictum est in* 1. q. *istius distinctionis; transire autem, seu verti abstrahit a ratione mutationis, quia ponunt habitudinem termini ad terminum, non importando subjectum commune manere.* — *Nec obstat,* quod SS. Patres his loquendi formulis utantur; idcirco enim transsubstantiationem appellant mutationem, aut aliquid hujusmodi, quia, licet in Eucharistia non remaneat materia prima per modum subjecti communis substantiæ panis et Corporis Christi, manent tamen accidentia communia utrique substantiæ, sub quibus ad desitionem substantiæ panis succedit Corpus Christi; non quidem ex natura rei, ut fit in mutationibus naturalibus, sed ex voluntate et ordinatione Dei. Quod si aliquæ SS. Patrum sententiæ expresse significarent Corpus Christi revera produci per consecrationem, intelligendæ essent non de productione Corporis Christi simpliciter, sed de productione secundum esse Sacramentale, et quatenus Corpus Christi una cum speciebus Eucharisticis dicit aliquod totum, quod revera de novo producitur, fit, et creatur. Certum enim est, quod ante transsubstantiationem nec Christi Domini Corpus cum speciebus, nec species cum Corpore totum aliquod constituebant, ac subinde verum est, quod totum illud de novo producatur.

Objiciunt 2. Transsubstantiatio sive conversio substantialis debet habere pro formali termino *ad quem* aliquid substantiale; siquidem a tali termino substantiali denominatur: at terminus *ad quem* actionis adductivæ Corporis Christi non est substantialis, sed accidentalis; nam hujusmodi terminus est præsentia Sacramentalis, quæ nihil aliud est, quam respectus extrinsecus adveniens, quem Corpus Christi dicit ad species Sacramentales: igitur transsubstantiatio consistere nequit in sola adductione. — **Negat minorem Doctor,** dist. 11. q. 3. n. 23. quia substantia Corporis Christi succedit substantiæ panis; non enim panis convertitur in præsentiam Corporis, sed in ipsummet Corpus Christi, licet sola præsentia Sacramentalis revera habeat esse de novo. « Potest dici; *inquit Doctor,* quod transsubstantiatio (hoc stante quod « sit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ) potest duobus modis « intelligi: uno modo, quod sit ad substantiam, ut per ipsam acci- « pientem esse. Alio modo, ut sit ad substantiam, ut per ipsam acci- « pientem esse hic. *Prima* potest dici productiva sui termini ad quem; « *secunda* adductiva, quia per ipsam adducitur terminus, ut sit hic. « Et sub aliis verbis, potest esse, vel ad entitatem sui termini, vel « ad præsentialitatem ejus pluribi, seu in pluribus locis ». Sane tametsi voluisset, non potuisset Doctor clarioribus verbis exprimere omnem prorsus transsubstantiationem esse inter terminos positivos, qui sunt substantiæ. *Hoc,* inquit, *stante,* idest, tamquam indubitato præsupposito, *quod sit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ.* Ergo transsubstantiatio Sacramentalis, occasione cujus Doctor hæc pertractat, et latius discutit, ex mente ipsius consistit inter duas substantias, *panem* scilicet, et Corpus Christi; sic tamen quod Corpus Christi per eam

de novo non producatur. Unde illud subjungit verbis præallegatis: *Transsubstantiatio primo modo non potest esse ad substantiam, quæ præfuit, quia non videtur posse poni in substantiam manentem secundum suum esse antiquum.*

« Et si objiciatur, *inquit Doctor* ibid. quod ista secunda non est « transsubstantiatio, quia terminus ejus non est substantia ut substantia, « sed est ista præsentia, quæ accedit substantiæ; sola enim illa ac- « quiritur per istam actionem; et præterea tunc erit terminus *ad quem*, « per transsubstantiationem alicubi, ubi prius non fuit, cujus opposi- « tum probatum est in dist. 19. q. 1. Et propterea tunc quot essent « hic præsentia, tot essent præsentialitates, et per consequens tot « conversiones; multa autem sunt in Christo, quorum quodlibet est « hic præsens: ergo sunt multæ conversiones. — **Ad primum potest** « **dici**, quod substantia est terminus ipsius transsubstantiationis secundo « modo sumptæ, quia ipsa substantia succedit substantiæ; non tamen « habet *esse* substantiale novum, sed tantum præsentiam novam. *Ad* « *secundum* dico, quod transsubstantiatio primo modo dicta non facit « terminum *ad quem* esse, ubi non præfuit, et ita debet intelligi con- « clusio probata dist. 10; sed transsubstantiatio secundo modo dicta « includit mutationem quamdam ad simplicem præsentiam circa ter- « minum *ad quem;* et ratione istius bene potest terminus ad quem « esse per illam, ubi non præfuit. *Ad tertium* potest *dici,* quod non « est ibi, nisi unicum primo præsens, scilicet illud, quod est primum « signatum hujus signi; alia autem præsentia, vel sunt partes ipsius, « vel concomitantia ipsum; conversio ergo est unica, quia unius sub- « stantiæ panis prius præsentis istis speciebus in unum Corpus, ut « præsens ejusdem »: Ita Doctor; quibus significat, ad rationem trans- substantiationis satis esse, quod una substantia succedat alteri desi- nenti, sive illa interior desitio et successio fiat ex natura rerum in- vicem incompossibilium, sive dumtaxat ex ordinatione divina.

Urgent adversarii: Sola successio unius substantiæ loco alterius est tantum veluti translocatio, non vero transsubstantiatio; nam si Petro per mortem sublato Paulus ejus loco substitueretur, fieret quidem successio, sed non conversio, sive transsubstantiatio unius in alium: igitur sola successio unius substantiæ in locum alterius desinentis non est vera et proprie dicta transsubstantiatio. — **Distinguo majorem:** sola successio unius substantiæ loco alterius non est vera transsub- stantiatio, quando substantia desinens tantum recedit, ut succedenti locum cedat, *concedo:* quando ita desinit, ut ad ejus desitionem alia fiat præsens per conversionem prioris substantiæ in ipsam, *nego.* Et similiter *distincta minore, neganda est consequentia;* ita enim ponitur Christi Corpus sub speciebus Eucharisticis, ut ad ejus positionem desinat omnino panis, et in ipsum convertatur; unde ibi non fit so- lum translatio unius Corporis in locum alterius, sed est vera trans- substantiatio.

Urgent: Ad veram conversionem substantialem seu transsubstan- tiationem requiritur, quod terminus *ad quem* habeat incompossibili- tatem cum termino *a quo;* alioqui posset terminus *a quo* in se rema- nere, quod repugnat ipsius conversioni ad terminum *ad quem:* sed si conversio panis in Corpus Christi esset tantum adductiva, terminus

ad quem illius, nempe Corpus Christi præsens, non haberet incompossibilitatem cum substantia panis; siquidem terminus *ad quem* illius adductionis esset tantum præsentia Sacramentalis Corporis Christi, quæ, cum sit indivisibilis et inextensa, non habet incompossibilitatem cum altera substantia extensa, sed similis est illi, qua Angelus fit præsens loco: igitur sicut Angelus per hoc, quod adducatur sive transeat in aliquem locum, non propterea expellit substantiam corpoream, quæ est in illo, ita neque Corpus Christi si tantum fieret præsens per adductionem sub speciebus, haberet incompossibilitatem cum substantia panis, nec postularet illam expellere. **Respondet Doctor** n. 24. quod isti termini sunt incompossibiles eo modo, quo terminant, seu ea ratione, qua sunt termini, quia sic non sunt simul, licet de potentia absoluta Dei possent esse simul: sicut licet Deus possit facere aërem simul cum igne de potentia absoluta, tamen aër succedit igni, quia naturaliter sunt incompossibiles in simul essendo. Ita Doctor; quibus significat, quod etsi substantia panis et Corporis Christi non sint incompossibiles ex natura rei, tamen sunt incompossibiles ex ordinatione Dei volentis, ut substantia panis desinat, et mutetur in Corpus Christi. — Ex his sequitur, transsubstantiationem non solum esse præsentiam localem, quæ de novo producatur, sed terminum illius actionis transubstantiativæ esse ipsummet Christi Domini Corpus, ut præsens, ut docet Doctor, in 4. dist. 10. n. 10. ubi *ait:* « Ad propositum, mutationem deperditivam illius *ubi* de cælo nullus ponit in Corpore « Christi, secundum Augustinum supra adductum, *donec sæculum fi-* « *niatur sursum est Dominus.* Et hoc intelligendo regulariter, nisi « placeret sibi ex aliqua gratia speciali localiter descendere, quod non « ponitur fieri propter veritatem Eucharistiæ. Oportet tamen ponere « ad salvandam realem præsentiam Corporis Christi hic, quod in ipso « sit aliqua præsentia ad speciem panis, quæ prius non fuit, alioquin « non magis esset præsens hic, quam prius. Illa enim mutatio, quæ « est circa species, scilicet, quod prius erant in subjecto, nunc autem « non sunt in subjecto, nihil facit ad hoc, quod Corpus Christi de « non præsente istis fiat realiter præsens istis, quia illa habet alios « terminos per se ab illa, qua non præsens fit præsens ». *Ubi,* ut optime notat Bosco, *Doctor Subtilis docet primo,* Corpus Christi per transsubstantiationem non perdere necessario præsentiam localem circumscriptivam, quam habet in cælo. — *Secundo,* agnoscit necessitatem alicujus præsentiæ ad speciem panis, quæ prius non fuit, ratione cujus nunc magis Christus sua substantia nobis adsit, quam prius. Et sane existentiam Christi in Sacramento rectissime appellari præsentiam testatur Concilium Trid., Sess. 13. c. 1. hisce verbis: *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.* — *Tertio,* asserit Doctor, Corpus Christi non fieri formaliter præsens per destructionem substantiæ panis; quod verissimum esse clare ostendit ratio subjuncta; *Quia illa habet alios terminos per se ab illa, qua non præsens fit præsens.* Patet, quia per destructionem præsens fit non præsens: *Ergo,* infert Doctor, *necesse est ponere aliquam mutationem in Corpore Christi requisitivam illius præsentiæ novæ.*

Sed numquid mutationem localem, cujus terminus *ad quem* est præsentia localis? Noli sic loqui, sed magis cum Doctore affirma, eam mutationem non posse dici proprie mutationem localem propter duo: tum quia eam non concomitatur aliqua deperditio prioris ubi, sicut communiter est in motu locali, quia ibi terminum positivum *a quo*, et terminum positivum *ad quem* concomitantur duæ privationes, eo modo, quo Philosophus dicit 5. Physicorum, quod *Motus est a subjecto in subjectum:* tum etiam quia hic proprie terminus istius mutationis non est *ubi*, quia in termino mutationis hujusmodi Corpus Christi non habet hic proprie ubi, sed terminus est quædam præsentia simplex ipsi speciei, vera tamen et realis: terminus autem mutationis localis proprie acceptæ est ipsum *ubi*. Vellem scire, an evidentioribus verbis Adversarii possent negare præsentiam Sacramentalem esse præsentiam proprie localem? Non puto.

« Et si quæras (prosequitur Doctor, num. 11.) ad quod genus per« tinet hæc mutatio, et terminus istius mutationis? Dico, si Angelus « ponitur de novo præsens alicui corpori, dicitur quidem esse in loco « definitive, eo modo, quo sibi potest convenire esse in loco, et sic di« citur mutari, licet illa mutatio multum distet a vera mutatione se« cundum *ubi* », scilicet *circumscriptivum*, quod solum videtur Doctor hic appellare præsentiam proprie localem. Absit autem, ut talem præsentiam attribuamus Corpori Christi in Eucharistia. An ergo præsentiam Angelicam? *Adhuc*, (ait Doctor) *quantum ad aliquas conditiones præsentia Corporis Christi speciei*, idest, qua Christi Corpus præsens est speciebus, *magis recedit a vera ratione* ubi, *quia nullo modo per istam præsentiam determinatur sic ad unum* ubi, *quod sibi repugnet aliud. Sed Angelus per unum* ubi *sic determinatur ad illud, ut sibi repugnet aliud*. Hæc est una conditio discrepantiæ.

Alia autem ratio differentiæ est, quod, cum Angelus sit substantia pure spiritualis, nequit loco circumscribi; unde sic est in toto loco, ut etiam sit in singulis ejus partibus; nec etiam per divinam potentiam aliter esse possit, quoniam non habet partes extra partes, nec in ordine ad locum, nec in ordine ad se. Secus est autem de Corpore Christi Domini quod, cum sit res materialis, constans diversis partibus extra se mutuo positis, inde fit, quod naturaliter postulet diversas partes Corporis circumscribentis, quibus illud correspondeat. Unde dum in Sacramento totum est sub singulis speciebus, et sub qualibet earum particula, hæc positio non est ipsi connaturalis, sed supernaturalis; ac subinde Christi Domini Corpus non est præsens sub speciebus Eucharisticis præsentia locali, etiam definitivo modo, quemadmodum Angelus est in loco, sed præsentia Sacramentali, quæ omnino præternaturalis est, nec ullum proprie habet exemplum in rebus naturalibus.

Qualis sit autem hæc Sacramentalis præsentia, pergit Doctor explicare num. 11., ubi sic scribit: « Et si habeas pro inconvenienti ali« quam mutationem qualemcumque in Corpore Christi realiter esse: « *Dico*, quod necesse est ponere saltem aliquem respectum extrinsecus « advenientem, qui scilicet non necessario sequatur fundamentum, et « terminum posita in actu, quia omnis respectus sic consequens, ne« cessario est intrinsecus adveniens, ut ostensum est in qu. 2. *De*

« *Charactere*, contra primam opinionem: ergo respectus potest advenire extrinsecus de novo, sine alio quocumque novo, vel in fundamento, vel in termino. Sic ergo non est inconveniens Corpus Christi esse de novo præsens alicui non habenti novam formam absolutam, nec novum respectum ejus, vel si habet hujusmodi novum respectum, pari ratione et Corpus Christi habebit novum respectum ejus, quia si species sunt de novo præsentes Corpori Christi, et Corpus est de novo præsens eis (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio mutua), non erit tunc inconveniens dare in Corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecus advenientem.

« *Et si objicias*, ad respectum non est mutatio; solutum est in quæstione *De Charactere*. Et si omnino arguas, ille respectus extrinsecus adveniens, qui dicitur *præsentia simplex*, ad quod genus pertinet? Potest dici, quod magis proprie reducitur ad genus *ubi* inter omnia genera respectuum extrinsecus advenientium, quia in pluribus cum illo respectu convenit; et si forte non sit proprie in genere, sequitur, quod decem genera sufficienter non evacuarent totum ens. Quod non est inconveniens eo modo, quo Philosophi loquuntur de rationibus eorum, quia non repugnat sub ente invenire aliquem respectum, puta Angeli ad lapidem, qui non habet aliquam rationem respectus in genere, ut ipsi loquuntur, non tamen sequitur ex hoc plura genera esse, quam decem, sed quod rationes eorum, vel ratio alicujus eorum non assignatur sub ratione communi, sicut potest assignari ». In quibus Doctor tria concludit (inquit Hiquæus, in *Commentario*, ad hunc locum): *primum* est, non posse salvari præsentiam Christi novam et Sacramentalem sine aliqua mutatione in Christo reali, quia de novo fit hic Christus realiter, ubi antea non fuit: talis autem mutatio non repugnat Christo, quia licet mutatio, *quæ fit* ad corruptionem, non conveniat Corpori glorioso et impassibili, non tamen repugnant mutationes, quoad respectum, qui non infert mutationem substantialem, nam ante Ascensionem habuit plures tales, ut visionis, locutionis, manducationis, loci, post resurrectionem. *Secundum*, quod docet, est, hanc præsentiam et mutationem reduci ad mutationem secundum *ubi*. *Tertium* est, præsentiam illam esse relationem extrinsecus advenientem; de qua ipsum vide dist. 6. qu. ult. Porro in hac littera Doctor tantum disserit de præsentia Sacramentali sub ratione termini acquisiti per mutationem acquisitivam, et non deperditivam, qua præsentia ejus naturalis in cælo destrueretur, quia hæc manet, ut habetur in symbolis fidei, *Sedet ad dexteram Patris*, etc. et Lucæ ult. et ex S. Aug., loc. cit. ut docet Doctor, nisi ex gratia speciali ipse apparere aliquando in terris voluerit, saltem ad Sacramentalem præsentiam acquirendam non deseritur. *Ita Hiquæus.*

Corollaria. — Ex his omnibus sequitur primo, transsubstantiationem fieri a solo Deo, tamquam a causa principali, quippe ille solus potest hoc mysterium efficere, in cujus potentia activa extremum continetur vel ut sit, vel ut non sit simpliciter, seu quantum ad totum suum esse, et quantum ad suum non esse: sed esse totalis substantiæ, et non esse ejusdem soli divinæ potentiæ subjacet; quæ-

libet enim virtus creata subjectum exigit; unde, ut probavimus in Physicis, creatio est solius Dei, nulla siquidem creatura agere potest in non præexistens subjectum: igitur solus Deus potest efficere, ut tota substantia panis transeat in substantiam Corporis Christi. *Nec obstat,* quod agens naturale possit alterare species Sacramentales, et ex eis aliquam substantiam producere, puta cum species illæ corrumpuntur, et ex eis generantur vermes, aut aliquid hujusmodi. Hoc, inquam, non officit, in illis enim generationibus, quæ fiunt ex corruptis speciebus, agens naturale non convertit species illas in substantiam non præexistentem, sed tota hæc conversio fit virtute solius Dei, qui, ut agens generale non deficiens in necessariis, et supplens vices causarum secundarum, ubi earum virtus deficit, producit ipse substantiam novam sub speciebus corruptis. — Fateor tamen cum Doctore, in 4. dist. 13. qu. 2. Sacerdotem celebrantem habere rationem *causæ instrumentalis,* in hac efficienda Transsubstantiatione; nam, inquit Doctor, agens dispositivum dicitur instrumentum respectu effectus producendi, quando habet actionem prævium actioni divinæ productivæ illius effectus: sed Minister est agens dispositivum, habens actionem propriam humanam prævium actioni divinæ, tamquam dispositionem necessariam, non quidem simpliciter, sed ex ordinatione Dei paciscentis cum Ecclesia, quod ad prolationem verborum consecrationis ipse constitueret Christi Corpus realiter præsens sub speciebus Eucharisticis, et transmutaret substantiam panis in ipsum Corpus: igitur Minister habet rationem causæ instrumentalis in hac efficienda transsubstantiatione, non quidem, ut instrumentum attingens terminum et effectum, sed eo modo, inquit Doctor, quo agens prævium dicitur agere instrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit, ita quod ejus actio ea ratione tantum dicitur instrumentalis, quia est dispositio prævia ad effectum, qui per virtutem solius causæ principalis producendus est.

Sequitur secundo, transsubstantiationem fieri in instanti, sive interim illa fiat per adductionem, sive per productionem, mutatio enim triplici ratione potest esse instantanea: *primo,* ex parte formæ, quæ non suscipit magis et minus: *secundo,* ex parte subjecti, quod ad receptionem formæ successive non disponitur: *tertio,* ex parte agentis, non indigentis temporis mora, ut effectum producat: sed his tribus modis transsubstantiatio dici potest instantanea; nam et substantia Corporis Christi, ad quam ista conversio terminatur, non suscipit magis et minus, quippe cum Corpus illud sit gloriosum, incorruptibile et inalterabile. *Insuper,* in hac conversione nullum est subjectum, quod successivis dispositionibus præparari debeat ad formam recipiendam, quippe cum nihil prorsus panis remaneat, quod sit commune subjectum istius conversionis, sed tota illius substantia in Christi Corporis substantiam transeat. *Denique,* hæc conversio fit principaliter ab agente, quod est infinitæ virtutis, et independentis ab omni temporis mora, omnique subjecto in suis extraordinariis effectibus producendis: igitur panis substantia in instanti desinit, et Christi Domini Corpus in instanti advenit, statim ac perficitur formæ consecratoriæ sensus, ita quod ultimum non esse illius prolationis formæ, sit primum non esse desitionis substantiæ panis, et primum esse, ac inceptionis, seu præsentiæ realis Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis.

Sequitur tertio, nihil omnino substantiæ panis remanere sub speciebus, facta consecratione; si enim aliquid ipsius remaneret, maxime vel materia, vel forma, vel existentia, vel subsistentia, aut aliquis modus illius substantialis: sed nihil horum remanet, ut constat ex determinatione Concilii Trid., Sess. 13. cap. 4. et Can. 2. ubi definitur, totam substantiam panis converti in substantiam Corporis Christi, ita ut remaneant dumtaxat accidentia: hoc autem verum non esset, si materia aut forma panis remanerent cum Corpore Christi, falsum enim esset, quod tota substantia panis transiret in substantiam Corporis Christi. *Insuper,* hanc assertionem sigillatim probat et declarat Illustriss. Meurissius noster *De Euchar.*, cap. 5. q. 10. *Primo* quidem, de *forma:* Quia, *inquit,* forma dat esse rei: ergo si forma panis remanet, esse panis remanebit, quod est hæreticum. *Deinde, de materia,* quia si materia remaneat, transsubstantiatio nihil amplius erit, quam generatio, quod implicat. *Patet,* quia in generatione fit successio formarum, eadem manente materia: sed in hoc Sacramento illud idem fieret: ergo nihil amplius esset, quam generatio. *Deinde,* sententia, quæ id asserit, nititur multis falsis principiis, scilicet quod materia panis et materia Christi Corporis sit una, et eadem numero materia; præterquam enim quod hoc est contra rectam philosophandi rationem, sequeretur, inquit Doctor, formam Christi Corporis esse in materia panis ante conversionem; si enim forma Christi Corporis existat actu in rerum natura, et habeat materiam suam numero distinctam a qualibet alia, debebit necessario esse in ea materia; at materia panis est illa numero materia, quæ est materia Corporis Christi: ergo hoc ipso, seclusa omni conversione, materia Corporis Christi erit in materia panis, quod est absurdum. Quod si intelligat Ægidius (cujus est hæc sententia) materiam panis, et materiam Corporis Christi esse ejusdem rationis tantum, exinde nihil concludit, quia non sequitur propterea materiam panis remanere in Sacramento post conversionem. — Non remanet etiam existentia: *tum* quia in sententia Doctoris hæc non distinguitur realiter ab essentia et natura: ergo si hæc omnino desinat, etiam desinere debet existentia: *tum* quia rem corrumpi, vel desinere esse, aut in alterius substantiam transire, nihil aliud est, quam cessare existere: sed hæc pani conveniunt in Eucharistia: igitur ipsius existentia post conversionem non remanet. — Similiter non remanet subsistentia: *tum* quia hæc est modus illius entitatis, quam afficit: ergo desinente propria illa entitate, desinit etiam illius modus: *tum* quia probabilius est subsistentiam nihil aliud esse, quam duplicem negationem communicationis substantiæ, ut probavimus in Metaphysica: igitur pereunte substantia, perit etiam negatio illius communicationis: *tum* quia si subsistentia panis remaneret, maxime vel ut esset verum et proprium subjectum accidentium ejus; et hoc dici non potest, quia de fide est accidentia illa existere sine subjecto vero et proprio; vel ut redderet illa accidentia per se subsistentia; et hoc etiam verificari nequit; repugnat enim naturæ accidentis, utpote cui debetur inesse ex natura rei, quod tamen deberi nequit rei per se subsistenti, quandoquidem inesse et per se subsistere opponuntur. — Tandem non remanet eadem *individualis entitas* panis, ut sustinere videtur Cajetanus post Henricum; non enim potest intelligi quomodo hic panis in singulari in

individuo desinat per hanc numero actionem Sacramentalem, et tamen individualis ejus entitas remaneat post conversionem. *Deinde,* ex eo sequeretur non esse idem Corpus Christi in Sacramento, quod est in cælo. *Patet:* Corpus Christi, quod est in Sacramento, est ipsissima entitas individualis panis, quæ præfuit: sed Corpus Christi in cælo non est ipsa eadem entitas individualis panis, quæ præfuit: ergo Christi Corpus in Sacramento non est illud idem, quod est in cælo. *Addo,* et hanc sententiam non esse intelligibilem, et accedere ad errorem; non potest enim sustineri entitatem aliquam individualem panis remanere post conversionem cum hac exclusiva Concilii Trident. *ita ut accidentia tantum remaneant;* nam in ea sententia non modo accidentia remanerent, sed etiam illa entitas individualis panis.

Eamdem Henrici sententiam impugnat Doctor, dist. 11. q. 4. n. 3. Cum enim contenderet Henricus quodlibeto 9. q. 9. et quodlibeto 11. q. 4. per consecrationem panem non annihilari, sed post conversionem adhuc esse aliquid; non quidem illud, quod præfuit, sed illud, in quod panis conversus est, ita quod illud esse panis post conversionem sit ipsum esse Corporis Christi, in quod conversus est, vel aliqualitas ejus, seu aliquis modus Corporis: ipsam explicationem impugnat Doctor quatuor rationibus: *primo* sic: « terminus mutationis, in quantum « terminus, includit *non esse* alterius termini. Hoc *probatur:* quia in « quantum est terminus, habet aliquam incompossibilitatem ad alium « terminum: ergo, ut est terminus, non includit aliquitatem alterius « termini, nec alterum terminum esse aliquo modo aliquid, quia con- « tradictio est, quod, ut includit non esse ejus, includat aliquitatem « ejusdem. *Secundo:* Quia Corpus Christi nullo alio modo se habet in « se post conversionem, quam ante: ergo nec aliquid alio modo se « habet in ipso: sed panis non conversus nullo modo habet aliquitatem « suam in Corpore Christi, nec aliquitatem Corporis Christi: ergo nec « post conversionem. *Probatio primæ consequentiæ,* esse *secundum quid* « in aliquo est propter *esse* ejus *simpliciter,* quia enim aliquid in se « est tale, ideo sic, vel sic habet aliquid in se, vel *esse* in alio: ergo « non est differentia in modo essendi alicujus in aliquo, nisi propter « differentiam ejus in se. Item cujus est aliquitas, illud etiam forma- « liter est aliquid: si ergo aliquitas Corporis sit nunc ejus, quod fuit « substantia panis: ergo illud, quod fuit substantia panis, est nunc « formaliter aliquid illa qualitate. Quæro quid aliquid? non panis, « quia panis non est: et præterea contradictio videtur, quod aliquitate « corporis sit formaliter aliquid, illud quod est substantia panis; nec « ista aliquitate est illud, quod fuit panis, Corpus, quia quod fuit « substantia panis simpliciter, desinit esse: Corpus simpliciter manet « in eodem *esse,* nec potest dici, quod ista aliquitate est aliquid, nisi « panis, vel corpus. Item, aliquid et res convertuntur, secundum « Avicennam 1. *Metaphysicæ suæ:* cujus ergo est aliqua aliquitas, « illud formaliter est res; et per consequens sequeretur, quod illud, « quod fuit panis, nunc esset res. Res autem secundum istum Doctorem « dicitur dupliciter: uno modo pro re opinabili, ut res dicitur *a reor,* « *reris:* alio modo res rata, prout dicitur a ratitudine. Hac ergo ali- « quitate hoc, quod fuit panis, vel erit res primo modo; tunc sequitur, « quod non magis sit res, quam chimæra, quia chimæra est res ipso

« modo secundum eum; et tunc optime stat cum tali aliquitate anni-
« hilatio panis, sicut si aliquid converteretur in chimæram, vere esset
« annihilatum. Si res secundo modo, tunc ut prius, aut res quidditate
« panis, et tunc panis non est quidditative conversus; aut res quiddi-
« tate Corporis, et hoc est impossibile, propter quidditativam distin-
« ctionem ejus, quod fuit panis et Corporis ».

Sequitur denique, substantiam panis et vini in Eucharistia desinere *per annihilationem*, si Corpus Christi fiat præsens per solam actionem adductivam; desinere vero per *simplicem conversionem*, si Corpus Christi fiat præsens per novam sui reproductionem. Hæc mihi videtur genuina Subtilis Doctoris sententia, ut colligere licet non solum ex quodlibeto 10. art. 3. ubi proponit communiorem sententiam, quod panis non annihilatur in transsubstantiatione, quia ad ejus desitionem producitur de novo Corpus Christi præsens, et sic substantia panis transit in substantiam Corporis Christi; quam utique sententiam approbat, et propugnat; verum etiam ex dist. 11. q. 4. ubi propositis, et impugnatis aliorum sententiis de hac desitione panis et vini, dicit n. 6. « Dico, quod in proposito nihil panis manet post conversionem; se-
« cundo, quod panis non annihilatur, vel quod est facilius, quod
« panis ista conversione non annihilatur ». Quod utique sic probat:
« terminus *ad quem* transitus ipsius panis non est purum nihil: ergo
« panis non annihilatur. *Consequentia probatur*, quia terminus *ad*
« *quem* annihilationis est purum nihil, et hoc probatur a simili: sicut
« terminus *a quo* creationis est purum nihil, ita terminus *ad quem*
« annihilationis debet esse purum nihil. *Antecedens probatur*, quia ter-
« minus *ad quem* istius transitus est Corpus Christi; quia etsi negatio
« panis concomitetur terminum *ad quem*, non tamen terminus iste
« est omnino nihil, sed in aliquo positivo ». *Ita Doctor*, quibus significat, se magis propendere in communiorem sententiam, quod panis non annihiletur, sed convertatur in Corpus Christi, quod de novo producitur secundum esse Sacramentale.

Cum autem plures, easque urgentissimas rationes adversus hanc assertionem proposuisset, et ex parte solvisset, tandem n. 14. aperte docet, quod si transsubstantiatio esset productiva, panis non annihilaretur; secus vero cum sit adductiva, scribit enim: « Dico etiam, quod
« hac conversione panis non annihilatur; quia, sicut dictum est in
« solutione quæstionis præcedentis, transsubstantiatio quædam est, qua
« terminus accipit simpliciter *esse;* quædam autem, qua accipit *hic*
« *esse*. De prima, qua terminus accipit simpliciter *esse*, et alius sim-
« pliciter *non esse*, forte posset salvari, quod desitio termini *a quo*,
« non est simpliciter annihilatio, quia ibi per se terminus *ad quem*
« ipsius inceptionis esset oppositus terminus *a quo* desitionis, sicut
« est de termino *a quo*, et *ad quem* generationis, et corruptionis: et
« ita, posset ibi negatio termini *a quo*, ut in termino *ad quem*, ter-
« minare desitionem. Sed in proposito, ubi tantum est transitio addu-
« ctiva, terminus *ad quem* per se mutationis positivæ non opponitur
« termino *a quo* mutationis privativæ; et ita non potest esse ratio
« concludendi negationem ejus. Posset ergo dici, quod conversio ista
« est sicut substantiæ in substantiam, non quantum ad *esse* substan-
« tiæ simpliciter, sed quantum ad *hic esse*, ut sicut Corpus ut hic

« succedit pani ut hic, ita panis ut hic convertitur in Corpus ut hic. « Et illæ mutationes licet sint inter substantias, tamen non sunt inter « substantias, ut inter terminos; termini enim sunt tantummodo præ- « sentialitas, et non præsentialitas, quæ possunt reduci ad genus *ubi*, « ut dictum est dist. 10. q. 1. Sicut ergo mutatione positiva non « acquiritur simpliciter *esse* corpori, sed tantum *esse* hic, ita mutatione « deperditiva correspondente, quam inclusit conversio ista, in quantum « ista conversio est transsubstantiatio translativa, non autem produ- « ctiva; ista, inquam, non deperdit panis *esse* simpliciter, sed *hic* « esse. Et patet satis pulchra correspondentia, quia sicut Corpus « Christi habet novam præsentiam, non deperdendo antiquam, et mu- « tationem acquisitivam sine deperditiva, ut dictum est dist. 10. q. 1. « ita etiam panis habet deperditivam sine acquisitiva, quia desinit « esse hic, et non acquirit aliam præsentiam alibi; quia ergo non « deperditur, sicut nec acquiritur per hanc conversionem, ut est « translativa, nisi tantum *esse* hic, et *non esse* hic, sequitur, quod per « hanc conversionem, ut hic est, non deperditur *esse* substantiale, et « per consequens non annihilatur, imo nec destruitur panis hac con- « versione. Quia tamen panis non manet in *esse* substantiali, et hac « conversione non destruitur, ut dictum est, oportet, quod desinat « esse alia desitione, quæ est a simpliciter *esse* ejus ad simpliciter « *non esse* ejus. Illud autem *non esse* ejus, licet quasi concomitetur « præsentiam Corporis ut hic, non tamen ut terminum ejusdem ge- « neris; et per consequens, si ista desitio, secundum se considerata, « sit annihilatio, tamen nullo modo ista conversio est annihilatio. « *Exemplum* hujus: si panis destrueretur, et crearetur Angelus de « novo, et fieret præsens speciei panis, conversio panis in Angelum « esset panis ut hic in Angelum hic præsentem, et per istam conver- « sionem Angelus non acquireret, nisi illam præsentiam, concomita- « retur tamen illam præsentiam novam novum *esse*, quod terminat « creationem propriam. Per istum modum dicendi apparet, quæ trans- « substantiatio potest esse in præexistens, et quæ non; et quæ potest « esse manente termino *a quo*, et quæ non. Transitio enim, quæ est « a termino in terminum secundum *esse* simpliciter terminorum, et « *non esse*, non potest esse alicujus conversi, et tamen manentis, « nec in terminum præexistentem; sed transsubstantiatio, quæ est « transitus substantiæ in substantiam quantum ad hic esse, potest « esse, et termini *a quo* manentis, si desinat hic esse, non tamen « desinat simpliciter esse, et succedat sibi aliud, ut hic. Potest etiam « esse in terminum præexistentem, si incipiat hic esse, absque hoc « quod incipiat esse. Potest etiam esse, quod terminus *a quo* destruatur, « sed non hac conversione; et potest esse, quod Angelo creato, etc. » *Hæc Doctor*, quæ paulo longius exscribenda duxi, ut inde appareat, quænam sit genuina ipsius sententia; distinguit enim duplicem trans- substantiationem: unam, qua terminus *ad quem* simpliciter recipit *esse* substantiale: aliam, qua ipse terminus *ad quem* non producitur secundum esse substantiale, sed tantum secundum rationem præsen- tiæ, seu essendi hic; quod utique fit per adductionem. Sic, si terminus *a quo* desinat secundum substantiam, necessario desinit per annihila- tionem; quia nulla est substantia de novo producta secundum esse

substantiale, in quam ille terminus *a quo* desinens possit converti. Dixi, *si desinat secundum substantiam*, fieri enim potest, ut substantia panis v. gr. desinat esse præsens sub speciebus, et alia in ejus locum succedat de novo producta, absque eo, quod illa panis substantia omnino desinat; quia posset alibi conservari, ut optime declarat Doctor exemplo Angeli, qui de novo produci posset, et fieri præsens speciebus panis, ac succedere substantiæ panis, absque eo, quod substantia illa desinat esse. Igitur utramque sententiam Doctor probabilem existimat, nempe quod substantia panis non desinat per annihilationem, si transsubstantiatio fiat per actionem productivam Corporis Christi; secus vero si fiat per solam adductionem. — Unde perperam nonnulli Recentiores cum Soto, dist. 9. q. 2. art. 4. hic Subtilem Doctorem vellicant, quasi simpliciter doceret substantiam panis in transsubstantiatione conversiva annihilari; non enim ea mens est Doctoris; siquidem tantum asserit, ut optime notat Hiquæus in *Commentario*, num. 42. « desinere substantiam panis simpliciter per annihilationem, quatenus « consideratur desitio ejus simpliciter; non autem quatenus intelligitur « de pane, qui est terminus *a quo* conversionis; quia sic tantum de- « sinit esse sub speciebus, vel esse hic; et hoc exigitur ad veritatem « formæ tantum; non autem quod panis simpliciter desinat esse, quia « licet per miraculum conservaretur, modo non sub speciebus maneret, « verificaretur forma juxta sensum, quem habet ex institutione Christi « Domini; quod ergo designat simpliciter secundum omne *esse*, non « facit ad mysterium, sed est ex ratione jam declarata. Et desitio ejus « secundum *esse* simpliciter est proprie annihilatio, et tantum con- « comitanter se habet ad conversionem. Sicut si converteretur panis « in Angelum, qui, cum crearetur pro ultimo instanti verborum, illa « creatio esset concomitans ad conversionem, non aliquid intrinsece « ad ipsam spectans, quia posset conversio fieri in præexistens; trans- « substantiatio ergo non est, nisi inter terminos, ut succedunt sibi « invicem ut hic, sive terminus *ad quem* incipiat esse simpliciter, et « terminus *a quo* desinat esse simpliciter, sive non ».

APPENDIX

DE ACCIDENTIBUS EUCHARISTICIS.

Quæres 1. *Utrum, facta conversione substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, utriusque accidentia immutata perseverent secundum entitatem?*

Affirmo, idque non solum fide divina certum est, et in Concilio Tridentino definitum, Sess. 13. Can. 2. ubi dicit anathema ei, qui dixerit per *consecrationem non fieri conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini*, sed etiam sensibus ipsis pervium ac notum est; siquidem facta transsubstantiatione, videmus in Eucharistia eamdem figuram, et albedinem, gustamus eumdem saporem panis et vini, percipimus utriusque eumdem odorem, et eamdem superficiem tangimus: constat autem, quod sensus nullo vitio laborantes, non pos-

sint decipi circa proprium sensibile debite applicatum: igitur certissimum est eadem omnino accidentia perseverare.

QUÆRES 2. *Utrum hujusmodi accidentia sine omni subjecto substantiali existant?*

AFFIRMO, hæcque conclusio est pariter de fide determinata in eisdem Conciliis, in quibus asserta fuit transsubstantiatio, maxime vero in Concilio Constantiensi, Sess. 8. ubi damnat hoc erroneum dogma Joannis Hus, dicentis, quod fingere accidens sine subjecto sit blasphemare in Deum, scandalizare Sanctos, et illudere Ecclesiæ, per verba accidentis.

Probatur hæc assertio: accidentia Eucharistica non inhærent substantiæ panis et vini, quia, ut probatum est, utraque desinit per transsubstantiationem; neque etiam Corpori Christi, alias Corpus Christi in Eucharistia esset alterabile, corruptibile, et localiter extensum; neque etiam aëri circumstanti: *tum* quia non potest idem accidens de eodem subjecto transire in aliud: *tum* quia nullum accidens secundum se totum, nec secundum aliquam sui partem, distat loco, et situ a suo subjecto primo: experientia autem constat, quod partes accidentis hostiæ distent ab aëre circumstante, et hostia et aër occupant distincta loca: igitur, etc. *Tum* denique quia hujusmodi species non sunt, ubi est aër circumstans; siquidem ad motum aëris non moventur: igitur necessum est, quod sint sine ullo subjecto.

Deinde, si quid obesset, quominus sine subjecto existerent, maxime quia inhærentia actualis esset de essentia accidentium: sed hoc falsum est, ut optime probat Doctor, dist. 12. quæst. 1. n. 9. maxime de accidentibus absolutis: « Si enim, *inquit*, accidens absolutum necessario « requireret subjectum, maxime propter illius essentialem dependen- « tiam a subjecto: sed nulla est dependentia simpliciter necessaria « alicujus absoluti ad aliud, quod non est de essentia ejus, sed tan- « tum causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, « scilicet ad Deum: subjectum autem non est de essentia accidentis, « quia tunc homo albus non esset ens per accidens, quod est contra « Philosophum, 5. *Metaph.*, cap. *De ente:* quia addendo alicui illud, « quod est de essentia ejus, non habetur ens per accidens, præcipue « si illud in se sit ens per se: accidens autem secundum se est ens « per se, secundum Philosophum ibidem; unde, et per se est in ge- « nere. Subjectum non est causa extrinseca simpliciter prima, sed « Deus præcise est ejusmodi causa, qui non est subjectum accidentis: « ergo dependentia accidentis absoluti ad subjectum non est simpli- « citer necessaria: igitur accidens sine ea dependentia esse potest ».

Confirmatur auctoritate SS. Patrum, docentium, quod accidentia possint separari et existere sine omni subjecto. Sic S. Basilius, Homil. 6. in Hexameron, docet prima die creatam fuisse lucem per se subsistentem, et ab omni subjecto separatam: *Primo die*, inquit, *ipsa natura lucis producta est; quarto autem die Solis corpus, ut esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum.* Et infra: *Itaque ne mihi dixeris, fieri hoc non posse, ut lux a corpore Solis separetur; neque enim ego lucis a Solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione, cogitationeque*

disparari a se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse. Idem docet S. Gregorius Nazianzenus, Orat. *De novo die Dominico,* et Theodoretus in quæstionibus super Genesim, q. 14. et 16. Igitur ex sententia SS. Patrum virtute divina potest accidens existere absque omni subjecto, et carere actuali inhærentia.

Confirmatur insuper argumento petito ex mysterio Incarnationis; nam inhærentia actualis se habet ad accidens, sicut subsistentia actualis ad substantiam; non enim minus est de ratione substantiæ et naturæ completæ per se subsistere, ac propria subsistentia terminari, quam sit de ratione accidentis alicui subjecto inhærere: sed non obstante hac naturali exigentia substantiæ, ut per se subsistat, et propria substantia terminetur, virtute divina humanitas Christi privatur sua connaturali subsistentia, et subsistit tantum subsistentia Verbi: igitur pari ratione accidens poterit spoliari sua actuali inhærentia, et virtute divina absque subjecto existere.

Dices 1: Deus non potest supplere causalitatem causæ materialis, ut communiter docent Theologi, quippe cum illa causalitas imperfectionem Deo repugnantem importet: ergo non potest efficere, quod accidens sit independens a subjecto. — **Distinguo antecedens:** non potest supplere vicem causæ materialis, *ex qua, concedo:* causæ materialis, *in qua, nego:* « Porro, *inquit Doctor,* dist. 12. qu. 1. n. 10. « Accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua: vel si habent « ex qua, illud non est subjectum; quia subjectum cum accidente « facit ens per accidens, ut dictum est; per se autem intrinsecum es- « sentiæ accidentis, sive materia, sive forma, dum constituit ens per « accidens; quia accidens ut totum quoddam est, ex omnibus perti- « nentibus ad essentiam ejus ». Ita Doctor, quibus fatetur, Deum non posse supplere causalitatem materiæ, quantum ad influxum compositionis, neque quantum ad existentiam accidentis in ea inhærentis, bene vero id posse, quantum ad influxum efficientis et sustentantis.

Dices 2: Accidens connaturaliter petit inhærere subjecto: igitur si Eucharistica accidentia non sunt in subjecto, erunt semper in statu violento: sed hoc non decet divinam sapientiam, ut tot accidentia per totum orbem terrarum tamdiu detineat in statu violento, quot sunt hostiæ consecratæ, et quamdiu illæ conservantur: igitur non est verisimile, illa sine omni subjecto existere. — **Nego sequelam majoris;** etenim in re qualibet duplex est inclinatio: naturalis una ad bonum sibi proprium; altera ad obtemperandum suo Creatori. Hæc autem posterior longe connaturalior est priori; unde priori ipsi facile cedit, sicut inclinatio cujuslibet entis particularis cedit inclinationi, quam habet ad bonum commune, cui quælibet universi pars inservit etiam cum boni sui particularis dispendio: cum ergo accidentia in Eucharistia sine subjecto existant ad imperium sui Creatoris, inde est, quod nullam in se violentiam patiantur.

Signanter dixi in assertione, *sine subjecto substantiali;* controvertitur enim apud Theologos, utrum omne accidens in Eucharistia sit sine subjecto: *primo* namque Doctor docet dist. 12. quæst. 1. num. 5., accidentia respectiva ibi non existere sine subjecto. Quod utique probat n. 8. « Quia, « *inquit,* respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema; et ideo « sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere, vel destruere

« respectum, ita tollere illud cujus est respectus, est tollere respectum « et destruere rationem respectus. Non ergo quia accidens respecti- « vum est accidens, ideo requirit subjectum vel fundamentum; sed quia « respectus est respectus, ideo requirit cujus sit, et ad quod sit,etiam in « divinis ». — *Quantum autem ad alia accidentia,* non convenit inter auctores, utrum existant sine aliquo subjecto immediato; quidam enim volunt, qualitates subjectari in quantitate; alii vero contendunt, etiam per se existere sine subjecto. Sed quidquid sit, quoniam hæc omnino philosophica sunt, dicendum arbitror cum Subtili Doctore, q. 2. n. 14., quod tam qualitas quam quantitas possit existere sine subjecto, quia absoluto perfectiori magis convenit non esse in subjecto, quam absoluto minus perfecto: qualitas autem est forma absoluta et perfectior quantitate: ergo tametsi qualitas in Eucharistia insit quantitati, tamen absolute potest esse sine subjecto, sicut et ipsa quantitas. *Minorem probat* Doctor n. 9. pluribus momentis: *primo,* quia qualitas est per se principium agendi, non ita quantitas: *secundo,* quia nobilioribus substantiis nobiliores correspondent qualitates, non autem quantitates; non enim semper nobilior substantia est major in quantitate: *tertio,* quia per qualitates substantiæ perfectæ consequuntur fines suos; siquidem actus beatificus est qualitas, qua mediante substantiæ spirituales fiunt beatæ: *quarto,* quia quantitas sequitur compositum ratione materiæ, qualitas autem ratione formæ; forma autem nobilior est materia. — Nec obstat, quod quantitas sit propinquior substantiæ: *primo* enim hoc est valde incertum; siquidem plures Philosophi existimant, omnia accidentia subjectari immediate in substantia: *deinde,* dici potest propinquior substantiæ, non in agendo, sed in sustentando.

Dices: Si qualitas posset existere sine omni subjecto, et seorsim a quantitate, sequeretur, quod simul esset sensibilis et insensibilis; sensibilis quidem, quippe cum sensibilitas sit de ratione tertiæ speciei qualitatis; esset autem insensibilis, quia non esset quanta: quod autem non est quantum, non potest sentiri. — **Respondet Doctor,** qualitatem eo in statu fore sensibilem remote, quia haberet formam sufficientem ad hoc, ut sentiri posset; non esset autem proxime, quia non esset sub modo convenienti, scilicet quantitativo et extenso, sub quo debet constitui, ut proxime sit sensibilis.

Quæres 3. *Utrum accidentia Eucharistica easdem possint exercere operationes, tam reales, quam intentionales, quas poterant exercere, dum erant in subjecto?*

Affirmat Doctor, dist. 12. quæst., 3. et sic probat n. 17. « Cujus- « cumque actionis aliqua forma est totale principium activum, illa si « esset per se sub modo convenienti ad agendum, posset esse principium « ejusdem actionis: sed qualitas (*in Eucharistia*) est principium, et to- « tale et formale utriusque actionis prædictæ; quando autem est sepa- « rata a substantia, est tamen in quantitate, sive habens extensionem, « sicut ante separationem a substantia, ideo manet sub modo conve- « nienti ad agendum, qui est modus extensivus: ergo, etc. *Major* patet, « quia totali principio posito, et sub ratione sub qua natum est esse « principium, potest principiari illud cujus ponitur principium. *Minorem* « *probat* dupliciter: *primo,* quia nihil auferetur isti formæ per hoc, quod

« per se est sine subjecto; illud enim non facit cum ipsa nisi unum per « accidens: sed per se principium agendi in uno ordine est per se unum: « ergo ablatio illius subjecti nihil aufert per se principio agendi. — « *Probat secundo:* illa forma est principium actionis, quæ est tale « principium assimilandi sibi passum, non tantum realiter, ut in actione « reali, quæ est in contrarium, sed in actione intentionali, quæ est in « sensum. De prima patet, quia terminus formalis simpliciter est similis « formæ accidentali; ergo illa potest esse principium agendi *quo*. De « secunda autem probatur, quia similitudo in sensu deficit quantum ad « aliquid a similitudine reali in passo: ergo quantum est ex parte hujus « formæ ut agentis, potest ita bene esse totale principium hujus actionis, « sicut et illius: si autem in illa sensatione sit aliqua perfectio ulterior, « hoc non est in quantum est a qualitate sensibili, sed in quantum « est a potentia sensitiva ». *Ita Doctor.* Cujus utique doctrinæ consonat experientia quotidiana; nam accidentia post consecrationem eodem modo videntur, tanguntur, frigefaciunt, calefaciunt, humectant, etc. quo antea; non videtur autem cur hi omnes effectus soli Deo illa accidentia conservanti tribuantur, cum in ipsamet accidentia refundi possint. Nihilominus quando illa accidentia alterantur, et postmodum pristinam suam qualitatem recuperant; puta cum species vini calefactæ recuperant pristinum frigus; hujus restituti frigoris alia non subest causa præter Deum supplentem vicem substantiæ vini; si enim forma substantialis vini præsens foret, in eam, et non in accidentia, referretur hæc frigoris recuperatio, adeoque illa forma absente referenda est in causam primam, quæ supplet omnes defectus substantiæ in Eucharistia ad hoc mysterium occultandum.

Cæteras difficultates, quæ circa hujusmodi accidentia moveri possunt, partim dissolvemus in tertia Sectione sequenti; partim in nostra Philosophia jam sunt enodatæ.

SECTIO TERTIA.

DE MODO QUO CHRISTUS DOMINUS EST ET OPERATUR IN EUCHARISTIA.

Post insinuatam et assertam realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam, necnon et substantiæ panis et vini in ipsius Corpus et Sanguinem transsubstantiationem, explicandus superest modus, quo sub speciebus Eucharisticis præsens consistit et operatur. Certum est autem, et citra controversiam apud omnes Catholicos, in qualibet specie consecrata, tam panis, quam vini, non solum Christi Domini Corpus et Sanguinem secundum omnes sibi congenitas et connaturales partes integrantes et entitativas existere, sed et ipsius animam, personalitatem, ac Divinitatem; hoc quippe catholicum dogma definitum est ac traditum in Concilio Constantiensi, Sess. 13. his verbis: *Cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus et Sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri,* etc. Clarius Concilium Florentinum in decreto Eugenii id docet: *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, et substantia vini in Sanguinem convertuntur; ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini.*

Novissime Tridentinum, Sess. 130. c. 3. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima, et Divinitate existere.* Et post pauca concludit: *Quapropter verissimum tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri, totus enim et integer Christus sub panis specie. . . . totus item sub vini specie. . . existit.* Errorem porro contrarium expressissimis verbis damnat Can. 1. dicens: *Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum*, etc. *anathema sit.* Similiter Can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie. . . . . totum Christum contineri, anathema sit.*

Colligitur hæc veritas ex Scriptura; nam Joann. 6. v. 51. Christus ait: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Et infra v. 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit:* ergo in specie panis est totus Christus. Accedit testimonium Apostoli Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Ergo in specie panis non est Corpus Christi sine anima, et Sanguine, nam sic mortuum esset. Utrum autem Deus per absolutam potentiam facere possit, ut Corpus in cælo vivum in terra sit mortuum, de quo egimus in Physica, saltem indecens apparet, quod de facto id fiat in Corpore Christi, qui amplius non subjacet morti. Hac Scriptura utitur Concilium Tridentinum, Sess. 13. c. 3 illico subjungens verbis superius recitatis: *Sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit; non amplius moriturus, inter se copulantur.* Cum autem Corpus et anima Christi subsistant subsistentia Verbi, inde liquet cum eis pariter adesse hanc divinam subsistentiam, ac subinde etiam Divinitatem. *Omnis enim spiritus*, inquit S. Joann., Epist. 1. cap. 4., *qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Quibus verbis, ut optime advertit Bellarminus, tametsi primario condemnet hæresim Ebionis, qui solvebat Jesum, negans ipsum esse Deum, et hominem; attamen, quia generalis et indefinita est, etiam eos damnat ac perstringit, qui quoquo modo solvunt hypostaticam unionem Dei et hominis. Unde Concilium Tridentinum verbis supra laudatis statim adjungit: *Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore, et anima unionem, pariter adesse non est relictus ambigendi locus.*

Hæc itaque certissima sunt apud omnes Catholicos, et post assertam realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam ac transsubstantiationis veritatem, non videtur opus esse in hac demonstranda et confirmanda doctrina Catholica diutius immorari. Quocirca tria præcipue hac in Sectione supersunt inquirenda et determinanda: *primum*, quomodo Christi Domini Corpus et Sanguis sub speciebus constituantur et existant: *secundum*, quas eo in statu operationes Christus eliciat: *tertium*, utrum, et quid in hoc Sacramento pati possit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUOMODO CHRISTI DOMINI CORPUS ET SANGUIS SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS CONSTITUANTUR ET EXISTANT.

NOTANDUM 1. Ex Concilio Tridentino, Sess. 13. c. 3. necnon ex communi Theologorum sententia, duplici ratione aliquid contineri in hoc Sacramento: uno quidem modo ex *vi Sacramenti*, seu ex verborum significatione; sic ea omnia præcise sub aliqua specie consecrata continentur, quæ per verba formæ significantur; ita ut forma esset falsa, si aliquid eorum quacumque ratione abesset: *secundo* vero *per concomitantiam*, seu vi naturalis connexionis, quam habent cum iis, quæ fiunt vi verborum, et constituuntur sub speciebus; ita quod per verba formæ non ita significentur, quin ipsa forma posset esse vera, etiamsi abessent; attamen propter connexionem naturalem, quam habent cum iis, quæ vi verborum ibi continentur, etiam necessario ibi debent constitui, non quod Deus ea ab illis separare non posset; sed quia Deus decrevit, et etiam decet, ut quæ sunt unita in Christo extra Sacramentum, etiam invicem uniantur in Sacramento. Quæritur ergo, quid præcise vi verborum sub qualibet specie constituatur. Difficultas autem maxime est de Corpore, et anima Christi; qui enim non admittunt aliam formam substantialem in homine præter animam rationalem, laborant hic maxime in explicando, quid intelligatur per Corpus, quod vi verborum ponitur sub speciebus panis; *quidam* enim cum Vazquez 3. p. disp. 186. cap. 3. per Corpus intelligunt vel Corpus informatum forma cadaveris, vel informatum anima intellectiva disjunctim, quia vi verborum non ponitur definite Corpus vivum, neque definite Corpus mortuum; sed vivum, vel mortuum disjunctim. *Nonnulli* cum Ægidio, apud Doctorem Subtilem, per Corpus intelligunt materiam cum aliquo modo quantitativo; non autem cum quantitate, ne videlicet teneantur admittere Corpus Christi in Eucharistia esse ens per accidens. *Aliqui* volunt, Corpus illud habere adjunctam animam rationalem, non ut tribuit Corpori gradum vitæ, sed ut dat esse corporeum. Ita omnes fere Thomistæ cum Angelico Doctore, quæst. 76. art. 6. ad. 2. ubi scribit: *Anima est forma Corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, et esse corporeum, et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam Corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum; non autem secundum quod dat esse animatum tali anima.* Doctor vero Subtilis dist. 11. qu. 3. subtiliorem et faciliorem reperit philosophandi rationem, docens corpus humanum constitui in esse corporis humani per formam aliquam substantialem determinatam, quam appellat *formam mixti*, seu *corporeitatis*, et quam existimat coalescere ex variis formis partialibus; ita tamen quod hæc forma non sit completa et ultima, sed tantum partialis forma hominis, constituens corpus humanum organicum in ratione partis essentialis hominis, quæ cum anima rationali, altera comparte, hominem constituat.

NOTANDUM 2. Omnes Theologos invicem convenire, quod Christus Dominus realiter existat in Eucharistiæ Sacramento cum omnibus suis partibus *entitativis* et substantialibus; verum invicem dissentiunt circa

partes *quantitativas*, seu circa quantitatem, et extensionem ipsius Corporis. *Durandus* enim in 4. dist. 10. quæst. 2. et cum eo nonnulli e veteribus, puta Gabriele, et Majore, existimant Christum esse in hoc Sacramento sine omnimoda quantitate; quippe cum in eo careat extensione partium, quam contendunt esse de essentia quantitatis. *Aliqui* apud Doctorem, dist. 10. qu. 1. concedunt quidem Corpus Christi in Eucharistia habere suam quantitatem, sed dumtaxat ad modum substantiæ, idest, sine ulla ordinatione partium inter se, quia, *inquiunt*, cum quantitas sit tantum concomitanter in Sacramento debet ibi esse ad modum primi termini, qui quidem est substantia; hæc autem de se nullam dicit ordinationem partium inter se. *Altisiodorensis*, lib. 4. *Summæ*, Tract. 5. c. 4. concedit quidem, totum Corpus Christi esse actu in tota hostia indivisa; dicit tamen non esse totum in singulis partibus, etiam separatim sensibilibus, ante earum a toto divisionem; nisi dumtaxat in potentia, quæ reducitur ad actum per divisionem, non tamquam per causam, sed tamquam per conditionem *sine qua non;* eo modo, quo imago hominis speculum aspicientis est in singulis partibus speculi tantum potentialiter ante ipsius divisionem; fit autem actualiter existens sub illis facta speculi divisione. *Sunt* etiam, qui contendunt, Christi Domini Corpus totum sub particulis hostiæ etiam minimis ac insensibilibus adhuc contineri. *Alii* vero idipsum negant. Quid autem verius tenendum sit in tam multiplici et varia auctorum sententia, priusquam aperiamus,

Notandum 3. Cum illustrissimo nostro Meurissio, c. 4. quæst. 4. duplicem esse positionem quantitatis: unam intrinsecam, et aliam extrinsecam. *Intrinseca* est, per quam partes alicujus corporis habent ordinem inter se; ita ut una sit extra aliam, quatenus corpus illud sit debite figuratum et organizatum ad recipiendam animam et secundum illam positionem intrinsecam et absolutam partes corporis habent debitam distantiam inter se, sed non in ordine ad locum. *Extrinseca* duplex est: prior secundum quam corpus aliquod coexistit toti loco, absque eo quod coextendatur secundum partes partibus loci; et illa dicitur *ubi;* quod quidem ex Doctore Subtili non est ens aliquod absolutum, sed respectus extrinsecus adveniens. *Posterior est*, per quam totum corpus coexistit loco, et partes ejus coextenduntur partibus loci; et illa dicitur *situs;* qui etiam secundum Scotum, nihil aliud est, quam respectus extrinsecus adveniens, qui sæpius ab eo vocatur modus quantitativus, vel dimensivus. Positio seu extensio *intrinseca* est de ratione quantitatis, ab eaque inseparabilis; non est enim intelligibile, *inquit Scotus*, aliquid esse quantum dimensionatum, idest, longitudine, latitudine, et profunditate affectum, quin possit designare in toto illo ordinem hujus partis ad illam, puta capitis ad collum secundum quantitatem, vel positionem interjacentem inter illas. Positio autem *extrinseca* non est de ratione quantitatis, sed accidens per accidens ejus; unde possibile est Deum separare hujusmodi positionem a corpore quanto, manente etiam priore positione; et id quidem, non solum per negationem termini, sicut posset facere v. g. aliquod corpus quantum existere extra universum; tunc enim non haberet istam secundam positionem, quia nullum esset continens, cui corpus illud coexisteret, et cujus partes ejusdem continentis partibus

commensurarentur; sed etiam posito termino, cui scilicet præsenti posset fieri commensuratio, seu extensio alterius Corporis, possibile esset Deum conservare quantum, et coexistentiam ejus ad aliud quantum, et tamen sine ista coextensione partium unius ad partes alterius, quam dicit ista positio, de qua loquimur. Hæc omnia apertissime constant ex dictis in nostra Physica, ubi probavimus, rationem formalem quantitatis consistere in extensione partium in ordine ad se, non autem in ordine ad locum.

His ita præmissis, tria hic occurrunt determinanda: *primum*, quid ponatur directe, et vi verborum sub speciebus Eucharisticis: *secundum*, quid adsit per concomitantiam: *tertium*, quomodo Christi Domini Corpus sit sub singulis partibus specierum consecratarum, ante et post earum divisionem.

Conclusio prima. — Vi verborum formæ ponitur sub speciebus panis Christi Corpus constitutum ex materia et forma Corporeitatis, et Sanguis sub speciebus vini.

Probatur hæc assertio a Catechismo Romano, par. 2. cap. 4. n. 32. ubi scribit: *Cum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in Sacramento vi Sacramenti, divinarum rerum Scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur, ita si contingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum quod forma significaret in Sacramento esse, cætera non item esse docuerunt.* Hoc est, illa ex vi formæ verborum in hoc Sacramento per se ponuntur, quibus positis veritas formæ consistit: atqui verbis consecrationis panis tantum Christi Domini Corpus exprimitur; verbis vero consecrationis vini, solius Sanguinis fit mentio; igitur ex vi verborum solum sub speciebus panis Corpus, et solus sub speciebus vini Sanguis continetur. — Quod autem illud Corpus constet ex materia et forma corporeitatis, patet ex dictis in Philosophia nostra, ubi probavimus corpus humanum constitui per formam substantialem corporeitatis, ab anima rationali distinctam; unde Corpus Christi, quod præcise ponitur vi verborum sub speciebus panis, nihil aliud per se connotat, quam compositum ex materia et forma corporeitatis, seu forma organica; nec enim τὸ *Corpus* aliud significare potest; non enim significat materiam primam solam; plus enim importat corpus organicum, quam sola materia, invalida enim esset hæc forma: *Hoc est materia prima. Nec potest* etiam intelligi materia, ut connotat animam, alioqui anima vi verborum directe poneretur sub speciebus panis; *neque* ut involvit formam substantialem in communi, quia sic ex vi verborum poneretur totum compositum, adeoque anima rationalis, quæ sola jam inest composito; sic enim vi verborum ponuntur omnes Sanguinis guttæ, licet omnes tantum significentur confuse et generice sub ratione Sanguinis spectantis ad Christum. — Non etiam ut disjunctive involvit formam cadaveris, vel dispositiones accidentales viventis, cum pars substantialis compositi accidentia non involvat, ut manifestum est in pane, sive tritico cocto, quod eodem modo se ad animam vegetativam, ac se habet corpus ad rationalem, et tamen non involvit accidentia, cum tota substantia panis annihiletur, remanentibus accidentibus. — Quapropter Doctor in 4. dist. 10. q. 4. n. 3. aperte dicit, quod Corpus il-

lud, quod ponitur vi verborum sub specie panis, non contineat animam, nec Sanguinem, nec accidentia: *primo*, inquit, hoc est possibile, accipiendo Corpus pro primo perfectibili animæ, quia non est contradictio Corpus illud esse sine anima, sine Sanguine, et sine accidentibus. *Secundo*, ostendit hoc fuisse congruum, quia species panis repræsentat Christi Corpus sub ratione cibi; at vero sub illa ratione non requirit animam, neque Sanguinem, neque accidentia. *Tertio*, dicit ita factum fuisse, quoniam si in triduo, *inquit*, Eucharistia consecrata fuisset, mansisset veritas verborum, et tamen verba consecrationis Corporis non potuissent tunc significare animam et Sanguinem: ergo vi verborum istorum ponitur tantum Corpus, et non anima, aut Sanguis. *Quarto*, dicit hoc etiam fuisse possibile ex parte Sacramenti, quia ulterius essentialiter potest esse aliud et aliud signum: Corpus autem stricte sumptum differt essentialiter ab anima et Sanguine: ergo potest habere aliud signum ad placitum. Et hoc confirmat a minori, quia potest habere, *inquit*, non idem signum naturale; sunt enim duo conceptus corporis et sanguinis essentialiter distincti, qui conceptus sunt signa rerum naturaliter, ex 1. *Perihermenias* cap. 1. Sanguis autem est essentialiter aliud a corpore, ut est primum perfectibile ab anima: ergo ejus potest esse non idem signum, quod est Sanguis. *Ex his concludit*, tenendum esse, quod Christi Corpus, ut est primum signatum speciei panis, non includit animam, nec accidentia, nec Sanguinem. Et tandem, dist. 11. q. 3. num. 57. ita resolvit totam istam materiam. « Quantum « ergo ad istud dubium, *inquit*, dico, quod Corpus Christi per se in- « cludit materiam, et ad minus formam unam mixti priorem intelle- « ctiva, et per istam formam est in actu partiali, et est proximum « receptivum animæ intellectivæ, licet non sit per illam in genere « corporis, ut corpus est genus, nisi per reductionem; et in istud « compositum, quod tamen per se est pars hominis fit per se con- « versio panis, quia totius in totum, et partium in partes; et per conse- « quens hæc forma est formalis terminus conversionis, sive forma ter- « mini conversionis. Hæc autem manet eadem, sive anima uniatur « illi, sive non uniatur, quia hæc est prior naturaliter, saltem in infor- « mando, ipsa anima, et in triduo mortis mansit anima non ma- « nente; et in eodem triduo fuisset eadem res hujus Sacramenti, si « Sacramentum tunc mansisset, quia in illo triduo forma corporei- « tatis non fuisset separata a materia sua in Christo, et per con- « sequens nec separata a materia sua, ut in Eucharistia. Sicut enim « idem numero fuit res ista secundum se in existentia naturali, ita « etiam idem numero compositum, quod est primus terminus conver- « sionis, mansisset semper in Eucharistia. Nec valet in ista identitate « salvanda fugere ad identitatem materiæ vel hypostasis, quia contraria « possunt inesse eidem identitate materiæ, quando succedunt sibi in- « vicem, et si etiam Verbum assumpsisset lapidem, fuisset lapis idem « naturæ humanæ identitate hypostasis ». *Hæc Doctor Subtilis.* Ex his itaque constat, omnes Corporis Christi partes, quæ de facto insunt ipsi Corpori glorioso, revera poni sub speciebus Eucharisticis, non autem illas, quæ aliquando in ipso Corpore ante glorificationem extiterunt, et per activitatem caloris naturalis fuerunt consumptæ, sive

ante, sive post ultimam Cœnam. Cujus utique veritatis ratio est aperta, quoniam omnes et solæ partes nunc vere sunt, et dicuntur partes Christi, quæ de facto ipsi inexistunt, non autem quæ fuerunt deperditæ, adeoque de illis solis Sacerdos consecrans in persona Christi vere affirmat: *Hoc est Corpus meum.* Idem a simili dicendum est de *Sanguine,* qui vi verborum sub specie vini ponitur; etenim Sanguis qui remansit, vel in Resurrectione fuit receptus intra venas Corporis Christi, si revera Sanguis non ponitur vi verborum, nec per concomitantiam sub speciebus vini; quippe cum non sit pars Corporis et Sanguinis Christi gloriosi.

PETES: *An totus Sanguis sit vi verborum sub specie vini, an vero solus ille, qui fuit in Passione effusus, quod utique significasse videtur Christus; Dixit enim Discipulis porrigendo calicem Sanguinis,* Matth. 26. Qui pro vobis, et pro multis effundetur?

RESPONDEO, totum Sanguinem, qui nunc est in Christi Corpore glorioso, revera poni sub speciebus vini vi verborum consecrationis calicis, quamvis forte totus non fuerit in Passione fusus, maxime ille, qui in minutissimis venis, et extra venas per omnes arterias diffusus erat. Nec obstant verba prælata, *qui pro vobis effundetur;* non enim limitant præcedentia ad significandum solum Sanguinem, qui fuit in Passione fusus, sed ad expendendum primarium finem hujus Sacramenti, qui est repræsentatio Passionis Christi. Quemadmodum si Christus convertisset aquam in vinum, his verbis: *Hoc est vinum, quod a vobis potabitur;* posteriora verba non limitassent priora ad convertendam solam aquam in vinum, quod fuisset ab illis potatum, sed dumtaxat ad ostendendum finem miraculi, licet non totum vinum fuisset ab iis bibendum. Cujus utique responsionis ratio est obvia; nam in Cœna fuit aliqua pars Sanguinis Sacramentaliter præsens sub speciebus vini, qui tamen non fuit in Passione effusus, nempe ille, qui ante Passionem per calorem naturalem fuit vel assumptus vel consumptus, vel in carne mutatus: igitur ad verificanda verba consecrationis calicis, non est necesse, quod totus Sanguis fuerit in Passione effusus.

Conclusio secunda. — VI NATURALIS CONCOMITANTIÆ SANGUIS EXISTIT SUB SPECIE PANIS, ET CORPUS SUB SPECIE VINI, SUB UTRAQUE AUTEM ANIMA RATIONALIS CHRISTI; UNIO QUOQUE HYPOSTATICA, ET ILLA MEDIANTE DIVINITAS, AC PROINDE TOTA SANCTISSIMA TRINITAS. Hanc assertionem tam expressis verbis tradidit Tridentinum, Sess. 13. cap. 3. ut absque ingenti temeritate, magnoque errore non possit negari, ait enim: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima, et Divinitate existere, sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore et Anima hypostaticam unionem.*

Idipsum præclare docet Catechismus Rom., p. 2. cap. 4. ubi loquens de iis quæ ponuntur sub speciebus Eucharisticis, dicit non omnia eadem ratione, aut virtute in hoc Sacramento contineri. « Quædam enim sunt, *inquit*, quæ ex vi et efficientia consecrationis in « Sacramento esse dicimus; nam cum verba illa efficiant quidquid « significant, id esse in Sacramento ex vi Sacramenti divinarum rerum « Scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur, ita si con« tingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum « quod forma significaret, in Sacramento esse, cætera non item esse « docuerunt; quædam vero in Sacramento continentur, quod illis rebus « conjuncta sint, quæ forma exprimuntur, nam cum forma, quæ ad « panem consecrandum adhibetur, Corpus Domini significet, cum di« citur: *Hoc est Corpus meum*, ipsum Christi Domini Corpus ex vi « Sacramenti in Eucharistia erit ».

Quod autem revera Corpus per concomitantiam ponatur sub speciebus vini, et Sanguis itidem sub speciebus panis, ratio aperte demonstrat, quia Christi Corpus ponitur nunc in Sacramento illud idem, quod est in cælo, scilicet vivum, et animatum: tale autem esse nequit sine Sanguine, nec Sanguis potest esse incorruptus absque novo miraculo, si existeret extra Corpus: igitur necessum est, quod Corpus per concomitantiam ponatur sub specie vini, et Sanguis sub specie panis.

Quoniam autem Doctor ab aliquibus, maxime Suarez, 3. p. disp. 51. arguitur, quasi dixerit Sanguinem contineri sub specie panis vi verborum, audiendus est ipse Doctor, dist. 8. q. 1. n. 4. ubi scribit: « Dico, quod Corpus Christi potest accipi stricte, prout includit partes « animatas anima Christi, cujusmodi non est Sanguis, licet sit in po« tentia proxima, ut convertatur in carnem animatam; et sic corpus « est aliud essentialiter a Sanguine, et in se etiam potest esse aliud « signatum, et per consequens potest esse hujus proprium signum, « sicut est et propria definitio. Alio modo corpus potest accipi, ut « omnia illa includit quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive « sint partes animatæ, sive sint alia non formaliter animata, ut sunt « humores et spiritus; et hoc modo Sanguis est aliquid corporis ». *Ita Doctor.* Dist. autem 10. q. 4. n. 13. respondens ad secundum argumentum, in quo inferebatur, quod frustra Sanguis poneretur sub specie vini vi verborum consecrationis, cum jam sit sub specie panis simul cum Corpore, scribit: « Si tenetur, quod Corpus, quod est primum « signatum speciei panis, non continet per se Sanguinem tamquam « aliquid ejus, juxta illud, quod dictum est *supra* declarando suppo« situm, tunc facilis est responsio, quia tantummodo est Sanguis con« comitanter sub specie panis, et tunc non est ibi bis ex vi Sacra« menti; nec tamen frustra est concomitanter sub specie panis, cum « sit sub specie vini ex vi Sacramenti, quia hoc est ad salvandam « veritatem rei contentæ, quæ, ubicumque ponatur, semper habet « eadem absoluta. Nec sequitur, quod incipit esse hic postquam fuit « hic, loquendo de eodem modo essendi; præfuit enim hic concomi« tanter, et incipit hic esse ex vi consecrationis. Si autem teneatur, « quod Sanguis est per se pars Corporis, ut Corpus est primum si« gnatum speciei panis, tunc oportet dicere, quod bis est hic Sanguis

« ex vi Sacramenti; sed adhuc non eodem modo, quia sub specie vini « est per se et primo, quia primum signatum ejus; sub specie vero « panis est per se, sed non primo, imo aliquid primi signati. Nec tunc « est frustra, quia per se est sub specie panis, ut salvetur veritas rei « contentæ primo; nec incipit esse postquam est, eodem modo essendi, « sed incipit esse primo, postquam non fuit primo, licet per se ha- « buerit ibi esse ». *Hæc Doctor*, quibus verbis minime intendit affirmare, quod Sanguis existat sub speciebus panis vi verborum, ut prætendit Suarez, sed tantum quod in ea hypothesi, qua quis vellet, Sanguinem esse partem Corporis, necessum esset, quod Sanguis poneretur vi verborum sub speciebus panis, sicut et ipsum Corpus; cum hoc tamen discrimine, quod Corpus primario, et tamquam præcipuum connotatum et significatum poneretur, Sanguis autem tamquam ipsius Corporis pars, et solum virtualiter significata cum toto Corpore.

Quod pariter per concomitantiam sub utraque specie ponatur unio hypostatica, et personalitas Verbi, non solum patet ex Concilio Tridentino supra laudato, sed etiam ex Epist. Concilii Ephesini ad Nestorium, et refertur *De consecr.*, dist. 2. cap. 80. ubi legimus: *Sic etiam mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes sancti Corporis, et pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati, et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentes habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam.* Quibus Aversa, q. 4. in hoc Sacramento, sect. 1. nititur probare unionem hypostaticam adesse Corpori et Sanguini, non solum per concomitantiam, sed etiam per se, directe, et vi verborum, quod confirmare nititur ex eo, quod in forma consecrationis Christus non dixerit simpliciter *Corpus* et *Sanguis*, sed *Corpus meum*, et *Sanguis meus;* nam, *inquit*, sub ly *meum*, et *meus* videtur recte comprehendi ipsa unio hypostatica personæ Verbi cum humanitate.

Verum hæc fundamenta levia sunt: *primo* namque, verissima subsistit doctrina Concilii Ephesini, quamvis unio hypostatica et personalitas Verbi ponantur dumtaxat per concomitantiam sub speciebus, sic enim Caro Christi vere erit vivificatrix, et ipsius Verbi propria; neque id etiam potest colligi ex vi pronominis *meum*, vel *meus*, quia si vi istius pronominis, *meum*, per se ponitur unio hypostatica, etiam per se ibi existet ac ponetur personalitas Verbi, ad quam dicit intrinsecum et essentialem ordinem, et consequenter ibi etiam per se, et vi verborum aderit Divinitas, quod est contra Concilium Trident. Merito ergo noster Bosco colligit cum Cardinali de Lugo, dist. 8. n. 119. sufficere ad veritatem pronominis *meum*, quod absolute illud Corpus terminetur personalitate Verbi, licet non ibi; quippe ly *meum*, ex communi hominum usu, non sumitur reduplicative, ita ut significet ibi esse rationem formalem, qua constituitur in esse *mei*, sed specificative significando illud Corpus esse, quod absolute est meum. Ex quo fit, ut licet per possibile, vel impossibile Corpus illud in Eucharistia haberet propriam subsistentiam creatam, et non divinam, posset tamen Verbum de illo dicere, ibi esse Corpus suum, quia ad hoc satis esset, quod in cælo subsisteret subsistentia Verbi. *Confirmatur*, quia alias etiam unio cum natura humana deberet poni ex vi verborum, cum ly

meum significet Corpus, et partem naturæ loquentis, per consequens, ut statim insinuavimus, etiam debet poni ex vi verborum anima rationalis. *Adde,* licet illud corpus nullibi de facto uniretur vel Verbo, vel naturæ humanæ, sufficeret unio præterita, ut anima Christi posset dicere illud esse Corpus suum; sicut anima S. Petri posset dicere de suo cadavere, illud est corpus suum, nam juxta communem modum intelligendi, ly *meum* solum significat illud corpus pertinuisse ad naturam loquentis, quando ultimo corpus habuit. Et ita de facto in triduo mortis Christi Corpus nusquam gentium pertinebat ad naturam humanam, utpote separatum ab anima, et tamen consecrans vere pronuntiasset: *Hoc est Corpus meum,* scilicet, quod aliquando et ultimo pertinuit ad humanam naturam Christi. — Plus dico, lacrymæ, et similia absolute dicuntur Christi, etsi numquam fuerint personalitati divinæ hypostatice unita. Unde sicut unio hypostatica non poneretur vi verborum (imo nec per concomitantiam) si conversio fieret in lacrymas Christi per hæc verba: *Hæ sunt lacrymæ meæ,* sic neque ponitur, dum fit in Corpus, aut Sanguinem istis verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Licet ergo pronomen *meum,* aut *meus* connotet naturam humanam et personalitatem Verbi, ejusque hypostaticam unionem, non tamen per se et directe significat, imo neque connotat, ut ibi existentia, sed solum significat: hoc est Corpus (eadem est ratio Sanguinis), quod ad me, qui loquor, spectat, vel aliquando spectavit. Hucusque Bosco.

Dices: Si Christus Dominus dixisset: *Hoc est Corpus meum organizatum,* organizatio ex vi verborum deberet esse præsens: ergo a simili, quando dixit: *Hoc est Corpus meum,* ex vi verborum debet esse præsens unio hypostatica, per quam constituitur Corpus in ratione Corporis *mei,* idest, in ratione Corporis Christi. — **Nego consequentiam,** et ratio disparitatis est, quod organizatio sit forma intrinseca, ratio autem possessionis seu *mei* sit quid extrinsecum ad rationem Corporis præsentis, siquidem possum dicere de re etiam absente, quod revera est res mea, puta liber meus, vestis mea, unde homines dicentes, *Hoc est Corpus meum,* præcise non intelligunt rationem *mei* esse formaliter constitutivam Corporis in ratione præsentis, sed solum specificative, quasi dicerent: hic esse Corpus, quod est meum. Aliud autem est de denominatione organizati, quia sicut hæc significat formam intrinsecam, sic enim connotat formam præsentem ibi, ubi dicitur corpus organizatum. Cujus utique alia ratio non suppetit, quam communis usus loquendi hominum.

Tandem per *concomitantiam* huic divino Sacramento adest Divinitas, ac subinde tota adoranda personarum Trinitas, ut aperte docet S. Thomas, opusc. 63. cap. 2. part. 3. *Deus Pater,* inquit, *in Eucharistia totum, quod ipse est, et habet cum Spiritu sancto, in summo dedit.* Et infra: *Quocumque tempore, quocumque loco, a quocumque Sacerdote bono, vel malo, salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, totus Deus Pater cum Filio et Spiritu Sancto se totum singulis animabus ad fruendum exhibet.* Idem præclare exprimit Lanspergius, Tract. *De Eucharistia,* qui habetur cum pharetra divini amoris, ubi Christum Dominum ad animam sic loquentem inducit: *Cumque non habeam Corpus exangue, neque inanimatum, necesse est etiam concomitanter in eodem Corpore*

esse animam, Sanguinem, gratias, et virtutes meas, quibus omnibus Verbum cum sit unitum, hoc est, persona una Trinitatis, a qua reliquæ duæ personæ sunt indivisæ, sequitur totam Trinitatem huic Sacramento inesse, non minus vere, quam in cælo, licet aliena specie, puta Sacramentali velatam.

Quærunt autem nonnulli Recentiores Theologi, utrum ratione hujus concomitantiæ possimus asserere, quod tres divinæ personæ in hoc Sacramento manducentur? — **Respondet Lugo** n. 126. illam locutionem esse impropriam; quia, *inquit*, manducari importat motum localem, quo ab ore in stomachum trajicitur cibus, quod utique convenire non potest Patri, et Spiritui Sancto; Verbo autem tribuitur propter communicationem idiomatum, quam habet cum humanitate, quæ manducatur. — Vazquez autem disp. 185. n. 18. dicit, non esse inconveniens, quod tres personæ divinæ in Eucharistia suscipiantur, sicut et ipsa Divinitas; quippe cum ipsi Sacramento non solum ratione immensitatis, sed etiam ratione consecrationis propter naturalem earum cum Verbo connexionem, adsint. *Nec obstat*, quod nulla sit communicatio idiomatum inter Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum ex una parte, et inter Corpus et Sanguinem Christi ex altera. Sicut enim ad manducationem specierum panis, dicitur manducari Corpus, et ad potationem specierum vini, Corpus dicitur potari, etiamsi nulla sit inter Sanguinem et Corpus idiomatum communicatio; sic non obstante defectu communicationis idiomatum inter Patrem, ac Spiritum Sanctum, et inter Corpus et Sanguinem, non minus dicentur suscipi in Eucharistia. Neque enim ad id necessario requiritur idiomatum communicatio, sed sufficit, quod eo ipso, quo aliquid sumitur, pariter etiam sumatur quidquid est cum ipso peculiari modo connexum et conjunctum. — Quidquid sit, mihi videtur esse quæstio de nomine, in qua neuter loquendi modus censura dignus apparet.

Si autem requiras, qua ratione Pater, et Spiritus Sanctus censeantur peculiariter præsentes in Eucharistia? *Respondebo*, hunc specialem existendi modum ex eo censeri, quod si per impossibile non essent ubique præsentes, præsentes fierent sub speciebus consecratis propter præsentiam humanitatis unitæ Verbo, cum quo naturalem habent connexionem, ratione unius et ejusdem dignitatis. Hinc Ecclesia in Hymno ad Laudes Feriæ secundæ pie canit: *In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater.*

Conclusio tertia. — Totum Christi Domini Corpus est in singulis partibus specierum consecratarum, non solum post, sed etiam ante divisionem.

Primam partem hujus assertionis expresse docuit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de Eucharistia, ait: *Sub qualibet parte hostiæ consecratæ, et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Idipsum pariter expresse definivit sacrum Concilium Tridentinum, Sess. 13. cap. 14. *Si quis negaverit, in venerabili Eucharistiæ Sacramento sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Colligitur autem hæc veritas ex facto Christi, qui calicem consecratum Lucæ 22. dedit Discipulis, dicens: *Accipite, et dividite inter*

vos. Ex quibus apparet, singulos Apostolos dumtaxat particulam consecrati calicis sumpsisse: nullus autem refragari potest, singulos accipientes partem calicis Christum totum sumpsisse: igitur totus est sub qualibet particula hostiæ consecratæ.

Eamdem veritatem docent SS Patres, quos laudat et refert Gratianus, dist. 2. Imprimis vero S. Hilarius, ut refertur cap. 78. *Ubi pars,* inquit, *est Corporis, ibi est et totum*. Quod utique probat a simili, exemplo Mannæ, dicens: « Eadem ratio sit in Corpore Domini, quæ « in Manna, quod in ejus figura præcessit, de quo dicitur, qui plus « collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, invenit « minus; non est enim omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda « mysterio, sed virtus Sacramenti spiritalis ». Cui concinit Eusebius Emyssenus, Homil. 5. *De Paschate:* « Eucharistiæ sanctæ perceptio, « *inquit,* non in quantitate, sed in virtute consistit, nam corpus, Sa« cerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat « in toto ». Subscribit etiam S. Augustinus, ut refertur eadem distinct. cap. 75. dicens: *Manducetur Christus, vivit manducatus, quia surrexit occisus: nec quando manducamus, partem de illo facimus, et quidem in hoc Sacramento sic fit: et norunt fideles, quemadmodum manducent Carnem Christi, unusquisque accipit partem suam: unde et ipsæ gratiæ, partes vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus.*

Hæc omnia confirmat Ecclesia in Prosa decantari solita die sacro Corporis Christi, dicens: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.... Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.*

Probatur etiam secunda pars, nempe quod Christi Domini Corpus sit sub singulis partibus specierum consecratarum etiam ante divisionem. *Probatur,* inquam, non solum ex communi sententia Theologorum, sed etiam ratione theologica, quam ex Alensi et S. Bonaventura ad sex capita reducit Meurissius cap. 6. Sect. 6. quarum *prima* desumitur ex *utilitate fidei,* necnon et *vitatione erroris;* si enim totum Christi Corpus contineretur sub tota specie, et non sub qualibet illius parte, facile quis induci posset, ut crederet partem contineri sub parte, sicut totum sub toto, et inde fieret errandi occasio, scilicet existimandi, Corpus Christi esse commensurabile hostiæ per correspondentiam partium unius ad partes alterius. — *Secunda* sumitur ex *fractione,* et *divisione*. Fracta enim hostia, Christus est totus sub singulis partibus: sed constat, quod non est ibi, nisi virtute consecrationis: igitur cum consecrata sit hostia ante fractionem, nec fractio aliquo modo pertineat ad consecrationem, relinquitur quod ante fractionem, sicut et post, erat totus Christus sub singulis partibus specierum. Unde Innocentius Tertius: *Reor salva fide Majestatis, quod ubi est panis consecratus, totum in singulis partibus continetur; quod inde cognoscitur, quoniam in quotcumque partes species dividantur, in singulis est totus Christus.* — *Tertia* sumitur ex *conversione:* Christi Corpus ponitur in Sacramento per transsubstantiationem panis in ipsum: sed quælibet pars panis est panis, quia est totum homogeneum: ergo quælibet pars panis convertitur in totum Corpus. Unde Innocentius: *Ego sane concesserim, quod totalis panis in totale Corpus convertitur; ita tamen*

quod nulla pars panis in aliquam partem Corporis transit. — *Quarta* sumitur ex *significatione*, et veritate Sacramenti: Christus continetur in Sacramento, ut signatum in signo: sed ratio significandi est uniformiter in partibus, et in toto: ergo ad veritatem Sacramenti spectat, quod Christi Corpus uniformiter sit in partibus, et in toto. — *Quinta*, designetur aliqua pars hostiæ: aut ibi est totum Corpus, aut pars. Si totum, habetur propositum. Si pars, tunc dividatur: aut est pars: aut est totum. Si pars, ergo Christus est divisus, quod dici nequit. Si totum, et prius non erat: ergo plus continet hæc pars hostiæ, quam prius, ergo de necessitate est aliquid ibi conversum in partes, quod prius non fuerat, quod est absurdum. — *Sexta*, Christi Corpus sub Sacramento sublimatur ad excellentiorem modum essendi quam spiritus, spiritus enim tantum est in uno loco, Corpus autem Christi fit præsens pluribus: ergo si spiritus ita est in toto, quod etiam sit in qualibet parte, multo magis ita erit Corpus Christi.

Dices 1: Explicari non potest modus, quo Christi Corpus esset totum in tota, et totum in qualibet parte hostiæ consecratæ: igitur ille non est asserendus. — **Nego antecedens**: modus enim ille explicari potest per eum, quo anima est in corpore, vel Angelus in loco; quemadmodum enim anima ita tota est in toto corpore, ut etiam tota sit sub singulis ejusdem corporis partibus, nec minor in minimis partibus, quam in toto; sic Christi Domini Corpus ita dici potest totum in tota hostia consecrata, ut etiam totum sub qualibet etiam minima illius parte, nam, ut canit Ecclesia, *Tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.*

Instabis: Si totum Christi Corpus esset actu sub singulis partibus hostiæ nondum divisis, sequeretur, quod esset actu pluries, imo et infinities sub qualibet hostia consecrata per plures, et infinitas actu præsentias totales; sed *consequens* est impossibile; non enim dari potest infinitum actu: ergo et *antecedens*. *Patet sequela majoris*, nam in qualibet hostia sunt plures actu, imo et infinitæ partes proportionales: igitur si sub qualibet earum partium sit actu totum Christi Corpus, sequitur, quod sit pluries, imo et infinities totum in Eucharistia. — **Nego sequelam majoris**, ad cujus *probationem* distinguo: in qualibet hostia sunt plures, imo et infinitæ partes proportionales, quarum quælibet propriam præsentiam habeat, et sic numerum infinitum actu cum aliis efficiat, *nego:* sunt infinitæ partes proportionales, unica dumtaxat existentia actuali existentes, *concedo antecedens, et nego consequentiam*. Quamvis enim anima sit tota in qualibet parte Corporis, quæ in infinitum esset divisibilis, nihilominus non habet infinitas præsentias, sed dumtaxat unicam, quia omnes illæ partes habent dumtaxat existentias partiales, concurrentes ad unicam totalem corporis existentiam constituendam; ita, proportione servata, dicendum est de Christi Domini Corpore respective ad partes hostiæ consecratæ.

Dices 2: Nullibi ponitur Corpus Christi, nisi ex intentione consecrantis; sed intentio consecrantis non dirigitur ad ejusmodi singulas partes hostiæ, sed dumtaxat ad totam hostiam: igitur Christi Domini Corpus non ponitur sub hujusmodi partibus. — **Distinguo minorem**: non dirigitur explicite, *concedo:* implicite, *nego*. Intentio enim consecrantis dirigitur quidem explicite et directe ad totam hostiam, quæ

cum componatur et constituatur ex partibus, consequens est quod saltem implicite intendat constituere sub illis Christi Domini Corpus.

Quæres 1. *Utrum Christi Domini Corpus non solum sit sub partibus divisibilibus specierum, sed etiam sub indivisibilibus, seu punctis eas unientibus, et terminantibus?*

Respondeo, Doctorem videri negativam partem tueri dist. 10. q. 9. n. 3. ubi ait: *Corpus Christi non est præsens speciei alicui ad minus, nisi minimo sensibili; quia nulli indivisibili est præsens.* Unde hanc sententiam tamquam genuinam Doctoris mentem docet Hiquæus in *Commentario,* ad illa verba n. 12. et inter ejus assertores numerat Albertum in 4. dist. 13. art. 10. Richardum, dist. 10. art. 6. Ægidium theoremate 11. Vazquez, disp. 189. cap. 4.

Verum satius dicendum arbitror cum cæteris Scotistis, Doctorem Subtilem non recedere a communiori Theologorum sententia, nam eadem dist. 10. q. 5. n. 5. comparat præsentiam Corporis Christi in Eucharistia cum præsentia Angeli, dicens: *Nec illud* Corpus *est magis præsens hic alicui Corpori in ratione passi, quam si Angelus esset hic.* Angelum autem posse existere in puncto docet problematice 2. dist. 2. q. 6. n. 13. *Si tamen,* inquit, *posset* (Angelus) *esse in puncto, vel non, videtur ratio necessaria nec ad unam partem, nec ad aliam, quia licet Angelus sit indivisibilis, non habet tamen indivisibilitatem limitatam, sicut punctus; et ideo non oportet, ipsum esse in puncto, sicut in loco. Nec forte repugnat sibi esse in puncto, sicut in loco, quia nullum inconveniens videtur ex hoc inferri; quia si ex esse in puncto, sicut in loco, hoc inferatur, quod non possit moveri localiter; nisi spatium constaret punctis, non sequitur, posset enim immediate ex loco punctuali ferre se in continuum, cujus continui punctus est terminus.* Itaque hoc loco citato ex lib. 4, dist. 10. q. 9. n. 3. videtur solum argumentari ad hominem contra illos, qui admittebant Corpus Domini esse præsens minimo sensibili, et tamen dicebant, illud non esse naturaliter visibile, etiam oculo glorioso, quia non potest esse contactus physicus inter oculum et Corpus Christi, eo quod illud in Sacramento non respiciat species ratione quantitatis; quam rationem rejicit, quia minimum sensibile potest percipi a sensu perfectissimo. Ex quibus liquet Doctorem hac in sententia nihil expresse definire, ac subinde liberum esse ipsius Discipulis utramlibet partem tueri.

Itaque ad quæsitum *respondeo,* mihi probabilius videri, Corpus Christi revera existere sub quolibet indivisibili: *primo,* quia vi consecrationis ponitur sub speciebus, sub quibus ante consecrationem præerat substantia panis et vini: sed utriusque substantia, aut saltem aliquid ipsius præerat sub indivisibilibus: ergo cum alicubi non possit existere aliquid Corporis Christi, quin simul totum existat, quia est incorruptibile et impartibile, consequens est, quod totum debeat esse etiam sub illis indivisibilibus. *Major patet ex dictis. Minor vero probatur:* quodlibet indivisibile quantitatis est accidens, et subinde requirit aliquod subjectum, cui inhæreat: igitur aliquid substantiæ panis correspondere debebat ipsis indivisibilibus, antequam fieret consecratio. *Deinde,* vel singulis indivisibilibus hostiæ consecratæ, antequam fieret consecratio, correspondebat aliquid e substantia panis, vel nihil. Si

nihil, igitur substantia panis erat sub sua quantitate discontinua et divisa, et consequenter substantia Corporis Christi pani succedens erit similiter sub quantitate panis discontinuata et divisa, quod est absurdum; cum enim Christi Domini Corpus sit sub speciebus simili modo, quo Angelus est in loco, quemadmodum Angelus intelligi non potest esse in loco continue, nisi existat in indivisibilibus copulantibus partes loci, in quibus existit, etiam Christi Domini Corpus, non potest intelligi existere continue sub speciebus, nisi pariter existat sub indivisibilibus. Si vero aliquid de substantia panis ante consecrationem correspondebat indivisibilibus quantitatis eam afficientis, consequens est, quod sub eisdem indivisibilibus existere debeat totum Christi Domini Corpus, quippe cum occupet omnes partes specierum consecratarum, sub quibus præerat substantia panis et vini.

Dices 1: Corpus Christi ex statim dictis existit dumtaxat sub iis, sub quibus præerat substantia panis et vini: sed hæc non præerat sub indivisibilibus, cum enim sit corporea, trinam dimensionem exigit, sub qua existat. — **Distinguo majorem**: Corpus Christi est ubi præfuit substantia panis eodem modo, quo illa præfuit, *nego:* modo diverso, *concedo. Ad minorem* dico, quod cum substantia panis et vini sit corporea; ac subinde habeat partes entitativas, quæ sunt entitative divisibiles, et naturaliter exigunt trinam dimensionem, inde fit, quod illa non possit esse primo et per se sub istis indivisibilibus secundum se spectatis, sed præfuit sub illis prout continentur in partibus, quippe cum non possit esse continue sub ejusmodi partibus, nisi pariter existat sub indivisibilibus unientibus et continuantibus partes quantitatis; secus autem est de Corpore Christi Domini, quod licet divisibile sit secundum entitatem, quia tamen existit sub speciebus consecratis modo indivisibili, inde fit, quod etiam per se capax sit existendi sub indivisibilibus specierum consecratarum.

Dices 2: Si Corpus Christi sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ revera existeret, sequeretur, quod facta divisione hostiæ consecratæ, Christus incipiat esse sub aliquibus indivisibilibus, sub quibus antea non erat, idque absque nova consecratione, quod est absurdum. *Patet sequela;* dum enim hostia consecrata dividitur in duas partes, ex illa divisione consurgunt puncta, linea, et superficies de novo illas duas medietates hostiæ terminantes: igitur si totus Christus existat sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, facta illius divisione erit de novo, ubi antea non erat, absque nova consecratione. — **Respondeo** *primo,* negari posse sequelam *majoris,* dici namque potest, quod per divisionem hostiæ non producantur nova indivisibilia, sed ea solum, quæ ante fractionem hostiæ actu continuabant partes illius, et eas terminabant solum in potentia, per fractionem fiunt actu terminantia partes, quæ sunt actu divisæ, cum antea tantum essent potentia divisæ, seu tantum divisibiles. Unde, cum Christi Domini Corpus ex vi prioris consecrationis jam esset sub omnibus indivisibilibus, quæ partes hostiæ continuabant, non sequitur, quod per divisionem incipiat esse de novo, ubi antea non erat, sed tantum quod existat novo modo; ita quod cum ante divisionem hostiæ consecratæ esset in indivisibilibus, ut continuantibus partes illius, per divisionem autem existat in eisdem indivisibilibus, ut terminantibus partes, quæ ex hac

divisione resultant. *Dico secundo*, quod, quemadmodum Christi Domini Corpus per divisionem hostiæ incipit fieri præsens diversis et distinctis *ubi*, si partes illæ diversis in locis collocentur, idque absque nova consecratione, sic pariter per hostiæ divisionem posset fieri præsens quibusdam extremis, quibus antea præsens non erat, idque vi præcedentis consecrationis, quæ efficit, ut quomodocumque se habeat hostia consecrata, scilicet vel fracta, vel integra, vel quiescens, vel mota, semper sub illa existat Corpus Christi.

QUÆRES 2. *Utrum Christi Domini Corpus in Eucharistiæ Sacramento habeat suam quantitatem?*

AFFIRMO CUM SUBTILI DOCTORE, in 4. dist. 10. q. 1. n. 11. et communiori sententia Theologorum; cujus utique assertionis ratio est, quod Christi Domini Corpus existens in Eucharistia sit animatum, ac subinde perfecta organizatione ac membrorum dispositione constans: hæc autem organorum et membrorum figuratio et dispositio necessaria est ad animationem: *Si enim*, inquit Doctor, *non distet caput a pede, sed totum subintret totum usque ad minimam partem naturalem, jam non habebit ordinem partium in loco necessariam ad corpus animatum, nec figuram; anima enim est actus corporis organizati potestate vitam habentis*, lib. 2. *De Anima*, cap. 1. Hæc enim figuratio et organizatio tota non potest esse a forma corporeitatis, quæ tantum confert distinctionem partium substantialium: igitur debet esse a quantitate, virtute cujus Corpus illud habeat partes organizatas, distinctas et ordinatas tum in toto, tum inter se. Unde sequitur, quod Corpus Christi non possit esse in Eucharistia ad modum substantiæ sine ulla ordinatione partium: igitur necessum est, quod Christi Domini Corpus habeat eamdem quantitatem, quam habet in cælo existens.

Confirmatur ex Concilio Trident., Sess. 13. cap. 3. ubi ex vi naturalis connexionis inter Corpus vivum Christi et animam et Sanguinem, asserit hæc esse sub specie panis realiter: sed in reipsa major est connexio Corporis ad quantitatem et cæteras dispositiones naturales et accidentales, quam sit connexio ejus ad Sanguinem et animam, quantum ad inseparabilitatem (quidquid sit de compositione per se, et substantiali quam Corpus, et anima, et Sanguis efficiunt), quia separari possunt a Corpore, manente quantitate, et reliquis qualitatibus, ut separata fuerunt in morte, et manserunt in triduo: anima autem e contra nequit inesse sine quantitate in Corpore modo naturali: ergo ex vi connexionis naturalis magis sequitur, quantitatem et qualitatem inesse Corpori Christi in Eucharistia, quam animam et Sanguinem.

DICES: Quantitas non potest esse sine extensione partium; siquidem ratio formalis illius est extensio et indivisibilitas: sed Corpus Christi in Eucharistia est sine omni extensione et divisibilitate, nam, ut statim dicebamus, ibi existit ad modum substantiarum spiritualium, et potest esse sub indivisibilibus specierum: igitur nullam habet quantitatem. — **Respondeo**, duplicem distingui debere extensionem in quantitate, ut diximus in tertio Notabili: alteram in ordine *ad se*, alteram in ordine *ad locum*. Prior consistit in extensione et ordinatione partium inter se, ita ut una immediate uni continuetur et conjungatur, et illa mediante aliis; sic per eam extensionem caput immediate con-

tinuatur collo, et eo mediante corpori, cæterisque corporis partibus. Posterior vero consistit in situatione et extensione partium in ordine ad spatium, ita ut una pars corporis correspondeat uni, et altera alteri parti loci et spatii. Prior, ut diximus in Physicis, est de essentia quantitatis, et ab ea inseparabilis. Posterior vero est accidentalis et separabilis. Unde hæc separari potest a quantitate Corporis Christi, manente priori. Non enim minus est de ratione quantitatis reddere subjectum impenetrabile cum alio corpore, quam loco extensum: sed quantitas Corporis Christi potuit privari sua impenetrabilitate, ut patet ex eo, quod prodierit ex utero Virginis, absque omni reseratione virginalis secreti, et exierit ex sepulchro, immoto lapide et sigillo; similiter ingressum fuerit ad Discipulos januis clausis: igitur pari ratione corpus quantum poterit spoliari sua commensuratione, et extensione in ordine ad spatium.

Cætera quæ solent objici, jam plenissime dissolvimus, tum in Logicis, cum in Physicis, ubi demonstravimus, essentiam quantitatis consistere formaliter in extensione partium in ordine ad se. *Adde quod* non sit in hoc mysterio ratiocinandum, quemadmodum in cæteris rebus naturalibus; nam, ut loquitur Innoc. III, lib. 4. *De hoc mysterio*, c. 9. *In hoc Sacramento credere jubemur, discutere prohibemur.* Unde Concilium Trid., Sess. 13. c. 1. præclare asserit, *Corpus Christi esse Sacramentaliter præsens ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustrata, assequi possumus.* Nec obstat, quod S. Aug., Epist. 150. ad Dardanum, scribat: *Tolle spatium corporibus et nusquam erunt, neque erunt.* Hæc enim dixit de rebus existentibus in loco naturaliter, non vero per comparationem ad omnipotentiam divinam; fatentur enim omnes SS. Patres, Deum posse quodlibet corpus, cujusvis magnitudinis, in quovis minimo loco constituere, ut præcipue docent S. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, etc. explicantes hunc locum Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire*, etc. Nam, ut præclare ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, Orat. 36. *Quid prohibet quominus hæc fiant, si Dei voluntas ita tulerit?*

Quæres 3. *Utrum Christi Domini Corpus sit unitum speciebus Eucharisticis?*

Respondet Doctor, dist. 10. q. 6. n. 4. Corpus Christi non esse unitum speciebus aliqua unione naturali, qualis est unio materiæ cum forma, actus cum potentia, et partis cum toto; sed tantum per actum voluntatis divinæ, quia Deus ea voluntate, qua instituit Eucharistiam, determinavit, ut Corpus Christi fieret præsens sub speciebus post consecrationem, et tamdiu illud subsisteret, quamdiu species illæ incorruptæ perseverarent; ac subinde tota hæc unio dumtaxat extrinseca est.

Quod utique probatur; si quæ enim esset unio intrinseca Corporis Christi cum speciebus, illa esset vel accidentalis, vel substantialis: sed neutra est. Non quidem substantialis, quia inter substantiam et accidentia non intercedit unio substantialis: porro Christi Corpus est substantia, species vero sunt accidentia: igitur, etc. Non etiam est accidentalis, quia unita hic se non afficiunt sicut in unione accidentaria; neque enim Corpus Christi est quantum quantitate specierum,

nec earum qualitate, puta colore, calore, frigore, aut sapore afficitur: igitur, etc.

Dices 1: Corpus Christi sustentat species sacramentales; siquidem idipsum præstat, quod præstabat substantia panis circa species: sed illa sustentatio non fit nisi per conjunctionem et unionem cum Christi Corpore, quemadmodum fiebat, cum adesset substantia panis: igitur revera species Christi Corpori uniuntur. — **Nego minorem**; species enim illæ non per Christi Corpus, sed per divinam potentiam sustentantur; nec aliud præstat Christi Domini Corpus sub speciebus, quam ut ibi sit, ubi substantia panis prius aderat, et sub ipsis accidentibus delitescat. *Nec obstat*, quod species dicantur instrumentum conjunctum Corporis Christi: et quod ipsis corruptis Corpus esse desinat, hæc enim facile fieri possunt, et intelligi per unionem extrinsecam, qua divina voluntas voluit uti speciebus ad conferendas uberes gratias per collationem Christi Corporis, et tamdiu dumtaxat Corpus conservare præsens Sacramentaliter, quamdiu species adessent incorruptæ.

Dices 2: Sacramentum Eucharistiæ constat signis, et rebus: ergo inter illa reperitur vera constitutio, proinde compositio, ex qua quidpiam unum resultet. — **Respondeo**, non satis inde colligi veram constitutionem, scilicet per unionem intrinsecam constituentium, sed tantum constitutionem moralem et sacramentalem, ad quam sufficit unio constituentium ex pacto, ex qua consequenter resultat unum quidpiam morale et sacramentale.

Dices 3: Ex unione extrinseca non satis colligitur absentia panis, nam remanente substantia panis posset Christus fieri præsens in Sacramento: sed destruitur substantia panis: ergo ex præsentia Christi debet colligi quædam perfectior unio, quam ex solo beneplacito divino. — **Respondeo**, potuisse quidem Deum efficere Christum præsentem in Sacramento, conservando substantiam panis; quia tamen aliter statuit, voluit quoque, destruendo substantiam panis, Christi Corpus unire remanentibus accidentibus, ita ut quemadmodum desitio panis procedit ex sola divina voluntate, ita quoque unio Corporis cum accidentibus ex ea voluntate proveniat.

Quæres 4. *Quid sit formaliter præsentia Sacramentalis Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia?*

Respondeo *primo*, esse aliquid reale; cum enim Christus sit realiter præsens speciebus in Sacramento, fieri non potest, ut illud, per quod formaliter est præsens, non sit aliquid reale. *Adde quod*, ratione hujus præsentiæ a nobis formaliter sumatur, et eadem ratione dicatur propinquum, vel distans ab aliis rebus, quibus comparatur. Similiter est aliquid intrinsece afficiens Corpus Christi; intelligi enim non potest, quomodo Corpus Christi sit revera sub speciebus, cum antea non esset, nisi intelligatur nova præsentia in speciebus ad Corpus, et vicissim in Corpore ad species; unde, inquit Doctor dist. 10. q. 1. si species habent novum respectum ad Corpus Christi, pari ratione Corpus illud habebit novum respectum ad species; nam, si species sunt de novo præsentes Corpori, etiam et Corpus est de novo præsens speciebus.— *Respondeo secundo*, præsentiam illam formaliter non esse *modum aliquem substantialem*, ut vult Suarez, 3. p. disp. 47. sect. 1. *Tum*

quia modus substantialis adesse vel abesse non potest sine reali substantiæ mutatione : sed præsentia illa adest et abest sine substantiali mutatione Corporis Christi : *tum* quia substantia non censetur perfecte completa sine suo modo substantiali : sed corpus Christi est omnimode substantialiter completum sine tali Sacramentali præsentia : ac subinde illa non est formaliter aliquis modus substantialis. — Non est etiam aliquod *accidens absolutum : tum* quia accidens absolutum non advenit de novo alicui subjecto sine reali et physica illius immutatione : at Corpus Christi, cum sit gloriosum et impassibile, est incapax omnis mutationis realis et physicæ : *tum* quia omnis illa nova præsentia Christi Corporis ad species est tantum penes acquisitionem novi *ubi*, ita quod Corpus Christi sub speciebus habeat novum *ubi*, quod antea non habuerat : at ratio formalis *ubi* non est aliquid absolutum, sed respectivum : igitur, etc. — Non est etiam *respectus intrinsecus* adveniens ; siquidem ille respectus exurgit necessario ex positis fundamento et termino ; non possunt enim esse duo alba secundum eosdem gradus, quin sint omnino similia : at præsentia Corporis Christi ad species necessario non exurgit ex positione utriusque, siquidem revera potest esse, et de facto est, Corpus Christi in rerum natura, absque eo quod sit præsens sub speciebus etiam revera existentibus, si nempe panis ille, cujus sunt species, non consecretur.— Restat igitur dicendum, quod illa præsentia Sacramentalis sit tantum *respectus extrinsecus* adveniens, ut optime docet Doctor, loco supra laudato n. 10. « Oportet, *inquit*, ponere ad salvandam realem præsen- « tiam Corporis Christi hic, quod in ipso sit aliqua præsentia ad spe- « ciem panis, quæ prius non fuit; alioquin non magis esset nunc præ- « sens hic, quam prius ; illa enim mutatio, quæ est circa species, sci- « licet, quod prius erant in subjecto, nunc autem sunt sine subjecto, « nihil facit ad hoc, quod Corpus Christi de non præsente istis fiat « realiter præsens istis, ut supra probatum est, quia illa habet alios « terminos per se ab illa, qua non præsens fit præsens : ergo necesse « est ponere aliquam mutationem in Corpore Christi acquisitivam illius « præsentiæ novæ ». *Paucis interpositis*, subdit: « et si quæras, ad quod « genus pertineat hæc mutatio, et terminus istius mutationis? dico: « si Angelus ponitur de novo præsens alicui Corpori, dicitur quidem « esse in loco definitive, eo modo, quo sibi potest convenire esse in « loco; et sic dicitur mutari, licet illa mutatio multum distet a vera « mutatione secundum *ubi*. Adhuc autem quantum ad aliquas condi- « tiones præsentia Corporis Christi speciei magis recedit a vera ra- « tione *ubi*, quia nullo modo per istam præsentiam determinatur sic « ad unum *ubi*, quod sibi repugnet aliud. Sed Angelus per novum « *ubi* sic determinatur ad illud, ut sibi repugnet aliud. Et si habes « pro inconvenienti, aliquam mutationem qualemcumque in Corpore « Christi realiter esse ; dico, quod necesse est ponere talem aliquem « respectum extrinsecus advenientem, qui scilicet non necessario se- « quatur fundamentum, et terminum posita in actu ; quia omnis re- « spectus sic consequens necessario est intrinsecus adveniens, ut osten- « sum est in quæst. 2. *De charactere*, contra primam opinionem : « ergo respectus potest advenire extrinsecus de novo, sine alio quo- « *cumque* novo, vel in fundamento, vel in termino. Sic ergo non est

« inconveniens Corpus Christi esse de novo præsens alicui non ha-
« benti novam formam absolutam, nec novum respectum respectu ejus,
« vel si habet hujusmodi novum respectum, pari ratione et Corpus
« Christi habebit novum respectum ejus ; quia si species sunt de novo
« præsentes Corpori Christi, et Corpus est de novo præsens eis (etsi
« enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est
« relatio realis mutua), non erit tunc inconveniens dare in Corpore
« Christi talem mutationem ad respectum extrinsecus advenientem.
« Et si objicias, ad respectum non est mutatio; solutum est in quæ-
« stione de charactere. Et si omnino arguas: ille respectus extrinsecus
« adveniens, qui dicitur præsentia simplex, ad quod genus pertinet?
« Potest dici, quod magis proprie reducitur ad genus *ubi* inter omnia
« genera respectuum extrinsecus advenientium ; quia in pluribus cum
« illo respectu convenit, et si forte non sit proprie in genere, sequi-
« tur, quod decem genera non sufficienter evacuarent totum ens. Quod
« non est inconveniens, eo modo, quo Philosophi loquuntur de ratio-
« nibus eorum, quia non repugnat sub ente inveniri aliquem respe-
« ctum, puta Angeli ad lapidem, qui non habet aliquam rationem
« respectus in genere, ut ipsi loquuntur. Non tamen sequitur ex hoc,
« plura genera esse, quam decem, sed quod rationes eorum, vel ratio
« alicujus eorum non assignatur sub ratione communi, sicut posset
« assignari ». — His omnibus, inquit Hiquæus in *Commentario*, Doctor tria docet : *primum*, quod non salvari possit præsentia Christi nova et Sacramentalis sine aliqua mutatione in Christo reali, quia de novo fit hic Christus realiter, ubi antea non fuit. Talis autem mutatio non repugnat Christo, quia licet mutatio, quæ fit ad corruptionem, non conveniat corpori glorioso et impassibili, non tamen repugnant mutationes quoad respectum, qui non infert mutationem substantialem ; nam ante Ascensionem habuit plures tales, ut visionis, locutionis, manducationis et loci post Resurrectionem. *Secundum*, quod docet, hanc præsentiam, et mutationem reduci ad mutationem secundum *ubi*. *Tertium* est, præsentiam illam esse relationem extrinsecus advenientem. *Ita Hiquæus.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID, ET QUOMODO CHRISTUS DOMINUS AGERE POSSIT IN EUCHARISTIA.

Notandum 1. Cum Doctore Subtili, in 4. dist. 10. q. 5. duplicem esse actionem, immanentem scilicet, et transeuntem. *Immanens* dicitur, quæ recipitur in agente, in eo remanet; quæ quidem adhuc in homine duplex distinguitur; alia enim est corporea, ut sensatio, seu operatio sensuum; alia vero spiritualis, ut intellectio, et volitio. *Transiens* dicitur, quæ non remanet in agente, sed transit in aliud ; sic calefactio ab igne transit in lignum, quod calefit. Quæritur autem, quænam ex hujusmodi actionibus Christo Domino conveniat, quatenus in Eucharistia existit.

Notandum 2. Ex eodem Doctore ibidem, n. 2. intelligi posse, quod duobus modis aliquid insit Christo Domino; scilicet, vel primo et per se, vel tantum secundario et concomitanter. *Primo, aliquid dicitur*

inesse Christo, ut hic, inquit Doctor, *quod sibi inesset, etsi nusquam alibi esset, nisi hic: concomitanter autem dicitur aliquid inesse hic, quod primo inest sibi, ut alibi, et ex hoc sibi inest ut hic, propter identitatem subjecti et formæ.* Hoc est, aliquid censetur inesse Christo, ut existenti Sacramentaliter primo et per se, quando illud ita inest, ut absolute ipsi non inesset, etiamsi Christus Dominus alibi existeret; concomitanter autem quando ipsi Sacramentaliter existenti ea tantum ratione inest, quod ipsi insit, ut alibi existenti, idque propter identitatem subjecti et formæ.

Notandum 3. Quæstionem moveri posse, vel de ea operatione, quæ inest Christo Domino de facto virtute antiqui miraculi, vel de ea, quæ inest de novo per miraculum et extraordinariam Dei potentiam.

Quibus præmissis, Doctor ita luculenter, ac plane hujus quæstionis solutionem tradit et expendit tribus conclusionibus, ut non aliud nobis incumbendum videatur, quam illius resolutionem exscribere, ac nonnullis additis explanare.

Conclusio prima. — Omnis operatio immanens, quæ primo inest Christo Domino ut in cælo existenti, eidem concomitanter inest ut existenti in Sacramento. Ita Doctor, et

Hanc Conclusionem sic probat: nullum absolutum desinit esse in aliquo propter novum respectum extrinsecus advenientem: sed operatio immanens est forma absoluta: igitur propter præsentiam Sacramentalem, quæ est novus respectus extrinsecus adveniens, non desinit illa operatio inesse suo subjecto.

Reponunt aliqui, *majorem* esse veram de forma simpliciter absoluta, qualis non est operatio, ipsa enim habet respectum potentiæ ad objectum. — **Verum, inquit Doctor,** hæc responsio prorsus est evanida, nam qualitates *in fieri* dependent ab approximatione agentis, ut patet de calore et frigore, et aliis qualitatibus, ad quas est alteratio, et tamen in esse suo sunt simpliciter absolutæ. Similiter operationes in suo fieri non requirunt talem respectum, et hoc ubi fiunt concomitanter, et non primo; apparet enim, quod si Corpus Christi in cruce fuit infrigidatum, frigus etiam fiebat in Corpore Christi existentis in pixide concomitanter, sed non primo, et ad illud fieri non requirebatur approximatio agentis ad passum ibi: ergo a simili ista qualitas, cum sit in se absoluta, licet in fieri requirat præsentiam objecti ad potentiam, hoc non erit, nisi ubi primo insit: potest ergo concomitanter inesse sine tali respectu.

Instabis: Operatio est in continuo fieri: secus aliæ qualitates: ergo requirit continuam approximationem potentiæ ad objectum. — **Respondeo cum Doctore** nostro ibidem: licet sit in fieri continue, tamen non sequitur quin concomitanter possit inesse, et continue in fieri sine objecti præsentia vel approximatione. Sicut enim calor potest in fieri Corpori in Eucharistia sine approximatione agentis, ut ibi, « ita si esse caloris « esset in fieri, semper posset causari calor in Corpore in hostia, et « tamen sine tali approximatione; non enim magis requiritur conti- « nuus respectus ad fieri continuum quam ad fieri transiens, respectus « pro tunc præsens ».

Et si replices: Operatio respicit objectum non tantum ut est causa

in fieri, sed etiam in ratione terminantis: sicut ergo impossibile est, operans esse, et non terminari ad objectum, sic impossibile est, quod alicubi insit, et ut ibi non terminetur ad objectum præsens. — **Respondet Doctor,** n. 4. « Quod non oportet, objectum esse præsens « propter terminationem actus, sed tantum propter causationem, ita « quod quando est aliqua causa sufficiens ipsius actus, non requiritur « præsentia objecti propter terminationem. Quod utique probat a simili: « sicut, *inquit,* patet de vidente creaturam in essentia divina; dato « enim, quod illa sit causa visionis creaturæ, non requiritur creatura, « ad quam terminatur hæc visio, præsens propria præsentialitate ». Hic videtur Doctor asserere ad cognitionem intuitivam non requiri objectum terminativum præsens; cujus contrarium docet variis in locis, ut infra dist. 45. q. 2. § *Ad quæstionem,* etc. in probatione secundi; et in 3. dist. 14. q. 3. et in 3. dist. 3. q. et alias sæpe, ubi intuitivam esse ait rei existentis et præsentis. Sed *respondet Hiquæus,* eum loqui hic de cognitione intuitiva late sumpta, cujus plures modos assignat, ut patet in 3. dist. 14. q. 3. ubi distinguit perfectam, et imperfectam intuitivam. Quando ergo dicit non requiri præsentiam objecti ad terminandam intuitivam, intelligit de intuitiva improprie dicta, seu imperfecta, ut exemplum subjectum indicat, de quo in primo dist. 2. q. 4. Potest et teneri universaliter doctrina, quia ideo requiritur præsentia objecti, quia seipso immediate concurrit in propria existentia, et præsentia ad intuitivam: quod ergo sit ipsius, ut præsentis, tamquam terminativi, ideo est, quia sic est ipsius, ut motivi, et moventis.

Probat secundo Doctor, principaliter de sensatione: « Si anima « Christi, *inquit,* intelligeret præcise secundum modum intelligendi « animæ viatoris, nimirum ex phantasmatibus, non haberet intelle- « ctionem intuitivam istius, vel alterius objecti, sine sensatione con- « comitante ejusdem objecti: ergo cum illam intellectionem haberet « eamdem hic, et alibi, sequitur, quod etiam haberet, ut hic, sensa- « tionem requisitam ad ipsam, sed tamen concomitanter, non autem « primo et per se ».

Probat tertio: « Quia passio appetitus sensitivi, utpote dolor, « eadem infuisset hic et ibi: ergo sensatio eadem. *Antecedens proba-* « *tur,* quia mors secuta fuisset hic, sicut ibi: ibi autem sequebatur « ad dolorem immoderatum: ergo et hic. *Consequentia primo probatur,* « quia non est idem sine eadem causa; et hoc non ponendo miracu- « lum, et loquendo de causa naturali præcisa: dolor est effectus sen- « sationis, vel objecti nonnisi sensati: ergo non potest esse idem dolor « sine sensatione eadem absque miraculo ».

Si respondeas, quod ad hoc sufficeret actus imaginationis in Christo. — **Contra hæc,** *inquit,* dupliciter: *primo,* quia responsio destruit se, non enim possibile est actum imaginationis inesse, cui actus secundum sensum non potest inesse, quia imaginatio est motus factus a sensu, 2. De Anima. *Secundo,* quia imaginatio non est causa doloris ejusdem secundum speciem, cujus causa est sensatio exterior, alioquin somnians doleret dolore ejusmodi speciei cum dolore vigilantis.

Tandem addi potest ratio efficax, quam habet Doctor Subtilis post argumentum: « Operatio, *inquit,* est perfectio potentiæ operativæ,

« et in ipsa consistit beatitudo ipsius potentiæ; ipsam etiam conse-
« quitur delectatio proportionata perfectioni operationis, ut constat
« ex 10. *Ethic.*, ergo si oculus Christi, ut in Sacramento, careret vi-
« sione quam habet in cælo, careret hic sua propria beatitudine, eo
« modo, quo visus dicitur beatificabilis; careret etiam delectatione con-
« sequente illam operationem perfectam, et tunc sequeretur quod ocu-
« lus Christi, ut in Sacramento, esset miser, et cum dolore et tristitia,
« quod enim tollit delectationem, est dolorosum et triste, quod tamen
« nemo dixerit ».

Conclusio secunda. — Operatio spiritualis, ut intellectio et volitio, possunt primo et per se inesse Christo existenti in Eucharistia, non autem sensatio. Utraque pars est Doctoris loco supra laudato, et

Primam probat n. 5. ubi ait: « Quia anima Christi nunc beata
« intelligit sicut Angelus, quoad hoc, quod non dependet a sensibus,
« nec ex sensibilibus in intelligendo: ergo sicut Angelus alicubi exi-
« stens posset intuitive intelligere objectum sibi proportionaliter præ-
« sens, ita anima Christi ibidem existens potest illud objectum intueri:
« ergo anima Christi, ut hic, potest intuitive intelligere illa intelligi-
« bilia, quæ sunt, ut hic, præsentia; sicut Angelus posset, utpote in-
« tuitive videre Angelum hic præsentem, et animam Sacerdotis. Hæc
« autem intuitio inest illi animæ Christi: primo, ut hic, quia non
« inest illi animæ primo, ut in cælo, supposito quod immoderata di-
« stantia impediat intellectionem intutivam creatam, sic enim Ange-
« lus existens in cælo intuitive non videt quidquid præsens hic videt
« intuitive ». Ex quibus infert Doctor, quod Christus propter suum *esse* in Eucharistia non tantum non privatur aliqua operatione, quam habet ut in cælo, sed ut in Eucharistia est, habet aliquam operationem primo, quam per consequens concomitanter habet ut in cælo, utpote intellectionem et volitionem cujuscumque objecti, cujus Angelus hic præsens haberet; et per consequens non est ad imperfectionem suam, quod sit in Eucharistia, sed ad ampliorem perfectionem.

Secundam autem partem sic probat: « primo, quia organum sensus
« non est in Corpore Christi in Eucharistia sub modo illo, qui requi-
« ritur ad hoc, quod immutetur ab objecto, quia oportet, quod tale
« habeat modum quantitativum, et sic sit localiter in loco, ad hoc ut
« patiatur a corpore objecto ».

Probat secundo: « Christus, ut in Eucharistia, non est objectum
« approximatum, ita enim est hic præsens cuicumque corpori, ut
« agenti, ac si non esset præsens, quia sic hic est, ac si nusquam es-
« set, quantum ad rationem patiendi a corpore; esse enim corpus
« agens requirit passum sibi approximatum localiter; sic autem non
« est hic Corpus Christi localiter, sed solum species est hic isto modo;
« nec illud est magis præsens hic alicui corpori in ratione passi, quam
« si Angelus esset hic: ergo nulla sensatio potest sibi inesse primo,
« ut in Eucharistia existit ». Ita Doctor; ex quibus inferre licet, Christum habere dumtaxat sensationem in Eucharistia concomitanter et *secundario*, non autem primario et per se. — *Nec obstat*, quod ejus

organa in Eucharistia non sint extensa, nec habeant modum quantitativum et divisibilem, qui videtur necessarius ad sensationem; nam, inquit Doctor n. 6. modus ille quantitativus non requiritur, ut concomitanter recipiatur sensatio, sed tantum ut primo et per se fiat; iste enim modus quantitativus, inquit, requiritur in organo ad hoc, quod primum sibi infiat sensatio; sed non requiritur ad hoc, quod concomitanter sibi infiat, vel insit, quia non est causa necessaria recipiendi sensationem hujusmodi modus quantitativus, sed tantummodo conditio requisita per comparationem ad agens primo transmutans.

Conclusio tertia. — CHRISTUS UT IN SACRAMENTO EXISTENS AGERE POTEST ACTIONE PHYSICA TRANSEUNTE IN PASSUM EXTERNUM. Ita Doctor, dist. 10. q. 7. ubi cum probasset n. 2. quod Christus in Eucharistia non potest uti aliqua potentia corporea activa, adeoque quod non possit, ut in Sacramento existens, primo nutriri, aërem respirare, localiter movere seipsum vel aliud corpus sibi approximatum; *Quia*, inquit, *omnis potentia activa corporea requirit passum, in quod agat approximatum sibi localiter: ista autem potentia, ut est hic, non est alicui localiter approximata: ergo ut est hic non potest habere passum sibi approximatum, sicut requiritur ad actionem talis potentiæ. Major patet* ex 7. Physic. *ubi probatur, quod oportet agens corporeum approximatum esse passo mediate, vel immediate.* Postmodum num. 3. affirmat, « quod Christus in Eucharistia potest uti quacumque potentia activa spirituali, quia illa non requirit ad actionem, « quod habeat esse localiter, quia etsi agens per principium spirituale « sit in loco, non tamen requiritur, quod sit ibi localiter, ad hoc, quod « agat. » Quam utique assertionem explicans, statim subjicit: « quod « Christus in Eucharistia potest uti quacumque potentia activa spiri- « tuali. Hoc probatur per medium oppositum, quia illa non requirit ad « actionem, quod habeat esse localiter, quia etsi agens per principium « spirituale sit in loco, non tamen requiritur, quod sit ibi localiter, « ad hoc quod agat ». — Explicans vero istam conclusionem in speciali dicit: « Quod Christus in Eucharistia potest habere aliquam « actionem mere spiritualem, tam ex parte principii, quam ex parte « termini; et potes t habere aliquam spiritualem ex parte principii « agendi, corpoream tamen ex parte termini. *Primum probat*, quia, « *inquit*, si esset aliquis Angelus præsens Christo in Eucharistia, pos- « set anima Christi illum Angelum illuminare, et illi loqui locutione « mentali, eo modo quo Angelus existens ubi Christus est posset « alium Angelum illuminare, vel alii loqui, nam ista illuminatio, et « locutio non requirit nisi principium activum sufficiens in illumi- « nante et loquente, et subjectum capax ex parte illuminati, sive « cui fit locutio, et forte approximationem secundum ubi definitivum, « seu approximationem simplicem illuminantis ad illuminatum, vel « loquentis ei, cui loquitur; nec requiritur ibi localiter esse, sicut nec « si unus Angelus loqueretur alii. Hæc autem omnia sunt in propo- « sito. Qualiter autem anima Christi habeat principium illuminandi « Angelos, et loquendi eis intellectualiter, supponatur ex 3. lib. « dist. 13. et 14 ». *Secundum*, scilicet, quod potest habere actionem spiritualem ex parte principii, tamen corporalem ex parte termini,

declaratur sic, « quia, *inquit*, Angelus habet potentiam motivam secun-
« dum locum, non organicam. Patet; quia non potest habere poten-
« tiam aliquam organicam; illa enim potest esse principium movendi
« corpus secundum totum, non secundum partes, quomodo corpus
« nostrum movetur organice: quælibet autem anima intellectiva talem
« potentiam habet: ergo potest esse principium motus, et per conse-
« quens illa est mere spiritualis ex parte principii, quia nullo modo
« organica, et tamen corporalis ex parte termini, quia ejus terminus
« est motus localis corporalis. — *Et si arguatur*, quod tunc anima
« hominis habet duplicem potentiam activam motivam secundum lo-
« cum respectu corporis; habet enim unam organicam, et præter il-
« lam, aliam non organicam: hoc autem ponere, videtur superfluum:
« *tum* quia videtur esse rationis ejusdem cum altera: *tum* quia altera
« potentia non potest exire in actum suum pro statu isto, ut mani-
« festum est. — *Respondeo:* sicut anima quantum ad multa alia si-
« milis est Angelo, ita etiam quantum ad potentiam motivam corporis
« non organicam; non enim est ratio, quare ista substantia non habet
« hujusmodi potentiam motivam corporis; et universaliter nulli na-
« turæ debet negari, quod esset in ea perfectio, nisi manifeste appa-
« reat, quod tale sibi repugnat, quia secundum Philosophum 2. *de*
« *Generatione* in fine: *Dignificanda est natura semper secundum me-*
« *lius, quantum possibile est.*

Quod autem anima Christi habeat hanc potentiam locomotivam, ita declarat n. 5. « Hanc potentiam locomotivam non organicam, *inquit*,
« suppono esse in anima Christi, quia etiam erit in anima cujuslibet
« Beati, non tantum quantum ad habitum, sed quantum ad actum,
« vel usus possibilitatem. Hac etiam poterit uti mediate, movendo
« aliquod corpus secundum se totum, sicut Angelus posset movere.
« Hac etiam forte usus est Christus in vita ista, ut quando elapsus
« est de manibus Judæorum, qui ducentes eum ad montem, super
« quem erat civitas eorum sita, voluerunt ipsum præcipitare: quando
« etiam elapsus est de manibus parentum, et mansit in Jerusalem, ut
« patet, secundum Origenem super illud Luc. 2. *Cum factus esset Jesus*
« *annorum duodecim*. Ergo anima Christi in Eucharistia existens,
« poterit uti ista potentia, movendo species illas, vel hostiam, et forte
« sic aliquando mota est hostia a Christo immediate. *Et si quæras*
« numquid prius movit Corpus suum per istam potentiam motivam
« quam hostiam? — *Respondeo:* non fuit necessarium, sicut, nec
« oportet Angelum prius movere se localiter ad hoc, ut corpus sibi
« approximatum moveat localiter ».

Petes: *Utrum Christus, quatenus existens in Eucharistia, possit per virtutem suam naturalem aliud in se transmutare?* — **Negat Doctor** ibidem n. 2. et 6. ubi docet, quod Corpus Christi, quatenus in Eucharistia existens, non possit uti aliqua potentia activa corporea, quia omnis potentia activa corporea requirit passum, in quod agat, sibi approximatum localiter, hoc est modo divisibili et extenso in ordine ad locum: at Christi Corpus non potest habere passum hac ratione sibi approximatum, ut illud in se convertat: igitur illud non potest in se transmutare.

Dices 1: Potentia activa, ex Philosopho 5. Metaphys. *Est principium mutandi aliud, in quantum aliud:* sed Christus in Eucharistia habet potentiam activam, quia habet omnem formam absolutam, quam habet in existentia naturali: igitur ut est in Eucharistia, habet principium transmutandi: atqui habens principium transmutandi, per illud transmutare potest aliquid in se: igitur, etc. — **Respondet Doctor** n. 6. « quod ista descriptio de potentia activa, scilicet quod est prin- « cipium transmutandi, etc. debet intelligi quantum est ex parte sui; « sed multa impedimenta possunt provenire, vel ex parte habentis, « vel ex parte objecti, vel medii, propter quæ non potest habens illam « potentiam exire in actum ». Ita Doctor; ex quibus inferre licet, quod etsi Christus Dominus habeat omnem potentiam activam in Eucharistia, quam habeat in cælo, et habuit dum viveret vita mortali, inde non est consequens, quod ea possit uti; siquidem nec habet passum sibi debite approximatum, nec virtutem extensam et expeditam ad agendum actione corporea transmutativa.

Dices 2: Corpus Christi, ut in Eucharistia existens, potest nutriri; sed nutritio fit per transmutationem substantiæ alimenti in substantiam aliti; igitur ut sic existens Christus potest aliquid in se transmutare. *Major patet;* quia, inquit Aristoteles 2. *De Anima,* textu 47. *Homo vivens vita mortali semper nutritur:* sed Corpus Christi in Eucharistia vixisset vita mortali, si Christus semper mortalis fuisset: igitur semper nutriretur, et alimentum in suam substantiam converteret. — **Distinguit majorem Doctor,** q. 6. n. 12. Corpus Christi in Eucharistia potest nutriri, quatenus nutritio sumitur pro aggeneratione partis substantiæ ipsi toti nutrito, *concedit:* quatenus sumitur pro actione conversiva alimenti in substantiam aliti, *negat:* « Quia, *inquit,* nutritio Corporis « Christi in Eucharistia non fieret per nutrimentum approximatum, « ut hic, sed tantum esset hic concomitanter, propter conversionem « nutrimenti alibi approximati, et propter identitatem substantiæ hic « et ibi, quam oportet ubique habere easdem partes. Unde, ut addit « q. 7. n. 6. bene sequitur, quod Corpus hic nutritur, si nutritur in « existentia naturali; sed non sequitur, ergo ut hic agit, quia nutritio « non est nisi aggeneratio partis substantiæ nutritæ, et ista aggene- « ratio potest esse per actionem virtutis nutritivæ, sive ut hic, sive « ut alibi ».

Dices 3: Homo vivens vita mortali semper indiget respiratione aëris et inspiratione, dum enim respirare cessat, suffocatur et extinguitur: si autem Christus semper vixisset vita mortali, quatenus existens in Eucharistia, fuit mortalis, ac subinde debuisset aërem respirare: hæc autem respiratio fit per transmutationem aliquam, quippe per eam mouuitur et temperatur calor naturalis hominis: igitur etc. — **Respondet Doctor** *ibidem,* quod Corpus Christi, ut existens in Eucharistia, non respirat aërem, nec expirat; quia, *inquit,* necessum esset, quod aër admitteretur simul cum Corpore Christi in hostia, quod est absurdum. Attamen verum est, quod Corpus Christi sub hostia habeat pulmonem refrigeratum, sicut haberet alibi existens existentia naturali, quia frigus causatum per aërem ibi attractum, causatur hic concomitanter, licet non primo.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM, ET QUID CORPUS CHRISTI PATI POSSIT IN EUCHARISTIA.

Præsens quæstio non movetur de passione dolorem aliquem inferente; certum enim est, quod cum Christi Domini Corpus, quatenus existens in Eucharistia, sit omnino gloriosum et immortale, etiam est prorsus impassibile et incorruptibile. Sed difficultas est de passione correlativa et terminativa actionis. Unde duo potissimum hic occurrunt determinanda: *primum*, utrum Christi Domini Corpus possit esse subjectum alicujus motus corporalis et localis. *Secundum*, utrum possit esse terminus alicujus operationis creatæ ad ipsum terminatæ, puta visionis intellectualis, aut corporeæ. Quæ ut resolvantur et aperiantur facilius,

Notandum 1. Aliquid moveri posse localiter duobus modis, nempe vel *per se*, vel *per accidens*. Movetur *per se*, quando videlicet motus in ipso immediate recipitur; *per accidens* autem, quando scilicet movetur ad motum alterius, cum quo vel naturalem et necessariam habet connexionem, vel in quo includitur; sic ad motum corporis anima dicitur moveri, et ad motum vasis alicujus etiam movetur loco liquor in eo contentus, et ad motum navis movetur homo in ea existens, licet in se omnino maneat immotus. Quæritur autem utrum Christi Domini Corpus per accidens revera moveatur ad motum specierum propter necessariam illius cum ipsis conjunctionem; an vero hic motus fiat dumtaxat a solo Deo, et per divinam ipsius voluntatem.

Notandum 2. Ex Doctore, dist. 10. q. 8. n. 5. intellectum humanum considerari posse, vel quatenus est corpori conjunctus, tam in via, quam in patria; vel quatenus est ab eo separatus, et prout intelligit et operatur independenter ab omnibus phantasmatibus, quemadmodum intelligunt Angeli. Porro de intellectu hoc utroque modo considerato quæritur, an videre possit naturaliter Christi Corpus, ut existens in Eucharistiæ Sacramento. Per *ly* autem *naturaliter*, inquit Doctor, non intelligitur sola natura intellectus, quia anima est sicut tabula rasa, quæ nihil potest ex se sola cognoscere; sed intelligitur natura intellectus, concurrentibus aliis causis naturalibus, scilicet activo et passivo. Ly autem *videre* importat intellectionem intuitivam, ut distinguitur contra intellectionem abstractivam: *Intellectio autem intuitiva*, inquit Doctor ibidem, *est cognitio rei ut in se est præsens; abstractiva autem potest esse ejus secundum quod relucet in aliqua similitudine, quæ potest esse existentis, et non existentis, præsentis, sive non*. Adeoque manifestum est, quod noster intellectus, etiam adhuc alligatus sensibus, possit abstractive intelligere Corpus Christi; impossibile est enim, inquit Doctor *supra*, aliquam complexionem concipere, cujus extrema non concipiuntur: possibile est autem, intellectum nostrum concipere hanc complexionem: *Corpus Christi in Eucharistia*, alioquin non posset illam formare: ergo intellectus noster, et istam complexionem, et ejus extrema potest cognoscere, et intelligere aliqua intellectione. Hoc præclare docet S. Augustinus, 8. *De Trinit.*, cap. 4. et 5. ubi diffuse docet, quomodo habeámus fidem de Christo, cum tamen Christum non vi-

derimus; utique in quibus intentionibus communibus acceptis a singularibus: « quia, *inquit Doctor supra* n. 6, nihil interest ad fidem « nostram, utrum erremus in quibusdam conditionibus singularibus « conceptis de Christo, quia fides nostra non respicit per se illas con- « ditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, « cujus notitia potuit nobis inferi ex notitia cujuscumque singularis « hominis; ita etiam existentia Corporis Christi hic, potuit nobis inferi « ex alia existentia, utpote alicujus contenti in continente, seu signati « in signo, vel tecti in tegente ».

Notandum 3. Corpus Christi videri ut existens in Eucharistia, dupliciter posse intelligi, scilicet secundum sensum specificativum, vel reduplicativum. Per sensum *specificativum* significatur, Corpus Christi existens quidem in Eucharistia videri posse, præscindendo a modo, quo ibi existit, ita quod ipsum Corpus videatur quidem, non tamen secundum modum, quo existit. Per sensum autem *reduplicativum* significatur, idem Corpus videri posse, non modo existens in Sacramento, sed etiam secundum modum, quo ibi existit. Quæritur ergo, utrum hoc utroque modo, aut saltem alterutro, Christi Domini Corpus videri possit in Eucharistia ab oculo tum intellectuali, cum corporali; idque tum glorificato, tum viatore; et tam naturaliter, quam supernaturaliter.

Conclusio prima. — Christi Domini Corpus in Eucharistia existens nullo modo moveri potest localiter ab agente creato, tam per se, quam per accidens; sed ad motum specierum movetur immediate a Deo.

Prima pars, nempe quod non possit per se moveri localiter, communis est apud Theologos, et facile probatur, quia, quod non est proprie in loco, non potest moveri localiter: sed Corpus Christi non est in Sacramento, tamquam in loco: igitur, etc. *Major constat;* moveri enim localiter est mutare locum, seu relinquere unum locum, et acquirere alterum: ergo quod non est in loco, non potest moveri per se localiter. *Minor* etiam patet ex dictis; siquidem Christi Domini Corpus non est sub speciebus, tamquam in loco circumscriptivo; quippe cum ibi suas dimensiones quantitativas non habeat; neque definitivo, quia ubi definitivum spectat tantum ad substantias spirituales, quæ cum ex natura sua non sint quantæ et divisibiles, etiam postulant esse naturaliter in loco modo omnino indivisibili; secus est autem de Corpore Christi, quod cum ex natura sua sit quantum, etiam postulat habere partes correspondentes partibus loci; unde tantum per miraculum accidit, quod existat sub speciebus ad modum substantiarum spiritualium.

Secunda pars autem probatur a Subtili Doctore, dist. 10. q. 6. n. 4. Illud tantum movetur per accidens ad motum alterius, quod est proportionatum virtuti motivæ illius agentis, quod movet ipsum alterum, et quod est cum ipso altero conjunctum naturali quadam necessitate, seu sicut actus est in potentia, seu sicut pars est in toto; sic enim v. gr. ad motum lapidis movetur per accidens tum gravitas, tum albedo ejus, quia uterque ista qualitas est proportionata virtuti motivæ illius moventis, quod movet lapidem, ac insuper est conjuncta

lapidi naturali quadam necessitate, vel tamquam proprietas, vel tamquam accidens suo subjecto: sed si Angelus exhiberet se præsentem voluntarie lapidi, non sequeretur, quod movens aliquod corporeum (v. g. Petrus) qui quidem moveret ipsum lapidem, moveret consequenter per accidens Angelum: *tum* quia Angelus non est proportionatus virtuti talis moventis: *tum* quia Angelus nulla necessitate, sed sponte et voluntarie est unitus lapidi; quo fit ut moto ipso lapide, si Angelus moveatur, non movebitur per motionem talis moventis, sed per seipsum immediate, qui voluntate continua decernit se fieri præsentem isti lapidi, quocumque asportetur, et ubicumque existat. At res eodem modo se habet in proposito, quia nec Christi Corpus Sacramentaliter existens est proportionatum virtuti Sacerdotis moventis species, nec est unitum speciebus naturali quadam necessitate, sed voluntate divina: ergo Christi Corpus non movetur per accidens ad motum specierum, sed immediate a Deo.

Dices 1: Quod movet aliquid per se, movet per accidens quidquid est in illo: sed Sacerdotes movent hostiam consecratam: igitur per accidens movent Corpus Christi, quod per se est in hostia. — **Respondet Doctor,** *majorem* esse falsam, *Nisi,* inquit, *intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia* (ut anima in corpore), *vel sicut pars in toto* (ut caput in corpore), *vel* sicut aliquid necessitate naturali conjunctum, ut grave illi, cui innititur (v. g. homo navi, cui insidet, aut cervisia vasi, cui impenetrabiliter includitur). *Si enim tantum per actum voluntatis contingenter conjungitur hoc illi, movens istud non propter hoc movebit illud; sed oportet, quod illa voluntas, quæ est causa conjunctionis, sit etiam causa motionis illius, quod nulla naturali necessitate conjungitur moto.*

Dices 2: Si Corpus Christi non moveretur ad motum specierum, sequeretur, quod quoties Sacerdos hostiam moveret, toties intercederet novum miraculum, quia illa translatio fieri non posset subsistente veritate Eucharistiæ absque speciali actione divina; sed hoc consequens gratis admittitur: ergo et id unde sequitur. — **Negat sequelam Doctor ibidem;** quia, *inquit,* Deus ea voluntate, qua instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinavit facere Corpus Christi semper præsens speciei post consecrationem; et ideo specie manente, qualitercumque transferatur, quod Deus faciat Corpus præsens alia præsentia, loquendo de præsentia respectu continentis, sicut species habet aliam præsentiam, et aliam, ut primo continens, non est novum miraculum, sed antiqua determinatio voluntatis divinæ, sicut si Angelus determinasset per voluntatem, quod semper simul esset cum isto lapide, non diceretur miraculum, quia transfertur, translato lapide; non tamen transferens lapidem per actionem suam transferret Angelum, sed Angelus voluntate propria se moveret.

Dices 3: Corpus Christi continetur sub speciebus eo modo, quo continebatur substantia panis: sed substantia panis ita continebatur, ut moveretur per accidens ad motum specierum: igitur pariter Corpus Christi moveri debet ad motum specierum. *Confirmatur:* Corpus Christi dicitur a Sacerdotibus publice gestari in processionibus, deferri ad ægrotos, post consecrationem elevari, et deponi super altare: sed hæc essent falsa, nisi moveretur per accidens: igitur censendum est ita

revera moveri. — **Distinguo majorem**: Corpus Christi continetur sub speciebus eo modo quo panis substantia, quatenus ita realiter existit sub speciebus, sicut ipsis prius inerat substantia panis, *concedo:* quatenus ipsi conveniat id omne, quod competebat substantiæ panis, *nego.* Et concessa *minore, nego consequentiam.* Sicut enim Corpus Christi non est subjectum accidentium, quæ ipsi non inhærent, sicut inhærebant substantiæ panis, nec est in loco, nec per se recipit motum localem, sicut id præstabat substantia panis, ratione specierum; ita nec movetur per accidens ad motum specierum, quia videlicet non habet naturalem connexionem cum ipsis speciebus. *Ad confirmationem, nego minorem;* ut enim hæc omnia vera sint, non est necesse, quod Sacerdos moveat Corpus Christi per aliquam virtutem et actionem physicam, de qua solum hic agitur, sed sufficit, quod id exequatur actione et virtute morali ac ministeriali, quemadmodum ea sola virtute consecrat et Christi Corpus conficit.

Dices 4: Major requiritur virtus ad constituendum Christi Domini Corpus præsens sub speciebus Eucharisticis, quam ad illud movendum de loco in locum, ubi jam semel sub eis speciebus realiter existit: sed ad primum efficiendum sufficit quæcumque virtus supernaturalis: ergo ad præstandum secundum sufficiet virtus naturalis. — **Respondeo negando majorem**; sicut enim nullum ens creatum potest virtute naturali conferre Corpori primam præsentiam Sacramentalem, ita neque Corpori jam habenti unam præsentiam Sacramentalem potest dare alteram, ut priorem auferat, quia non est minus supernaturalis secunda, quam prima; et quod prima præcesserit, nihil refert, quia nec dedit Corpori naturalem aptitudinem ad similem præsentiæ modum, neque auxit virtutem causæ agentis, nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectus; nam ipsamet præsentia prior appetit suam conservationem, et suo modo resistit formaliter alteri præsentiæ sibi incompossibili.

Conclusio secunda. — Intellectus hominis viatoris non potest naturaliter videre Corpus Christi existens in Eucharistia; id vero potest intellectus Angeli, vel hominis beati, sive solutus a corpore, sive ei conjunctus. Utraque pars est Doctoris dist. 10. q. 7. quarum

Primam sic probat: intellectus, qui non intelligit nisi ex sensibus, eodem modo intelligit, quando sensibilia eodem modo permanent, neque variantur: sed intellectus noster pro statu viæ est ejusmodi, et accidentia sensibilia sunt ei eodem modo præsentia, et omnino invariata postquam Corpus Christi jam est præsens, sicut erant antequam illud esset præsens; ac subinde objectum eodem modo intelligit: sed prius quam Christus esset sub accidentibus panis et vini, intellectus noster, videndo ejusmodi species, non videbat intuitive ibi Corpus Christi; quia revera ibi nondum erat: ergo cum species eodem modo remaneant ante, et post consecrationem, sub eis intellectus hominis viatoris deprehendere non poterit Corpus Christi.

Secundam partem probat Doctor, n. 7. nempe quod intellectus sive Angelicus, sive animæ separatæ, sive hominis beati possit videre naturaliter existentiam Corporis Christi in Eucharistia: « Quia intel-

« lectus, *inquit,* se habens ad intelligibilia, sicut ipsa sunt intelligi-
« bilia, prius intelligit istud, quod prius est intelligibile in se, et per
« consequens, quod est prius in se ens; quia unumquodque sicut se
« habet ad esse, ita ad veritatem, idest intelligibilitatem secundum
« se, inquit Aristoteles 2 *Metaph.* intellectus autem talis, nempe An-
« gelicus, vel separatus respicit totum ens, et quodcumque secundum
« ordinem suæ intelligibilitatis: substantia autem est prior sicut in
« entitate, sic in cognoscibilitate quocumque modo ipsius substantiæ:
« ergo talis intellectus prius intelligit ipsam substantiam, quam quem-
« cumque modum ejus; et per consequens nullus modus, sub quo est
« substantia, potest impedire intellectionem substantiæ a tali intellectu.
Ita Doctor. — Brevius autem hanc rationem sic conficit: « Modus
« accidentalis per se objecti non impedit cognitionem illius objecti:
« sed ista præsentia in Eucharistia est modus accidentalis substantiæ
« Corporis Christi: ergo non impedit substantiam illam cognosci ab
« intellectu, cujus ipsa est per se objectum: est autem per se obje-
« ctum istius intellectus abstracti, qui non dependet in intelligendo
« a sensibilibus: igitur, etc. » *Confirmatur*: quia si quid obesset, quo-
minus Corpus Christi, quatenus in Eucharistia existens, videri posset
ab ejusmodi intellectu, maxime quia illius existentia est supernatu-
ralis quoad modum: sed hæc ratio nulla est; siquidem supernaturalitas
entis, etiam quoad entitatem, non impedit, quominus illud sit visi-
bile ab intellectu Angelico, vel humano beato, idque quantum ad co-
gnitionem, tam abstractivam, quam intuitivam: igitur, etc. *Minorem
probat Doctor,* n. 9. Si quid obesset, quominus ens supernaturale vi-
deri posset a tali intellectu, maxime, quia gradus supernaturalitatis
ei confert tantam perfectionem, ut istud objectum sit improportiona-
tum tali intellectui: sed hæc ratio nulla est; « nam, *inquit Doctor,* im-
« perfectum ens posset esse supernaturale, et naturale aliquod posset
« esse perfectius eo; nam omnis substantia est perfectior omni acci-
« dente ex 7. *Metaph.,* et tamen alicui substantiæ, quæ est ens natu-
« rale, potest inesse aliquod accidens supernaturale ».

Confirmat Doctor, quia virtutes Theologicæ, ut charitas, et ejus-
modi, sunt in determinata specie qualitatis; et secundum multos An-
gelus habet naturaliter principia cognoscendi istas virtutes, licet sint
entia supernaturalia, non tantum in modo, sed etiam in substantia,
et specie physica, seu quatenus sunt virtutes in entitate a cæteris di-
stinctæ, ut probavimus agendo de istis virtutibus: igitur, etc.

Dices 1: Factibile supernaturale non est naturaliter factibile: ergo
cognoscibile supernaturale non est naturaliter cognoscibile. — **Distin-
guit consequens Doctor,** n. 12. « Si supernaturale, *inquit,* ubique per
« se determinat illud, cui additur, potest concedi *consequentia,* sicut
« etiam *antecedens,* et tunc *minor* est falsa, quod ista scilicet exi-
« stentia sit cognoscibile supernaturale, idest, numquam adæquate
« per vires naturales cognoscibile. Si autem supernaturale non deter-
« minat per se illud, cui additur, sed quoddam aliud implicitum, ut-
« pote ens, *consequentia* non valet; quia in *antecedente* per se de-
« terminat ipsum sub ratione factibilis, et ideo repugnat ei hoc, quod
« est fieri naturaliter; in *consequente* vero non determinat cognosci-
« bile sub fieri, et ideo non repugnat ei cognosci naturaliter ».

Dices 2: De existentia Christi in Sacramento habemus fidem; igitur habere non possumus cognitionem naturalem intuitivam. *Consequentia patet;* quia cognitio fidei est eminentior omni cognitione naturali. — **Respondeo** *primo, distinguendo antecedens:* habemus fidem pro hoc statu vitæ, in quo non possumus hujusmodi existentiam Corporis Christi intuitive cognoscere, quia, ut sic, intellectus in intelligendo dependet a phantasmatibus, *concedo:* pro statu patriæ, quando intellectus omnino liber est in intelligendo ab hujusmodi sensibilibus, *nego. Addo quod* de eodem subjecto possit haberi cognitio naturalis, et fides; nam fide credimus Deum existere, cujus tamen existentiam naturaliter novimus. *Ad probationem consequentiæ* respondet Doctor, n. 12. « Quod hæc propositio est falsa, scilicet, quodcumque cognitum per « fidem excellit quodcumque cognoscibile naturaliter, loquendo de « cognoscibili ab intellectu abstracto.... quia Angeli intuitive pote- « runt naturaliter cognoscere Christum pati, et mori, sicut poterant « naturaliter cognoscere ipsum vivere vita humana; nos autem de illa « morte habemus cognitionem fidei; nulla autem cognitio intuitiva « (in ratione Corporis præcise) multo perfectior est nostra ænigmatica, « et de eodem subjecto; ita dico de existentia Corporis Christi in Eu- « charistia ». *Hæc Doctor.*

Dices 3: Si existentia Christi in Eucharistia posset deprehendi ab intellectu Angelico, consequens esset, quod dæmones possent hoc mysterium cognoscere, quia secundum S. Dionysium, 4. *De divinis nominibus,* in dæmonibus naturalia remanserunt integra: sed hoc *consequens* videtur falsum; non enim conveniens est, quod inimici gratiæ possint cognoscere Sacramentum gratiæ: igitur hæc existentia non est naturaliter cognoscibilis ab Angelo. — **Respondet Doctor** *ibidem,* quod si dæmones permittuntur a Deo uti sua naturali potentia cognitiva, possunt intelligere quodcumque intelligibile causatum, et per consequens possunt intelligere cogitationes cordium, et mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effectu: sed, sicut dicit Magister, l. 2. dist. 2. multa possunt ex natura sua, quæ non permittuntur eis; et ita supponitur, quod non permittitur Angelo malo videre secretum cordis; et hoc modo, et non alio, posset videri Corpus Christi in Eucharistia: sic ergo supponitur, quod non permittitur videre mysteria gratiæ. — Pari ratione Doctor exponit auctoritatem *SS. Ambrosii et Damasceni,* quas sibi n. 2. pro negante parte objecerat; auctoritatem quidem S. Ambrosii dicentis in 1. cap. Lucæ, quod malignum spiritum latuerit mysterium Incarnationis, exponit, inquam, Doctor de mysterio Incarnationis: non absolute, inquit, siquidem quilibet Angelus malus posset videre vel cognoscere integritatem Mariæ, tam in mente, quam in carne, æque sicut potest cognoscere tactum digiti ad digitum vel aliam intellectionem naturalem alicujus intellectus, sed non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur Redemptio nostra; si enim cognovissent, numquam Deum gloriæ crucifixissent, idest, numquam me redimi ejus morte procurassent. *Ad Damascenum,* lib. 4. cap. 14. dicentem de hoc Sacramento: *Spiritus operatio ea, quæ naturam superant, efficit, quæque nisi sola fide capi, atque intelligi nequeunt.* Et paulo post: *Tu quoque nunc quæris, quomodo panis Corpus Christi, et vinum cum aqua conjunctum Sanguis Christi fiat? Tibi item re-*

spondeo: Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit, quæ rationis facultatem, ac mentis intelligentiam excedunt, respondet Doctor eum loqui de nobis pro statu isto, vel si etiam de Angelo, non potest esse verum de naturali potentia intellectus Angelici, sed tantum de potentia Angeli ut permissi, et hoc de malo Angelo. *Ita Doctor*, n. 13.

QUOD SI ITERATO OBJICIAS: Nullus intellectus creatus potest cognoscere futurum contingens: Corpus Christi esse sub Eucharistia est æque indeterminatum, sicut futurum contingens, quia dependet mere a voluntate divina, ad hoc contingenter se habente: ergo, etc. — **Respondet continuo Doctor** *supra*, quod contingens, dum est contingens, scilicet dum est in causa sua, non potest sciri ab intellectu creato; sed quantumcumque aliquid contingenter sit in causa sua, postquam tamen contingenter positum est in esse, sicut jam habet determinatam entitatem, ita etiam potest habere determinatam cognoscibilitatem, et hoc in quocumque intellectu respiciente totum ens; licet ergo aliquis intellectus non possit præscire, quod in illa hostia continebitur Corpus Christi, tamen ex quo istud factum est, bene potest intellectus naturaliter intueri Corpus Christi ibi existens.

DICES TANDEM: Intellectus Angelicus vel separatus nihil videt naturaliter, nisi per species congenitas; nullas enim potest a rebus accipere: sed intellectus ille non potest habere species congenitas de existentia Corporis Christi modo Sacramentali; hoc enim mysterium est omnino contingens, ut statim dictum est: igitur nec potest illam naturaliter videre. — **Nego majorem**; nam, ut diximus in 4. volumine, cum Angelus et anima separata habeant intellectum agentem et possibilem, utriusque ope et beneficio possunt novas species ab objectis depromere, et cudere, quarum beneficio hujusmodi objecta videant et intelligant, ut expresse docet Doctor in 2. dist. 3. qu. 11. num. 4. Unde n. 5. concludit, quod etsi Christus Dominus omnia viderit in Verbo ab instanti suæ Conceptionis, attamen cum habuerit intellectum agentem et possibilem, potuit novas cognitiones acquirere circa objecta singularia: « Patet, *inquit,* in Christo, qui, licet « omnia viderit in Verbo ab instanti suæ conceptionis in utero Vir« ginis, tamen fuit in eo intellectus agens et possibilis, alias non « fuisset perfectus, et eodem modo si vidisset omnia in genere pro« prio, habuisset intellectum agentem et possibilem. Ideo similiter, « posito quod Angelus species omnium receperit ab instanti suæ « creationis, et non possit non esse in actu, cum sit præventus ab « agente superiori, tamen est perfectionis naturalis suæ, quod habeat « potentiam, qua possit in operationem suam, si non esset præventus « a superiori agente ».

Conclusio tertia. — CORPUS CHRISTI IN EUCHARISTIA NON POTEST VIDERI NATURALITER AB OCULO CORPOREO; IMO NEQUE DIVINITUS, SI PARTICULA, ut existens, SUMATUR REDUPLICATIVE. Hæc Conclusio quoad utramque partem videtur communior et certior, quarum

Prima facile probatur: *tum* quia Christi Corpus, ut existens in Eucharistia, non potest approximari organo visus localiter, quippe cum ibi localiter non existat: sed sine tali approximatione videri non potest, nam, ut videatur, debet immutare organum facultatis sensi-

tivæ: non potest autem illud immutare, nisi ipsi localiter approximetur: igitur, etc. *Tum* quia, inquit Doctor, qu. 9. num. 1. « Quid« quid videtur sub pyramide, cujus basis est in re visa, et conus in « oculo: ergo Corpus Christi videretur sub tali pyramide: sed dari non « potest basis pyramidis, sub qua Corpus Christi videatur, quia illa « esset simul cum base pyramidis, sub qua videretur hostia; nam ubi« que est Corpus cum hostia, et tunc Corpus Christi et hostia simul « viderentur sub æquali angulo correspondenti: sed quæ videntur « sub eodem angulo videntur æqualia: ergo Corpus Christi videretur « æquale speciei; sequeretur etiam, quod Corpus Christi videretur ut « rotundum, quia basis, sub qua videtur species, est rotunda ».

Secundam partem sic probat idem Doctor ibidem num. 5. « Se« cundo dico, quod nulla visio, etiam sic causata, posset esse Corporis, « ut hic primo; quia hæc includeret Corpus ut hic, vel esse causam « primo visionis, vel esse proprium et primum terminum visionis: « sed Corpus ut hic neque potest causare primo, neque terminare « primo, quia tam causatio quam terminatio talis requirit in objecto « primo causante vel terminante dispositionem debitam, et hoc se« cundum locum, utpote approximationem et distantiam debitam: « sed Corpus istud ut hic non potest debite approximari organo, vel « distare debite, quia non est in loco ut hic; nec miraculum ad hoc « juvat, quia Corpus ut hic absolute non est visibile, nec ut causa« tivum visionis, nec ut terminativum: miraculum autem non est « ad illud, quod includit contradictionem ». Simili modo loquitur in *Reportatis* (Coloniæ impressis) 4. dist. 10. qu. 9. n. 8. « Dico, quod « nec oculus, nec sensus glorificatus, nec non glorificatus, nec per « miraculum, nec naturaliter potest videre Christum in Altari ». *Rationem subjicit:* « quia objectum terminativum visionis, quod im« mutat potentiam, est in loco determinato, quomodo non est Corpus « Christi in Eucharistia. Unde non potest Deus facere, quod Corpus, « ut non dimensive, vel ut non in loco, sit visibile, neque quod ut « sic manens terminet vel immutet visum. Sed bene potest facere, « quod istud videatur non sic manens, sed non simul utrumque ». Quibus verbis luculentissime, ut sic loquar, negat omnipotentiæ productionem visionis sensitivæ Corporis Christi, prout est in Eucharistia, saltem reduplicative, imo forte etiam specificative, ut advertit Hiquæus in suo *Commentario* ad illum locum num. 31. Quod probabile esse docet Suarez, disp. 53. sect. 4. concl. 2. De cætero tota ratio Doctoris nostri, ob quam negat simpliciter oculum corporeum posse cernere Christum, prout est in Sacramento, videtur in hoc consistere, quod tam operatio, quam tendentia potentiæ sit extensa, et non secundum aliquod punctum indivisibile, adeoque minime possit in aliquod indivisibile tendere, præsertim si careat debita approximatione et distantia secundum locum.

Dices: Inde sequi, quod Beatus possit decipi credendo in Eucharistia esse substantiam panis. — **Respondet** 4. dist. 10. qu. 9. num. 6. Quod sensus etiam noster non decipitur circa Eucharistiam; quod enim percipit per se, hoc est ibi, scilicet quantitas, figura, color, et hujusmodi; nec est possibile modo, quod circa Eucharistiam decipiatur visus noster, sed tantum intellectus, arguens de his, quæ sensus ap-

prehendit, quod ibi est substantia panis. Hoc autem argumentum est sophisticum, licet enim hoc eveniat, ut in pluribus, non tamen necessario. Sane in Beato evenire potest, utpote qui, ut dictum est Conclusione præcedenti, clare videt per intellectum independentem pro illo statu a phantasmate, absentiam panis, et præsentiam Corporis.

INSTABIS: Lux si esset punctualis, videretur, vel esset visibilis: *tum* quia sphærice se diffunderet, *tum* quia reflexio fit a solo puncto corporis reflectentis, et tamen illud videtur, a quo fit reflexio. — **Respondet Doctor** *supra* num. 7. « Quod lumen punctuale non multi- « plicaret se ad organum corporale, ita quod esset visibile, secundum « communem opinionem, quæ dicit, quod non est possibile indivisibile « moveri, ex 6. *Physic.* sed hoc discussum est in 2. lib. dist. 2. *De* « *Motu Angeli;* ubi autem num. 36. usque ad 40. probat indivisibile « posse moveri. *Et cum probas, prosequitur Doctor,* quod sphærice se « multiplicaret; negandum esset secundum istam viam; imo prius oportet, quod ipsum haberet in se indivisibilitatem quantitativam, quam « ageret in quantum passum ». *Ad secundam probationem de reflexione luminis:* « Non cogit, *inquit,* quia in illa reflexione primum agens non « est illa lux punctualis, quæ tangit corpus, a quo fit inflexio (si ta- « men lux punctualis esset ibi), sed est ipsum primum objectum, a « quo multiplicatur illa lux; idem enim agit in visione recta, reflexa, « et fracta. Unde punctus tangens superficiem speculi non multiplicat « radium reflexum, sed primum luminosum, quod usque ad speculum « multiplicat lumen suum, illud etiam immediate in ratione causæ « multiplicat radium reflexum. *Rationem attexit:* quia agens natu- « rale, ex quo agit secundum ultimum suæ potentiæ, quando impe- « ditur agere secundum illam lineam, quæ est maxime conveniens « actioni naturali, puta rectam, quæ est brevissima, agit secundum « eam, secundum quam potest, scilicet secundum lineam reflexam. « Et hæc est ratio, quare non videtur in speculo imago ipsa corporis « multiplicata usque ad speculum, sed ipsum corpus, cujus est imago ».

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRIS, SUSCEPTORIBUS, ET EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

POST dissolutos ac partim dissectos omnes difficultatum nodos, quibus hæretici nedum, sed etiam Scholastici Doctores Catholici hunc Tractatum implicare solent ac obnubilare, explicatu et conceptu longe faciliorem materiam (quæ agitanda superest) aŭspicamur tribus in sequentibus Sectionibus declarandam, quarum *prima* aperiet, quis sit legitimus hujus Sacramenti Minister: *secunda,* quis et qualis esse debeat illius Susceptor: *tertia,* quinam sint præcipui illius Effectus.

SECTIO PRIMA.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

CUM hoc Sacramentum, ut ex dictis liquet, sit permanens, ac jugiter post confectionem perseverans, in eoque essentia ab usu distinguatur, duplex est ejus Minister: alter conficiens, cujus potestas et

ministerium maxime versatur in consecranda materia, et conficiendo hoc divino Sacramento; alter tantum dispensans, qui prius consecratam materiam, et confectum Sacramentum distribuit. De utroque autem in hac Sectione disserendum est: utrum videlicet hujus Sacramenti consecratio et dispensatio soli et omni Sacerdoti novæ Legis conveniant; quod utique præstabimus in duabus sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM CONSECRATIO HUJUS SACRAMENTI ITA SIT PROPRIA AC PECULIARIS SACERDOTIBUS NOVÆ LEGIS, UT A NULLO ALIO ETIAM IN CASU NECESSITATIS FIERI POSSIT.

Notandum 1. Eum inter cæteros fuisse Wicleffi errorem, ut refert Waldensis, Tom. 2. cap. 28. ut hæreticus ille existimaret Ministrum proprium et ordinarium hujus Sacramenti esse quidem Sacerdotem; verum ubi absente Sacerdote conficiendæ Eucharistiæ urgeret necessitas, quemlibet Laicum ad hoc ministerium posse evocari. Eumdem errorem pridem sepultum et extinctum denuo suscitavit Lutherus, qui lib. *De captivitate Babylonica*, cap. *De Ordine*, aperte docet, in casu necessitatis quemlibet Christianum virtute solius Baptismi, absque alia ordinatione, posse Eucharistiam conficere, et institutos tantum fuisse Ministros ad removendam confusionem oriundam inter fideles, si unusquisque pro libito hoc mysterium conficere attentasset. Unde lib. *De Instituendis Ministris Ecclesiæ*, audacter pronuntiat: « Dici- « mus, *inquit*, hoc officium consecrandi esse omnibus commune, atque « Sacerdotibus; idque non nostra, sed Christi asserimus auctoritate, « dicentis in Cœna novissima: hoc facite in meam commemorationem ». Idipsum docet Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 17.

Notandum 2. Certum esse ex dictis de Sacramentis in communi, quemlibet Sacerdotem, quantumvis pravum, et corruptis moribus, posse valide Eucharistiam consecrare, sicut et alia Sacramenta ministrare, et conficere; quippe cum hæc consecratio fiat auctoritate, et verbis Christi; sicut enim, inquit Magister Sentent., dist. 13. ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum Sanctum suam efficit Carnem et Sanguinem. Unde S. Gregorius: *Putant quidam, communionem Corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu! in quam magnum laqueum incidunt, ut divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus, idemque Spiritus Sanctus in tota Ecclesia invisibiliter ea mysteria, et operando sanctificet, et sanctificando benedicat.* Verum difficultas est de Sacerdote hæretico, schismatico, et degradato.

Notandum 3. Eam fuisse doctrinam Magistri Sentent. quod Sacerdos hæreticus, schismaticus, et degradatus non haberet amplius potestatem consecrandæ Eucharistiæ; quia, inquit, dist. 13. nemo dicit in ipsa consecratione *offero*, sed *offerimus*, quasi ex persona Ecclesiæ, et ideo cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Verum hæc doctrina ab omnibus Theologis respuitur, maxime a Doctore Subtili, ut patebit infra.

Conclusio prima. — Solius est Sacerdotis novæ Legis Eucharistiam conficere et consecrare. Hæc est de fide determinata in Concilio Lateranensi sub Innocentio III et refertur, cap. *Firmiter*, his verbis: *Hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorumque Successoribus Jesus Christus.* Idipsum docuerat Concilium Nicænum, can. 14. ubi correcturum abusum Diaconorum, qui alicubi Eucharistiam Sacerdotibus porrigebant, hanc rationem profert: *Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut si qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt Corpus Christi porrigant.* Sed clarissime omnium Tridentinum, Sess. 22. c. 1. *Christus*, inquit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum, sub speciebus panis et vini, Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit.* Quod et Can. 2. repetit; oppositum sentientes anathemate percussit.

Idem docent SS. Patres, maxime S. Hieronymus, dialog. *Adversus Luciferianos,* ubi de quodam Hilario schismatico dicit, quod Eucharistiam non potuerit conficere, quia Diaconus tantum erat. Idem pariter affirmat S. Chrysostomus, lib. *De Sacerdotio,* maxime vero secundo, ubi Sacerdotum dignitatem super Angelicam evehit: *Quia,* inquit, *per Sacerdotes Christum induimus, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur.* Unde infert quantæ sit dignitatis munus, quod tametsi agitur in terra, cælestibus tamen negotiis continetur, *Non homo,* addit, *non Angelus, non aliqua alia creatura, non Virtus, sed ipse Spiritus Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi præstitit Angelorum. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis quam Reges, aut Judices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam Parentes?* Ergo Sacerdos ab aliis segregatur, unde ei soli in ordinatione dicitur: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia Sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.*

Hanc autem Conclusionem et veritatem sic exponit et declarat Doctor, dist. 13. q. 2. n. 3. ubi loquens de potestate ministeriali ad consecrandum, ait: « Loquendo de posse simpliciter, nihil requiritur « ultra materiam debitam, de qua dictum est *in fine* dist. 11. nisi « Minister debitus, aû quem requiruntur tres conditiones, scilicet quod « sit Sacerdos, quod possit proferre verba consecrationis, et quod possit « habere intentionem debitam faciendi scilicet quod intendit Ecclesia « facere. Secunda conditio et tertia sunt communes hic, et in mini- « strante alia Sacramenta. Propter defectum secundæ, non potest mutus « conficere. Propter defectum tertiæ, carens usu rationis non potest « conficere. Et eodem modo de baptizando, et conferendo quæcumque « alia Sacramenta. Sed prima conditio est hic propria, scilicet quod « solus Sacerdos potest, et quilibet potest, cui possunt competere illæ « duæ conditiones, scilicet prolatio et intentio. Quod solus, probatur « per illud Extra. *De summa Trinit. et fid. Cath.*, ubi dicitur: *Hoc « Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit ordi-*

« *natus secundum claves Ecclesiæ.* Sed unde accipit Ecclesia fundamentum istius sententiæ? *Respondeo,* ex illo verbo Christi: *Hæc quotiescumque feceritis,* etc. Ubi loquitur Apostolis, vel ad minus, nonnisi Discipulis, quibus in Ecclesia non succedunt, nisi Sacerdotes: Apostolis succedunt Episcopi; Discipulis Presbyteri, ut habetur, dist. 21. *In novo Testamento.* Habetur idem etiam ex illa sententia Pauli 1. ad Corinth., cap. 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini est?* Quem frangimus nos, *inquit,* SS. scilicet Apostoli, et Discipuli ejus. Si enim quilibet fidelis posset conficere, non oporteret aliquem alium aliis frangere, sed quilibet posset de suo sacrificio communicare ».

Aliam rationem subjicit Seraphicus Doctor, dist. 13. art. 1. q. 2. « nempe quod Sacramentum illud, *inquit,* quod magna reverentia habendum fuit, specialibus personis commissum est, et committi debuit; aut ergo ratione sanctitatis, aut ratione auctoritatis. Si sanctitatis, ut dicunt hæretici, tunc ergo nemo est certus, utrum conficiat, et salus nostra pendet ex aliena bonitate. Si auctoritatis, et auctoritas potest tam bonis, quam malis concedi; et hanc vocamus Ordinem Sacerdotii; constat ergo, quod illi soli possunt ».

Probant alii, ex eo quod ille solus est Eucharistiæ conficiendæ Minister, cujus est in nova Lege religionis sacrificium offerre, nam, ut dicemus in *Appendice de Sacrificio Missæ,* Eucharistia sacrificando conficitur, et conficiendo sacrificatur: atqui non omnes promiscue fideles potestatem habent sacrificandi, sed hoc munus ad solos Sacerdotes pertinet: *tum* quia, ut docet Apostolus ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: *tum* quia Sacerdos constituitur medius inter Deum et hominem; nam, inquit S. Chrysostomus, lib. 2. *De Sacerdotio: Per Sacerdotes Christum induimus, per ipsos Dei Filio conjungimur, per ipsos membra beata ipsius capitis efficimur. Tum* quia hoc perpetua ac constans confirmat Ecclesiæ traditio, quam luculenter exhibet Tertullianus, lib. *De Corona militis,* cap. 3. ubi scribit: *Eucharistiæ Sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis actibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium suminus.* Unde lib. *De præscriptionibus adversus hæreticos,* cap. 41. eos carpit, quod Sacerdotalia et Episcopalia munera Laicis promiscue concedant. *Alius,* inquit, *hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam et Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Ei præiverat Justinus Martyr, *Apolog.* 2. *Præsidens vero,* inquit, *postquam gratiarum actionem perfecit, et populus universus apprecatione læta eam approbavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia,* etc.

Confirmatur ex antiqua praxi Ecclesiæ, qua licebat fidelibus Eucharistiam domum asportare; si enim fidelium quisque habuisset potestatem conficiendæ Eucharistiæ, necessum non fuisset, quod de ea in Conventibus Ecclesiasticis accepta domum deportanda tantopere fuissent solliciti, cum eorum quilibet illam momento conficere potuisset.

Objiciunt hæretici nonnullas Scripturæ sacræ auctoritates, quibus probare nituntur, omnes baptizatos revera Sacerdotes esse, et Sacerdotale munus exercendi potestatem habere. Sic 1. Petri 2. S. Apostolus fideles omnes alloquens, ait: *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* Et Apocal. 1. de Christo dicitur: *fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo.* Et cap. 5. *fecisti nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes.* Unde Tertullianus in *Exhortatione ad Castitatem*, cap. 7. scribit: *Nonne et Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, regnum quoque nos et Sacerdotes Deo, et Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo, ubi Ecclesiastici Ordinis est consessus, et offert, et tingit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed et ubi tres, et Ecclesia est, licet Laici. Unusquisque enim de sua fide vivit.* Et paulo post: *Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas, oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit jus habere Sacerdotis.* Igitur quisque fidelis revera Sacerdos censeri potest, et habet jus consecrandæ hostiæ, ubi selecti Sacerdotes non adsunt. — **Respondeo** ad præfatos Scripturæ textus, eos esse intelligendos de Sacerdotio in laxiori usurpatione accepto, videlicet pro facultate offerendi Deo sacrificium bonorum operum. Hinc S. Petrus immediate ante præfata verba hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, et omnem dolum, et ad amplectendam vitam innocentem, quales decet filios Dei adoptivos recens in Christo genitos. ✻ " Quo sensu Apostolus ad Romanos, 12. v. 1. fideles hortatur: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* "✻ — Pari modo accipiendi sunt textus Apocal. nam ibi eo modo Christiani dicuntur Sacerdotes, quo Reges, dicuntur autem Reges dumtaxat secundum mysticam et moralem significationem, quatenus videlicet dum concupiscentias frænant, et passionum æstus moderantur, suis desideriis dominantur: igitur pari ratione dicuntur Sacerdotes, dum orationibus ad Deum fusis, sanctis operibus jugiter *Deo* oblatis, *Deo* offerunt sacrificium justitiæ et sanctimoniæ. De quo præclare sanctus Chrysologus, Serm. 18. *In odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladium Spiritus, altare cor tuum pone, et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit, votum, non sanguinem sitit, placatur voluntate, non nece.* Et infra expendens illud Apostoli: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem;* scribit: *Apostolus sic rogando omnes homines ad Sacerdotale fastigium provexit. O inauditum Christiani Pontificatus officium! quando homo sibi ipse est et hostia et Sacerdos, quando hostia mactatur et vivit, et Sacerdos nescit occidere, qui litabit. Mirum sacrificium, ubi Corpus sine corpore, ubi sine sanguine Sanguis offertur, in tali victima mors expenditur, hostia permanet, vivit hostia, mors punitur.* — ✻ " Eodem sensu intelligendus est Tertullianus; non enim loquitur de Sacerdotio proprie dicto et consecratorio Corporis Christi, sed de Sacerdotio mystico et morali, quo quisque seipsum suaque debet Deo offerre per vitæ integritatem et morem, de quo sacrificandi genere scribit in *Apolog.* cap. 30: *Offers opimam et majorem hostiam Deo, quam ipse mandavit: Orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* Ei concinit Origenes, Homil. 9. in Levit., ubi cum de singulis

illud S. Petri oraculum, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, etc. intelligendum esse dixisset, addit: *Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es: et ideo offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam pudicitiæ, hostiam justitiæ, hostiam sanctitatis*, etc. Quod autem ea fuerit mens Tertulliani, loco in objectione laudato, " * inde liquet, quia Sacerdotium, et jus offerendi, de quo loquitur, fundat in fide, dicens: *Unusquisque de sua fide vivit:* cum autem fides æque reperiatur in mulieribus baptizatis, ac in viris, sequeretur illas esse proprie Sacerdotes, et habere jus consecrandi, quod a doctrina Tertulliani prorsus alienum est; scribit enim, lib. *De velandis virginibus*, cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vendicare. Adde quod* Tertullianus ibi loquatur de Sacerdotio, non quod revera habeatur, sed quod haberi possit, si quis videlicet Laicus in Sacerdotem eligatur, et per Ordinum gradus ad Sacerdotium promoveatur. Scopus enim ejus in eo libro est damnare ac proscribere secundas nuptias, et hoc argumento utitur: Bigami non possunt esse Sacerdotes, nec Sacerdotes possunt esse Bigami: sed Laici, qui jam sunt Sacerdotes improprie dicti per Baptismum, et per Ecclesiæ ordinationem possunt promoveri ad verum Sacerdotium, sunt virtute Sacerdotes, ergo non debent esse Bigami, quia Ecclesia bigamos a Sacerdotio removet. Unde cum scripsit: *Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas*, etc. Statim subdit: *Dicam, omnes nos Deus ita voluit dispositos esse, ut ubique sanctiones ejus obeundi sit disciplina, atque adeo nisi Laici observent, per quæ Presbyteri adlegantur, quomodo erunt Presbyteri, qui de Laicis adleguntur?*

URGENT HÆRETICI: Illi omnes habent facultatem consecrandi, ad quos Christus Dominus Eucharistiam instituendo, hæc verba direxit: *Hoc facite in meam commemorationem:* sed ea direxit non solum ad Apostolos, et Sacerdotes, sed etiam ad omnes fideles, qui quoties panem Eucharisticum sumunt, toties mortem Domini annuntiant: igitur, etc. — **Nego minorem**; nam, ut supra notabat Concilium Tridentinum, solis Apostolis, et eorum in Sacerdotio successoribus ea verba dicta fuisse, ac per illa potestatem consecrandi fuisse factam semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit.

INSTANT ITERUM: Ecclesia non semper docuit, hanc facultatem consecrandi solis Presbyteris esse factam, si probaverit consecrationem factam a Laicis ut legitimam et validam: sed ita esse probant. *Primo*, ex Theodoreto, lib. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 23. ubi narrat, quod Frumentius, cum juvenis in India commoraretur, Christianos mercatores Romanos illuc appulsos ad celebranda divina mysteria, seu Liturgias invitavit: ipse autem non erat Sacerdos, sed Laicus: igitur, etc. *Secundo*, legimus in Actis S. Petronillæ, quod ipsa celebritatis Dominicæ oblationis mysteriis, et Eucharistia refecta, mortem obierit. *Tertio*, in *Prato spiritali*, cap. 25. narratur, quod cum Monachus Laicus super panes, quos secum habebat, verba consecrationis pronuntiasset, adstitit Angelus visibili forma, qui panes revera consecratos declaravit: igitur, etc. — **Nego minorem**, et ad *primam* ejus *probationem* dico, Frumentium, ut narrat Ruffinus, lib. 1. cap. 9. cum mercatoribus illis tantum preces, Psalmos, et alia pietatis officia celebrasse; nec aliud

habent Nycephorus, et Sozomenus, qui eamdem historiam referunt. Quod si ejusmodi actionem, Liturgiam nominavit Theodoretus, dico eum Liturgiæ nomen in latiori acceptione usurpasse, quatenus complectitur preces et orationes, quæ inter celebranda sacrosancta mysteria referri solent ac recitari, omissis verbis consecrationis, qua ratione Missa nautica solito dicitur Liturgia; quia recitantur in ea omnes preces, quæ in Missa communi proferuntur, demptis verbis consecratoriis. Quod si velis Theodoretum intelligendum de Liturgia proprie dicta; dico id equidem forte verum esse, quia Frumentius ille tunc temporis potuit esse Sacerdos, cum postmodum fuerit a S. Athanasio ordinatus in Episcopum Indorum. *Adde quod* illi mercatores potuerunt habere secum unum Sacerdotem tantæ peregrinationis comitem, ut fieri solet a Catholicis in remotissimas regiones navigantibus. — *Ad factum S. Petronillæ* dico, in ipsius Actis non haberi distincte, quod ipsa celebraverit divina mysteria, sed quod spiritum emiserit, celebratis mysteriis, forte ab aliquo Sacerdote, qui eam inviserat in carcere, ut fieri solebat tunc temporis. In primitiva namque Ecclesia Sacerdotibus solemne erat ad Christianos in carcere, ergastulisque detentos convenire, quo afflictis solatium, angustiatis auxilia, certantibus verbi et Eucharistiæ potissimum robur conferrent, ut in Cypriani operibus passim legere est. Sufficient hæc ex lib. 1. Epist. 2. *Quomodo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Sanguinem Domini denegamus? Viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione Corporis et Sanguinis Christi muniamus. Cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.* — *Ad tertium* dico primo, dubiam esse veritatem historiæ, quam falsam aliqui subodorantur, sicut librum in nonnullis vitiatum fuisse dicunt. Dico secundo, quod, si vera sit, totum miraculose, et de potentia extraordinaria contigisse; ex facto autem insolito ordinariam Ministrorum potestatem dimetiri absurdissimum est. Ex rei porro gestæ narratione clarebit sola Dei absoluta potentia illud miraculum evenisse. *Frater quidam erat in Cœnobio Cuziba, qui sanctæ oblationis verba, ritumque didicerat. Die ergo quodam ut benedictiones ferret, cum jam rediret ad Monasterium, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit: Easdem vero benedictiones imposuerunt Diaconi sancto Altari. Quas cum Abbas Joannes Presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palestinæ Episcopus fuit, non vidisset ut solitus erat sancti Spiritus adventum, contristatusque valde, et cogitans, ne quid forte peccasset in mente, atque adeo se Spiritus Sanctus avertisset, ingressus est Sacrarium plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ jam, ac perfectæ sunt. Ex tunc igitur statuit senior, ut nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret quocumque tempore absque loco consecrato.*

Ex his manifestum est, consecrationem illam (si vera fuerit) factam [illegible]mtaxat extraordinario modo; nam certo constat ex dictis de

Sacramentis in communi, Sacramentorum confectionem requirere intentionem ex parte Ministri; Sacerdos enim, qui tantum lectionis gratia legeret historiam institutionis Eucharistiæ ex Evangelio in officina pistoris, vel in alio loco, ubi plures panes adessent, ejusmodi panes non consecraret propter defectum intentionis. Constat autem, quod Monachus ille non habuit intentionem consecrandi, utpote qui quasi versus aliquos, verba benedictionis, quæ didicerat, canebat. Porro Deus hoc singulari eventu significare voluit verba consecrationis, nonnisi summa veneratione, et a solis Sacerdotibus esse proferenda, neque puerilibus jocis et ludis exponenda. Hinc refertur in eodem *Prato spirituali*, cap. 196. miraculum aliud, quod pueris quibusdam Provinciæ Appamiensis contigit; cum enim isti puerili consuetudine luderent, et Missæ sacrificium in Ecclesia celebrari solitum, positis supra saxum pane et vino, celebrare attentassent, et eorum unus verba consecrationis, quæ a Sacerdote voce altiori inter ipsa Missarum solemnia proferente didicerat, protulisset, et omnia secundum Ecclesiasticam consuetudinem fecissent; priusquam panes frangerent, et communicarent, ignis cælitus delapsus, quæ proposita erant consumpsit omnia; ita ut nihil omnino, neque faxi, neque eorum, quæ fuerant apposita, residuum appareret; ut inde innotesceret omnibus quanta reverentia verba, quibus tremenda mysteria conficiuntur, habenda sint. Nihil ergo ex hujusmodi historiis patrocinii hæreticorum errori accersitur; quinimo ipsis incutiendus est non exiguus timor, quod sacrosancta hæc mysteria penes quemlibet plebejum reponenda esse contendentes, divinam in se animadversionem et ultionem concilient.

Objiciunt 2. Aliquos Conciliorum Canones, quibus removeri videtur a Diaconis facultas conficiendi Christi Corporis; ex quibus inferunt, illam non esse solis Sacerdotibus propriam. Proferunt vero maxime Canonem secundum Concilii Ancyrani celebrati anno 214. ubi de Diaconis, qui idolis immolaverant, ita statuitur: *Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo, vel prædicando. Quod si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum, et humilitatis, et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas.* ✻ " Similiter Can. 15. Concilii primi Arelatensis decernitur *de diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Quin etiam in Concilio Laodiceno, Can. 25. statuitur: " ✻ *Quod non oporteat Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.* — **Nego consequentiam**; et ad Canonem Ancyranum dico, Diaconis illis, qui idolis sacrificaverant, prohiberi ne proprium suum officium implerent, quod in eo maxime consistebat, ut Sacerdoti sacrificaturo panem et calicem de more conferrent, et consecratam Eucharistiam fidelibus paratis distribuerent, ac sacrum Dei verbum ad populum facerent; quibus utique muniis privantur in præcedentis delicti et scandali satisfactionem, donec intuitu laboriosæ suæ Pœnitentiæ, et piæ conversationis, ad prædicta ministeria de consilio Episcopi restitui mererentur. — ✻ " *Ad Canonem Concilii Arelatensis* dico vocem *offerre* cum Diaconis tribuitur, nihil aliud designare quam dispensationem Eucharistiæ, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis propter penuriam Sacerdotum diaconis fuerat permissa; tali vero necessitate ces-

sante, cum plures jam adessent sacerdotes qui hoc munere fungerentur, Diaconis interdicitur. Confirmat ista Innocentius III, lib. 1. *Mysteriorum Missæ*, cap. 5. ubi describens diaconorum partes et officia: *Pacem*, inquit, *annuntiant, prædicant Evangelium, mensam componunt, offerunt Eucharistiam... Hoc officium Christus exercuit quando post Cœnam Sacramenta confecta propriis manibus dispensavit.* Itaque Diaconorum erat Eucharistiam confectam ministrare, non vero conficere.— *At, inquies,* eo sensu vox *offerre* intelligenda est in illo Canone 15. quo sumitur Canone 18., ubi de Episcopis peregrinis statuitur: *De Episcopis peregrinis, qui in Urbem solent venire, placuit eis locum dari ut offerant.* Porro vox *offerendi* hic significat Eucharistiæ consecrationem, igitur etiam ibi. *Nego majorem:* maximum enim discrimen est inter Episcopos et Diaconos. Illi cum sint Sacerdotes, ex officio possunt consecrare; hi non ita, ut ex constanti Ecclesiæ traditione manifestum fit. His adde quod in Canone 18. non *offerendi*, sed sacrificandi vox occurrat, legimus enim: *placuit eis locum dare sacrificandi.* " ✻ — *Ad Canonem autem Laodicenum* dico, Subdiaconis prohiberi, ne usurparent officium Diaconi, quod erat panem Sacerdoti sacrificaturo offerre, et calicem ab inferioribus Ministris acceptum prius benedicere, quam Presbytero offerenti porrigeret.

✻ " Instabis: Antiquitus Diaconi absente Sacerdote regebant Ecclesiam et Sacramenta ministrabant: igitur Eucharistiam conficiebant. *Patet antecedens* ex Concilio Eliberitano, Can. 77: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit,* etc. Inde est quod imminente persecutione S. Cyprianus, Epist. XI, Presbyteros et Diaconos hortatur, ut fideles curæ suæ commissos admoneant, enixis precibus Deum esse exorandum, quatenus ingruentem tempestatem avertere dignetur. — **Nego consequentiam,** *et ad antecedens* dico, Diaconos quidem aliquando in vicis et pagis fuisse constitutos, ut ibi conventus agerent, fideles erudirent et una cum eis publicas preces funderent, imo et baptizarent. Verum conventus illi non censebantur integri et perfecti, quod non adesset Sacerdos qui Eucharistiam conficeret et ministraret. Unde in actis Martyrum Alunitensium, qui anno 304. sub Diocletiano passi sunt, quæ acta in lucem edidit clariss. Balusius, Tom. 2. Miscell. interroganti proconsuli quis esset auctor eorum cœtus et congregationis, unus eorum respondit: *Saturninus,* non ut eum proconsuli proderet, sed ut declararet, *integram se celebrasse collectam, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat, qui sacra perficeret et ministraret.* Igitur Diaconi omnia Sacerdotum munia, præcipue Eucharistiæ confectionem implere non valebant. " ✻

Objiciunt 3. Qui potest majus, potest et minus: sed fidelis quisque, n Laicus, sumere potest, et sumit Eucharistiam; quæ utique sumcum sit finis consecrationis, est consequenter quid majus, et noas, quam consecratio: igitur etiam Laicus potest consecrare. — spondet **Doctor,** dist. 13. quæst. 2. nu. 20. *distinguendo minorem:* mptio est quid nobilius, et melius, quantum ad utilitatem, *concedit:* uantum ad potestatem, *negat.* Magis autem necessarium, *inquit,* licet in se aliquando nobilius, pluribus tamen quandoque competit, quam minus nobile, quod est minoris nobilitatis; et ratio est major sive

communior necessitas. Ita est hic, quia Christus expresse docuit, se velle sumi in Eucharistia a quolibet Christiano, dicens: Joann. 6. « Nisi « manducaveritis Carnem Filii hominis; et ibi loquitur omnibus: sed « consecrationem, seu dispensationem noluit ita esse communem, quia « non fuit necessarium, ut esset communis; possunt enim pauciores « dispensare, quam suscipere ».

Conclusio secunda. — QUILIBET SACERDOS, ETIAM HÆRETICUS, SCHISMATICUS, ET DEGRADATUS, POTEST VALIDÉ CONFICERE EUCHARISTIAM; NON AUTEM LICITE, NISI HABEAT DEBITAS CONDITIONES. Hæc est communis, et eam expresse tradit Doctor, dist. 13. quæst. 2. n. 3. et sequentibus, ubi expresse docet, ad valide consecrandum non ultra requiri præter debitam materiam, quam legitimum Ministrum, ad quem tres conditiones requiruntur, scilicet quod sit Sacerdos, quod possit proferre verba consecrationis, et quod possit habere intentionem debitam faciendi scilicet quod intendit Ecclesia facere. Propter defectum secundæ conditionis, mutus non potest consecrare; propter defectum tertiæ, carens usu rationis non potest conficere; propter defectum Sacerdotii, nullus id potest attentare: « Quia, ut subdit Doctor, « nu. 10. si non est Sacerdos, et attendat facere ut Sacerdos, non so- « lum peccat mortaliter, et nihil facit, sed irregularis est, ut habetur « *Extra de Clerico non ordinato ministrante*, cap. 1. et 2. et univer- « saliter quicumque exequens vel attentans actum alicujus Ordinis, « quem non habet, irregularis est ».

Porro hujus primæ partis conclusionis veritas aperte constat ex iis, quæ diximus de legitimo Ministro Sacramentorum, ubi probatum est, omnes peccatores, etiam hæreticos, schismaticos, et degradatos, posse valide conficere et ministrare Sacramenta, quando aliunde ad id legitimam auctoritatem habent.

Probat insuper Doctor, hic nu. 2. ex quodam Canone, qui habetur qu. 1. *quod quidam dicant*, nulla causa ostenditur, cur ille, qui Baptismum non potest amittere, jus amittere possit baptizandi: ergo a simili, qui Ordinem Sacerdotalem amittere non potest, nec jus conficiendi amittere potest: sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis.

DICES 1: Degradatus non remanet Sacerdos, quia spoliatur privilegio Clericali, et traditur Curiæ sæculari: igitur non potest valide conficere. — **Distinguo antecedens:** non remanet Sacerdos, quantum ad licitum usum Sacerdotii, *concedo:* quantum ad validum, *nego.* Nam (inquit Doctor nu. 5.) non est essentiale Ordini habere illud privilegium concomitans; quia illud privilegium videtur concessum ab Imperatore Constantino, qui primus principum admisit hoc privilegium in Concilio Nicæno, quando pronuntiavit, Episcopos a solo Deo judicandos; quod utique prius decretum fuerat per Alexandrum primum, Epist. *Ad omnes Orthodoxos*, et per Cajum, Epist. *Ad Felicem Episcopum*, et per Marcellinum, Epist. *Ad universos Episcopos Orientales.*

INSTABIS: Qui potest conferre auctoritatem consecrandi, potest et auferre: sed Ecclesia confert illam auctoritatem Sacerdoti, illum ordinando, et Sacerdotem instituendo: ergo potest hanc auctoritatem consecrandi ab eo removere, ipsum degradando. — **Negat majorem**

Doctor, nu. 4. Non conceditur, *inquit*, quod si quis potest aliquid ministerialiter conferre, sic possit etiam ministerialiter auferre, quia Deus non sic eum instituit Ministrum in amotione, sicut in collatione: et tunc illa regula 7. *Topicor.*, c. 8. *Facilius est destruere, quam construere*, non conceditur de ministerialiter agente in Sacramentis, juxta illud Pauli 2. ad Cor., cap. ult. *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in ædificationem.*

Dices 2: Sacerdos non consecrat et offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ: sed hæreticus, et schismaticus non potest offerre in persona Ecclesiæ; quippe cum ab ea sit præcisus: igitur nec consecrare potest. *Major patet*, siquidem Sacerdos consecrans non dicit, *Offero*, sed, *Offerimus*. — **Respondet Doctor** ibidem *primo*, quod oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur; offertur enim hostia non consecrata, et tunc est sacrificium, non Sacramentum: sicut Eucharistia consecrata in pixide est Sacramentum, licet non ut ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter. *Ita Doctor*, qui, dum ait in sacrificio offerri hostiam non consecratam, sumit sacrificium pro termino *a quo*, et intelligendum est de materia *ex qua*, eo sensu, quo SS. Patres docent in sacrificio offerri panem et vinum; nam quod Christus ipse sit hostia oblata, aperte docet cum communi Theologorum sententia, *Quodlibeto* 20. *Respondet secundo*, quod etsi verum sit, quemlibet conficientem debere conficere in persona Ecclesiæ; attamen tam schismaticus, quam hæreticus, poterit valide conficere, quia potest habere intentionem Ecclesiæ in conficienda Eucharistia, intendendo videlicet facere quod Christus instituit faciendum, et quod Ecclesia facit, licet non intendat in speciali, quia credit Eucharistiam nihil valere, eo quod erret circa hoc Sacramentum.

Secundam partem declarat Doctor, nu. 7. ubi requisita ad licite consecrandum reducit ad tria capita, quæ sic exponit: « Restat ergo, « *inquit*, videre secundum membrum, scilicet de posse ordinate con- « ficere, et ad hoc multa concurrunt, quæ tamen omnia reduci pos- « sunt ad tria, loquendo de illis, quæ non requiruntur ad simpliciter « posse; quia vel ista requiruntur ex parte Ministri, vel loci, vel tem- « poris. Et secundum hoc tres sunt articuli. *Primo*, videndum est de « requisitis *ex parte Ministri*, ad hoc, ut ordinate possit conficere, « supposito, quod habeat materiam convenientem, et possit verba pro- « ferre cum intentione debita superaddita hujusmodi. Ex parte Mini- « stri sunt in duplici differentia, quædam sunt amotiones impedimen- « torum, et quædam appositiones convenientium, seu idoneorum. *De* « *primo* impedimento ejus, quod est ordinate conficere, sunt vel culpa « tantum, vel pœna tantum, vel nec pœna, nec culpa. De impedi- « mento culpæ, quomodo scilicet existens in peccato mortali non po- « test ordinate conficere, dictum est dist. 9: de impedimento autem, quod « nec est culpa, nec pœna, scilicet cum quis non est jejunus jejunio « naturæ, dictum est ibidem. Restat ergo hic præcise videre de im- « pedimento, quod est pœna. Nulla autem talis pœna est naturalis, « sive in corpore, sive in anima, quia talis pœna non simpliciter im- « pedit; sed tantum pœna Canonica, vel naturalis, in quantum super « eam fundatur pœna Canonica. Pœna autem Canonica (ut breviter di-

« cam) est aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradum recipiendi, « qui alias competeret non prohibito. Hujusmodi autem pœnæ multæ « sunt non fundatæ super aliquam pœnam, vel defectum naturalem, « ut degradatio, irregularitas, excommunicatio major, suspensio ab « executione eorum, quæ sunt ordinis, simonia, infamia, et quædam « alia hujusmodi ad ista reducibilia, ut sub infamia potest contineri « esse publicum peccatorem, quod continet multa, scilicet publicum « fornicarium, publicum usurarium, et hujusmodi ».

« Aliquæ autem pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales; « non enim voluit Ecclesia quascumque personas defectuosas mini- « strare in Altari. Et merito, quia in veteri Lege Levit. 21. ponitur lex « homini, qui habuerit maculam, quod non offerret Deo suo panem, nec « ad ministerium ejus accederet. Isti autem defectus sunt, in quibus « esset scandalum pusillorum, si taliter defectuosus in naturalibus « ministraret. Et rationabiliter, quia quidquid sine peccato mortali po- « test dimitti, vitandum est, si ex exercitio ejus oriatur scandalum « pusillorum : tale scandalum oriretur, si notabiliter defectuosi in na- « turalibus, ut mutilati, vel horribili infirmitate infirmi, ut lepra, et « hujusmodi, ministrent altari : ideo Ecclesia rationabiliter talibus de- « fectibus naturalibus adjunxit pœnas Canonicas, scilicet prohibitiones « ministrandi, propter reverentiam Sacramenti, et ad vitandum scan- « dalum pusillorum. Et istæ prohitiones patent ex Canone, dist. 25. « *et extra de corpore vitiatis.* Requiritur ergo in ordinate conficiente « ablatio omnium horum impedimentorum ; quia habens quodcumque « istorum si conficit, facit contra prohibitionem Ecclesiæ, et per con- « sequens non ordinate. Secundum requisitum ex parte Ministri est « appositio convenientium, scilicet ornamentorum, ut habetur *De Cons.* « dist. 1. *Vestimenta.* Dicitur ibi, quod vestimenta Ecclesiæ, quibus « Deo ministratur, debent esse sacrata, et honesta, quibus in aliis « usibus non debent uti, quam in Ecclesiasticis, et Deo dignis offi- « ciis. Quæ autem sint hæc indumenta, exponit Innocentius, *De Offic.* « *Missæ*, part. 1. cap. 10. *Sunt*, inquit, *sex indumenta communia Epi-* « *scopis, et Presbyteris, scilicet amictus, alba, cingulum, stola, mani-* « *pulus, et planeta.* In quibusdam tamen locis consuetudo obtinuit, « quod non oportet cingulum benedici, et sic non apparet, quin liceat « uti cingulo non benedicto ». Plura alia his similia habet ibidem Doctor, quorum nonnulla referemus agendo de Missæ sacrificio.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUIS SIT LEGITIMUS MINISTER DISPENSANDÆ EUCHARISTIÆ.

Notandum 1. Ex Doctore Subtili in 4. dist. 13. q. 2. n. 20. quod licet dispensare Eucharistiam minus sit, quam conficere, plura tamen requiruntur ad dispensationem, quam ad confectionem, quia dispensatio non respicit tantum Christi Corpus verum, sed etiam mysticum, nempe fideles, in quos dispensans debet habere quamdam auctoritatem; unde præter potestatem Ordinis, quæ ad conficiendum sufficit, videtur præterea requiri potestas jurisdictionis ad dispensandum.

Notandum 2. Duplicem distingui posse potestatem jurisdictionis,

ordinariam videlicet, quæ convenit ex officio, et delegatam, quæ conceditur ab habente ordinariam jurisdictionem. Quæritur autem, utrum hæc utraque potestas dispensandæ Eucharistiæ, omnibus, et solis Sacerdotibus conveniat.

Notandum 3. Duplicem distingui posse dispensationem Eucharistiæ, sive ordinariam, sive delegatam, nempe vel principalem, vel subsidiariam. *Prima* est, qua Corpus et Sanguis Christi traditur suscipienti ab habente jurisdictionem. *Secunda* vero est, qua vel vasa sacra, quibus Corpus et Sanguis continentur, deferuntur ac portantur ad eum, qui facultatem habet dispensandi, ut scilicet utrumque possit conferre suscipienti; vel qua ministrans tantum Eucharistiam confert ad imperium ministri ordinarii vel delegati, sed ad id ex se non habet jurisdictionem.

Conclusio prima. — Solius Sacerdotis est Eucharistiam ex principali officio dispensare, sive ex Jurisdictione ordinaria, sive delegata. Hæc communis apud Theologos, et

Colligitur ex 1. ad Cor. 4. ubi Apostolus, quos Sacedotes appellat *Ministros Christi,* eosdem vocat *dispensatores mysteriorum Dei.* Hinc Concilium Trident., Sess. 13. cap. 8. hanc doctrinam ex Apostolica Traditione manasse affirmat: *In Sacramentali,* inquit, *sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tamquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Rationem congruam accipio ex Doctore Subtili, 4. dist. 13. qu. 2. num. 20. « Quia sicut ab anima, mediante corpore, derivantur virtutes « animæ ad cætera membra, et in corde est principalis sedes; et etiam « in qualibet politia actus principales pertinentes ad illam politiam per- « tinent ad aliquam personam principalem in illa politia; ita rationa- « bile est istum actum conficiendi et dispensandi Eucharistiam resi- « dere apud illum, qui est principalis in Hierarchia Ecclesiastica: « hujusmodi autem est Sacerdos: ergo, etc. *Confirmatur,* quia non « minoris reverentiæ vel auctoritatis est posse super Corpus Christi « verum, quam super Corpus Christi mysticum: secundum autem « soli Sacerdoti convenit: æque ergo, vel magis propter reverentiam « Corporis Christi veri, soli Sacerdoti conveniet auctoritas respectu « ipsius conficiendi, et regulariter dispensandi; non enim potest in « Ecclesia minus digna persona, nec minus dignus gradus inveniri « ad consecrationem, vel dispensationem istius Sacramenti, in quo « veraciter et realiter continetur ille, qui est Sanctus Sanctorum ».

Aliam similem rationem profert S. Thomas in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3., ubi ait, quod sicut in corpore naturali sunt quædam membra principalia, per quæ virtutes et operationes vitæ a principio vitæ ad cætera membra decurrunt, ita et in Ecclesia Sacerdotes sunt quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta rite populo ministrari debent, et ideo laicis, quantumcumque sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio hujus Sacramenti competit.

Si requiras, unde constet soli Sacerdoti hoc ministerium competere; *respondebo,* id constare ex verbis Christi, Lucæ 22. *Hoc facite in meam*

commemorationem. Quibus utique verbis sicut consecrationem sui Corporis principaliter, sic etiam secundario ejusdem distributionem commisit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus. Hinc in hymno festi Corporis Christi canit Ecclesia: *Cujus* (Sacramenti conficiendi) *officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant et dent cæteris.* Sicut ergo solus Sacerdos ex officio et ex vi suæ ordinationis verum Christi Corpus consecrat et sumit, ita pariter solus Sacerdos ex officio aliis distribuit.

Dixi in Conclusione *ex jurisdictione ordinaria, vel delegata;* ut enim licite fiat hæc Eucharistiæ dispensatio, requiritur, ut Minister ad id jurisdictionem et auctoritatem habeat; idque vel ordinariam, vel delegatam. Porro ordinariam habent summus Pontifex in universa Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia, et Religionum Superiores in sibi subditos respective; ac subinde hæc ordinaria dispensandæ Eucharistiæ jurisdictio non competit omnibus Sacerdotibus. Licet enim Eucharistiæ administratio non sit actus jurisdictionis proprie dictæ, sicuti est absolutio Sacramentalis, est tamen proprius actus Pastoris, cujus est sibi creditas oves pascere, non solum prædicatione verbi Dei, sed etiam cælesti pabulo Corporis et Sanguinis Christi. Unde præclare S. Leo, Epist. ad Theodorum Episcopum Forojuliensem, scribit: *Mediator Dei et hominum Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Idipsum colligitur ex Concilio Carthaginensi 1., tempore Julii Papæ I, cap. 7., ubi sic loquitur: *Casianus, Usulensis Episcopus, dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque Clericus, vel Laicus non communicet in aliena plebe, sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit: Nisi hoc observatum fuerit, Communio fiet passim. Nam si cum litteris receptus fuerit, et concordia inter Episcopos servatur, et nemo subditus alterius fugiens Communionem, ad alterum latenter accedit. Universi* (Episcopi) *dixerunt: Omnibus provides, et Clero, et Laicis consulis.* Idem reperitur in Concilio Milevitano II, cap. 18. his verbis: *Placuit, ut quicumque non communicat in provincia propria, et in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obreperit, jacturam Communionis, vel Clericatus excipiat.* Quibus locis, ut optime notat Bosco, Sect. 12. num. 5., licet prohibitio fiat ex parte communicantium, ne ab alienis Eucharistiam percipiant; tamen relatio hæc mutua est, et reciproca obligatio, fundata quoque in ipso jure naturali; supposita Reipublicæ institutione, et debita gubernatione, ut nemo mittat falcem in messem alienam, nec jus alienum usurpet; alioquin nec justitia, aut pax servari possunt, nec divina mysteria convenienter dispensari; neque animabus fidelium pro earum captu, vel necessitate provideretur. Et idcirco antiqua consuetudine servatum est, ut qui præest hoc Sacramentum populo dispenset, uti colligere licet ex c. 12. *Omnis utriusque sexus,* De Pœnitentiis, et Remissionibus, ibi: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Quamvis autem in isto capite solum sit sermo De Communione præcepta, quam constat ex manibus proprii Pastoris esse accipiendam; eadem tamen

videtur esse ratio Communionis liberæ. Alioquin quid opus fuisset tot privilegiis, quibus Religiosis Mendicantibus conceditur ista facultas? Sed de hoc infra. Quod autem Religiosi Mendicantes, maxime Franciscani, revera possint, excepta Communione Paschali, ministrare sacram Eucharistiam in suis Ecclesiis, aperte constat ex concessione Nicolai V, Sixti IV, Leonis X, Pauli IV, et Innocentii X, quorum concessiones referunt Rodriguez et Pontius in *Summa Theologiæ*, disp. 46. num. 121.

Conclusio secunda. — Diaconi, ex speciali commissione Sacerdotis, de urgente casu gravis necessitatis, possunt dispensare Corpus et Sanguinem Cristi, non quidem ut principaliter dispensantes, sed ut famulantes et obsequentes.

Prima pars colligitur ex antiqua Ecclesiæ praxi, qua constat Diaconos solitos fuisse Eucharistiam ministrare, ut notat S. Justinus, *Apolog.*, 2. pro Christianis, ubi scribit: *Absoluta gratiarum actione Præsulis, et oratione totius plebis, Diaconi, quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis, et calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.* Idem habet S. Cyprianus, Serm. *De Lapsis*, ubi ✳ " refert rem perpetua memoria dignam, nimirum quod cum aliqui ex sua Diœcesi christiani ob persecutionem fugientes minusque suis consulentes, reliquissent parvulam filiam sub nutricis alimento, relictam nutrix detulit ad magistratus, cujus imperio cum puellula ad conventum idololatrum deducta fuisset, nec propter teneram ætatem carnem idolis oblatam posset edere, panem mero idolis oblato mixtum degustavit. Mater vero hujus facinoris ignara cum puellulam hanc ad christianorum sacra quibus ipse S. Cyprianus præerat detulisset: *Puella hæc*, inquit, *mixta cum sanctis, precis nostræ et orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cæpit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente quibus poterat indiciis conscientiam facti, in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero, solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus; in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit: sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas!* Idem sacrum ministerium Diaconis permissum colligitur pariter " ✳ ex Concilio Nycæno, Can. 14., ubi legimus: *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam, et civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant; hoc neque regula, neque consuetudo tradidit... Sed et illud innotuit, quod quidam Diaconi, etiam ante Episcopum Sacramenta sumant. Hæc ergo omnia amputentur, et accipiant secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel a Presbytero sacram Communionem, quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, et edant.* Quibus verbis conceditur Diaconis facultas sibi ipsis ministrandi Eucharistiam in absentia Sacerdotum. *Quod etiam* aliis eam potuerint porrigere, præsente Episcopo et Pre-

sbytero, constat ex Concilio Carthaginensi 4. et ex Epist. 20. Gelasii Papæ. Hæc autem praxis communis erat in primitiva Ecclesia, quia propter inopiam Sacerdotum, et frequentationem sacræ Communionis, Eucharistiam communiter dispensabant Diaconi.

Porro quod id non præstabant auctoritate propria, neque ex commissione principali, sed tantum sicut Ministri et famuli Sacerdotum, aperte docet S. Clemens Papa, lib. 8. *Constitut.*, cap. 28. et significat S. Laurentius, qui sanctum Sixtum Summum Pontificem ad martyrium properantem sic alloquebatur: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Ubi signanter dicit: *Cui commisisti,* ut significaret potestatem illam tantum esse delegatam, ac Sacerdotio subordinatam. Unde Doctor, dist. 13. qu. 2. num. 20., ait, congrue quidem concessam fuisse S. Laurentio, sicut et cæteris Diaconis dispensationem Sanguinis Christi: Quia, *inquit,* Sanguis non dispensatur, nisi in calice; tactus autem calicis conceditur Diacono; sed Corpus non dispensatur, nisi species panis tangatur, unde colligit, quod Diaconus ordinarie poterat ministrare Sanguinem eo tempore, quo fiebat communio sub utraque specie, non poterat autem ministrare Corpus Christi, nisi ex præcepto Sacerdotis, et urgente necessitate. Quod etiam approbat S. Thomas, qu. 82. art. 3. ad 1. dicens, quod « cum Diaconus sit quasi propinquus Ordini Sa-« cerdotali, aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset San-« guinem, non autem Corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, « vel Presbytero: *primo* quidem, quia Sanguis Christi continetur in « vase, unde non oportet, quod tangatur a dispensante, sicut tan-« gitur Corpus Christi. *Secundo,* quia Sanguis designat Redemptio-« nem a Christo in populum derivatam, unde et Sanguini admiscetur « aqua, quæ significat populum, et quia Diaconi sunt inter Sacerdo-« tem et populum, magis convenit Diaconis dispensatio Sanguinis, « quam dispensatio Corporis ».

Ex his collige, quod absente Sacerdote posset Diaconus urgente mortis periculo Eucharistiam infirmo periclitanti ministrare, ut communiter Theologi recentiores cum Soto, in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3. Multo magis poterit, eodem urgente periculo, sibi ipsi Eucharistiam ministrare. Utrumque autem interdicitur tum Subdiacono, tum Laico, ut colligitur ex Concilio Rhemensi, cap. 2., ubi legimus: *Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant divina mysteria, ut laico, vel fœminæ sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, et quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec de altari appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur, quod quam sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnimodis Presbyter per semeptipsum infirmum communicet; quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.* — Hæc tamen dicta sint, quantum ad prohibitionem ex jure Ecclesiastico, nam de jure divino laicis, multo minus Subdiaconis, non interdicitur contrectatio et administratio hujus Sacramenti. Hoc enim usitatum erat antiquitus apud fideles, nam teste Eusebio, lib. 6. *Historiarum,* cap. 36. Presbyter quidam infirmus misit particulam consecratam ad Serapionem senem moribundum per pue-

rum, e cujus manibus juxta Presbyteri mandatum illam sumpsit. Similiter S. Gregorius, Homil. 40. in *Evangelia*, refert, quod S. Romula in extremis Communionem acceperit a Redempta Magistra sua. Hinc antiquitus fideles accipiebant Eucharistiam de manu Sacerdotis, eamque secum domum deportabant, ut congruenti tempore propriis manibus eam sumerent; quæ utique praxis adhuc vigebat tempore S. Augustini; scribit enim Serm. 252. *De Tempore: Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Quam utique veritatem pluribus momentis et exemplis confirmavimus supra. Solo itaque Ecclesiastico jure vetitum est, ne etiam urgente necessitate Laici, vel Clerici inferiores Eucharistiam contrectent, et ministrent. Sicut ergo id prohibet Ecclesia, ita permittere potest rationabili de causa, quemadmodum Pius V Summus et sanctus Pontifex permisit inclitæ Mariæ Stuart, Reginæ Scotiæ, ut sibimet Sacram Eucharistiam a Sacerdote acceptam ministraret, quatenus adversus impiæ Elisabethæ Angliæ Reginæ tyrannidem et crudelitatem sacro divinæ Communionis clypeo muniretur.

SECTIO SECUNDA.

DE SUSCIPIENTIBUS EUCHARISTIAM.

Quamquam Eucharistiæ Sacramentum in re permanenti potissimum consistat, idque habeat peculiare præ cæteris novæ Legis Sacramentis, quod ejus entitas et formalis ratio ab usu et susceptione distinguatur, nihilominus certum est, illud efficacitatem suam non exerere, nisi dum sumitur. Quocirca etiam maxime illius confectio ad sumptionem tamquam ad finem primarium ordinatur, qui licet in executione sit posterior, in intentione tamen prior censendus est. Unde recta ac congrua methodo post declaratam confectionem ac dispensationem hujus Sacramenti, nunc agendum occurrit de illius susceptoribus. In quo tria præcipue in quæstionem veniunt: *primum*, quantæ sit necessitatis Eucharistiæ sumptio: *secundum*, quibusnam concedi possit, aut negari: *tertium*, quis apparatus sit necessarius ex parte suscipientis ad debitam et proficuam illius receptionem.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆ, ET QUALIS SIT NECESSITAS EUCHARISTIÆ SUSCIPIENDÆ.

Notandum 1. Dupliciter Sacramentorum usum censeri posse necessarium, videlicet necessitate medii, aut præcepti. *Necessitas medii* ea dicitur, qua Sacramenti alicujus susceptio tantam, tamque necessariam cum salute consequenda connexionem habet, ut illius omissio sufficiat ad æternam damnationem; sic gratia sanctificans in omnibus, et opera meritoria in multis necessaria sunt ad vitam æternam obtinendam. *Necessitas* vero *præcepti* ea est, quæ ex natura sua non habet necessariam connexionem cum salute stabilienda, sed tantum ex præ*cepto* [illegible] vel Ecclesiastico, ut jam pluries diximus, agendo de

necessitate Sacramentorum in communi, necnon et de necessitate suscipiendi Baptismatis.

NOTANDUM 2. Triplicem esse sumendæ Eucharistiæ modum; alius enim est pure Sacramentalis, alius pure spiritalis, alius vero Sacramentalis et spiritalis simul, ut præclare docet Concilium Tridentinum, Sess. 13. cap. 8., ubi ait: *Quoad usum autem* (hujus Sacramenti) *recte, et sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum suscipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt, Sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, et utilitatem sentiunt; tertios porro Sacramentaliter, et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedunt.* Quæ utique triplex Eucharistiæ susceptio assimilari potest triplici Verbi divini conceptioni, quæ vel mente dumtaxat, vel corpore solum, vel utroque simul modo contingere potest; quemadmodum enim inanis prorsus et frustranea foret sola conceptio corporis, si abesset conceptio mentis, ut præclare observat S. Bonaventura, in cap. 11. Lucæ, scribens: *Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in Carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestavit in mente, secundum quod dicit Augustinus: Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam Carnem Christi.* Ita a simili, non solum nil prodest, sed multum obest sola Sacramentalis susceptio Christi Corporis a peccatoribus, qui impuro ore et corde tam pura mysteria tractantes judicium sibi manducant et bibunt. *Secunda* autem conceptio Verbi divini utilissima est, et Christianis omnibus necessaria; ad hoc enim Christiani sumus, ut Spiritu renovati et regenerati Christum induamus, et Christus ipse ita in nobis formetur, ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic pariter utilis est susceptio spiritualis Christi Corporis, quæ fit a viris pietate et charitate illustribus, qui erga Christum, maxime tempore sacrificii Missæ, simili desiderio ac voto afficiuntur, quo famuli Job, cum dicerent cap. 31. *Quis det de Carnibus ejus, ut saturemur?* Denique sicut tertia conceptio Christi longe cæteras antecellit, in quo eximie elucet dignitas Deiparæ Virginis, quæ Corpore Filium Dei genuit, quem mente conceperat, ita longe cæteris præstat tertius modus suscipiendi Christi Corporis, qui enim Corpore simul et religiosa mente Eucharistiam recipit, tantam inde gratiæ et divinorum charismatum segetem mutuatur, ut Deiparæ maternitatis felicitatem quadamtenus videatur æmulari.

NOTANDUM 3. Votum alicujus rei suscipiendæ, vel faciendæ esse duplex, explicitum scilicet, et implicitum. *Explicitum* est desiderium rei ad ipsam rem expresse cognitam terminatum. *Implicitum* vero est desiderium ejusdem rei, non in seipsa distincte cognitæ, sed in aliquo alio cum illa aliquam connexionem habente. Quæritur autem, an realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem votum ejus explicitum, sit omnibus ad salutem necessarium necessitate medii. Circa quam controversiam multiplex est sententia: *prima* hæreticorum, nam ut ex Guidone Carmelita refert Waldensis, Tom. 2. *De Sacramentis*, cap. 91. Armeni quidam hæretici existimarunt, realem susceptionem Eucharistiæ omnibus

hominibus esse medium necessarium ad salutem; unde simul cum Baptismo parvulis Eucharistiam ministrabant. Idem de Jacobitis et Nestorianis refert Prateolus. Catholici vero tres in sententias distribuuntur; *aliqui* enim, quos refert Vazquez, disp. 169. asserunt Eucharistiæ susceptionem in voto explicito necessariam esse ad salutem. Quidam vero docent ad id sufficere et requiri votum implicitum, et virtuale quod in susceptione Baptismi et aliorum Sacramentorum imbibitur, quia nimirum Eucharistia se habet per modum finis omnium Sacramentorum, et cætera ad ipsam tamquam media ordinantur: quicumque vero appetit medium, virtualiter censetur ipsum finem desiderare. Cæteri vero Theologi communiter docent, Eucharistiam neque in re, neque in voto esse medium necessarium ad salutem. His ita præmissis, tria occurrunt hic determinanda: *primum*, utrum et quomodo realis Eucharistiæ susceptio medium sit necessarium ad salutem: *secundum*, an ad illam teneantur omnes adulti fideles præcepto divino: *tertium*, an et quando ad ipsam obligentur ex præcepto Ecclesiastico.

Conclusio prima. — SACRAMENTI EUCHARISTIÆ REALIS SUSCEPTIO NEC IN RE, NEC IN VOTO EXPLICITO NECESSARIA EST AD SALUTEM NECESSITATE MEDII. Hæc est communior et verior; et quantum ad primam partem est certa de fide, quod utique

Constat ex Traditione, et consuetudine Ecclesiæ; si enim esset medium necessarium ad salutem, sine ea non possent salvari tam adulti, quam parvuli: sed falsum consequens: ergo, etc. *Major constat* exemplo Baptismatis, quod cum sit necessarium necessitate medii ad salutem in Lege Evangelica, nullus absque eo in re vel in voto suscepto salvari potest. *Minor vero constat* de adultis ex consuetudine Ecclesiæ, quæ *nec* phræneticis, *nec* vomitum patientibus, *nec* ad mortem damnatis, aut quodcumque periculum alicujus indecentiæ et irreverentiæ erga sacram Eucharistiam habentibus, eam solet porrigere etiam in mortis articulo. Quod utique evidens argumentum est, realem et sacramentalem Eucharistiæ susceptionem non esse necessariam necessitate medii ad salutem; numquam enim Ecclesia censeret, hujusmodi homines tali medio ad salutem necessario esse privandos. — Quantum autem ad parvulos id aperte tradit Concilium Tridentinum, Sess. 21. cap. 4, his verbis: *Eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem, siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Unde Can. 4. sic pronuntiat: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.* Igitur nec adultis, nec parvulis actualis Eucharistiæ susceptio, vel votum illius explicitum necessarium est ad salutem necessitate medii.

Eamdem veritatem aperte comprobat ratio Theologica: illud enim *tantum* necessarium est necessitate medii ad salutem consequendam,

sine quo gratia sanctificans nequit obtineri: sed realis Eucharistiæ susceptio, aut illius votum explicitum non sunt absolute necessaria ad gratiam sanctificantem obtinendam: igitur nec ad salutem. *Major constat;* gratia namque sanctificans sufficit ad æternam salutem, et consequenter, qui potest habere gratiam sanctificantem independenter ab aliquo, eo absolute non eget ad consequendam salutem. *Minor vero probatur:* illud absolute necessarium est ad obtinendam gratiam sanctificantem, quod per se institutum est ad remissionem peccati: sed Eucharistia ad id non est per se primo instituta; imo supponit peccatum remissum, et statum gratiæ: igitur, etc. *Adde quod* plurimi inter sanctos Cœlites computantur, qui tamen Eucharistiam non susceperunt, puta Martyres, qui videndo aliorum in fide tuenda mediis in tormentis constantiam, Christi fidem professi sunt, et illico proprio Sanguine sunt Baptizati.

Objicies 1. Qua ratione de Baptismo dicitur Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non introibit in regnum Dei,* eadem ratione dicitur Joann. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* sed ex prioribus verbis colligitur, Baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medii: igitur id ipsum colligi debet ex posterioribus. *Confirmatur* ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ Sacramentum Eucharistiæ etiam parvulis una cum Baptismate conferebat, ut testatur S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 2. et 3. et S. Cyprianus, Serm. *De Lapsis,* et S. Augustinus, Epist. 107. quæ est ad Vitalem, quam utique consuetudinem adhuc suo tempore viguisse scribit S. Anselmus, in cap. 2. Lucæ, sed aliunde hanc praxim non usurpavit Ecclesia, quam quia judicavit Eucharistiam re susceptam non minus ad salutem esse necessariam, quam Baptismus: igitur; etc. — **Respondeo,** paritatem utriusque in eo consistere, quod quemadmodum Baptismus est de necessitate salutis in re vel in voto susceptus, ita quod sicut adulti sine voto Baptismi salvari non possint, licet absque eo reipsa suscepto et cum solo ipsius voto interdum salventur, ita sine aliquo Eucharistiæ voto, saltem implicito, nullus adultus salutem potest consequi, etiamsi absque illius actuali susceptione aliquando obtineat. Hoc tamen interest inter utrumque Sacramentum, quod Baptismus sit principium vitæ spiritualis et janua aliorum Sacramentorum; Eucharistia vero sit ipsius vitæ spiritualis fastigium et consummatio ac veluti finis, quippe cum alia Sacramenta idcirco animæ sanctificationem instituant vel perficiant, ut perfectiori modo Eucharistia suscipiatur. Unde receptio Baptismi est absolute necessaria ad vitæ spiritualis inchoationem, ac subinde sine eo in re, vel in voto suscepto nemo salvari potest. Secus autem est de Eucharistia, quæ cum tantum videatur necessaria ad ipsius vitæ spiritualis consummationem, hinc est, quod absque ejus actuali susceptione, vel voto explicito possit hæc spiritualis vita, ac subinde salus haberi. Parvuli autem per Baptismum ordinantur ad Eucharistiam, et sic habent illius votum implicitum; hoc enim ipso, quo quis baptizatur, per Ecclesiam ordinatur ad receptionem aliorum Sacramentorum, maxime Eucharistiæ, et sic habet illius votum implicitum; sicut enim parvuli ex fide Ecclesiæ credunt, ita ex voto et intentione Ecclesiæ recipiunt aliquem fructum

Eucharistiæ, licet eum reipsa non suscipiant. Ad Baptismum autem non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum, et ideo ante susceptionem Baptismi pueri non possunt habere Baptismum in voto, sicut adulti, ac proinde effectum Baptismi sine ipsius actuali susceptione non possent recipere. Ex quibus apparet, Baptismi susceptionem longe majoris esse necessitatis, quam Eucharistiæ. *Ad confirmationem* dico, cum Concilio Trident. Patres illius temporis id quidem fecisse rationabili de causa, non tamen hac praxi necessitatem absolutam Eucharistiæ suscipiendæ agnovisse, alioqui paris necessitatis censenda esset Confirmationis susceptio; nam hæc parvulis post Baptismum una cum Eucharistia continuo conferebatur; nemo tamen dixerit, Confirmationis susceptionem ad salutem esse absolute necessariam.

INSTABIS: Talis per ea verba Joann. 6. intelligitur necessitas Eucharistiæ suscipiendæ, qualem agnoverunt SS. Patres, maxime S. Augustinus: sed ipse censuit susceptionem Eucharistiæ non minus ad salutem esse necessariam, quam Baptismi: igitur, etc. *Major constat. Minor probatur* ex ipsomet S. Augustino, lib. *De peccatorum meritis, et remiss.*, cap. 20. ubi cum probasset ex illo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, etc. existentiam peccati originalis, et Pelagiani vim hujus argumenti eludere cupientes, distinguerent inter regnum Dei, et vitam æternam, vellentque illud solis baptizatis esse donandum, istam vero parvulis etiam Baptismate non initiatis; S. Augustinus hanc elusionem præcludens, ostendit, quod a vita æterna excludendi etiam essent non baptizati, propter illud Christi Domini oraculum: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis*, etc. scribit autem: *Auferatur ergo jam dubitatio, Dominum audiamus, non suspiciones, conjecturasque mortalium, Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri docentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, ad quod nemo vite nisi baptizatus accedit:* nisi manducaveritis Carnem meam, et biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendant? An vero quispiam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione Corporis hujus, et Sanguinis in se habere vitam, quia non ait:* Qui non manducaverit, *sicut de Baptismo:* Qui non renatus fuerit, *sed ait:* Si non manducaveritis, *velut eos alloquens, qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine Corpore et Sanguine Filii Hominis vitam habere non possit, frustra etiam ætas major id credit: potest enim si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis esse videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur, quia non ait:* Qui non manducaverit, *sed:* si non manducaveritis. *Et ubi est, quod de eodem loco de hac ipsa re ait:* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita? *Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat, quia non possumus dicere ad sæculum nos pertinere, pro cujus vita Christus Carnem suam dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum venimus? Ac etiam pro parvulorum vita Caro data est, quæ data est pro sæculi vita, et si non manducaverint Carnem*

Filii Hominis, nec ipsi habere possunt. Idem repetit lib. 1. *Ad Bonifacium*, cap. 22. et lib. 3. *Contra Julianum*, cap. 1. et lib. *De prædest. Sanct.*, cap. 13. et alibi non semel. Idem docet Innocentius I, in Epistola, quam scripsit ad Patres Concilii Milevitani approbans eorum acta contra Pelagianos, et quæ est n. 93. inter Epistolas S. Augustini; in ea enim scribit: *Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint Carnem Filii hominis, et biberint Sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis; qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cessare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur, nonnisi Baptismate esse conferendum.* Non solum Innocentius, sed et Gelasius Pontifex post obitum S. Augustini, sic ad Episcopos per Picenum scripsit: *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit Carnem*, etc. *Ubi utique neminem videmus exceptum; nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium est.* Unde ipse S. Augustinus, Epist. 106. ait Pelagianos asserentes infantes non baptizatos habituros vitam æternam, sentire contra sententiam Domini diserte dicentis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis; et contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re cum ageretur, hoc testimonium adhibitum est Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur.* Et postea: *Si autem credimus Sedi Apostolicæ, vel potius ipsi Domino et Magistro Apostolorum, qui dicit, non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint*, etc. Et lib. 2. *Ad Bonifacium*, cap. 4. *Quid illud, quod idem Papa de hac ipsa causa etiam Numidiæ rescripsit Episcopis, quia de utroque Concilio, et de Carthaginensi scilicet et de Milevitano, scripta susceperat, nonne apertissime de parvulis loquitur? Hæc enim ejus verba sunt: Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare*, etc. — **Distinguo minorem**: S. Augustinus censet parem esse necessitatem Eucharistiæ, ac Baptismi, quantum ad utriusque effectum, nempe quantum ad incorporationem cum Christo Ecclesiæ capite, *concedo:* quantum ad utriusque realem susceptionem, maxime ex parte parvulorum, *nego.* Sic enim sui ipsius interpres est S. Augustinus, lib. 3. *De Peccatorum meritis*, cap. 4. ubi scribit: *Quid autem apertius tot, tantisque testimoniis divinorum Eloquiorum, quibus dilucidissime apparet nec propter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse aliquem injuste damnari, hoc est ab illa vita ac salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, idest, Christi Corpori membrisque socientur, manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc iis collatum fuerit, pertinere.* Et postea: *Numquid etiam illud, nisi manducaverint homines Carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint Corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, nisi Christi Corpus, cui ut incorporentur Sacramento Baptismatis inducuntur?* Ex quibus apparet, S. Augustinum eodem modo velle Eucharistiam

esse necessariam ad salutem, quomodo Corpus Christi manducari potest in Baptismo: dicimus autem manducare Corpus Christi in Baptismo, quatenus ipsius Corpori, nempe Ecclesiæ incorporamur; ac subinde S. Augustinus loquendo de necessitate manducandæ Eucharistiæ, non loquitur de ipsius susceptione actuali, sed de effectu, seu de re Sacramenti; quam societatem esse, ait, Corporis et membrorum Ecclesiæ, cui parvuli per Baptismum adscribuntur. Idem docet tract. 26. in Joann. ubi explicans hæc verba: *Qui manducat meam Carnem*, etc. sic scribit: *Qui hanc sumit*, inquit, *habet vitam, et hanc vitam æternam. Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi Corporis et membrorum suorum, sicut rei Sacramentum, idest, virtutem Corporis et Sanguinis Christi. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, et de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res vero ipsa, cujus Sacramentum est omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.* Quando ergo S. August. dixit, Eucharistiam esse omnibus ad vitam necessariam, non loquitur de reali Sacramentali Eucharistiæ receptione, sed tantum de mystica et spirituali, quæ consistit in incorporatione cum Christo; nam, ut scribit tract. mox laudato in Joann. *Hoc est manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.* Unde fit, quod cum per Baptismum incorporemur Christo, hæc realis susceptio Baptismi est mystica et spiritualis receptio Eucharistiæ, et votum implicitum et virtuale illius; Baptismus enim est quædam inchoatio vitæ spiritualis, quæ ex se et natura sua ordinatur ad suam perfectionem, suumque finem; qui utique non est alius quam unio et incorporatio cum Christo, quæ perficitur et consummatur in receptione reali Eucharistiæ. *Nam*, inquit S. Chrysost., Homil. 6. ad populum: *Propterea semetipsum nobis immiscuit Christus, et corpus suum in nos contemperaverit, ut unum quid simus, tamquam Corpus capiti coaptatum.* Porro quod revera S. August. censeat parvulos salvari posse absque reali Eucharistiæ susceptione, aperte docet lib. 1. *De peccat. merit.*, ubi sic scribit: *Cæterum quis ignorat, quod baptizatur parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod parvus accepit? Verumtamen si percepto Baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat.* Eodem modo explicandi sunt duo summi Pontifices Innocentius et Gelasius.

Dices 2: Non minus necessaria est spiritualis alimonia ad vitam spiritalem conservandam, quam corporea ad corporalem: sed cibus corporeus necessarius est absolute de via ordinaria ad conservandam vitam corporalem, ita ut absque cibo citra miraculum homo diu vitam prorogare non possit: igitur cum Eucharistia sit spiritualis animæ cibus, pari ratione erit necessaria. — **Nego majorem**; disparitas enim inter utrumque cibum in eo maxime consistit, quod vita corporalis propagari non possit, nisi per assiduam conversionem alimenti in substantiam aliti, ut videlicet restaurentur partes illæ, quæ per calorem naturalem absumuntur et pereunt; ad quam restaurationem nulla

alia media et remedia naturalia suppetunt præter nutritionem; secus est autem de vita spirituali, quæ per alia media, quam per susceptionem Eucharistiæ, nempe per gratias actuales, conservari potest et vegetari, ut constat de Patriarchis, et sanctissimis Viris, qui ante Legem Evangelicam et Eucharistiæ institutionem diu sanctissime vixerunt. Non inficior tamen, Eucharistiam esse necessariam morali saltem necessitate ad conservandam vitam spiritualem, propter uberes gratias, quas ad cavendum mortale peccatum jugiter influit.

Dices 3: Quo Sacramenta sunt digniora, eo sunt magis necessaria: sed Sacramentum Eucharistiæ est omnium dignissimum; imo est fons aliorum Sacramentorum, ut præclare docet Catechismus Trident., *De Eucharist.*, num. 48; ubi scribit: *Hoc vero aliqua ex parte assequentur* (nempe hujus Sacramenti mirabiles effectus), *si omnium Sacramentorum, atque natura perfecta Eucharistiam sancti cætera rivulis comparaverint; vere enim ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est, cum fontem ipsum cœlestium charismatum, et donorum, omniumque Sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat; a quo, tamquam a fonte, ad alia Sacramenta, quicquid boni et perfectionis habent, derivatur.* Igitur cum aliqua ex Sacramentis sint necessaria necessitate medii, multo magis necessariam ita esse Eucharistiam censendum est. — **Nego majorem**; major enim Sacramenti dignitas non est indicium illius majoris necessitatis, sed tantum quod nobiliores in suscipiente ad debitam ejus susceptionem dispositiones requirat; necessitas enim Sacramenti maxime attenditur penes remotionem peccati, ad quam, cum Eucharistia non sit ordinata, non videtur esse absolute necessaria ad vitam spiritualem instituendam, vel prorogandam.

Conclusio secunda. — Fideles tenentur ad recipiendam Eucharistiam præcepto divino et Ecclesiastico.

Prima pars hujus Conclusionis apparet ex illis verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis*, etc. quibus verbis Christus Dominus significat, eam manducationem esse necessariam aliqua necessitate: sed non est necessaria necessitate medii: igitur saltem necessitate divini præcepti. Idem constat ex Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christi Domini Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, non solum sacrificium offerre imperavit, sed quæ ipse fecit, facere, hoc est, se, aliosque fideles hoc divino cibo pascere præcepit; quamvis hujus exequendi tempora non præscripserit, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, juxta dictamen Spiritus sancti, præfinienda commiserit. Hoc ipsum suadet assidua Ecclesiæ diligentia, qua semper cavit, ne fideles morituri absque viatico decederent; quod utique indicium est, eam agnovisse hoc Sacramentum esse necessarium necessitate præcepti divini. *Accedit* quoque summa hujus Sacramenti utilitas, non solum ad præcavendam mortem spiritalem animæ, sed etiam ad vitam spiritalem fovendam et prorogandam. Fateor tamen, has rationes absolute non convincere, et potius in hanc sententiam esse descendendum propter communem auctoritatem Theologorum, quam propter urgentem aliquam rationem. Idcirco in hac parte efficacius confirmanda et probanda diutius non immoror.

Quantum autem ad secundam partem, nempe ad præceptum Ecclesiasticum, attinet, imprimis certum est, quod in Ecclesiæ nascentis exordiis singulis diebus fideles soliti erant hoc sacro ac divino cibo saginari, ut ex Actis Apostolorum colligere est; adeo enim qui tunc Christianam legem profitebantur vera et sincera charitate ardebant, inquit Catechismus Rom. *De Eucharistia*, n. 63. « Ut, cum sine in-« termissione orationibus, et aliis pietatis officiis vacarent, quotidie « ad sacra Dominici Corporis mysteria sumenda parati invenirentur. « Eam postea consuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus san-« ctissimus Martyr, et Pontifex, aliqua ex parte renovavit; præcepit « enim, ut Ministri, qui Missæ sacrificio interessent, communicarent; « quod ab Apostolis constitutum esse affirmaret. Diu etiam in Ecclesia « ille mos fuit, ut Sacerdos, peracto sacrificio, cum Eucharistiam sump-« sisset, ad populum, qui aderat, conversus, his verbis ad sacram men-« sam fideles invitaret: *Venite, fratres, ad communionem.* Tunc qui « parati erant, summa cum Religione sacrosancta mysteria sumebant. « (*De quotidiana Communione,* vide Dionysium, *De Eccles. Hierarch.*, « cap. 3. part. 2. Hieron. Epist., 26. *Ad Lucin.* Greg., lib. 2. *Dialog.*, « cap. 23. *Item vide,* lib. *De Eccles. dogmat.*, cap. 53. et citatur *De* « *Consecr.*, dist. 2. cap. 13). Sed cum deinde charitas, et pietatis stu-« dium adeo refrixisset, ut raro admodum ad Communionem fideles « accederent, sancitum est a Fabiano Pontifice, ut ter quotannis, in « natali Domini, et Resurrectione, et Pentecoste, omnes Eucharistiam « sumerent. Id quod postea a multis Conciliis, præsertim vero ab « Agathensi primo confirmatum est. (*Fabiani decretum habes De Con-« secr.*, dist. 2. cap. 16: *et ibidem citatur Concilium Agathense*, cap. 18. « cap. *sæculares*). Ad extremum, cum eo res adducta esset, ut non « modo sancta illa et salutaris perceptio non servaretur, sed in plures « etiam annos sacræ Eucharistiæ Communio differretur, decretum est « in Lateran. Concilio, ut semel ad minus singulis annis in Pascha « fideles omnes sacrum Domini Corpus acciperent; qui vero id facere « neglexissent, Ecclesiæ aditu prohiberentur ». *Ita Catechismus.*

Non solum autem colligitur hæc praxis nascentis Ecclesiæ, qua fideles quoties Missæ sacrificio adessent, toties sacram Synaxim facerent, ex Actis Apostolicis, sed etiam ex eorum Constitutionibus; nam Can. 10. Apostolorum statuitur, quod *omnes fideles, qui conveniunt in solemnibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas Apostolorum, et Evangelium audiant, qui autem non perseveraverint in oratione usque dum Missa peragitur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit communione privari.* Ex qua utique ordinatione infertur, pariter statutum fuisse, ut quotidie omnes fideles Missam audirent, et sacram Communionem perciperent. Quam utique Constitutionem innovavit Anacletus, Ep. 1. circa medium, ubi cum præscripsisset ritum, quem servare debeant Episcopi in sacris Solemniis quotidie celebrandis, ita quod septem, aut quinque, aut tres Diaconos, et Subdiaconos, atque reliquos Ministros secum habeant, qui sacris induti vestimentis, in fronte, et a tergo, et Presbyteri e regione dextra, lævaque, contrito corde, et humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, et consensum ejus sacrificio præbentes, statim subdit: *Peracta autem consecratione,*

omnes communicent; qui noluerint, Ecclesiasticis careant liminibus; sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia. Quibus verbis licet significet hanc obligationem solis Ecclesiæ Ministris fuisse præscriptam, nihilominus eam etiam praxim diebus singulis communicandi fidelibus omnibus, qui sacris adessent, fuisse communem, nemini debet esse dubium.

Verum refrigescente paulatim fidelium charitate, Fabianus Papa, ut refertur *De Consecr.*, dist. 2. Can. 16. statuit, ut *saltem in anno ter homines laici communicent (nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur), in Pascha videlicet, et Pentecoste, et Natali Domini.* Soter autem quartum diem adjecit, nempe feriam quintam in Cœna Domini; nam Can. 17. ejusdem distinctionis sic ait: *In Cœna Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ, quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis iis, quibus pro gravioribus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstret; cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda Corporis et Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

Tandem decrescente in dies fidelium pietate ac fervore, indultum est, ut tantum semel in anno ad sacram Synaxim faciendam Ecclesiastico præcepto tenerentur. Sic primo statutum est in Concilio Lateran., sub Innocentio III, cap. 21. ubi legimus: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin, et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, et moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Quam utique sanctionem innovavit Concil. Trident., Sess. 13. Can. 9., scribens: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

PETES: *quinam arcendi sint a sacra Communione?*

Respondet Catechismus Romanus loco supra laudato, « quod quam-« vis hæc lex Dei, et Ecclesiæ auctoritate sancita, ad omnes fideles « pertineat, docendum est tamen, eos excipi, qui nondum rationis « usum propter ætatis imbecillitatem habent. Hi enim neque sacram « Eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere, neque « ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt. « Atque id etiam a Christi Domini institutione alienissimum videtur: « inquit enim, *Accipite, et comedite.* Infantes autem idoneos non esse, « qui accipiant, et comedant, satis constat. Vetus quidem illa fuit in « quibusdam locis consuetudo, ut infantibus etiam sacram Euchari-« stiam præberent; sed tamen tum ob eas causas, quæ ante dictæ « sunt, tum ob alias Christianæ pietati maxime consentaneas, jamdiu « ejusdem Ecclesiæ auctoritate id fieri desit. *Cypr. de lapsis post me-« dium.* Qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo me-« lius constituere poterit, quam pater, et Sacerdos, cui illi confitentur

« peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percontari, « num hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, « et gustum habeant. — Amentibus præterea, qui tunc a pietatis sensu « alieni sunt, Sacramenta dare minime oportet; quamvis, si antequam « in insaniam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem præ « se tulerunt, licebit eis in fine vitæ ex Concilii Carthaginensis de- « creto Eucharistiam administrare, modo vomitionis, vel alterius in- « dignitatis, et incommodi periculum nullum timendum sit ». — Porro decretum Concilii Carthaginensis IV c. 76., ita se habet: *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrœnesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et effundatur ori ejus Eucharistia.* Eadem autem est ratio de iis, qui extra infirmitatem in amentiam incidunt. — Consonat Concilium Arausicanum I c. 13. *Amentibus*, inquit, *quæcumque pietatis sunt conferenda sunt.* Sub quibus verbis communiter Doctores intelligunt Eucharistiam. — Eamdem veritatem non obscure indicat Concilium Toletanum II Can. 11., dicens: *Quicumquem fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subjacet. Similiter nec illos cujusquam punitionis censuræ redarguet, qui talia, aut tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione siti, qui, quod fecerint, ignorare videntur.*

Tertio denegari debet theatricis et histrionibus, donec a tali commercio et negotio resipuerint. Ita aperte docet S. Cypr., Epist. 60. ad Euchratium inquirentem, quid Cypriano videretur de histrione quodam, qui apud eos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverabat, et magister et doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id, quod male didicerat, cæteris quoque insinuabat; an talis deberet communicare? *Respondet S. Cyprianus:* « Puto nec Majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, « ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur. « Nam, cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, et « maledicti hujusmodi judicentur; quanto majoris est criminis, non « tantum muliebria indumenta accipere, sed et gestus quoque turpes, « et molles, et muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec « excuset se quispiam, si a theatro ipse cessaverit, cum tamen hoc « cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios sub- « stituit, et qui pro se uno plures succedaneos suggerit contra insti- « tutionem Dei; erudiens, et docens, quemadmodum masculus fran- « gatur in fœminam, et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma « maculanti per correpti atque enervati corporis delicta placeatur. « Quod si penuriam talis, et necessitatem paupertatis obtendit, potest « inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustentantur, hujus quoque « necessitas adjuvari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed inno- « centibus cibis ». *Hæc S. Cyprianus.* — Ipsi præiverat Tertullianus in *Apologetico*, ubi *mimos capita ignominiosa et famosa* appellat; hinc lib. *De Spectaculis*, cap. 10. ait: *Theatrum proprie sacrarium Veneris est.... Itaque Pompejus Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ*

suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit... Ita damnatum et damnandum opus templi titulo attexuit. Unde, ut observat S. Augustinus, lib. 2. *De Civit. Dei*, c. 14. *Romani ab omnibus honoribus repellunt homines scenicos*, puta tamquam infames et indignos societatis humanæ, multo minus participationis sacrorum mysteriorum. Hinc Concilium Eliberitanum, Can. 62. et Trullanum, Can. 51. et Arelatense, cap. 5. hujusmodi homines a Sacra Communione removent: *De theatricis*, inquit Arelatense, *ipsos placuit, quando agunt, a Communione separari;* imo jus civile illos infamia notat, qui artis ludicræ pronuntiandive causa in scenam prodierint, lib. 1. ff. *De his qui not. infamia.*

Quarto, deneganda est Sac. Communio publicis peccatoribus, puta usuariis, raptoribus, adulteris, meretricibus, qui in Ecclesia scandalum a gravioribus criminibus etiam moniti ut resipiscant, abstinere recusant, ut constat ex Clemente, lib. 2. *Constit.*, cap. 52. Unde S. Chrysostomus, Homil. 85. in Matth. Sacerdotes alloquens, ait: *Non parva vobis imminet pœna, siquidem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis; Sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur.* Subdit vero: *Non de ignotis, sed de notis hoc disputo.* Eamdem doctrinam sæpe ac severe inculcat S. Augustinus, maxime lib. 50. *Homiliar.*, Homil. ult., cap. 12. — *Suffragatur etiam ratio;* quia non debet Sanctum dari canibus: peccatores autem illi publici, censentur canes ad vomitum suum sæpius revertentes. Porro peccatores illi censentur publici, quorum peccata nota sunt notorietate facti, et per sententiam Judicis, quibus excluditur simplex suspicio: *Nam*, inquit S. Augustinus, loco mox laud. *noluit Dominus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum.* Quod probat auctoritate Apostoli scribentis 1. ad Cor. 5. *Si quis frater nominatur in vobis, aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec quidem cibum simul sumere.* Unde subdit S. Augustinus: *Illud cur dixit, nisi quia eam denominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur? nam si denominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimina nominantur.* — Peccatori autem occulto Eucharistiam publice petenti non est deneganda coram iis, qui ejus peccatum non noverunt; quia, inquit Hiquæus in dist. 13. q. 2. n. 170. talis habet jus petendæ Communionis, utpote cum sit baptizatus, adultus, et in possessione suæ famæ, quantum ad publicam æstimationem, ac subinde citra scandalum et injuriam ei non potest denegari Communio. Nec obstat, quod ipse existens in peccato mortali irroget injuriam Sacramento; quia injuria, quæ fit Sacramento, est injuria late sumpta redundans in ipsum delinquentem, ex qua Sacramentum non patitur, nec quidquam aufertur contra justitiam stricte sumptam: sed potius totum damnum redundat in eum, qui infert irreverentiam; non sic in eo casu, quo peccatum alicujus, quod redundat in damnum alterius, tollit jus ejus celandi proprie dictum secundum

justitiam, quia non habet tale cum damno alterius: fama autem peccatoris occulti cadit sub obligatione justitiæ, ne tollatur, nisi a Judice, et ejus occultatio non infert damnum alteri contra eamdem justitiam stricte sumptam. — Hoc confirmat exemplo Judæ, quem ipse Dominus communicavit, ut communiter Doctores asserunt, quamvis ejus peccatum aliis occultum ipse novisset. *Deinde*, in administratione publica debet quis sequi scientiam publicam, non privatam: talis est, quam habet Sacerdos de innocentia illius peccatoris, cujus in eo loco non est diffamatum peccatum: ergo eam sequi debet. *Ita Hiquæus*.

Dices, inde sequi, quod peccatori etiam occulto debeat dari etiam occulte Communio, quod falsum est. — **Respondeo** *negando sequelam*, quia in eo casu datio Communionis non est actus publicus, sed privatus; ideo regulatur per scientiam privatam; neque inde fit peccatori injuria aliqua, quia non diffamatur, cum in privata scientia Sacerdotis sit privatus ipso suo facto, quod ei notum est fama. Exemplo constat, quia si accesserit aliquis ad judicem privatim, petens, ut ei solvi curet aliquid a debitore, quem talis Judex, aut Minister novit non debere, quia alias solutum est, quamvis pars id probare nequeat, recte repelleret illam petitionem; tamen in foro publico, in quo probatur per instrumentum, et testes talem asserunt esse debitorem, neque constat de solutione, tenetur solutionem admittere. Ita in proposito, bonum publicum, qualis est Eucharistia, tenebitur publice petitum dispensare Sacerdos, quamvis non privatim indigne petenti.

Dices iterum, inde sequi spectato jure naturæ Episcopum teneri admittere ad Ordines publice, quem privatim novit indignum, etiam post fraternam correptionem, etiamsi aliquot testibus indignitatem ejus nosset. — **Respondet Hiquæus** *negando consequentiam*, quia Episcopus tenetur ex justitia promovere bonum suæ Ecclesiæ, et scandala submovere; unde alter, qui indignus est, in præjudicium populi, et Ecclesiæ, in quam redundaret damnum, non habet jus petendi promotionem. *Deinde*, Episcopus est Judex potens instituere processum, et eo convicto per testes, proferre sententiam declarativam suæ inhabilitatis; eam vero auctoritatem non habet Sacerdos. Causa ergo pacis ita expedit, quia alias ex imprudentia aut passione Ministrorum sæpe aliqui essent diffamati, et per leves occasiones subtraheretur Sacramentum injuste, nascerentur etiam plures scrupuli in Ministris. Quæ congruentiæ adduntur a quibusdam, qui conclusionem in factum, et institutionem Christi referunt, non in jus naturæ, quo tenemur proximo, ne peccatum ejus injuste propalemus. *Ita Hiquæus*.

Disputant hic Auctores, qualiter præcepto annuæ Communionis satisfacere teneatur, qui vel eam omisit, vel longiorem peregrinationem auspicaturus, prævidet se non posse huic præcepto facere satis. Verum cum ea omnia dubia facili negotio dissolvi possint ex iis, quæ diximus de præcepto annuæ Confessionis, idcirco ab ampliori hac discussione et repetitione supersedimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE POTUERIT LAICIS AB ECCLESIA PROHIBERI, ET JUSTIS DE CAUSIS FUERIT PROHIBITA.

NOTANDUM 1. Waldenses in professione suæ fidei, quam direxerunt ad Ulasdislaum, asseruisse, Communionem sub utraque specie indispensabili Christi Domini præcepto ad salutem omnibus et singulis præscriptam fuisse atque necessariam. Eumdem errorem Bohemi, ut refert Æneas Sylvius in *Historia Bohemorum*, cap. 35. innovarunt circa annum 1412. ducibus Petro Dresdensi, et Jacobo Misniensi, quos studio impugnandæ Romanæ Ecclesiæ secutus est Martinus Lutherus, qui licet initio affirmaverit in quodam Sermone *De Sacramento Eucharistiæ*, alteram speciem sufficere, postmodum lib. suo *De captivit. Babylon.*, scribere non erubuit, omnes esse impios, qui utriusque specie Communionem Laicis denegant. Quibus æquali audacia subscribit Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 17. ubi non minori impudentia, quam ignorantia, aut certe, quod verius est, malitia, scribit, ex officina diaboli prodiisse constitutionem illam, qua dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero, vel furata est, vel eripuit, nempe symbolum Sanguinis. Adversus itaque hos omnes errores hac in Quæstione præliandum est, ac demonstrandum *primo*, quod Communio sub utraque specie non sit jure divino singulis hominibus præcepta et necessaria: *secundo*, quod justis de causis eam Ecclesia Laicis interdixerit; ita tamen, ut, quando libuerit, restituere possit.

NOTANDUM 2. Certum esse, quod Christus Dominus instituerit Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie panis et vini, ut ex verbis institutionis liquido constat, ac utramque speciem Apostolis, quos Sacerdotes instituebat, concessisse. Certum pariter, quod per plurima sæcula ab ipsis Ecclesiæ primordiis fideles omnes sub utraque specie sacram Synaxim facerent, imo per aliquod tempus Ecclesiastico præcepto fidelibus injunctum fuisse, ut sub utraque specie communicarent, quo scilicet dignosci, ac distingui possent a Manichæis, qui effutientes vinum esse fel draconis et a diabolo invectum in hominum perniciem, asserebant illud sine sacrilegio bibi non posse, et propterea a Communione sub vini specie abstinebant, ut refert S. Leo, Serm. 4. *De Quadragesima: Cum*, inquit, *Manichæi ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi Corpus accipiant; Sanguinem autem Redemptionis nostræ omnino haurire negligant; quod ideo vestram voluimus scire Sanctitatem, ut vobis ejusmodi homines, et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati ut reprobi a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Cum autem hic Manichæorum error et pessimus ritus adhuc vigeret tempore Gelasii summi Pontificis, idem rursus præceptum est, ut refertur dist. 2. de consecr. ubi legimus: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo Corporis Sacri portione, a calice consecrati cruoris abstineant, qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur, adstringi, aut sacramenta percipiant, aut*

ab integris arceantur. Quibus verbis Gelasius utramque speciem sumendam præcipit, quam appellat integrum Sacramentum; non quod unaquæque species quoad rem contentam non sit integrum Sacramentum, sed quia integra Sacramentalis significatio, nonnisi in utraque specie distincte et perfecte elucescit.

NOTANDUM 3. Ecclesiam hisce posterioribus temporibus revera prohibuisse Laicis et Clericis non consecrantibus usum Calicis, ut constat ex Conciliis Constantiensi, Basileensi, et Trid., Sess. 21. Can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint, *Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret.* Verumtamen statim, atque legem illam tulit Ecclesia, nonnullis permisit, aut permitti posse pronuntiavit, quod tunc justis de causis prohibebat, nam Martinus V e Conc. Constantiensi Romam reversus, Communionem sub utraque specie Laicis tribuisse fertur. Similiter Conc. Basileense post interdictam Laicis Calicis sumptionem, pro bono pacis et utilitatis concessit Bohemis et Moravis, ut sub utraque specie Eucharistiam reciperent. Concilium etiam Florentinum morem Græcorum sub utraque specie communicantium minime improbavit. *Denique* Concilium Trid., Sess. 22. in fine, decretum super concessione calicis ita expressit: *Insuper cum eadem sacro-sancta Synodus superiori sess.* (immediate post Canonem quartum) *duos articulos alias propositos* (scilicet, Sess. 13. in decreto prorogationis) *et tum nondum discussit, videlicet: an rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, sic communicare Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus, et, an sub honestis et christianæ charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam illæ sint, in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos, atque definiendos reservaverit. Nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum Dominum Nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, et salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.* Ex quibus apparet, Ecclesiam Catholicam in administratione et usu Eucharistiæ Christianorum paci et utilitati consulere studuisse, nec illam a permittenda sumptione calicis ita esse alienam, ut de illo præcepto aliquid in gratiam et consolationem nationum et regnorum remittere parata non sit, si quoad dogmata, et veram fidem, et sinceram obedientiam in petentibus inveniret.

Conclusio prima. — NULLO DIVINO PRÆCEPTO TAM LAICI, QUAM CLERICI NON CONFICIENTES, TENENTUR AD COMMUNIONEM SUB UTRAQUE SPECIE. Hæc est de fide determinata in Concilio Constantiensi, Sess. 13. his verbis: *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laicum passim communicent, etiam post cœnam, vel alias non jejuni, et com-*

municandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc est, quod hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu Sancto legitime congregatum adversus hunc errorem saluti fidelium provideri satagens, matura plurium Doctorum tam divini, quam humani juris deliberatione præhabita, declarat, decernit, et definit, quod, licet Christus post cœnam instituerit, et suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso vel admisso. Et similiter quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie; tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula, et scandala, est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus et Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, et SS. Patribus rationabiliter introducta, et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem et legem observare, sit sacrilegum et illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam hæretici arcendi sunt, et graviter puniendi per Diœcesanos locorum, seu Officiales eorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis, etc. — Consonat Synodus Tridentina, supra c. 2. ubi cum declarasset, in Ecclesia perpetuo fuisse potestatem, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret, continuo attexit: *Quare agnoscens Sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.*

Probatur autem Conclusio: si Communio esset necessario sub utraque specie facienda de jure divino, id colligeretur *vel* ex præcepto Christi Domini, *vel* ex ejus facto et exemplo, *vel* ex assidua Ecclesiæ praxi, *vel* denique ex natura sacramenti: sed ex neutro capite id potest inferri, ut probabimus sub distinctis hisce titulis.

Christus Dominus non præcepit faciendam Communionem sub utraque specie. — *Probatur:* si esset aliquod divinum Christi Domini præceptum de Communione facienda sub utraque specie, peteretur vel ex his verbis Joann. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* vel ex his verbis Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes;* vel denique ex his verbis Lucæ 22.

Hoc facite in meam commemorationem: sed ex nullis eorum divinum hoc præceptum potest colligi. Non quidem ex primo: *tum* quia ex illis verbis in omni sua proprietate intellectis nihil aliud colligitur, quam quod homines teneantur ad manducandum Christi Corpus, et bibendum ejus Sanguinem, quod utique fit in sumptione unius speciei, siquidem sub qualibet sumitur Corpus cum Sanguine. — *Nec dicas,* cibum quidem, et potum sumi sub singulis speciebus, non vero manducari cibum et bibi potum, quod hic videtur requiri. *Hæc enim responsio prorsus inanis est,* quia manducare, et bibere, vel idem significat, ac sumere quod vere est cibus et potus, vel significat sumere cibum sub externa visibili specie cibi, et potum sub externa specie potus. Si primum, revera sub utraque specie Christi Corpus et Sanguis manducatur et bibitur, quia sub qualibet specie utrumque sumitur. Si secundum dixerint hæretici, necessum est, quod ostendant, ubi scriptum fuerit, nisi manducaveritis sub modo cibi, et biberitis sub modo potus: igitur præceptum hoc versatur dumtaxat circa rem, quæ sumitur, non circa modum, quo illa sumitur. Neque id insolitum est in Scriptura, quæ plerumque verbum *manducandi, et bibendi,* pro eodem indifferenter usurpat. Sic Apostolus, qui dixerat 1. ad Cor. 3. lac vobis potum dedi, *ibidem* c. 9. dicit: *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Similiter de Christi Passione dicitur Ps. 68. *Et dederunt in escam meam fel.* Et tamen Matth. 26. legimus: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum:* igitur nulla vis facienda est in illis verbis: *Nisi manducaveritis, biberitis,* quippe intelliguntur de re quæ sumitur, non de modo quo sumenda est. — *Secundo:* dici potest quod particula *(et)* hic non sumatur collective, sed disjunctive, ita quod sit sensus: *Nisi manducaveritis, aut biberitis.* Quod utique frequens est in Scriptura. Sic Exodi 21. *Qui percusserit patrem, et matrem, morte moriatur,* idest, alterutrum. Sic Actorum 3. *Argentum, et aurum non est mihi,* idest, neque argentum, neque aurum. ✻ " Primæ ad Corinth. 11., hæc ait Paulus: *Qui manducat et bibit indigne* etc. ubi sane particula *et* pro *vel* sumitur; qui enim unam tantum speciem indigne sumit, reus est, ut ipsemet Paulus asserit ejusdem cap. v. 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* " ✻ Porro, quod ea fuerit mens Salvatoris *Joan.* 6. egregie colligit Concilium Tridentinum, Sess. 21. c. 1. *Nam,* inquit, *qui dixit: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et qui dixit, qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita: is denique qui dixit: qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Igitur ex mente Christi Domini vis præcepti non tam attenditur, quantum ad sumendi modum, quam ad rem ipsam sumendam. — Non colligitur etiam ex secundo textu, *Bibite ex hoc omnes;* quippe verba illa Christus non ad omnes omnino fideles, sed ad solos Apostolos, qui tunc cum eo cœnabant, dixit, quo significaret, ut unus non sumeret totum calicem, sed quisque ita ca-

licis partem hauriret, ut sic omnes ex eo biberent. Hinc Lucæ 22., legimus: *Accipite, et dividite inter vos.* Atque hoc impletum fuisse testatur S. Marcus, c. 14. scribens: *et biberunt ex eo omnes,* Unde etiam signanter Christus Dominus ad distributionem panis hanc cautionem non adhibuit, quia videlicet ipse fregit, et singulis dedit partem panis consecrati, ut legimus Matth. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis.* — *Tertio denique,* divinum hoc præceptum non potest colligi ex his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam apud Lucam 22. et apud S. Paulum 1. Cor. 11. hæc verba absolute referuntur post consecratum panem, et ante consecrationem calicis; unde Apostolus ea repetens post consecratum calicem, non absolute sed hypothetice dicta refert, his verbis: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Ex quibus patet, quod usus calicis absolute non præcipiatur, sed quod bibens calicem, quotiescumque id facere contigerit, in Christi memoria faciat, et mortem Domini annuntiet. Apparet ita ex verbis illis usum quidem calicis in Ecclesia perpetuo esse retinendum, ut recolatur perpetua memoria mortis et Passionis Christi, non vero quod id ab omnibus et singulis sit faciendum, sed dumtaxat a Sacerdotibus, quos in persona Apostolorum tunc temporis Christus inaugurabat in Sacerdotes novæ Legis.

Non colligitur etiam divinum hoc præceptum ex facto et exemplo Christi. — *Tum* quia tunc temporis non solum Christus Sacramentum instituit, sed etiam sacrificium obtulit, ac subinde præbebat ritum sacrificandi, quem exacte sequitur Ecclesia, dum Sacerdotes obligat ad utriusque speciei consecrationem et sumptionem. *Tum* quia non omnia quæ ibi Christus legit, singulis fidelibus facienda præcipit in suscipienda Eucharistia, ut etiam aperte fatetur Calvinus, lib. 4. *Instit.*, c. 17. n. 43. Nec diffiteri possunt hæretici, quippe cum *nec* ipsi pedes lavent, antequam suam Cœnam Eucharisticam edant, *nec* prius agnum comedant, *nec* serotinis horis et post Cœnam accipiant, *nec* tantum cum duodecim viris, nullis præsentibus mulieribus: igitur ex facto et exemplo Christi non potest colligi præceptum sumendæ Eucharistiæ sub utraque specie, quippe non potius hac in re videtur imitandus Salvator ab omnibus fidelibus, quam in aliis ritibus, quos ibi servavit, nec tamen ab Ecclesia servandos esse voluit. Quod utique præclare S. August. demonstrat Epist. 118. ubi loquens de Eucharistia a jejunis tantum sumenda, quamvis illam non jejunis Apostolis Christus primum dederit: *Illud,* inquit, *magis movere potuit homines, utrum jam refecti ore illo, vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio dicitur,* cum autem illi manducarent, accepit Jesus panem, et benedixit, etc. *Et liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus et Sanguinem Domini non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandus est mos universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam externi cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit et emendat,*

mensis suis ista miscere. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, et memoriæ Discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumerentur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret suum locum. Num si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variasset. Hæc ille de jejunio, indubie idem dicturus de sumptione unius speciei, si occasio ita exegisset.

Non etiam hoc divinum præceptum ex assidua Ecclesiæ praxi colligitur. — *Primo,* nam ab ipsis etiam Apostolis frequentatam videmus Communionem sub unica specie; dicitur enim Actor. 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis;* ubi per fractionem panis intelligitur Eucharistiæ participatio, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Nulla autem ibi fit mentio calicis, ac subinde argumentum est, Apostolos aliquando administrasse Eucharistiam sub sola specie panis. Quod utique confirmatur ex circumstantiis, quia inter fideles tunc erant plures Nazaræi, ut patet Actor. 21. *Sunt nobis viri quatuor habentes votum super se;* Quibus Apostoli tunc permittebant observantiam Legis; Nazaræis autem interdictum erat vinum, ut constat his verbis Num. 6. *A vino, et omni, quod inebriare potest, abstinebunt.*

Secundo, idipsum patet ex antiquissimo Ecclesiæ ritu, quo constat Eucharistiam fidelibus tradi solitam, ut eam secum deportarent, non solum domum, sed etiam in solitudinem, ad remotiora loca properantes; cujus utique praxis plurima jam protulimus testimonia ex Tertulliano, Cypriano, et aliis: sed non est credibile duplicem speciem semper fuisse concessam, vel deportandam domum, vel a Monachis in solitudinis secessus, vel a peregrinantibus in remotissimas regiones: *tum* quia Eucharistia sic delata aliquando per annum integrum servabatur, ut habetur in *Prato spiritali,* c. 49. a Monachis in solitudine tempore sævientis persecutionis; sic autem servari non potuissent species vini, quod facile acescit et corrumpitur: *tum* quia Eucharistia sic concessa appellatur *panis,* ut colligitur ex Tertulliano, qui loquens de muliere, quæ Gentili nupta sit, dicit lib. 2. *Ad uxorem,* cap. 5. *Non sciat maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, si sciverit, panem non illum credet esse, qui dicitur.* Ubi, et unius panis speciei mentionem facit, et illam solam fuisse adhibitam aperte significat, cum ait: *Non sciat maritus;* si enim mulier gustasset species vini, facili negotio ex odore et halitu maritus deprehendere potuisset.

Tertio, hæc praxis colligitur etiam ex eo, quod calix nusquam in manus Laicorum dari erat solitus, sed quando communio fiebat sub duplici specie, Laicis ministrabatur per manus Diaconorum: porro species panis Laicis tradebantur in manus etiam mulieribus, ut luculento testimonio tradit S. August., lib. 2. *Contra litteras Petiliani,* cap. 23. et Serm. 105. *De Tempore,* cap. 23. ubi ait: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Ad quem morem alludit Canon Concilii Altisiodorensis, ubi legimus: *Non liceat mulieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas*

Dominicas mittere. Et Can. 39. *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum* (idest, mundissimum linteum ad accipiendum Domini Corpus) *habeat; aut si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Cum itaque aliunde constet, sacrum calicem nonnisi per manus Diaconorum fuisse dispensatum, consequens est unam tantum speciem cum viris, tum mulieribus domum deferendam, ut ibi sumeretur, fuisse concessam. — *Non valet reponere,* speciem panis Sanguine Domini fuisse respersam et intinctam, quemadmodum facere solent Græci, dum Missas celebrant, ex jam præsanctificatis, et quando servant Eucharistiam distribuendam morientibus. Hæc, inquam, responsio non valet, cum enim mulieres Eucharistiam nitidissimo linteolo exciperent, si species panis fuissent Sanguine Christi madentes, sacrum illum liquorem linteolum exsuxisset, et aliquæ guttulæ in terram potuissent defluere, quod periculum quanta diligentia sacri Antistites et Patres præcavere fuerint solliciti, patet ex Homil. 13. Origenis in *Exodum,* sic scribentis: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam deciderit.* Quod et observat S. Aug. et ad mores pie reflectit, lib. 50. *Homiliar.,* Hom. 26. *Quanta,* inquit, *sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat.*

Quarto, id constat ex eo, quod infantibus olim Eucharistia sub unica specie porrigebatur; cum autem non possent solidum cibum sumere, aliquid Sanguinis Domini in os eorum per Presbyterum, aut Diaconum instillabatur; cujus utique moris meminit Hugo Victorinus, lib. 1. *De Sacramentis,* cap. 20. et ipsum appellat *primam Ecclesiæ institutionem;* cujus etiam exemplum illustre profert S. Cyprianus, Tract. *De lapsis,* ubi narrat, quod cum puella nutrici relicta, inscia matre, quæ ob persecutionem fugerat, de idolothytis gustasset, et in Ecclesiam tempore sacrificii a matre ablata fuisset; ubi, *inquit,* solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Perstitit autem Diaconus, et reluctanti licet, de Sacramento Sanguinis infudit; tunc sequitur singultus et vomitus in corpore, *atque in ore violato permanere non potuit Eucharistia,* utique sub una specie vini porrecta; si enim sub specie panis Eucharistiam absque difficultate puella suscepisset, ore violato permansisset Eucharistia, illeque vomitus non tam miraculo, quam vini horrori vel alteri causæ naturali absque negotio adscriberetur. Si autem sub unius specie vini Eucharistia etiam in Ecclesia priscis temporibus, iisque erroris labisque puris ministranda fuit, profecto docti ab Apostolis Patres existimarunt, unius speciei usu divino de sumenda Eucharistia præcepto fideles satisfacere.

Quinto, sacra Eucharistia abstemiis olim sumenda porrigebatur; cujus moris meminit Hieronymus, Epist. 22. *Ad Eustochium,* ubi qua-

rumdam Catholicarum Virginum abstemiarum meminit, quæ Romæ in sacris mysteriis præ nativo vini horrore a specie vini abstinebant; ibidemque increpat et redarguit quasdam lascivas mulieres, quæ adversus usum illum obloquentes, sacras illas Virgines miseras et Manichæas dictitabant. Et certe abstemios non solum Catholica Ecclesia, sed nec vel ipsi etiam Lutherani et Calviniani ad usum calicis unquam adstrinxerunt. Ergo utriusque speciei usus non est omnibus et singulis ad salutem necessarius.

Sexto, solemnis erat per universas Galliæ Ecclesias decimo sæculo ritus, quo Episcopus Presbytero recens ordinato Eucharistiam in una specie panis per quadraginta dies in memoriam quadraginta dierum, quibus Christus cum Apostolis conversatus est, sumendam porrigebat, quem refert Fulbertus Carnotensis, Epist. *Ad Picardum*, ubi *et asserit suos Provinciales Episcopos in hujusmodi ritum omnes consentire, ut dum ordinati Sacerdotes quotidie cœlestis panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mente habeant, quo per quadraginta dies Dominus Discipulis apparens et convescens desideratæ visionis societate refecit.* Ergo unius speciei usus nedum toleratus, sed commendatus etiam priscis temporibus fuit. Plura his similia ad hanc veritatem confirmandam veteris Ecclesiæ monimenta et momenta reperies apud Auctores, qui contra hæreticos ex professo pugnavere; quibus omnibus constat, Communionem sub utraque specie necessario faciendam jure divino, nequaquam ex veteris Ecclesiæ praxi posse colligi.

Denique Communio sub utraque specie non est necessario facienda ratione integritatis Sacramenti. — Sacramentum enim Eucharistiæ tria maxime complectitur: *primo* signum, *secundo* rem significatam, ut est sub signo contenta, *tertio* denique fructum, idest, effectum illius: atqui Communio sub unica specie hæc tria complectitur: ergo, etc. *Probatur minor:* unica species significat Christum, ejusque mortem ac passionem, internamque ac spiritualem refectionem animarum nostrarum, denique unionem fidelium inter se et cum Christo. *Primo* quidem significat Christum, quia in pane figuratus est (idem dicas de vino): *secundo,* significat Passionem, nam panis repræsentat carnem velut separatam a Sanguine; similiter vinum repræsentat Sanguinem separatum a carne, ac velut extra venas corporis. *Tertio,* significat refectionem animarum, quia in refectione spirituali non differunt cibus et potus, sed unam eamdemque nutritionem efficiunt, sicut potus corporeus et cibus, ut patet Ecclesiastici 15. ubi sapientia nunc aquæ, nunc pani, comparatur: *Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Matth. 5. Christus justitiam appellat cibum et potum: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Joann. 16. *Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet.* Apostolus prædicationem suam nunc cibum, nunc potum appellat. *Denique,* unica species significat unionem spiritualem fidelium, quia per panem seorsim confectum ex multis granis, et per vinum seorsim expressum ex multis racemis hæc unio repræsentatur; unde Apostolus: *Unus panis, unum Corpus, multi sumus in Christo.* — *Probatur secundo,* ratione rei contentæ sub signo, quæ est Corpus Christi; nam sub unaquaque specie seorsim sumpta totus ac integer Christus continetur, ut constat ex dictis de præsentia reali, et de concomitantia. —

Probatur denique ratione effectus: *primo* effectus proprius Eucharistiæ est vita consummata: hanc autem consequuntur fideles sub una tantum specie communicantes: ergo utraque non est ad id necessaria. *Probatur minor* ex ipsis Christi Domini verbis: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Qui manducat me, ipse vivet propter me: Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Secundo,* ubicumque est tota res, unde oritur fructus, ibidem et totus fructus reperitur (modo cætera sint paria); atqui totus Christus sub qualibet specie continetur: ergo sumpta una specie sola, recipitur totus fructus.

Objicies 1. Mutilum est et invalidum Testamentum, ubi non reperiuntur omnia singulis Christianis Testamento Christi legata: atqui utramque speciem singulis Christianis Testamento suo legavit Christus, ut probari videtur ex his verbis: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur.* — **Respondeo primo,** *majorem* esse veram si de sacrificio crucis, non autem si de Eucharistiæ Sacramento intelligatur. *Secundo negando minorem:* etenim Ecclesiæ suæ Christus Testamento suo legavit Corpus et Sanguinem suum; non tamen a singulis sub utraque specie, sed a Sacerdotibus sacrificantibus sumendum. *Tertio, distinguo minorem:* Christus Testamento suo, etc. ratione rei significatæ, quæ tota est, et integra sub qualibet specie, *concedo:* ratione signi, *subdistinguo:* inadæquate sumpti, pro una scilicet specie, *concedo:* adæquate sumpti, nimirum pro utraque specie, *nego.*

Objicies 2. SS. Patres diserte affirmant, Communionem sub utraque specie fieri solitam a fidelibus nascentis Ecclesiæ, et necessario faciendam ad Sacramenti integri participationem. *Primo* namque Justinus *Apolog.* 2. ad Christianos post descriptam Communionem sub utraque specie subdit: *Apostoli in Evangeliis ita sibi præcepisse Dominum tradiderunt.* Similiter S. Cyprianus, lib. 2. Epist. 3. *Quidam,* inquit, *vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, et plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, et docuit.* Unde lib. 1. Epist. 2. scribit: *Quomodo,* inquit, *docemus, et provocamus eos in confessione nominis Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Sanguinem Christi denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si mancos ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et Auctor Serm. *De Cœna Domini: Lex,* inquit, *esum Sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur.* Et S. August. lib. *Quæst. in Leviticum,* q. 57. *Ad bibendum Sanguinem omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Et S. Bernardus, Serm. 3. *In ramis palmarum: Alimentum Corporis et Sanguinis Domini,* inquit, *in prima Cœna Domini exhibitum, deinceps frequentari mandatum.* Igitur communio sub utraque specie facienda est ex Christi mandato, et præcepto. — **Nego consequentiam,** et ad S. Justinum dico primo, eum loqui solum de præcepto consecrandi sub utraque specie, non vero communicandi; ibidem enim dicit, Eucharistiam deferri solitam per Diaconos ad eos, qui Missarum solemniis, quæ diebus Dominicis celebrabantur, non poterant interesse; non est enim verisimile calicem Sanguinis Christi ad absentes fuisse delatum ob periculum effusionis, ac subinde solum deferebantur species panis. Unde ly *præceptum* non cadit supra communionem in utraque specie, sed supra consecrationem. *Ad S. Cyprianum* dico, eum illo loco non agere de calice populo mi-

nistrando, sed de aqua miscenda vino consecrando; unde statim subjungit: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Adde quod* S. Cyprianus loquatur juxta morem suæ Ecclesiæ, in qua vigebat consuetudo communicandi sub utraque specie. *Ad Auctorem Sermonis De Cœna, et ad S. Augustinum* dico, ipsos loqui non de modo sumptionis, sed de re sumenda: sumitur autem Sanguis Christi simul cum Corpore; quo sensu pariter venit interpretandus S. Bernardus. *Vel* dici potest, ipsum ibidem loqui de solis Sacerdotibus consecrantibus.

Objicies 3. Concilium Turonense relatum ab Ivone, et Reginone, et Burchardo, quod asserit Eucharistiam distribui intinctam in Sanguine Christi, *ut veraciter Presbyter possit dicere: Corpus et Sanguis Christi prosit tibi in vitam æternam.* — **Respondeo primo,** Decretum illud posse benigne explicari de Sanguine Christi, non secundum se, sed ratione clarioris significationis; Sanguis enim licet non biberetur sub specie vini, non minus prodesset ad vitam æternam, quam si sumeretur sub specie vini; sed non ita clare et distincte hunc effectum significaret. Addo, intinctionem illam, cujus hic canon meminit, reprobari a Concilio Bracharensi III, Can. 1. qui sub nomine Julii Papæ refertur a Gratiano, *De Consecr.*, dist. 2. Can. *Cum omne crimen.*

Conclusio secunda. — Ecclesia justis de causis interdixit Laicis Communionem sub utraque specie. Ita Conc. Trident. Sess. 21. Can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint, *Ecclesiam Catholicam non justis de causis et rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantum specie communicaret.* Has autem justissimas causas sic exprimit et refert Catechismus Romanus n. 70. « *Primum* enim, *inquit,* maxime cavendum erat, ne Sanguis Domini in terram funderetur; quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset. *Præterea,* cum sacra Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat, ne si diutius vini species asservaretur, acesceret. Permulti præterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint. Quare, ne quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodo speciem fideles acciperent. *Accedit* ad alias rationes, quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur; neque id aliunde sine maximis impensis, ac nonnisi longissimis et difficillimis itineribus convehi potest. *Deinde,* quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum hæresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed Corpus tantum exangue sub panis, Sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei Catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio, alterius speciei, hoc est, panis communio inducta est. Sunt et aliæ rationes ab iis collectæ, qui de hoc argumento disserunt; quæ si opus esse videbitur, a Parochis afferri poterunt ».

Dices 1: Ecclesia priorum sæculorum hujusmodi omnia incommoda

noverat et fuerat experta, nec tamen propterea calicis usum Laicis interdixit: igitur citra omnem causam et rationem hunc usum prohibuit hisce postremis temporibus. — **Nego consequentiam**; experimentum enim veteris Ecclesiæ occasionem præbuit condendæ illius legis, qua sancitum est, ut publico malo imposterum occurreretur; sicut a simili, per plures annos matrimonia clandestina non improbavit Ecclesia, quamvis detestaretur et prohiberet omnia peccata et mala, quæ exinde oriebantur; cum autem animadverteret, se tot inde emergentibus malis nullum efficax remedium afferre posse, tandem æquum judicavit hujusmodi matrimonia omnino irrita et nulla declarare.

Dices 2: Sacramentum Eucharistiæ est Testamentum, quo Christus morti proximus Corpus et Sanguinem suum legavit omnibus fidelibus suis filiis: sed citra injuriam et injustitiam filii spoliari non possunt paterna hæreditate sibi delegata: igitur nec fideles juste privari possunt calice et Sanguine Christi. — **Distinguo majorem**: Corpus et Sanguis sunt hæreditas a Christo fidelibus delegata, quantum ad utriusque realem sumptionem, *concedo:* quantum ad modum sumptionis, *nego.* Et concessa *minore, nego consequentiam;* quamvis enim Laici non habeant usum calicis, non minus propterea recipiunt integrum Christi Sanguinem; quippe cum totus ille sacer Sanguis in Christi vivente Corpore et glorioso sub speciebus panis delitescente contineatur.

Dices 3: Gratia, quam Superior concessit, et ad eam recipiendam subditis jus fecit, non potest ab inferiori Præside et Ministro juste denegari: sed Christus concessit fidelibus jus petendi calicem: ergo Ecclesia hoc jure non potest fideles expoliare. — **Distinguo majorem**: Christus concessit fidelibus jus petendi usum Sanguinis sui, quantum ad realem ejus susceptionem, *concedo:* quantum ad modum sumptionis, *nego;* siquidem nullo Scripturarum oraculo id evincere possunt hæretici. Porro Ecclesia non solum non denegat receptionem Corporis et Sanguinis Christi; imo ad eam variis pœnis, gravibusque censuris obligat. Secus autem est de utriusque speciei sumptione; quia hunc usum non ita pro populo fideli Christus instituit, ut petendi illius jus habeant, sed arbitrio et prudentiæ Ecclesiæ permisit, ut ea statueret vel immutaret, quæ suscipientium utilitati, atque ipsius tremendi Sacramenti veneration, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. Quod utique Apostolus, inquit Tridentinum Sess. 21. c. 2. non obscure declaravit, cum dixit: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Atque hac potestate usum fuisse Apostolum cum in multis aliis, tum in hoc Sacramento, inde constare videtur, quod ipse cum ordinatis nullis circa usum hujus Sacramenti scribat, 1. ad Cor. 11. *Cætera, cum venero, disponam.*

Petes 1. *Utrum Ecclesia justas nunc habere possit causas calicem fidelibus restituendi?*

Respondeo, posse quidem hanc gratiam ex privilegio nonnullis conferre, quippe cum illam Bohemis concesserit Paulus III, modo non adhæreant hæresi Petri Dresdensis et Jacobi Misnensis. Similiter

Clemens VI, dicitur hoc privilegium concessisse Regi Angliæ anno 1341. Item dum summus Pontifex solemniter celebrat, Cardinales Diaconus, et Subdiaconus, qui ei sacra facienti assistunt, sub utraque specie cum eo communicant. Posset ergo, justa aliqua id exigente causa, et citra omnem errorem ex parte suscipientis, eamdem gratiam Ecclesia iterum concedere.

PETES 2. *Utrum plus gratiæ conferatur suscipienti utramque speciem, quam unicam ex opere operato?*

Negat Subtilis Doctor in Reportatis 4. dist. 13. q. 2. n. 4. ubi ait: *Nunc autem non dispensatur Sanguis Christi propter periculum effusionis, et propter scandalum, ne simplices crederent, majorem virtutem esse in duabus speciebus, quam in unica.* Quibus verbis declarat Doctor, unam ex rationibus, quare Ecclesia juste prohibuerit Laicis usum calicis, fuisse ne simplices existimarent, majorem vim inesse duabus speciebus ad conferendam gratiam, quam unicæ: igitur non existimat Doctor, plus gratiæ recipere eum, qui duas species, quam qui unicam suscipit. Idem docet S. Thomas q. 80. art. 2. ad 3. Et suadet ratio: major enim gratia conferretur, *vel* ratione signi, *vel* ratione rei significatæ. *Non posterius;* nihil enim continetur sub duplici specie, quod non contineatur sub unica. *Non etiam prius: tum* quia species Eucharisticæ conferunt gratiam non ratione sui, sed ratione rei contentæ: *tum* etiam quia Communio sub utraque specie nihil aliud habet supra Communionem cum unica, nisi quod distinctius et expressius significet refectionem animæ per modum potus et cibi; siquidem Christi Corpus et Sanguis sub unica dumtaxat specie continetur: expressior autem et distinctior significatio effectus Sacramentalis non efficit eum majorem et ampliorem; cujus utique exemplum apparet in Baptismate; non enim plus gratiæ tribuitur per ablutionem totius corporis, quam unius tantum partis; quamvis ablutio totius corporis distinctius significet ablutionem totius animæ.

DICES 1: Concilium Trident., Sess. 21. cap. 3. docet fideles sub altera tantum specie communicantes, *nulla fraudari gratia ad salutem necessaria;* igitur indicat eos fraudari aliqua gratia, quæ ad salutem non sit necessaria. — **Nego consequentiam**: nam ibi Concilium docet tantum id, quod spectat ad fidem tenendam de communione sub unica specie, et revincendum errorem hæreticorum, qui volebant fideles non communicantes sub specie vini privari gratia necessaria ad salutem; liberum autem relinquit Theologis discutere, utrum communicantibus sub duplici specie plus gratiæ conferatur ex opere operato, necne; quamvis enim communicantes sub duplici specie plus gratiæ reciperent, non propterea qui communicant sub unica fraudarentur gratia necessaria ad salutem, quia hoc gratiæ augmentum non necessario requiritur ad salutem.

INSTABIS: Clemens VI, in Bulla, qua concessit Regi Angliæ, ut quoties vellet, sub utraque specie communicaret, ait id se concedere *ad gratiæ augmentum:* ergo censet plus gratiæ conferri in receptione utriusque speciei, quam unius. — **Distinguo**: censet plus gratiæ conferri, ex opere operato, *nego:* ex opere operantis, *concedo;* quia præ*sumebat Pontifex* Regem ampliorem habiturum devotionem in rece-

ptione utriusque speciei, quam unius tantum, quippe cum hanc gratiam summo pietatis affectu postularet. *Adde quod* hæc Bulla non videatur ita certa: *tum* quia data dicitur anno 1341. et tamen anno dumtaxat sequenti ad summum Pontificatum Clemens evectus est: *tum* quia multi, quos Silvius, aliique sequuntur, contendunt Bullam illam in favorem Regis Galliæ fuisse concessam, quod omnino incertum est; siquidem ex historia Concilii Tridentini constat, quod post lectos quatuor Canones Sessionis 21. de Communione sub utraque specie anno 1592. mense Julio, probatis per omnia Canonibus, Legati Regis Christianissimi in hunc modum perorarunt: « Si in illis nonnulla mu-« tentur, quemadmodum nonnullis visum est, postulamus id fieri « absque eo quod præjudicium ullum fiat auctoritati, et prærogativæ « Regis Christianissimi. Retinuerunt enim Galliæ Reges, et post mille « et amplius annos quasi per manus acceperunt, ut quo die regiis in-« signibus ornantur, et consecrantur, SS. Eucharistiæ Sacramenti Com-« munionem sub utraque specie accipiant ». Ubi usum illum Clemente VI. longe antiquiorem esse testantur, et concessionem illam Clementis utique non prætermittendam, si vera foret, missam faciunt: igitur argumentum est eam concessionem non in gratiam Regum Franciæ emanasse, utpote cum eam facultatem longe prius sibi vendicarent.

Dices 2: Distincta Sacramenti receptio diversam producit gratiam sanctificantem ex opere operato in subjecto rite disposito: at Communio facta sub utraque specie est distincta Sacramenti receptio, quælibet enim species seorsim ab alia habet completam rationem Sacramenti: *tum* quia diversis verbis consecratur diversa materia: *tum* quia alias sequeretur Sacerdotem, qui sumptis speciebus panis moreretur ante sumptionem calicis non recipere gratiam Sacramentalem, igitur plus gratiæ confertur ex opere operato per susceptionem utriusque speciei, quam per susceptionem unius. — **Distinguo minorem**: si utraque species non ordinetur ad unicam refectionem spiritualem, *concedo:* secus, *nego.* Fateor itaque, quod diversa susceptio distinctarum specierum distinctam gratiam operetur, quando non ordinatur ad eamdem refectionem animæ, sicque habet rationem distincti Sacramenti, non autem quando ad eamdem refectionem ordinantur; nam si diversa Christi Domini Corporis et Sanguinis positio sub distinctis speciebus produceret semper distinctam gratiam, sequeretur, quod qui varias ejusdem hostiæ consecratæ particulas sumeret, majorem haberet gratiam, quam qui unicam dumtaxat integram acciperet, quippe cum sub qualibet particula consecrata totum Christi Domini Corpus et Sanguinis contineatur.

Quæres 3. *Quid sit Communio Laica, de qua plerumque fit mentio a Patribus, et Conciliis, maxime a* Syricio Papa, Epist. 1. c. 11. S. Cypriano, lib. 4. Epist. 2. et Concilio Eliberitano, Can. 76. Sardicensi, cap. 1. et 2. Agathensi, Can. 33. Toletano I, c. 4. Braccharensi I, cap. 31?

Respondeo, hac in re varias esse Auctorum sententias; *primo* namque sunt qui existimant Laicam illam Communionem esse, quæ sub una specie fiebat, in hoc distinctam a Clericali, qua utraque spe-

cies usurpabatur, ad quam utique Communionem redigebantur Clerici in pœnam delictorum. *Verum* hæc sententia videtur minus probanda, quippe cum tunc temporis Laicis utraque species concedebatur, et Clerici extra templum interdum unicam speciem usurpabant.

Secundo, existimant aliqui cum Pamelio, nota 37. in Epist. 52. S. Cypriani, Laicam Communionem eam esse, quæ extra cancellos et septa altaris, seu extra chorum, Laicis concedebatur, nam juxta dispositionem Concilii Toletani 4., Can. 17. Sacerdotes et Levitæ ante altare communicare, in choro Clerus, extra chorum populus tenebantur. Et in Braccharensi, Can. 31. sic statuitur: *Ingredi sacrarium ad communicandum non liceat Laicis, sed tantum Clericis.* Unde cum S. Ambrosius post oblatum ad altare munus jussisset interrogari Theodosium Imperatorem intra Cancellos hærentem, quid vellet, quod ibi subsisteret, respondissetque se nihil aliud velle, quam ut divina peragi videret, statim reposuit S. Ambrosius: *Istinc tibi videre non licet, habent in templo Sacerdotes, habent et Laici locum suum.* Consistebant autem masculi ad meridiem, quorum introitum servabant Ostiarii; fœminæ autem ad Aquilonem, quarum introitum servabant Diaconissæ. *Verum* hæc sententia difficultatem patitur, quoniam Felix III statuit, Clericos, qui se rebaptizari passi erant, ab omni Communione usque ad diem obitus privari, et in ipsa morte nonnisi Laica Communione donari; imo Concilium Sardicense, Can. 2. decernit, quod in detestationem quorumdam flagitiorum, Clerici nec etiam in fine vitæ Laicam Communionem accipiant, at communio sic ministrata vel negata moribundis in lecto decumbentibus non potest habere hanc distinctionem consistentiæ, vel in choro, vel extra chorum, cum illi eo in statu extra chorum consistere supponantur.

Tertio, itaque probabilius dicendum arbitror, Communionem Laicam nihil aliud esse, quam jus communicandi cum cæteris fidelibus more dumtaxat Laicorum, qui degunt in Christiana societate, ita quod Clerici illi omnibus omnino functionibus Ecclesiasticis et privilegiis Clericalibus spoliati, ac veluti exauctorati et degradati, nullo Clericali honore gauderent, sed tantum pro Laicis haberentur. Cui utique explicationi favere videtur Can. 15. inter Apostolicos, ubi sic statuitur: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam Parochiam pergat ad alienam, et omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena Parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, præcipue si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Verumtamen tamquam Laicus ibi communicet.* Idest, ut videtur, jus solummodo cum cæteris communicandi more Laicorum, qui talis est, obtineat. Cyprianus etiam Epist. 68. *De Basilide*, sic scribit: *Episcopatum pro suæ conscientiæ vulnere ultro deponens, ad agendam Pœnitentiam conversus est, Deum deprecans, et satis gratulans, si sibi vel laice communicare contingeret.* Ubi per Communionem Laicam intelligere videtur jus, quod habent Laici ad communicandum. Et Epist. 72. ad Stephanum Papam: *Addimus plane, et adjungimus consensu et auctoritate communi, ut etiamsi qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a Pseudo-Episcopis, et*

Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum, sacrificia foris falsa, ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi, ut communicant Laici, et satis habeant, quod admittantur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis, et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Et paucis interjectis: *Et idcirco satis est talibus revertentibus veniam dari, non tamen debet in domo Dei perfidia promoveri. Nam quid bonis, et invocantibus, atque ab Ecclesia non recedentibus reservamus, si eos, qui a nobis recesserint, et contra Ecclesiam steterint, honoramus?* Ubi per Clericos ad Communionem Laicam damnatos eos intelligit, qui Clericalibus muniis et honoribus ob peccata privata ad communem Laicorum statum dejecti sunt. Quod et Epist. 52. prius significaverat his verbis: *Susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, et restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet.... Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis in periculo subvenitur. Postea quam tamen subventum est, et periclitantibus pax data est, suffocari a nobis non possunt, aut opprimi, aut vi, et manu nostra in exitum mortis urgeri, ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos, qui acceperint pacem, cum magis in hoc judicium divinæ pietatis et paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hi quoque ad vitam percepta pace teneantur.* Ubi communionem Laicam dare, idem videtur ac pacem impertire, cujus pacis pignus et coronamentum divina Eucharistia est petentibus in periculo mortis concessa. — *Ex his* omnibus liquet, pœnam Clericorum ad communionem Laicam redactorum in eo maxime constitisse, quod omni Clericali beneficio spoliarentur, non vero a sacra mensa arcerentur; sicque pro degradatis, non vero pro excommunicatis habebantur. Ideoque Patres quam sæpissime crimen idem in Clericis depositione, in Laicis excommunicatione plectunt. Idemque Basilius ad Amphylochium, Can. 3., sic habet: *Diaconus post Diaconatum fornicatus, a Diaconatu quidem ejicietur, in Laicorum autem locum extrusus a Communione non arcebitur, quoniam antiquus est canon, ut, qui a gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo plectantur.* In hoc ergo sita est Laica communio. *Nec obstat,* quod *Communionis* vocabulum pro Sacra Synaxi et susceptione Corporis Christi frequentissime usurpetur. Hoc, inquam, non obstat, quippe non raro etiam usurpatur a SS. Patribus et Conciliis ad significandum ejusdem societatis consortium, eorumdem Sacramentorum participationem, et cum eodem Corpore membrorum colligationem, quæ in symbolo Apostolorum *Sanctorum Communio* appellatur.

Petes denique: *Quid fuerit* peregrina communio, *de qua plerumque fit mentio, tum a Conciliis, tum a SS. Patribus?*

Respondeo, non aliam meo judicio fuisse, quam egregium illud charitatis et humanitatis in cibo, potu, et hospitio subsidium, quo fideles peregrini, maxime Clerici, qui a proprio fuerant Episcopo per formatas litteras commendati Ecclesiis, ad quas peregre ibant, excipiebantur. Hinc Clerici exauctorati dicuntur plerumque redacti ad

communionem peregrinam, dum spoliati sportulis, et annuis aut menstruis redditibus, immatriculatis Clericis præstari solitis, nihilominus ex commiseratione Ecclesiæ præstabatur illis alimonia simul cum peregrinis fidelibus. Quemadmodum factum a seipso erga Basionopolis Episcopum Alexandrum residere in sua Ecclesia recusantem, scribit ad Theophinolum Alexandrinum Synesius, Epist. 66. *In Ecclesiam quidem*, inquit, *admittere illum nolui, nec sacram cum illo mensam communem habui, domi vero, peræque ac innocentes honoravi.* Cujus humanitatis exempla suppeditat Concilium Chalcedonense, Act. 7. providens, ut ipsius Ecclesiæ Antiochenæ sumptibus alatur Domnus Antiocheno Patriarchatu exauctoratus. Et simili modo sustentationi providit Bassiani et Stephani, postquam illos Episcopatu submovit, Act. 11. — Ad exemplum et similitudinem hujus pœnalis peregrinæ in Clericis communionis alia vocabatur minus proprie peregrina communio, qua Episcopi, aliique inter Sacerdotes primarii, seu præfecturam habentes, non deponebantur prorsus a Clero, sed tantum a digniori et sublimiori pristino gradu, ut tamen in gradu inferiori Clericorum consisterent, ut Episcopi redigerentur ad Sacerdotum ordinem; isti ad Diaconorum, et Diaconi ad minorum Clericorum stationem et classem. Sic enim depositis Episcopis subtrahebatur illa reddituum Ecclesiæ quarta pars, quam Episcopis sacri Canones reservabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus stipendia acciperent, Sacerdotes vero a suo excidentes honore, stipendium inter Diaconos accipiebant, qui omnes licet minus propria locutione dicebantur sustentari communione peregrina, tametsi victum et stipendia cum inferioribus Clericis ex Ecclesiæ liberalitate et commiseratione reciperent. Cujus utique veritatis præclarum habemus argumentum in Concilio Regiensi, quod habitum est in Galliæ Provincia Narbonensi, anno 439. occasione Armentarii, qui se per ambitionem curaverat ordinari in Episcopum Ebrodunensem a duobus tantum Episcopis, invito etiam Metropolitano, qualem se eo tempore contendebat Arelatensis Præsul, cujus cura et sollicitudine hæc Synodus congregata fuit. In tertio namque ejus Canone de ipso Armentario decernitur: *Liceat in unam suarum Parochiarum Ecclesiam concedere, in qua aut Chorepiscopi munere, aut peregrina communione foveatur, nec quidquam ipsi de Episcopalibus officiis usquam usurpare liceat, præterquam in Ecclesia, quam cujusquam misericordia fuerit indeptus, in qua ei solum Neophytos confirmare et ante Presbyteros offerre conceditur.* Ex quibus apparet, communionem peregrinam non esse sacram Christi Domini Corporis participationem; quippe Synodus Armentarium exauctorando Episcopali gradu, non solum vult ei salva esse omnia Sacerdotii jura, sed et nonnulla Pontificalia concedit, nempe collationem Confirmationis, et tamen eum ad communionem peregrinam arctat. Igitur signum est, quod hæc peregrina communio alia sit a Communione sacra, et nihil aliud quam ad victum et alimoniam necessaria peregrinis conferri solita significet.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM REQUIRANTUR DISPOSITIONES AD DEBITAM RECEPTIONEM HUJUS SACRAMENTI.

NOTANDUM 1. Cum Concilio Trident., Sess. 13. cap. 7., quod, *si non decet ad sacras illas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans Corpus Domini.* Quam autem necessarius sit ille apparatus mentis et corporis, ipsa etiam præter Apostoli auctoritatem ratio commendat; enimvero, si David, qui templum Deo ædificare animo constituerat, merito dixit, *Paralip.* 29. opus illud esse grande, *neque enim, inquit, homini præparatur inhabitatio, sed Deo,* nullus est fidelium, qui ad sacram Synaxim accedens, jure merito dicere non possit, se opus grande moliri, habitationem quippe Domino parat, cum se ad Sacram Communionem accingit, hospitio vero excipit, dum hoc Sacramentum usurpat. Nullus itaque ire debet inficias, diligentem ad hoc sacrum epulum corpus et animi præparationem prærequiri. Verum difficultas est, quænam et qualis esse debeat hæc præparatio.

NOTANDUM 2. Eam inter cæteras fuisse pessimam Lutheri de Eucharistia sententiam, quod ad ipsam digne suscipiendam non alius melior status erat exoptandus, quam omnium pessimus; ait enim Serm. *De Præparatione ad Eucharistiam: Optima dispositio nonnisi ea qua pessime est dispositus, et ideo Pœnitentia potius post, quam ante Sacramentum peragitur. Magnus et perniciosus error est, si quis accedat ad Sacramentum ea nixus fiducia, quod confessus est, quod non est sibi conscius mortalis peccati, quod orationes et præparatoria sua præmiserit, omnes hi judicium sibi manducant et bibunt, quia his omnibus non fiunt digni, neque puri, imo per eam fiduciam puritatis prius polluuntur, fiunt autem puri per fidem.* Ei subscribit, non quidem ita petulanter, nihilo tamen verius et modestius Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 57. num. 41. dum requisitam a Catholicis dispositionem in conscientiæ indagine, peccatorum contritione, confessione, et satisfactione sitam non solum flocci facit, sed etiam conscientiarum torturam ac diram animi divexationem appellat, subditque num. seq. « eam opti-« mam esse præparationem, quam Deo afferre possumus, si nostram « ei vilitatem et indignitatem offeramus, ut sua misericordia nos se « dignos faciat, si animos in nobis despondeamus, ut nos in ipso con-« solemur, si nos humiliemus, ut ab ipso erigamur, si nos accusemus, « ut ab ipso justificemur ». Quasi vero Ecclesia Catholica, dum perfecta præscribit, ea, quæ Calvinus memorat, prætermittat, et quasi communicantes, multiplici apparatu a se præscripto instructos, Sacerdote iteratis vocibus præmonente non adhortetur, ut cum contritione veraciter et humiliter ad tantæ, tamque divinæ Majestatis aspectum, profiteantur, *Domine, non sum dignus,* etc. Statuendum est ergo contra pessimam hanc hæreticorum doctrinam, alias, quam quas ipsi assi-

gnant, nempe fidem et animi dejectionem, dispositiones ad sacram Synaxim esse prærequisitas.

Notandum 3. Cum Guitmundo Archiepiscopo Aversano, lib. 1. *De Eucharistia,* quosdam Berengarianos in eo errore versatos fuisse, ut existimarent Christi Domini Corpus a pravis hominibus nequaquam manducari posse; sed indignis ad Communionem accedentibus Carnem Domini et Sanguinem iterum reverti in panis et vini substantiam, in quas prius conversa esse non denegabant. Idem testatur Algerus in Prologo de Eucharistia, ubi cum varios recensuisset Berengarianorum errores, subdit: *Alii vero mutari quidem in Carnem Christi dicunt, sed malis meritis sumentium non permanere Carnem Christi, sed iterum reverti in purum Sacramentum panis et vini.* Imo nonnulli eorum ita desipiebant, ut assererent, partem panis et vini converti quidem in Corpus et Sanguinem Christi propter digne suscepturos, partem vero immutatam permanere propter indignos, quibus hæc pars recedente Corpore et Sanguine Christi erat tradenda, ut docet idem Guitmundus circa finem libri terti. Cui utique errori subscribit Calvinus, lib. 4. *Institut.*, c. 17. § 33. contendens impios et sceleratos a Christo alienos Corpus Christi non edere: *Quia nimis indigne,* inquit, *laceraretur Christus, si prostitueretur incredulis.* Unde contendit eo sensu indigne accedentes reos esse Corporis et Sanguinis Domini, quia Christus utrumque ipsis præstare paratus erat. Verum aperte hunc errorem arguit et damnat Apostolus 1. Corinth. 11., scribens: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini:* at homo nequit esse reus male accepti Corporis et Sanguinis Domini, nisi accipiat: *Qui enim manducat et bibit indigne,* subdit Apostolus, *judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quomodo autem jure damnaretur aliquis, quod Christi Domini Corpus non dijudicat et discernit ab aliis cibis, si Corpus Domini non est ipsum, quod accipit? *Confirmatur* hæc veritas ex iis, quæ diximus, quod Judas una cum cæteris Apostolis Corpus et Sanguinem Christi biberit. Concludendum ergo cum S. Augustino, lib. 1. *De Baptismo* contra Donatistas, c. 8. *Sicut Judas,* inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit; sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, nullum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil accipiat: Corpus enim Domini et Sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Cum igitur certum sit Christi Domini Corpus indigne sumi ab indignis, hac in Quæstione determinandum est, quænam præparationes mentis et corporis requirantur ex parte sumentium, ut digne et cum fructu Christi Domini Corpus accipiant.

Conclusio prima. — Ad debitam et dignam susceptionem Sacramenti Eucharistiæ requiritur status gratiæ sanctificantis. Ita Concilium Trid., Sess. 13. c. 7., ubi ait: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum; Probet seipsum homo,* etc. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi*

contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo observandum esse decernit. Unde Can. 11., sic definit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.*

Quam necessaria autem sit hæc cordis mundities et innocentia, satis manifestat ipsa Christi Domini omnis sanctitatis et puritatis sacrarii susceptio; impuri enim corporis obscœnitates damnat Virginea Christi Caro; animam criminibus infamem reprobat ipsius anima sanctissima; et cordis sorditiem non patitur Sanguis ille pretiosus pro eluendis criminibus effusus. Unde merito Apostolus ad Hebræos 10. *Si irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Qui autem indigne Corpus et Sanguinem usurpat, revera Dei Filium conculcat, et pollutum ducit; quippe conscientiæ sordibus illum, quantum in se est conspurcat. Statuit Deus Levit. 22. quod *omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt a filiis Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quanta igitur severitate Deus in eum animadvertet, qui non vasa Deo consecrata, et ejus cultui destinata, sed Deum ipsum totius sanctitatis principium et centrum indigna Communione flocci facit? Concludendum igitur cum S. Basilio, lib. 2. *De Baptismo: Mundemus nos ab omni inquinamento, atque ita ad sancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus, propterea quod quisquis ederit panem et biberit poculum Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Hinc præclare monet S. Ambrosius, lib. 6. in Lucam. cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus .... ubique ergo in hoc mysterio hic ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cælestis exuberet.*

Porro has omnes cordis et animi præparationes luculenter explicat Catechism. Romanus *De Eucharistia*, n. 59. « Primam illam, *inquit*, « præparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, « hanc ab aliis profanis, cælestem hunc panem a communi. Atque « hoc fit, cum certo credimus præsens esse verum Corpus et Sanguinem « Domini, quem in cælo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ « cæli contremiscunt et pavent, cujus gloria plenum est cælum et « terra. Hoc nimirum est, dijudicare Corpus Domini, quod Apostolus « admonuit. Cujus tamen mysterii magnitudine venerari potius oportet, « quam in disputationibus ejus veritatem curiosius perquirere. Altera « vero præparatio maxime necessaria est, ut unusquisque a seipso « quærat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere atque ex « animo diligat. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recor- « datus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque « ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, « et tunc veniens offeres munus tuum. *Deinde*, conscientiam nostram « scrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato conta-

« minati simus, cujus pœnitere necesse sit, ut prius contritionis et « confessionis medicamento illud eluatur. Definitum est enim a sancta « Tridentina Synodo, nemini licere, quem mortalis peccati conscientia « stimulet, si Sacerdotis facultas data sit, antequam se Sacramentali « Confessione purgarit, quamtumvis sibi contritus esse videatur, sa- « cram Eucharistiam accipere. Præterea taciti cum animis nostris « cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a « Domino tribuatur; quare illud Centurionis, de quo idem ipse Sal- « vator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israël, ex animo, « dicendum est: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ».

Ex his sequitur primo, quod qui conscius est peccati mortalis, tenetur communioni præmittere Confessionem Sacramentalem, ut docebat supra Concilium Tridentinum ex Ecclesiastica consuetudine; quam utique indicant SS. Patres, maxime S. Cyprianus, lib. 3. Epist. 14. 15. et 16, unde Epist. 10. acriter invehitur in eos, qui ante peractam Pœnitentiam ministrabant pœnitentibus Eucharistiam; quod etiam prosequitur Epist. 11, ubi scribit: *Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem ante actam Pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo et Clero in pœnitentiam compositam, offerre lapsis pacem, et Eucharistiam dare, idest, sanctum Domini Corpus profanare audeant*, etc. Similia habet S. Chrysostomus, Homil. 83. in Matthæum, Sacerdotes, qui ministrare debent Eucharistiam, ait: *Ad vos convertere sermonem necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio si quempiam ullius culpæ conscium, hujus mensæ participem esse concedatis, Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis militiæ dux sit, sive præfectus; sive princeps diademate coronatus; indigne autem si accedat, prohibete: majorem illo potestatem habetis: propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis.* Consentit S. Leo, Epist. 91. cap. 2, ubi scribit: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus Satisfactionem Pœnitentiæ darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*, idest, per Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc Eusebius, lib. 6. *Historiarum*, cap. 25. scribit, Philippum Imperatorem volentem in die Paschæ communicare, non fuisse permissum ab Episcopo illius loci, nisi prius Confessionem præmitteret. Et Nycephorus, lib. 11. *Hist.*, cap. 34. narrat de Dioscoro Abbate, quod, cum esset Presbyter et Confessarius, diligenter explorabat conscientias subditorum, antequam accederent ad Eucharistiam.

Dices: Apostolus tantum monet, ut probet seipsum homo, non vero ut confiteatur altari. Unde S. Chrysostomus, Homil. 28. in 1. ad Cor. *Non præcipit*, inquit, *ut alter ab altero probetur, sed ipse sine traductione faciens judicium, et sine teste redargutiones.* Et S. Augustinus, Serm. 252. *De Tempore: Unusquisque consideret conscientiam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, et eleemosynis studeat mundare conscientiam, et sic Eucharistiam præsumat accipere.* Ubi nullam fecit mentionem Confessionis; subinde non censet eam esse præmittendam Communioni. —

Nego consequentiam, et ad Apostolum dico, illum per hanc probationem intelligere examen, quo sibi ipsi unusquisque debet esse judex, discernens opera sua, et diligenter inquirens utrum dignus sit, qui accedat ad Eucharistiam absque ulteriori probatione; an vero conscius sit alicujus peccati mortalis, quod eluere debeat per Pœnitentiam, ad quam necessaria est Confessio. Quod autem ea probatio non excludat Confessionem, manifeste significat S. Chrysostomus, Homil. 30. in Gen. ubi agens de præparatione facienda in Hebdomada sancta, ut Pascha digne celebretur, scribit: *Nunc maxime, et jejunii cursus intendendus est, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens et pura Confessio peccatorum, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem Dominicum venerimus, Domini libertate fruamur.* Hinc S. Anselmus, vel quisquis est Auctor *Commentarii* in Apostolum, qui ejus nomine protertur, exponens præfata Domini verba, scribit: *Indigne manducat et bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, et non confitetur ea, priusquam ad Communionem accedat.* Hinc fortasse S. Augustinus in objectione laudatus non meminit Pœnitentiæ et Confessionis, tamquam dispositionibus necessario prærequisitæ in peccatore ad dignam Communionem, quia omnibus compertum erat et evidens ex continua Ecclesiæ praxi.

Sequitur secundo, Confessionem esse necessario præmittendam Communioni, non solum a laicis, sed etiam a Sacerdotibus, qui conscii sunt alicujus peccati mortalis, ut decrevit Trident. Synodus verbis supra laudatis: *Dummodo*, subdit, *non desit illis copia Confessoris; quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Qualiter autem sit accipienda hæc urgens necessitas, perspicue declarat Doctor, in 4. dist. 9. quæst. unica n. 8. « De tertio dico, *inquit*, quod, si occurrat opportunitas, tenetur « prius confiteri, quam communicare. Cujus ratio est, quia non tantum « debet reconciliari Deo, sed Ecclesiæ, ad hoc quod digne recipiat « Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis. Si autem non occurrat oppor « tunitas confitendi, si potest sine scandalo vitare, ne tunc commu- « nicet, tenetur non communicare, sed expectare Confessionem, pro- « pter eamdem rationem, quæ dicta est nunc. Si vero occurrit scan- « dalum, nisi statim communicet, utpote, si est indutus, et postquam « indutus, occurrit sibi conscientia de peccato mortali, de quo non « fuit confessus, et non habet in promptu idoneum Confessorem, tunc « cum contritione, et voluntate confitendi tempore opportuno, potest « celebrare, ut scandalum evitetur. Et similiter de alio communica- « turo, qui non celebrat, utpote consuetudo est in aliqua religione, « vel Ecclesia, ut omnes non Sacerdotes communicent in simili casu, « scilicet si tunc, cum debet communicare, non habet idoneum Con- « fessorem, potest tunc non confessus communicare. Non est dicendum, « quod peccat mortaliter, vel transgreditur præceptum, ut evitet scan- « dalum, quia nullum præceptum excludit istum ab isto in hoc casu, « quia dilatio Confessionis in actu, quæ nunc habetur in affectu, non « excludit, quin sit membrum etiam Ecclesiæ militantis, habile ad « actus, in quibus membra communicant, et tenetur vitare scandalum « proximi. De peccato autem veniali, non oportet dubitare, quia de « illo non est necessitas pœnitentiæ. Verumtamen auctoritas quædam

« de Ecclesiasticis dogmatibus 22. quæ ponitur in littera dist. 22. vi-
« detur facere mentionem de peccato veniali, ait enim: *Licet quis pec-*
« *cato mordeatur, si peccandi de cætero non habet voluntatem, et sa-*
« *tisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus; et hoc dico de illo,*
« *quem mortalia peccata non gravant.* Ergo videtur, quod non potest
« aliquis securus accedere, nisi qui sit sine voluntate peccandi venia-
« liter, et de præteritis satisfecerit lacrymis et orationibus. *Respondeo:*
« potest intelligi de mortali peccato, non quod jam inest, neque præ-
« terito sine omni pœnitentia, sed confesso, si mordeatur, quia non
« complete satisfecit; et tunc intelligitur de peccato mortali: et tunc
« quod sequitur, *quem mortalia peccata non gravant,* supple in actu,
« vel præterito sine pœnitentia sequente ». *Ita Doctor,* quibus sup-
ponit, non esse novum peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum veniali, habituali, aut actuali, sine deliberatione commisso, quia videlicet nullum est præceptum in contrarium; neque peccata venialia habitualia impediunt augmentum gratiæ, nec ponunt obicem effectui hujus Sacramenti. Unde S. Augustinus, Epist. 118. *Cæterum,* inquit, *si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quibusdam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici Corporis reparare.* Peccata autem, propter quæ aliquis esset excommunicandus, idest a Communione removendus, non sunt venialia, sed mortalia non confessa; imo neque omnia mortalia confessa, sed ea solum, ad quæ juxta rigorem veterum Canonum, et Antistitum judicium, aliquis ad tempus separandus esset et removendus a Communione.

Conclusio secunda. — Tres potissimum ex parte corporis ad dignam Communionem dispositiones prærequiruntur.

Prima quidem, quod communicaturus sit expers infirmitatis, ex qua tanto Sacramento irreverentia posset irrogari, puta si tanta esset pectoris ægritudo, aut languor, ut propter vomitus, tussisque frequentiam, Sacramentum nec deglutire, nec retinere posset. Eucharistiæ namque suscipiendæ præceptum solos manducare potentes adstringit; quippe cum per modum cibi ad spiritualem animæ refectionem sit ordinatum: porro qui nec cibum deglutire possunt, nec sorptum retinere, censentur non posse manducare, ac subinde sunt incapaces recipiendæ Eucharistiæ. Unde præceptum affirmativum de suscipiendo Viatico cedere debet præcepto negativo de nusquam irroganda injuria Eucharistiæ Sacramento.

Secunda præparatio ex parte corporis est jejunium; quippe Lege Ecclesiastica, quæ roboratur continua Ecclesiæ praxi, cautum est, ut nonnisi jejuni ad Eucharistiæ susceptionem accederent, citra urgentis necessitatis infirmitatem; hoc namque sancitum est in Concilio Carthaginensi tertio, Can. 9. ubi definitur: *Ut Sacramenta Altaris, nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, qui Cœna Domini celebratur.* Excipitur autem dies Cœnæ Domini, quia exemplo Christi eodem die ad vesperam sacrum celebrari mos erat, ad quod fideles etiam cœnati communicabant. Idem Canon n. 29. reperitur in Concilio Carthaginensi tertio. Quæ utique sanctio iterum innovata est in Conciliis Constantiensi, Florentino, et Tridentino.

Ne tamen existimes, hanc consuetudinem ortum dumtaxat habuisse

ab hujusmodi Conciliorum sanctionibus; illam enim apud nascentis Ecclesiæ fideles viguisse testatur Tertullianus, lib. 2. *Ad Uxorem*, c. 5. ubi loquens de Eucharistia, ait: *Non sciat maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes.* Hujus pariter consuetudinis meminit S. Cyprianus, Epist. 63. et S. Chrysostomus, Homil. 27. in 1. ad Cor., ubi scribit: *Tu autem priusquam quidem communices, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas.* Sed præ cæteris hanc veritatem docet S. Augustinus, Epist. 118. quæ est ad Januarium, ubi cum duplicem hanc regulam præmisisset, primam quidem, quod *illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta retineri.* Alteram vero, quam sic statuit: *Si quid tota per orbem frequentet Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est.* Tandem c. 6. subjicit: *Liquido apparet, quod quando primum acceperunt Discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos jejunos accepisse visum est. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc vero placuit Spiritui sancto, ut honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per totum orbem mos iste servatur.* Triplex autem hujus praxis et præcepti proferri potest ratio: *prima* quidem, hunc ritum exigit honor huic cælesti cibo debitus, ut nempe panis ille Angelorum excipiatur in ore ab omni cibo et potu corporeo immaculato; Corpus enim per cibum corruptibilem quodammodo sordidatur. *Secunda*, ut inde discant Christiani ad praxim redigere illud Christi Domini monitum Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus*, ect. *Tertia*, ut caveatur periculum vomitus, et ebrietatis, vel certe dissolutionis, aut vanæ lætitiæ ex ciborum usu sponte fluentis; quod utique damnare videtur Apostolus 1. ad Cor. 11. cum ait: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. — Nec obstat*, quod Christus Dominus Eucharistiam post Cœnam institutam Discipulis non jejunis distribuerit; nam, ut optime respondet S. Augustinus, loco supra laudato: *Neque quia post cibos dedit Dominus Corpus suum, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent; aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, et emendat mensis suis ista miscere.... Nam si ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset; cum vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens: Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate; si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis, statim subtexit: cætera, cum venero, ordinabo.* Ex multis autem, quæ ordinaturus erat Apostolus, hoc unum erat, ut deinceps Eucharistiam jejuni acciperent. *Intelligi datur*, ut prosequitur S. Augustinus, *quia multum erat in Epistola totum illum agendi ordinem insinuare, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.*

Porro jejunium illud debet esse naturale, hoc est, quod nihil vel minimum sumptum sit per modum cibi, aut potus, vel medicinæ, ut definitur in Concilio Toletano I Can. 2. his verbis: *Nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere* præsu-

mat. Ut autem servetur hoc jejunium naturale, necessum est, quod nihil per modum rei extrinsecæ sorbeatur et trajiciatur in stomachum, quod habeat rationem cibi aut potus. Dixi *per modum rei extrinsecæ*, ut excludatur saliva, cæterique humores, qui cum sint aliquid ipsius hominis, cum deglutiuntur, non solvunt jejunium naturale. Dixi, *trajiciatur in stomachum, et deglutiatur;* si enim tantum atteratur dentibus, aut volvatur in ore, et statim abjiciatur, ut fit cum os abluitur, jejunium naturæ non solvitur; hoc enim non est manducare, aut bibere, ut dicitur de Christo, quod cum in cruce gustasset de aceto, noluit bibere. Jejunium autem illud naturale maxime servari debet a media nocte ejus diei, quo Eucharistiam quis recipit, ut docent omnes Doctores, et ferunt Rubricæ Missalis Romani. An autem quis post cibum et potum sumptum dormire debeat, antequam communicet, prorsus perinde esse debet, quantum ad rationem præcepti, sufficitque, quod homo celebraus aut communicaturus ita sit mentis compos, ut attendere valeat ad divinum illud beneficium, quod est excepturus.

His tamen non obstantibus, potest interdum sumi Sacramentum a non jejunis, ut optime notat Doctor, dist. 8. qu. 3. « Dico, *inquit*, « quod aliquis potest esse casus, in quo quasi generaliter licet acce« dere non jejunum, ut in infirmitate gravi, quando timetur pericu« lum mortis imminentis. Tunc enim esset periculum negare infirmo, « licet pranso, poscenti Sacramentum, cum sit viaticum; et ideo dan« dum est ei, qui proficiscitur ex hoc mundo, ut per ipsum ducatur « ad terminum. Alius casus spiritualis est, quia in aliqua regione ce« lebratur communiter in vino albo, Minister parat calicem Sacerdoti, « et ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, Sacerdos non adver« tens, sed supponens Ministrum bene fecisse, procedit dicendo verba, « et alia faciendo usque ad perceptionem; percipiens vero liquorem « de calice, advertit esse aquam; videtur, quod ipse non possit illo « die percipere Sanguinem; oportet jejunum esse suscipientem. Dico, « quod in isto casu tenetur consecrare Sanguinem de novo, et con« secratum percipere. Quod probatur, quia quando sunt duo præcepta « ordinata, præceptum superioris magis ligat: nunc autem præceptum « Christi, et Ecclesiæ, et ex ipsa ratione Sacramenti, est, quod quando « Sacramentum conficitur, conficiatur integrum, quoniam Sacramen« tum est in se quoddam integrum ex duobus. De ista etiam integri« tate servanda est districta obligatio Ecclesiæ, *De Consecr.*, dist. 2. « *Comperimus: Ut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris ar*« *ceantur.* Loquitur de Sacerdotibus conficientibus, et postea non com« municantibus, et subditur ratio: *Quia divisio ejusdem Sacramenti* « *sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ergo quocumque præ« cepto alio Ecclesiæ posito, maxime quod non respicit ipsam pro« priam et essentialem rationem Sacramenti, necessario tenetur sem« per omnis celebrans ad istam integritatem servandam; ergo qui jam « percepit aquam, simpliciter tenetur ad illud complendum, quod præ« termisit, scilicet ad consecrandum integre Sacramentum; et tunc « ultra si tenetur consecrare Sanguinem, tenetur eumdem consecra« tum sumere. Unde habetur *De Consecr.*, dist. 2. *Relatum. Certum* « *est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti.*

« Et sequitur, quod *talis a communione uno anno repulsum se noverit.* « Ergo omnibus modis tenendum est, aut quotiescumque Sacerdos « Corpus et Sanguinem immolat, toties perceptionis Corporis et San- « guinis participem se præbeat. Iste ergo necessario tenetur ex insti- « tutione Christi, et propter integritatem Sacramenti, conficere San- « guinem, et ex strictissimo præcepto Ecclesiæ, sub pœna repulsæ « uno anno, tenetur consecratum percipere ».

Et si objicitur, iste non est jejunus: ergo peccat mortaliter, vel ergo non debet conficere, ne percipiat; vel si oportet eum conficere, et percipere, oportet quod peccet contra præceptum Ecclesiæ, et tunc est perplexus, quod non est dicendum de aliquo ex præceptis Dei, et Ecclesiæ. — **Respondet Doctor**: Ecclesia non ita stricte præcepit suscipientem esse jejunum, prohibendo non jejunum suscipere, sicut prohibet divisionem Sacramenti (imo ipsa divisio prohibetur a Christo ex prima institutione Sacramenti), nec etiam ita stricte prohibet non jejunum percipere, sicut præcipit consecrantem percipere: ergo ex una parte habet iste præceptum Christi ad se consecrandum, et post consecrationem strictissimum præceptum Ecclesiæ de percipiendo. Ex alia parte non habet, nisi præceptum Ecclesiæ leve comparative jejunio. Dicit autem Doctor, præceptum illud de jejunio ad receptionem Eucharistiæ esse leve, non quidem absolute, quasi esset dumtaxat peccatum veniale, sed comparative, hoc est, cum præceptum illud sit tantum Ecclesiasticum, ejus omissio licet mortalis, minor est omissione præcepti divini, et Ecclesiastici de integritate sacrificii. Infert autem hanc minorem gravitatem ex verbis legis; non enim, inquit, ibi ponitur, quod suscipiens non jejunus sit reus Dominici Sacramenti, neque repellitur a Communione per annum, sicut hic. Quæ Doctoris verba sic sunt accipienda, non quod censeat illum non esse reum Dominici Corporis, et non peccare mortaliter peccato sacrilegii, qui citra omnem necessitatem non jejunus ad Eucharistiam accederet, sed quod Ecclesia in casu a se præmisso, non intendat præceptum suum urgere. « Unde statim subdit: simpliciter enim Ecclesia non intendebat ligare « in isto casu ad jejunium; imo cum alia duo præcepta tum virtute « Christi, tum virtute Ecclesiæ fortius et magis obligent, potius in- « tendit in tali casu obligare ad illa. Non est ergo iste perplexus, « quia servando præceptum Superioris, et præceptum strictius Ec- « clesiæ, bene facit, et si non servaret, peccaret mortaliter. Omittendo « autem aliud præceptum minus strictum, non peccat novo peccato, « quia in isto casu non tenetur servare; nec Ecclesia voluit ligare ad « hoc præceptum in hoc casu, sed magis ad oppositum ».

Et quia forte aliquis posset cogitare, probationem illam desumptam ex verbis legis esse minus efficacem, addit Doctor aliam n. 6. dicens: « Patet etiam manifeste, quod jejunium non est conditio ita necessaria « in Sacerdote percipiente (sicuti integritas sacrificii in Sacerdote con- « ficiente), quia in die Parasceves particula posita in calice percipitur « cum vino non consecrato, quia illo die calix non consecratur; et « verisimile est, quod vinum citius descendat in ventrem, quam illa « particula, quæ masticatur. Ergo ex consuetudine Ecclesiæ Sacerdos « ibi percipit Eucharistiam non jejunus ». Porro quantum ad casum a Doctore propositum nulla potest esse difficultas, nec controversia;

quippe cum id statuatur in Rubricis Missalis Romani, tit. *De defectibus*, cap. 4. ubi legimus: *Si celebrans advertat, vinum non fuisse positum in calice, sed aquam, post sumptionem corporis, vel ejusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus.*

Tertius casus, quo Eucharistia sumi potest a non jejunis jejunio naturali, est, quando post sumptam ablutionem, celebrans advertit adhuc superesse quasdam reliquias hostiarum consecratarum; tamdiu enim potest ea sumere, quamdiu ab altari non recesserit; quia, ut ferunt Rubricæ, *reliquiæ illæ ad idem Sacrificium spectant;* si tamen fieri possit, ut illæ decenter conserventur, puta si in sacram pixidem possint conferri, non erunt sumendæ.

Quartus casus est, si unus Sacerdos post consecratam alteram speciem, secundam consecrare non possit, vel post consecratam utramque, consummare eam infirmitate correptus non valet, potest Sacerdos non jejunus (si jejunus præsto non sit) sacrificium peragere, et perficere. Similiter si post sumptam panis speciem, solam aquam in calice (quam vinum esse inter proferenda consecrationis verba putaverat) reperit et bibit vinum, debet iterum consecrare, incipiendo ab illis verbis Canonis, *Simili modo postquam cœnatum est*, etc. quia, ut habetur in Rubrica Missalis omnino legenda, divinum de perfectione incepti sacrificii præceptum majoris est ponderis, quam quod a jejunis, Ecclesia jubente, sumatur.

Idem dicendum est, si Sacerdos post unam, aut utramque speciem consecratam recordetur, se non esse jejunum; non enim debet a percipiendo sacrificio ob oblatam rationem desinere. Quod idem dicendum putant Doctores, si fracti jejunii ante consecrationem meminerit, et aliquod scandalum vel astantis populi perturbatio timeatur. Secus est, si sublato scandali vel infamiæ periculo violati jejunii recordetur; tunc enim tutius est ab incepta Missa desistere, et ab altari se arcere.

Alius denique casus, quo citra peccatum suscipi posset Eucharistia a non jejunis, est, dum imminet aliquod periculum inhonorandi hoc divinum Sacramentum, puta ne veniret in manus hæreticorum et infidelium, qui sacras hostias conculcarent, et ludibrio haberent, jejunium enim dumtaxat exigitur in reverentiam hujus Sacramenti: igitur ubi occurrit periculum profanationis illius, ne sanctum detur canibus, et cælestis margarita ante porcos projiciatur, in fidelium pectus, tamquam in piissimum Sacrarium, devote recludi potest, et recondi non solum a Sacerdotibus, sed etiam a laicis, in Sacerdotum et Clericorum absentia.

Tertia præparatio ex parte corporis est ipsa corporis mundities, qua scilicet prærequiritur, ut ad Eucharistiam accedens non fuerit nocte præcedenti aliqua maculatus pollutione ex proprio vitio, et maxime cum reatu peccati mortalis; de qua utique præparatione ita ferunt Rubricæ Missalis, tit. *De defectibus*, cap. 9. n. 5. *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione, et celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum*

est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur. — Similia habet S. Gregorius, Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum, respondens ad undecimam illius interrogationem, ubi sic scribit: *Cum pollutio nocturna ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gula in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibetur mysterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco deesse ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere mysterium valent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit.*

Ut autem plenior ac planior hujusce servandæ praxis habeatur notitia, placet hic scribere quæ distincte et luculenter tradit Seraphicus Doctor in 4. dist. 12. part. 2. art. 3. quæst. 3. « Dicendum, « *inquit,* quod immunditia corporalis quadruplex est. *Quædam* est « conjuncta spirituali secundum veritatem, ut pollutio veniens ex « turpi cogitatione vel crapula. *Quædam* est conjuncta spirituali « secundum conformitatem, ut pollutio veniens ex diabolica illusione, « vel ex naturæ superfluitate, in qua surgunt pruritus et delectatio « inordinata. *Quædam* vero est, quæ non est conjuncta spirituali, « tamen est generans horrorem immunditiæ in anima, ut pollutio « veniens ex infirmitate. *Quædam* autem est pure corporalis nullum « horrorem immunditiæ in anima generans, ut immunditia in pede. — « *Prima immunditia* impedit propter hoc, quod homo debet reputare « se immundum. Unde non recipit Sacramentum cum reverentia, qui « sic immundus est, nisi necessitas compellat, et propter irreverentiam « privatur fructu, et incurrit damnum. — *Secunda immunditia,* quæ « est in illusione diabolica, arcere debet ex congruo; quoniam quamvis « non sit certum, quod sit anima ibi maculata, tamen probabiliter « potest dubitari; et ideo qui se reputat immundum, bene facit. Unde « Isidorus, lib. *De Consider.*, dist. 6. *Quisquis nocturna illusione pol-* « *luitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum sese præsen-* « *tiat inquinatum, tamen hoc ut tentaretur... culpæ suæ attribuat,* « *suamque immunditiam statim fletibus tergat.* — *Tertia immunditia* « est indifferens, quia tantum est pœna; et ideo non arcet. Si tamen « ratione horroris abstineat, devotio et reverentia est laudanda. Unde « nec mulier menstruata arcetur, nec etiam mulier post partum, sicut « dicunt jura. De primo reperies in Decreto, dist. 6. *De secundo extra,* « lib. 3. *De purificatione post partum.* — *Quarta* simpliciter est indif- « ferens inter omnes has immunditias. Prima magis impedit, ultima « nullo modo. Omnes tamen impediunt de congruo secundum gradus. « Unde si quis quærat, utrum semper, quando polluitur corporaliter, « cessare debeat? Dicendum est, quod si sentit inquinationem illam

« multum animam inquinasse, quia in actu illo fit homo caro, sive « in somnis, sive in vigiliis, consulendum est ei facere reverentiam « Sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam, et ulterius « devotio trahat ad perceptionem, et solemnitas trahat, vel aliquid « quod multum recompenset, tunc arbitrare, ipsum sine remorsu posse « accedere. Concedendum ergo, quod solum propter carnis immundi- « tiam non impeditur. Sed quia hæc immunditia conjuncta est immun- « ditiæ mentis, nec solum propter immunditiam mentis, quia cogitatio « cito transit, sed cum immunditia carnis horrorem relinquit, et diutius « durat, et inordinat, et ideo quamvis pollutio sit peccatum veniale, « magis tamen impedit, quam aliud veniale, propter horroris diutur- « nitatem et majorem deordinationem ».

SECTIO TERTIA.

DE VARIIS AC MIRANDIS DIVINÆ EUCHARISTIÆ EFFECTIBUS.

Quam ingentes sint, quamque stupendi divinæ Eucharistiæ digne ac pie susceptæ effectus ac fructus, facile intelliget, qui attenta mente perpenderit, Christum gratiarum omnium fontem plenissimum eo fine realiter in Eucharistia contineri, ut ex ejus plenitudine et scaturigine perpetuo fluente divinæ gratiæ ubertatem avido ac pleno corde hauriamus. Enimvero si adorandus ille Salvator tot divinis muneribus ac beneficiis eos cumulavit et exornavit, in quorum tecta adhuc mortalis exceptus est, vel qui tantillum illius vestis fimbriam meruerunt attingere, quanto abundantius animas nostras, necnon et corpora divinis charismatibus implebit, in quæ jam immortali gloria præditus ingredi non dedignatur? Præcipuos autem inter innumeros eximios illos effectus hos maxime refert ac profert Concilium Trident., Sess. 13. cap. 2., cum ait: *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit:* qui manducat me, et ipse vivet propter me, *et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis, ideoque symbolum unius illius Corporis, cujus ipse caput existit, quique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Et Can. 5. ejusdem Sessionis: *Si quis dixerit, vel præcipuum effectum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.* Quoniam autem quæ ad hujusmodi effectuum explanationem spectant, scholasticis difficultatibus et controversiis non ita sunt implexa, ac illa, quæ hactenus fuerunt agitata, idcirco sex præcipuos hujus divini Sacramenti effectus, tres quidem in animam, et totidem in corpus redundantes, sub distinctis paragraphis juvat explicare.

§ 1. — *Primus effectus Eucharistiæ erga animam* est augmentum gratiæ sanctificantis per modum alimoniæ cælestis et spiritualis nutritionis. Ita Concilium Trident., mox laudatum, cui consonat Florentinum in decreto Eugenii, ubi de Eucharistia sermonem faciens,

cum dixisset: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum;* statim hujus unionis rationem proferens, ait: *Quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem, in quo, inquit Urbanus Papa, gratiam Salvatoris nostri recensentes memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum, et gratiarum proficimus incrementum.* — Quod autem hoc Sacramentum gratiam sanctificantem conferat, nemini debet esse dubium; cum enim hunc effectum communem habeant omnia Sacramenta novæ Legis, id longe nobiliori titulo Eucharistia sibi vindicat, in qua Sacramentorum Auctor et fons omnium gratiarum delitescit, et ab eo tamquam a capite ad alia Sacramenta, veluti per tot rivulos et canales, totius sanctitatis effluvium dimanat. — Quod vero gratiæ et sanctitatis augmentum per debitam Eucharistiæ susceptionem conferatur, facile liquet: *tum* quia hoc Sacramentum nobis confertur tamquam memoriale passionis Christi, dicente eodem Christo Domino: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* et Apostolo: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* ac subinde digna Eucharistiæ receptio operari debet aliquid erga suscipientem, quod Christi Domini passio erga genus humanum præstitit: at hæc fuit gratiarum omnium fons et irriguum: igitur pari ratione Eucharistia copiosum gratiæ cælestis imbrem in digne eam suscipientes debet effundere. *Tum* quia Christus Dominus in hoc Sacramento nobis donatur per modum cælestis alimoniæ, ait enim: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus;* ac subinde eos in hoc Sacramento conferre debet effectus, quos terrestris cibus et potus corporibus præstat. Porro cibus materialis corpus nedum sustentat, sed etiam auget, reparat, vegetat, et delectat; igitur pari ratione Eucharistia debet animam jam vita spirituali viventem novo gratiæ subsidio roborare, vegetare, ac ampliores ei sanctitatis gradus conferre, quibus anima roborata vegetior fiat, et promptior ad Dei obsequium, fortior ad resistendum tentationibus, ad adversa quæque toleranda constantior, et ad virtutem sectandam zelantior. — Hinc apparet, quam turpiter allucinentur hujus temporis hæretici, dum contendunt Eucharistiæ primarium ac præcipuum effectum esse spiritalis vitæ restitutionem per remissionem peccatorum: nam, ut præclare ait S. Ambrosius, lib. 6. in Lucam, cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit antea sanatus... Ubique ergo mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cælestis exhibeatur.* Hinc S. Augustinus, Tract. 26. in Joann. *Nonne,* inquit, *buccella Dominica venenum fuit Judæ? et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate.* Frustra autem SS. Patres prærequirerent innocentiam in accedentibus ad Eucharistiam, si hæc instituta esset ad conferendam primam gratiam, et non tantum ad illius augmentum.

Objiciunt hæretici aliquas Scripturæ et SS. Patrum auctoritates, ex quibus colligi volunt, Eucharistiam primario institutam fuisse ad conferendam primam gratiam et remissionem peccatorum. Sic imprimis proferuntur illud Matth. 26., ubi dicitur de calice: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* et de speciebus panis, Joann. 6. *Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo.* Ex Patribus vero proferunt S. Chrysostomum, Homil. 83. in Matthæum, ubi comparans hoc Sacramentum cum Agno Paschali, ait: *Si hoc remissionem peccatorum facit, sicut certe facit, illud supervacaneum omnino est.* Præterea ex S. Damasceno, lib. 4. *De Fide,* cap. 4. ubi dicit: *Iis, qui hoc Sacramentum per fidem digne suscipiunt, in peccatorum remissionem, et vitam æternam, animique et corporis præsidium cedit.* Idem videri potest indicare Ecclesia in multis orationibus Missæ; in quibus tribuit Eucharistiæ, non solum quod sit *fortitudo fragilium,* sed etiam *absolutio scelerum.* — **Respondeo,** hæc et similia hæreticorum momenta facile dissolvi posse ab eo, qui observaverit primo Patres aliquando generatim loqui de remissione peccatorum abstrahendo a mortalibus: *secundo,* si qui sint, qui asserant per Eucharistiam remitti graviora scelera, intelligendi sunt de remissione, non quoad reatum culpæ, sed quoad reatum pœnæ pro peccatis jam remissis luendæ; quem utique reatum removet ac solvit frequens Eucharistiæ pia ac devota susceptio: vel loquuntur de Eucharistia, non quatenus Sacramentum est, sed prout est sacrificium, cujus tanta virtus est, ut gratiam Pœnitentiæ et conversionis sceleratioribus etiam obtinere possit.— Qua ratione explicari potest præfatus Matthæi locus, quamquam ejus sensus litteralis intelligendus sit de sacrificio cruento crucis, a quo tamquam a fonte omnia Sacramenta novæ Legis vim conferendi gratiam, et sanctificandi homines hauserunt. *Tertio,* dum Eucharistia dicitur dare vitam æternam, sensus est, quod gratiam sanctificantem, cui æterna vita correspondet, ipsa conferat, seu augeat, vegetando scilicet in nobis habitum dilectionis Dei, necnon et animam promovendo ad extinctionem vitiorum, et ei auxilia actualia gratiæ conferendo, quibus facilius et promptius viam mandatorum Dei, quæ ducit ad vitam, decurrat.

§ II. — *Secundus effectus Eucharistiæ respective ad animam* est liberatio a peccatis venialibus, et præservatio a mortalibus. Hunc utrumque effectum præclare exprimit S. Bernardus, Serm. *De Cœna Domini: Quis,* inquit, *poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia, et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis et Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut, et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* — Eumdem duplicem effectum explicat Concilium Trid., Sess. 113. cap. 2. dicens, hoc Sacramentum esse *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis præservamur.*

Quod autem tollat peccata venialia habet ex duplici capite: *primo,* ex ipsa ratione gratiæ cibantis et nutrientis; proprium enim est alimenti non solum nutrire, sed etiam restaurare quod per calorem naturalem absumitur et deperditur: sed per peccata venialia imminui-

tur fervor charitatis; ac subinde per frequentem Eucharistiæ receptionem debet restaurari. *Secundo*, hanc efficacitatem tollendi venialia peccata sibi vindicat ex eo, quod accendat charitatis fervorem, quo evanescunt venialia, utpote cum non ipsi habitui charitatis, sed ejus exercitio seu fervori opponantur. Quam utique duplicem virtutem optime explicat Seraphicus Doctor, in 4. dist. 12. p. 2. art. 1. q. 3. *ubi scribit:* « Dicitur ergo hoc Sacramentum magis unire, quia digne « accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, et iterum reddit « fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc, quod reddit charitatem magis « ignitam, adjuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem; ex « hoc, quod magis firmat, adjuvat ad vitandum omnia scelera; ra- « tione utriusque valet ad augmentum virtutum, et maxime chari- « tatis, quæ est vinculum, non quantum ad essentiam, sed quantum « ad fervorem vel radicationem. Fervor enim quotidie minuitur per « venialia et radicatio, ideo oportet per hunc cibum restaurari deper- « ditum ». — De hac restauratione sic inquit Catechismus Romanus, p. 2. c. 4. q. 40. *Quidquid cupiditatis ardore anima amisit cum levi aliqua in re parum offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit, quemadmodum etiam* (neque enim a proposita similitudine discedendum videtur) *quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus.* — Hac similitudine antea explicaverat effectum Eucharistiæ Eugen. IV, in Conc. Florent., dicens: *Omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem.... Sacramentum, quoad vitam operatur spiritualem. Sicuti ergo cibus et potus materialis restaurant amissa, causant humores bonos, et noxios expellunt, ita spirituales cibus et potus passiones noxias minuunt ac expellunt, bonas et salubres cogitationes, affectionesque excitant, quibus libere assentiendo et cooperando homo liberetur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservetur.*

Quod pariter Eucharistia præservet a peccatis mortalibus futuris, inde constat, quod conferat incrementum virium interiorum per gratiam et virtutes infusas, addat insuper jus ad auxilia actualia pro necessitate habenda, et cum sit signum rememorativum Passionis Christi, per quam victi ac superati sunt dæmones, etiam eorum adversus animam impetus cohibet; non enim tanta vi et audacia ad eum hostis humani generis accedit, quem videt tantæ Majestatis præsentia fultum, unde præclare Psalmista 22. mente præsaga futurorum dicebat: *Parasti in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me;* nam inquit S. Chrysostomus: *Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles.* Quapropter S. Ignatius, Epist. ad Ephesios, sic eos hortatur: *Studete frequenter accedere ad Eucharistiam, et Dei gloriam; quando enim hoc ipsum assidue agitur, expelluntur Satanæ potestates, qui suos actus convertit in sagitas ignitas ad peccatum.* Et S. Ambr., Serm. 8. in Psal. 118. *Moyses agnum immolavit, ut manducantes eum non occuparentur* (idest, non circumvenirentur) *Exterminatoris insidiis; ne inermes et vacuos spiritualis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. Præveni et tu insidias tentationis, instaura prius cœleste convivium. Adveniendum in Ecclesiam, celebranda oblatio. Tunc paratus assiste, ut*

accipias tibi munimentum, ut Corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, et protectionis æternæ. Suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio, ubi Corpus ejus, ibi Christus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, inteligens locum tentamentis suis interclusum per Christum esse, fugiet, etc.

Cupis nosse unde Martyres, a natura sua infirmi et inermes, robusti, et adamantini, facti sunt ad resistendum tyrannorum sævitiæ armatæ, et regali potentia, et inferni furore? Quid imbecillitatem humanam a se fœmininam, tam viriliter armavit? Opinor de armentario Eucharistiæ cataphracti prodiere Martyres ad triumphandas Regum minas, et carnificum immanissima tormenta. Eleganter Concilium Carthaginense stylo S. Cypriani ita scribit, ad Cornelium Papam: *Quos excitamus,* inquiunt, *et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis et Corporis Christi muniamus, et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos testos esse contra adversarios volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Scilicet Martyres gladiatorio Eucharistiæ cibo vegeti, et spiritus et robur mutuati, tamquam leones ignem spirantes facti sunt tyrannorum metus, et inferni terror, deludentes atroces tormentorum ictus, Eucharistiæ armis impenetrabiles.

§ III — *Tertius effectus Eucharistiæ erga animam* est spiritualis quædam suavitas, et victrix gratiæ delectatio; anima enim virtute hujus Sacramenti spiritualiter reficitur, et veluti dulcedine bonitatis divinæ inebriatur, juxta illud Cantic. 5. *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Cujus utique divini cibi suavitatis ac dulcedinis egregiam figuram præbuit Manna, de quo ita Sapientiæ 16. *Nutrivisti populum tuum, et panem de cœlo paratum præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluptati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Hinc Propheta Regius Christi Domini personam referens, exclamat: *Calix meus inebrians, quam præclarus est!* Quod oraculum sic perbelle exponit Auctor Sermonis *De Cœna Domini,* apud S. Cyprianum: *Quam prælarus est calix iste! Quam religiosa hujus potus ebrietas! Per quam excedimus Deo, et quæ retro sunt obliti ad anteriora extendimur; non habentes sensum hujus mundi, cruci hæremus, Sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricati, a sapientibus hujus sæculi judicamur amentes. Ut Manna, sic et hic panis omne delectamentum in se habet: virtute mirifica omnibus, qui digne et devote sumunt, secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Esus igitur Carnis hujus quædam aviditas est, et quoddam desiderium manendi in Christo, per quod sic imprimimus, et eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro, et visceribus sapor dilectionis infusus penetrans, imbuens omnes animæ corporisque recessus.* Et infra: *Panis iste Angelorum omne delectamentum habens, virtute mirifica, omnibus qui digne et devote sumunt, secun-*

dum suum desiderium sapit; et amplius quam Manna illud eremi implet, et satiat edentium appetitus, et omnia carnalium saporum irritamenta, et omnium exuperat dulcedinem voluptatum. Vide, quomodo his, qui Christi commemorant passionem, intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, et super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam suavitatem animæ inquirenti ubi sit Deus suus, et suspiria contemplationis eliciant! Non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt; ros matutinus est de cœlestibus stillans, et quasi unctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, et inter diem et noctem, retro et ante se affectio intuens, inter data condonando se dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori; et se sanatam et sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, et lacrymis se baptizat. Unde in persona hominis digne communicantis exclamat David: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Hanc autem cælestem suavitatem ex eo repetunt aliqui Patres, quod in eo Sacramento divina Sapientia suam Divinitatem et humanitatem ad modum lactis nobis exhibet, juxta illud Isaiæ 60: *Mamilla Regum lactaberis.* Ita Augustinus, Concione 1. in Psal. 32. ubi hæc scribit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes Spiritus, et manducant, et saginantur; quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret.* Similia habet Hugo a S. Victore, lib. 1. *Miscell.*, tit. 25. « Sapientia, *inquit*, « sursum panis erat, et versa est deorsum in lac; in Divinitate panis, « in humanitate lac, et nutritus est parvulus lacte humanitatis, ut « crescens et convalescens capere possit cibum Divinitatis ».

Porro hujus divini Sacramenti digne suscepti tanta est deliciarum ac voluptatis exundatio, ut ipse Christus Dominus ad eam adhortans dixerit Discipulis Lucæ, 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Vel, ut scribit Tertullianus, lib. 4. *Adversus Marcionem*, cap. 4. *Concupiscentia concupivi hoc Pascha edere vobiscum.* Ubi apposite exaggerat voluptatem gustandæ Eucharistiæ nomine concupiscentiæ, quæ jucundiores carnis delicias exprimere solet. Hinc nonnulli e SS. Patribus Eucharistiam appellant *præludium beatitudinis.* Sic S. Chrysologus: *Mensa Patris*, inquit, *nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis, et gloriæ.* Cui concinit Petrus Damianus, Serm. 32. scribens: *Quam deliciosa fame affligitur, qui cœlestis promptuarii dapibus saturatur, cui cœlum fit cellarium*, etc. Sed omnium optime Matthæus Episcopus Wormacensis, Homil. *De Cœna Domini*, dum ita præclare sacram Eucharistiam appellat *Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile præludium, arrham Sponsæ, jocale divinum cœlitus ei donatum, Ecclesiæ militantis cum triumphante suave glutinum et unionem fraternam, dum eam dulcedinem, qua illa fruitur, sine velamento, ista habet sub Sacramento; et si illa cœlestis Hierusalem habet Deum suum jucundius, ista in terra militans habet eum mirabilius.* Hinc apposite Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, cap. 8. loquens de divina Sapientia inter cætera, ait: *Immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum*

exormat; quasi hoc opiparum convivium, in quo Christus, opimior victima, et omnium victimarum præstantissima, incruente mactatur, sit ornatus cælestis gloriæ.

§ IV. — *De tribus effectibus divinæ Eucharistiæ erga corpus sumentis.* — Primus est fomitis appetitus sensitivi mitigatio, et sævientium passionum refrænatio ac moderatio. Quod utique præclare docet S. Cyrillus, lib. 4. in Joann. cap. 17. ubi de præparatione ad dignam hujus Sacramenti receptionem sermonem faciens, ait: *Pias, quæso, cogitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit; sedat enim, cum in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, et sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus ponit, ab omni nos eripit casu.* Ipsi concinit S. Bernardus, Serm. *De Baptismo et Sacramento Altaris:* « Duo, *inquit*, « Sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat « in minimis, et gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis « vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ « motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat « Corpori et Sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in « eo ». — Idem affirmat Catechismus Romanus, n. 55. *Carnis etiam*, inquit, *libidinem cohibet ac reprimit; dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguat necesse est.* Quibus verbis, ut apparet, significat Eucharistiam moderari quidem corporis passiones; at non immediate, sed dumtaxat mediate, seu ex consequenti, inquit Bosco, concl. 3. n. 27, quatenus Deus propter illam vel tollit, vel minuit materiam incentivam illius fomitis, puta per applicationem naturalium causarum, minuendo temperamentum corporis, quod excitat appetitum ad motus iræ, luxuriæ, ac similium vitiorum; vel tollit objecta extrinseca inflammantia appetitum, et sua singulari protectione hominem servat ab occasionibus peccatorum; vel quatenus bonis instinctibus ita prævenit et adjuvat voluntatem, ut facile possit avertere appetitum a delectabilibus contra rationem; vel denique quatenus adaucta per hoc Sacramentum charitate, qua voluntas vehementius delectatur bonis divinis, appetitus minus potest occupari circa delectationem boni terreni; fit namque propter naturalem potentiarum unionem et radicationem in eadem anima, ut quo una vehementius applicatur suo objecto, eo minus altera possit applicari ad suum objectum, eo quod virtus animi finita, qua per singulas potentias operatur, ad unum actum amplius intenta, minor est ad alium. Ita ergo, et non aliter hoc Sacramentum minuit fomitem concupiscentiæ. Hæc Bosco.

Secundus effectus Eucharistiæ erga corpus digne suscipientis est, quod sit in eo veluti semen immortalitatis, et beatæ Resurrectionis; quem utique effectum significavit Christus Dominus cum dixit: *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quæ verba præclare sic expendit S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Joann., cap. 2. « Fieri « prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non

« superet, ac vincat mortem. Proinde licet mors, quæ per prævari-
« cationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati
« subjiciat; tamen, quia Christus per suam ipsius mortem in nobis
« est, omnino resurgemus; incredibile enim est, imo vero impossibile,
« ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet; quemadmodum enim
« scintillam multis paleis interimus, ut semen ignis servemus, sic
« etiam Dominus noster Jesus Christus per Carnem suam in nobis
« vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod
« totam, quæ in nobis est, incorruptionem abolet ». Quibus verbis S. Cyrillus significat, fieri non posse, secundum ordinariam Dei potentiam, et solitum ejus sapientiæ et bonitatis agendi modum, ut, qui digne suscipit Eucharistiam, aliquando non resurgat, non qualicumque resurrectione, qua omnes quotquot sunt homines resurrecturi sunt, sed resurrectione beata et gloriosa. — Hinc præclare S. Irenæus, lib. 4. *Adversus hæreses*, cap. 34. loquens de Valentinianis, qui corporum resurrectionem negabant, sic eos arguit: *Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ a Corpore Domini et Sanguine alitur?* Quem locum sic interpretatur doctissimus ac piissimus Rosensis: perinde est, *inquit*, ac si dixisset: quoniam Caro Christi vivificati est, et eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem, inde fit, ut qui carnem illam digne comederunt, si nulla post hæc sua culpa virtutem illam, quam acceperunt, amittunt, eorum corpora proculdubio resurgent ad immortalitatem. Quapropter SS. Patres cum S. Ignatio, Epist. ad Ephesios, Eucharistiam communiter appellant *pharmacum immortalitatis, præservativum contra mortem*. — Quæ omnia tamen sic intelligenda velim, non quod Eucharistia vim aliquam physicam corporibus inserat, sed dumtaxat quod eis conferat quamdam dignitatem et consecrationem, ratione cujus digna sint, ut quæ cum Christo unionem habuerunt in statu mortalitatis, eamdem habeant in regno immortalitatis. Qui plura hac de re exoptat, percurrat S. Chrysostomum, lib. *De Sacerdotio*, cap. 6. et S. Cyrillum, lib. 3. in Joann., cap. 6. et lib. 4. cap. 2. necnon et S. Petrum Chrysologum, Serm. 95.

Tertius denique effectus est cordis castimonia, et corporeæ puritatis propagatio; quem utique effectum colligit S. Thomas, art. 2. ad 3. ex illo Zachariæ, 9. *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Unde Paschasius, lib. *De Corpore et Sanguine Domini*, cap. 21. *Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur; nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto vero virgines procreantur.* Et glossa super illa verba Psal. 67. *Selmon* mons Dei, sic ait: *De Corpore Christi manat umbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum, et carnalis concupiscentiæ.* Quæ verba refert S. Thomas, opusc. 58. cap. 21. et subdit: *Dum ergo fidelis Corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiæ, quæ de ipso fluit:* Oseæ 14. *Ego quasi ros, et Israël germinabit quasi lilium.*

Sicut autem, inquit Seraphicus Doctor, vel quisquis est Auctor *Compendii Theologici*, lib. 6. cap. 15. recte communicantibus multa bona proveniunt, ut dictum est, sic indigne sumentibus Corpus Christi multa mala concurrunt. Nullus enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius.

Indigna enim Communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. De his per ordinem dicitur. *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis*, etc. ecce primum: *Et in retributionem;* ecce secundum: *Et in scandalum;* ecce tertium: *Obscurentur oculi eorum ne videant;* ecce quartum: *Et dorsum eorum semper incurva;* ecce quintum: *Effunde super eos iram tuam;* ecce sextum: *Fiat habitatio eorum deserta;* ecce septimum: *In tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet;* ecce octavum.

APPENDIX.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Inter cæteras divinæ Eucharistiæ præcellentias hæc maxime singularis est, quod diverso respectu *Sacramentum* simul sit, et *Sacrificium;* quippe cum non ordinetur solum ad augendam in digne suscipientibus gratiam sanctificantem, quod ei cum aliis Sacramentis commune est; sed etiam ex primaria sua institutione directe ac immediate tendat in Dei cultum et venerationem per oblationem Christi Domini Corporis et Sanguinis, quæ a Sacerdotibus novæ Legis in honorem Dei offeruntur et incruente immolantur; in quo maxime adumbrata fuit per Agnum Paschalem veteris Testamenti, qui, ut omittam reliquias analogiæ et similitudinis rationes, quæ ex institutionis tempore, ex fine, cæremoniis, ac circumstantiis peti possunt, ut jam alias diximus, in hoc præcipue Eucharistiam adumbrabat, quod Sacramenti nedum, sed et Sacrificii prærogativam obtineret.

Porro plurimæ occurrunt Eucharistiæ sub ratione Sacrificii appellationes; nam a S. Epiphanio, Hæresi 75. dicitur *œconomia, et latria;* a S. Chrysostomo, Homil. 17. in Epist. *Ad Hebr.* appellatur *hostia mundans;* a S. Augustino, lib. 2. *Quæstionum Evangelicarum*, q. 3. *Sanctum Sanctorum;* lib. 9. *Confess.*, cap. 12. *Sacrificium pretii nostri;* lib. *De anima, et illius origine*, cap. 9. *Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi;* et Epist. 23. *Sacramentum, in quo Christus immolatur;* a S. Fulgentio, lib. *De fide ad Petrum*, cap. 19. dicitur *Sacrificium panis et vini*. Sic passim a SS. Patribus aliis pluribus appellationibus illustratur.

Duo autem inter cætera celebriora sunt, et maxime usitata nomina; nempe *Liturgia* apud Græcos, et *Missa* apud Latinos. *Liturgia* autem vox est ad plura significanda communis; nam interdum significat aliquod opus facere, seu publice operam præstare; aliquando importat omne Deo exhibitum obsequium; alias usurpatur ad denotandum omnem Clericalis Ordinis functionem; frequentior tamen usus obtinuit, ut significaret oblationem et celebrationem Christi Domini Corporis et Sanguinis; qua ratione hæc vox communis est apud omnes Græcos Patres et Auctores, qui de Eucharistia, quatenus Sacrificium est, sermonem fecerunt.

Similiter *Missæ* nomen usurpatur ad significandam omnem illam actionem sacram, qua in Ecclesia Catholica conficitur, ac Deo offertur Eucharistia. Cujus utique nominis et usurpationis antiquitatem præclare demonstrat Baronius ad annum Christi 34. n. 60. « Ea enim voce, « *inquit*, usa videtur in suo ipsius exordio Romana Ecclesia; nam

« Pius Papa, proximus Apostolorum temporibus, scribens ad Justum « Episcopum Viennensem, idem Sacrificium Missam vocans, sic dicit, « ut habetur Tom. 1. Bibliot. veterum Patrum: *Soror nostra Euprepria, « sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi « nunc cum pauperibus nostris commorantes,* Missas *agimus.* Item « Cornelius Papa, Epist. ad Lupicinum Viennensem Episcopum, his « utitur verbis: *Publice, neque scriptis notioribus* Missas *agere Chri- « stianis licet.* Eodem usi sunt nomine cæteri Romani Pontifices, quos « longum esset sigillatim recensere. In Concilio Romano, sub Sylvestro, « in fine; in Concilio Carthaginensi 2. Can. 3. in Concilio Agathensi, « cap. 47. et aliis, Patres, qui interfuerunt, eodem quoque *Missæ* pro- « nomine ipsum incruentum Sacrificium nominarunt, sicut et Ambro- « sius ad Marc., Epist. 13. Augustinus, Serm. 251. *De Tempore,* Victor « Uticensis, lib. 2. *De persecutione Wandalorum,* ac denique cæteri, « et post ipsos Recentiores omnes ». *Hæc ibi Baronius.*

Controvertitur autem inter Auctores, qualis sit nomen istud *Missa,* Hebraicum videlicet, an Latinum, Hebraicum esse docet Concilium Senonense in decretis fidei, cap. 11. et affirmant plurimi Theologi cum Cardinali Baronio supra n. 59. ubi scribit: *Neque tamen prætermit- tendum, quod, cum multa sint hujus sacrificii nomina, illud est anti- quissimum, et apud Latinos usitatius, atque frequentius,* Missa, *quod quidem (sicut et Christiana fides profitetur) ex Hebraica, vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata le- gitur Deuteron.* 16. *spontanea oblatio, Hebraice, et Chaldaice dicitur Missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua et vescebantur in templo, cum recordatione præteritæ servi- tutis, et ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia, cum optime con- veniant prædicto a Christo instituto sacrificio, eo potius majores nostri usi sunt nomine, quam cujuspiam alterius sacrificii.* Alii vero censent vocem illam nullo modo Hebraicam esse, aut ab Hebraico derivatam; alioquin eam omnes Christianæ nationes, sicut alias hujusmodi reti- nuissent, quales sunt, *Amen, Alleluja, Sabaoth,* etc. nam et Græci his omnibus utuntur; voce autem *Missæ* non item, sed pro *Missa, Litur- giam* dicunt. Imo Syri, et Maronitæ, qui Chaldaica lingua Missam celebrant, vocem *Missæ* non habent; et ex SS. Patribus, Origenes, Justinus, Epiphanius, et Hieronymus, hebraicæ linguæ periti, hac voce numquam usi sunt.

Unde verisimilius est vocem illam esse latinam, et deductam, vel a verbo *mitto,* quia in illa oblatio et preces ad Deum mittuntur: sicque dum Diaconi in fine oblationis populo denuntiant: *Ite Missa est,* sensus est, quod oblatio sit pro eis ad Deum transmissa; sicque liberi possunt recedere. Ita explicat S. Gregorius, lib. 4. *Dialog.,* cap. 58. ubi hæc scribit: *Dicitur Missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum, et homines, preces et supplicationes et vota transmittat Altissimo. Idi- psum vero Sacrificium, idest, hostia, Missa vocatur, quasi transmissa: primum nobis a Patre, ut esset nobiscum per Incarnationem; postea Patri a nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per Passionem, ut in Sacramento primum nobis a Patre per sanctificationem, postea Patri a nobis per oblationem.* Vel, quod verius apparet, Missæ nomen dedu-

ctum est a *Missione*, seu *dimissione* populi, post peractum Sacrificium. Ita S. Augustinus, Serm. 237. *De Tempore*, et Isidorus, lib. 6. *Originum*, cap. 16. et alii plurimi; antiquis enim familiare est usurpare præterita passiva loco nominum verbalium; sic interdum apud eos, *remissa* idem significat, ac *remissio*, *collecta*, ac *collectio*. Duplex autem erat olim populi dimissio: *altera* quidem, quæ fiebat, dum finitis lectionibus sacræ Scripturæ, et illis precibus, quibus interesse poterant Catechumeni, Energumeni, et alii non initiati; hi et similes jubebantur exire voce Diaconi eis exitum præcipientis, ne sacris interessent: *altera*, cum peracta Eucharistiæ celebratione fiebat facultas fidelibus exeundi, Diacono proclamante: *Ite Missa est*.

Hinc Missa duplex erat: una quidem dicebatur Catechumenorum, quæ scilicet divinum officium complectebatur, et preces fieri solitas ante oblationem, et Catechumenorum dimissionem; unde Concilium Carthaginense quartum, Can. 84. statuit, ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, et audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum. *Altera* vero erat Missa Fidelium, quæ ab incepta oblatione ad peractam Communionem, et recitatas pro gratiarum actione preces, computabatur; de qua S. Ambrosius, Epist. 14. et Cæsarius Arelatensis, Homil. 12. *Si*, inquit, *diligenter attenditis, cognoscetis, quod non tunc fiunt Missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, et Corpus et Sanguis Domini consecratur*. Tandem usus obtinuit, ut nomen Missæ usurpetur pro tota cæremonia, quæ comprehendit utramque Missam, Catechumenorum scilicet et fidelium. Ita Concilium Agathense, cap. 47. *Missas die Dominico sæcularibus totas tenere, speciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*.

Sunt et aliæ Missæ nominis acceptiones, sed minus propriæ: sic interdum apud Veteres Missa sumitur pro die festo, ita lib. 2. *Capitularium* Caroli Magni, cap. 18. legimus: *Usque ad Missam S. Andreæ*, idest, usque ad idem festum. Festus autem dies idcirco appellatur Missa, quia videlicet Missæ Sacrificium est potissima actio, quæ tum in Dei gloriam, tum in Sanctorum honorem diebus festivis fieri possit. Sic pariter interdum Missa sumitur pro Nundinis, et populorum concursu ad forum venale. Ita legimus lib. 3. *Capitularium*, cap. 23. forte quia diebus Sanctorum venerationi dicatis, celebriori apparatu et ritu Missæ celebrabantur, et populorum majori concursu frequentabantur; sic circa dies illos nundinæ habebantur, quod etiam nunc fieri compertum est. Sumebatur pariter aliquando Missæ nomen pro precibus. Ita Concilium Milevitanum secundum, cap. 12. eō quod in Missa plurimæ fiant orationes et preces. Qui plura hac de re desiderat, consulat Bellarminum, et alios Controversistas. Cum itaque hactenus disputatum fuerit de Eucharistia, ut Sacramentum est, superest nobis agendum de ipsa quatenus est Sacrificium.

Circa quod variæ ac celebres occurrunt controversiæ, maxime cum hæreticis hujus temporis; quas omnes in quatuor capita reducemus, inquirentes *primo*, utrum Eucharistia sit verum ac perfectum Legis novæ Sacrificium: *secundo*, qualis sit, et in quo consistat: *tertio*, a quibus, et pro quibus possit offerri: *quarto*, quinam sint illius ritus, et effectus.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM MISSA, SEU EUCHARISTIÆ CELEBRATIO, SIT VERE AC PROPRIE DICTUM SACRIFICIUM.

NOTANDUM 1. Sacrificii nomen in Scripturis dupliciter accipi: *improprie* videlicet et metaphorice, pro quolibet opere bono et meritorio; et *proprie* pro certo actu Religionis, quo supremum cultum soli Deo debitum exhibemus. Priori modo definitur a S. Augustino, lib. 12. *De civitate Dei*, c. 6. *Verum Sacrificium*, inquit, *est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.* Qua ratione varia commemorantur Sacrificiorum genera in Scriptura sacra. Sic Psal. 30. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ecclesiast. 36. *Qui facit misericordiam offert Sacrificium.* Hinc S. Paulus ad Hebr. ult. *Beneficientiæ autem, et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quapropter S. Petrus, Epist. 1. cap. 2. omnes fideles alloquens, ait: *Et ipsi, tamquam lapides vivi, superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Hinc Apocal. 5. omnes Sancti cum Christo regnantes dicunt: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes, et regnabimus super terram.* — Porro hæc Sacrificii acceptio, quidquid reclament hæretici, dumtaxat impropria est et metaphorica; nam ex ipsamet Scriptura sacra liquet, hoc Sacrificium bonorum operum distingui a Sacrificio proprie dicto; siquidem 1. *Reg.* cap. 15. legimus: *Melior est obedientia, quam victimæ:* igitur obedientia, qua voluntas hominis Deo immolatur, distinguitur a Sacrificio victimæ per proprie dictum Sacrificium. Hinc Psal. 84. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi;* quibus videlicet mandata tua excipiam et exequar. Sic Psal. 50. *Si voluisses Sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Et tamen statim subjungit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Quæ verba sic expendit S. Augustinus, lib. *De Civit.*, cap. 6. *Intueamur*, inquit, *quemadmodum ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium. Non vult ergo Sacrificium trucidati pecoris, sed vult Sacrificium contriti cordis.* Et infra: *Ac per hoc ubi scriptum est* Oseæ 6. *Misericordiam magis volo, quam Sacrificium, nihil aliud, quam Sacrificio Sacrificium prælatum oportet intelligi; quoniam illud, quod ab hominibus appellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Porro autem misericordia verum Sacrificium est.* Verum, inquam, ratione dignitatis et effectus, non vero ratione formæ et essentiæ Sacrificii proprie dicti; unde statim subjungit: *Talibus enim Sacrificiis placatur Deus;* quia videlicet opera meritoria Deo gratiora sunt, et cum efficacius ad misericordiam alliciunt, quam externa Sacrificia proprie dicta; maxime vero dum offeruntur ab hominibus pravis, et Deo offensis, ac sine ulla animi pietate et devotione.

NOTANDUM 2. Quod Sacrificium proprie dictum recte definitur; *Oblatio externa rei sensibilis et permanentis, legitima auctoritate instituta, a Ministro competenti, per immutationem illius rei, soli Deo facta, in protestationem supremi illius dominii in vitam et mortem.* Quæ utique

definitio ut legitima appareat, explicandæ sunt illius particulæ. *Primo* dicitur *Oblatio*, quia in omni Sacrificio proprie dicto debet aliquid offerri. Unde Hebr. 6. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, ut offerat dona*, etc. — *Secundo* dicitur *externa*, quia est actus Religionis inclinantis creaturam intellectualem ad exhibendum cultum Deo debitum ob infinitam illius excellentiam, et omnium ab eo dependentiam, tamquam a primo principio. Actus, inquam, non quidem pure internus, sed externus; quia Sacrificium est præcipua nota Ecclesiæ, quæ visibilis est, ac subinde debet Deum colere aliquo cultu sensibili, et omnibus fidelibus noto. — *Tertio* additur *rei permanentis;* siquidem Sacrificium offertur Deo ab hominibus ad instar illius obsequii, quod Regibus et Dominis suis pendent subditi in protestationem suæ subjectionis et dependentiæ; res autem illa quæ sic offertur est aliquid permanens et determinata, ut experientia constat; idem itaque debuit esse de obtestatione dependentiæ et subjectionis, quam profitentur homines se habere ad Deum per oblationem Sacrificii. — *Quarto* dicitur *legitima auctoritate instituta*, hoc est, vel ipsius Dei, vel eorum qui communitati præsunt; Sacrificium enim spectat ad communitatem, a qua et propter quam Deo offertur. Unde nullus sibi arrogare debet auctoritatem sacrificandi, et hostias offerendi, nisi vel a Deo, vel ab hominibus assumptus, ut docet Apostolus ad Hebr. 5. — *Quinto* additur *soli Deo;* nam Exodi 22. *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Unde S. Aug., lib. 10. *De Civitate Dei*, cap. 4. *Quis sacrificandum esse censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et lib. 1. *Contra Adversarium legis*, cap. 18. *Dæmon sibi offerri sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret.* Hinc lib. 20. *Contra Faustum Manichæum*, c. 21. scribit: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus; quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: offerimus tibi, Petre, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.* Et infra: *Illo cultu, qui Græce latria dicitur, quæ Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum ducimus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam S. Angelo.* — Additur sexto *cum immutatione ipsius rei;* siquidem per Sacrificium protestamur Deum habere dominium in vitam et mortem, ita ut pro libito possit omnia immutare; quod utique significatur per immutationem illius rei, quæ offertur. Sic in omnibus prius institutis Sacrificiis res oblata semper saltem ex parte immutabatur, ut patet in oblationibus pecudum, quæ occidebantur; vini, quod in terram effundebatur; similæ, quæ adurebatur; panis, qui frangebatur in frusta; thuris, quod adolebatur; tritici, quod conterebatur; manipuli spicarum, qui torrebatur; etc. — Hinc difficultas est, utrum oblatio panum propositionis esset verum Sacrificium; quippe cum in eis non fieret immutatio, nisi

forte in clibano, dum videlicet pasta in panem coalesceret, et coqueretur, et hac ratione dici possent Sacrificia; nam id, quod propter Dei honorem in clibano concoquitur, appellatur Sacrificium clibani, Levit. 2. v. 4. *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano.* Idem habetur cap. 7. v. 9. Quantum autem ad alia Sacrificia, quæ fiebant ex farina, vel massa, planum est, inquit Bosco, Sect. 1. n. 8. ex Levit. 2. semper aliquam eorum partem debuisse cõmburi, quod ibi v. 9. appellatur, *adoleri super Altare.* Vinum item offerebatur, ut condimentum alterius sacrificii, quod comburebatur vel destruebatur; et sic jam pertinebat ad illud totum, quod destruebatur; vel quando seorsum offerebatur, effundebatur saltem quoad partem, et per hoc jam totum censebatur oblatum et sacrificatum, sicut per hoc, quod adoleretur pars farinæ, vel panis, censebatur totus panis sacrificatus. — Ex his patet distinctio sacrificii a reliquis cultibus, tam internis, quam externis, devotione, oratione, adoratione, oblatione primitiarum et donorum, oblatione decimarum, voto, juramento, adjuratione, laude, et gratiarum actione. Facile etiam excluditur a definitione Sacrificii accensio candelarum, quia videlicet illa accensio non fit ad protestandum summum Dei dominium in vitam et mortem, sed ad decorandum cultum divinum, ad testificandum gaudium populi Christiani de divinis mysteriis, ad significandum Adventum Christi, qui est lux vera illuminans omnem hominem, etc. Eadem est ratio, quare thurificationes, quæ fiunt in Ecclesia, non sunt Sacrificia, quoniam solum adhibentur ad celebritatem officii, ut nos excitent ad fervorem charitatis et devotionis; ut sicut incensum ascendit coram Domino in odorem suavitatis, ita et preces nostræ ascendant. Apposite Concilium Trid., Sess. 22. cap. 5. (cujus titulus est, *De solemnibus Missæ sacrificii cæremoniis*) sic inquit: *Cæremonias adhibuit,* (Ecclesia) *ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa.... quo et Majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia Religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Notandum 3. Quod cum in Religione Christiana nihil Deo sit gloriosius, et dæmoni terribilius, quam sacrosancta Eucharistia et incruenta Christi Domini in Altaribus quotidiana immolatio, inde mirum videri non debet, quod diabolus per hæreticos suos asseclas omnes adhibuerit artes, ut utriusque fidem ex Christianorum cordibus elevaret; at hoc maxime præstitit hisce postremis sæculis; nam (ut omittam Petro-Brusianos, qui, referente Petro Cluniacensi, Epist. 2. lib. 1. Missam volebant nihil esse, nec celebrari debere, sicque nullum in Ecclesia Dei esse verum sacrificium; quam etiam hæreticam sententiam docuerunt Arnoldistæ, ut refert S. Bernardus, Epist. 24.) primus qui exitiale bellum Missæ sacrificio indixit fuit Lutherus, lib. *De capt. Babylonica,* ubi ita scribit: *Nihil hodie receptius, quam Missam esse opus bonum, et sacrificium Missæ Testamentum Christi, quod moriens post se reliquit distribuendum fidelibus: secundum suam substantiam proprie nihil est aliud, quam verba Christi,* accipite, et manducate: *scandalum speciosissimum, quod Missa passim creditur esse sacrificium, quod offertur Deo.* Et lib. *De abroganda Missa privata: Christus,* inquit, *seipsum semel obtulit, non voluit denuo ab ullis offerri, sed memoriam*

sui sacrificii voluit fieri. Et infra asserit nullum esse novi Testamenti sacrificium præter id, quod Scriptura docet, crucis, et laudis. Eamdem Catholicam veritatem majori audacia et impudentia insectatus est Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 18. § 2. ubi asserit, blasphemiam et contumeliam Christo irrogari, quando dicitur Missam esse sacrificium. Et n. 9. audacter pronuntiat, hanc perversitatem puriori Ecclesiæ incognitam fuisse, nullum extare mandatum de sacrificio, nullum apicem Sacerdotio patrocinari. Et n. 10. *Utuntur quidem illi* (veteres) *sacrificii vocabulo; verum simul exponunt, se nihil aliud intelligere, quam memoriam veri illius ac unici sacrificii, quod in cruce peregit Christus unicus (ut ipsi passim prædicant) noster Sacerdos.* Et n. 11. *Mensam nobis dedit, in qua epulemur, non Altare, super quod offeratur victima; non Sacerdotes consecravit, qui immolent, sed Ministros, qui sacrum epulum distribuant.* At hos omnes errones longe majori impietate supergressus est impiissimus Bernardinus Ochinus in libello adversus Missam, ubi omnes, quas ei dæmon suggesserat blasphemias spurcissimus ille nebulo infando pectore et calamo evomuit. Contra quos stabilienda est Catholica et constantissima assertio de veritate hujus divini sacrificii.

Conclusio unica. — Eucharistiæ confectio et celebratio, quæ solito Missa appellatur, est verum ac proprie dictum sacrificium. Hæc est de fide definita in Concilio Tridentino, Sess. 22. Can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Hanc autem Catholicam veritatem aperte docet cap. 1. Ubi hæreticorum erroneum dogma refellens, scribit: « Quoniam sub priori Testamento (teste Apostolo Paulo) « propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum « Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Hic igitur Deus et Dominus noster, « etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur, quia tamen « per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus « in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se « in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub « speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum « symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio « Successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite in « meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit « et docuit ». *Ita Concilium*, quibus aperte significat, constantem in Ecclesia semper fuisse Traditionem, quod Missa verum esset novæ Legis

sacrificium. — Eadem Catholica veritas constanter et aperte traditur ac stabilitur in plurimis aliis prioribus Conciliis; nam in Nicæno I, Can. 14. statuitur: *Diaconos non habere potestatem offerendi Sacrificii, sed solos Sacerdotes, ideoque nec Diaconos debere porrigere Sacerdotibus Corpus Christi, sed Sacerdotes Diaconis.* In Ephesino I, Tom. 1. c. 16. *Profitemur nos obire in Ecclesiis incruentum Dei cultum, et mysticas benedictiones, et sanctificari per Christi Corpus et Sanguinem.* In Chalced., Act. 1. *Residentibus magnificentissimis Judicibus, et Senatu ante cancellos sanctissimi Altaris.* Laodicænum, Can. 19., docet, *solis sacratis licere ad Altare accedere.* Et Can. 44. *Mulier non ingrediatur ad Altare, non enim Altare, nisi propter Sacrificia.* In Nicæno 2., Act. 6. *Nemo umquam Apostolorum, vel SS. Patrum incruentum nostrum Sacrificium in memoriam Passionis Christi factum vocavit imaginem Corporis illius; leges quoscumque voles, numquam invenies, nec Dominum, nec Apostolos incruentum illud, quod a Sacerdote offertur, duxisse imaginem, sed potius ipsum Christi Corpus.* In Lateranensi sub Innocentio III, cap. *Firmiter: Christus in Eucharistia est Sacerdos simul, et Sacrificium; neque hoc mysterium conficitur, nisi per Sacerdotes.* In Florentino in decreto unionis citatur decretum B. Alexandri I, in Sacramentorum oblationibus, quæ infra Missarum solemnia Domino offeruntur, non debere offerri in Sacrificium, idest, aliam consecrationis materiam adhiberi, quam panem et vinum aqua mixtum. In Toletano I, Can. 5. *Clerici ad quotidianum Sacrificium accedant.* Trullana etiam Synodus, Can. 28. et 32. meminit incruenti Sacrificii ejusdem; et quamvis Trullani Canones approbati non sint, tamen habent saltem vim historiæ, veteremque Ecclesiæ Traditionem confirmant.

Probatur autem Conclusio: necessario admittendum est in lege gratiæ aliquod Sacrificium externum proprie dictum: sed illud aliud esse non potest, præter Sacrificium Missæ: igitur Missa est verum et proprie dictum Sacrificium. *Probatur major* ex illis Malachiæ verbis cap. 1., ubi Propheta Judæos alloquens vice Dei, ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur ac offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ verba de Sacrificio novæ Legis interpretatur S. Justinus Martyr, dialog. cum Triphone, et Irenæus, lib. 4. *Adversus Hæreses*, cap. 32. et Chrysostomus, in Psal. 53. et Hieronymus, in *Commentario* ad hunc locum Prophetæ, et Augustinus, lib. 18. *De Civitate Dei.* Et merito quidem; Deus enim, reprobatis Judæorum Sacrificiis, ibi spondet successurum novum, cum dicit: *Offertur nomini meo:* sed illud non est aliquod sacrificium ab aliis Judæis offerendum, *tum* quia universim reprobantur omnia Judæorum sacrificia: *tum* quia sacrificium illud dicitur offerri in omni loco: ergo non a solis Judæis. Neque etiam est sacrificium oblatum a Gentilibus; nam apud Gentiles, non Deo, sed dæmoniis sacrificatur, omnes enim Dii Gentium dæmonia. Licet aliqui fideles fuerint inter Gentiles, qui vero Deo litarent, nihilominus ita numero erant pauci, ut de ipsis vere dici nequeat, quod in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum ab eis sacrificaretur oblatio munda. — Nec obstat, quod dixerit Propheta, *sacrificatur, et offertur* in præsenti; loquitur enim more Prophetarum,

qui, ut designent suæ prædictionis certitudinem, futura quasi præsentia, vel præterita solent exprimere. Sic Psal. 21. de Christo patiente dicitur: *Diviserunt sibi vestimenta mea,* idest, *dividunt,* et Psal. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum* pro *exibit. Probatur autem minor:* si de alio, quam de Missæ Sacrificio posset intelligi illud Prophetæ vaticinium, maxime vel de *Sacrificio crucis,* vel de Sacrificio metaphorico *bonorum operum,* quemadmodum Calvinus interpretatur: sed neutrum dici potest. *Non quidem prius;* nam Sacrificium illud, de quo Propheta dicit offerendum *in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum,* ut apparet, non convenit Sacrificio crucis, quippe cum peractum fuerit in monte Calvario. *Nec etiam posterius: primo,* quia eadem est ratio, et idem loquendi modus de successuro Sacrificio illo, ac de repudiatis: sed repudiata Judæorum Sacrificia erant proprie dicta: ergo, et hoc. *Secundo,* nihil substituitur alteri, nisi quod de novo, altero abrogato, instituitur: atqui spiritalia Sacrificia non fuerunt inter Judæos abrogata, tamquam Deo displicerent, nec inter Christianos noviter instituta, cum etiam in Lege naturæ, et veteri fuerint: ergo ille locus de his non potest intelligi, sed intelligendus est de aliqua oblatione, quæ fuit in nova Lege instituta, quæ non est alia, quam quæ fit in Sacrificio Missæ. *Tertio,* quia hæc oblatio dicitur *munda,* idque non ratione sanctitatis ipsius offerentis, sed ratione rei oblatæ, ut patet primo ex antithesi; nam Propheta vocat eorum Sacrificia *polluta* ratione rei oblatæ, quia claudum, cœcum, et debile offerebant: ergo hanc etiam oblationem vocat mundam ratione rei oblatæ: secundo, quia Scriptura generatim et absolute, atque in omni casu hanc oblationem dicit fore *mundam,* nullo respectu habito ad offerentem: ergo debuit esse talis ratione rei oblatæ, sive quia est oblatio rei per se Deo gratæ et mundæ; quod soli Eucharistiæ convenit, quæ nullis offerentium peccatis potest inquinari, ut pulchre docet Trident. Sess. 22. cap. 1. Hoc autem non convenit his Sacrificiis spiritalibus, quæ pendent ab intentione et munditia operantis, sive ea offerentis; nec omnia ab omnibus ita fiunt, ut munda sint, et Deo grata, maxime secundum sententiam hæreticorum, qui omnia opera nostra volunt ex se esse peccata, et consequenter immunda, et Deo ingrata, et solum grata propter ipsius indulgentiam. Illa autem oblatio in se munda est, et Deo placens. *Quarto,* quia Propheta ibi opponit contemptum divini nominis inter Judæos cum ejusdem magnificatione inter Gentes: atqui illi in Sacrificio publico Deum contemnebant: ergo Gentes debent eum publico Sacrificio honorare; alias nulla ratione tanta esset glorificatio, quantus fuit contemptus: atqui illa Sacrificia spiritalia non sunt publica, sed privata: ergo locus intelligendus est de vero Sacrificio, quod publico nomine fit, quod non est aliud, quam Sacrificium Missæ. *Quinto,* quia unum Sacrificium opponitur multis: Sacrificia autem spiritualia sunt valde varia: Eucharisticum vero unicum: igitur, etc.

Nec officit, quod S. Augustinus, lib. 2. *Contra litteras Petiliani,* cap. 86. et S. Hieronymus in prætata Malachiæ verba dicant, illud oraculum intelligi posse de Sacrificio laudis. Id, *inquam,* non officit; nam ita hunc locum de Sacrificio laudis interpretantur, ut tamen non excludant ab eo rationem proprie dicti Sacrificii; nam idem S. Augustinus, lib. 18. *De Civit.,* cap. 35. verba illa Malachiæ expendens, ait:

Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech in omni loco a Solis ortu usque ad occasum jam videmus offerri. Similiter licet S. Hieronymus ibi scribat spirituales victimas, et thymiamata orationum successura victimis carnalibus, subdit tamen: *Offerri in omni loco oblationem mundam, ut in cæremoniis Christianorum.* Quæ utique oblatio munda in cæremoniis facta proprium Sacrificium significat.

Præcluditur etiam elusio et illusio Calvini scribentis lib. 4. *Instit.*, cap. 18. n. 4. vaticinium illud Prophetæ intelligi de vocatione Gentium, et significare spiritualem Dei cultum designatum per illum externum Sacrificii legis ritum, quod familiarius hominibus sui sæculi indicaret Gentes vocandas esse in veram Religionis societatem: *Qualiter etiam*, inquit, *in universam rerum veritatem, quæ per Evangelium exhibita fuit, ætatis suæ typis describere solent; sic pro conversione ad Dominum ascensum in Hierusalem, pro Dei adoratione, numerum omne genus oblationum, pro ampliore ejus notitia, quo in regno Christi fideles donandi erant, somnia et visiones ponuntur.* Facile, inquam, hæc elusio evanescit; siquidem, ut diximus, Propheta eodem modo loquitur de successura oblatione munda offerenda in omni loco, quomodo de reprobanda oblatione immunda, quæ fiebat a Judæis illius temporis: sed illa oblatio reprobanda et rejicienda erat verum Sacrificium: igitur pari ratione oblatio instituenda verum et proprie dictum Sacrificium præfigurabat.

Probatur secundo Conclusio: Christus dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ut ex Psal. 109. probat Apostolus ad Heb. 7. et 8: igitur offerre debet sacrificium juxta ritum sacrificii Melchisedech: sed ritus sacrificii Melchisedech fuit in pane et vino; legimus enim Gen. 14. *Melchisedech, Rex Salem, proferens panem et vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi:* igitur Christus Dominus offerre debuit sacrificium in pane et vino: at sacrificium istud non aliter obtulit, quam instituendo Eucharistiam: igitur hæc est verum sacrificium.

Ut hujus argumenti vim elevent Hæretici, reponunt 1. Melchisedech non fuisse Sacerdotem, sed Principem; vox enim Hebraica significat Satrapam, idest, Principem; ac subinde nullum ex eo loco nostræ assertioni patrocinium accedit. — **Contra primo**, vulgata nostra Editio utroque in loco tam Psalmi, quam ad Hebræos, habet, *Sacerdos:* igitur ita legendum. *Secundo*, immediate scribitur, *Dei Altissimi:* sed non rite diceretur Satrapa Dei: igitur etc. *Tertio*, bis repeti non potest Principis nomen: at jam Scriptura significaverat Melchisedech esse Principem, dicendo, eum esse Regem Salem. *Quarto*, inde sequeretur, quod Christus non esset Sacerdos proprie dictus; ac subinde nullum foret Apostoli argumentum, quo probat excellentiam Sacerdotii Christi supra Sacerdotium Aaronicum, quia Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Reponunt 2. Melchisedech non protulisse panem et vinum in sacrificium, sed in refectionem Abrahæ, et ejus militum ex prælio revertentium; ita enim docet S. Ambrosius, in cap. 7. ad Hebræos. — **Verum hæc responsio facile evanescit:** *primo*, quia nec ejus milites egebant ad refectionem illo pane et vino; quippe redibant vi-

ctores ex prælio cum copiosissima præda, et cibariis. *Secundo,* quia tres eo loco narrantur actiones Melchisedech, nempe proferre panem et vinum, benedicere Abrahæ, et ejus militibus, et ab eo decimas accipere: sed duæ postremæ actiones sunt plane Sacerdotales: ergo, et prima, ac subinde non alio fine panem et vinum obtulit, quam in sacrificium. *Tertio,* absurdum est, quod in Scripturis fiat tam luculenta mentio Sacerdotii Melchisedech, Genesis 14. Psal. 109. ad Heb. 7. etc. quod fuerit etiam Melchisedech typus Christi, et sacrificio suo Christi sacrificium adumbrarit, nec tamen illius sacrificii forma et ritus ullo Scripturæ loco exprimatur; cum res etiam maximi sit momenti et ponderis, affirmentque hæretici ipsi omnia fidei mysteria sufficienter inveniri in Scripturis, et perpetuo ad Scripturas provocare soleant; atqui ritus ille sacrificii Melchisedech nequit ex alio loco ostendi, quam Gen. 14. ubi dicitur protulisse panem et vinum, quia erat Sacerdos Dei altissimi, nec hæretici alium locum hactenus invenire potuerunt: ergo et textus ille de vero sacrificio intelligi debet. Hoc ipsum significat adjuncta ratio, cur panem obtulerit; sequitur namque: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi;* nam particula *enim,* cum sit causalis, denotat idcirco Melchisedech protulisse panem et vinum, quod esset Sacerdos Dei, et quia res illas soleret Deo sacrificare, voluit ex eisdem rebus pro victoria Abrahæ sacrificium Eucharisticum offerre Deo. *Nec obstat,* quod in Hebr. non habeatur particula causalis, *enim,* sed, *et,* vel *autem;* ita ut legatur: et ipse erat Sacerdos, vel erat autem Sacerdos; hoc, inquam, non obstat; nam particula *vau,* Latine *et,* sæpius in Hebræa lingua usurpatur pro particula *enim,* vel *quia;* sic Genes. 20. ubi vulgata habet: *En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum,* Hebraica fert, *Et ipsa habet virum.* Et Psal. 59. Vulgata habet: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis,* Hebraice, *et vana salus hominis.* Similiter Isaiæ 64. ubi legitur: *Iratus es, quia peccavimus tibi,* legimus Hebraice, *Et peccavimus tibi.* Merito itaque jure Latinus Interpres hujus Hebraicæ consuetudinis peritus, animadvertens particulam *et* illo loco Genesis idem significare ac *enim,* vel *quia,* evidentioris sensus gratia particulam causalem *enim* scripsit. Unde ad S. Ambrosium *respondeo,* ipsum hæc scribere, non ex sua, sed ex Hebræorum sententia. *Adde quod* ultro concedamus, Melchisedech etiam post oblatum sacrificium forte protulisse panem et vinum Abrahæ, et ejus militibus ad celebrationem victoriæ; quæ etiam est sententia Philonis Judæi, lib. 1. *De Abrahamo,* ubi circa finem ita scribit de Melchisedech: *Magnus Pontifex redeuntem conspicatus, et attonitus tanti facinoris magnitudine, manus in cœlum tendens, fausta illi precatus est, et oblatis pro victoria sacrificiis, splendidum epulum sociis omnibus dedit.* Ubi vides, Melchisedech utrumque simul fecisse, et sacrificasse, et epulum dedisse.

Reponunt 3. Cum Calvino, supra n. 2. perperam functionem Sacerdotii Melchisedech trahi ad panem et vinum; quippe cum Apostolus eam ad benedictionem referat Hebr. 7, scribens: *Hunc, qui habebat repromissiones, benedixit; sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliori benedicitur.* — **Verum facile refelluntur:** *primo* quidem ex textu Hebraico; nam post hæc verba, *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi,* scribitur coma ante verba *benedixit ei;* quo datur intelligi tun-

ctionem Sacerdotii non referri ad sequentem benedictionem, sed solum ad præcedentem oblationem panis et vini; eademque est distinctio periodi in Græco et Latino textu. *Secundo,* benedictio præcise non competit solis Sacerdotibus, sed etiam aliquando id Laicis convenit; nam 2. *Reg.* cap. 6. *Rex David benedixit populo.* Et 3. *Regnum,* cap. 8. idem fecit Salomon: hi tamen non erant Sacerdotes.

Reponunt 4. Cum eodem Calvino *ibidem,* quod, si sacrificium Melchisedech fuisset figura sacrificii Christi, Apostolus, qui minima quæque excutit, rem adeo seriam et gravem non fuisset oblitus, et haud dubie meminisset convenientiæ utriusque sacrificii. — **Verum** duabus de causis dico, Apostolum illius expressam mentionem non fecisse. *Primo,* quia alloquebatur Hebræos, inter quos plurimi adhuc erant infideles, quibus fas esse non judicabat tantum prodere Mysterium. *Secunda,* quia non exigebat illius propositum. Scopus enim illius erat demonstrare dignitatem Legis Evangelicæ supra Mosaicam, quod probat triplici argumento: *primum* repetit ex parte eorum, per quos leges illæ fuerunt promulgatæ; nam lex vetus per Angelos, et Prophetas fuit præscripta; Evangelica autem per proprium Dei Filium: *secundum* repetit ex comparatione Legislatorum; nam legis veteris Legislator fuit Moyses fidelis in domo Dei famulus; Legis autem Evangelicæ Legislator est ipsemet Dei Filius: *tertium* deducit ex comparatione Pontificis unius legis cum Pontifice alterius, in quo excellit Christi Sacerdotium supra Sacerdotium veteris Legis: *primo,* quia cum Christus esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, major erat Sacerdotibus Aaronicis; siquidem Aaron in Abraham Patre suo benedictus fuerat a Melchisedech, et eis decimas obtulerat; ac subinde eum sibi superiorem agnoverat: *secundo,* quia longe nobiliori modo impleverat munia Pontificis, quam Sacerdotis Aaronici; quia ingressus est in Sancta non per sanguinem animalium, sed per proprium sanguinem; non in Tabernaculum manufactum, sed in cælum ipsum; non multoties, ut Aaronici Pontifices, qui singulis annis, sed semel unica Redemptione inventa. Consulto autem tacet de sacrificio Eucharistiæ, quia aperte satis colligebat dignitatem Pontificatus Christi ex sacrificio cruento; alias sermo de Eucharistia potuisset ingenerare scrupulos in mentibus Hebræorum, qui non ita facile intellexissent, quomodo sacrificium Eucharistiæ non iteretur, eadem ratione, qua Aaronicum, quomodo non mutetur, quomodo sit validissimum.

Confirmantur hæ omnes nostræ responsiones, et simul præcluduntur omnes elusiones hæreticorum auctoritate SS. Patrum, qui clare ac distincte pronuntiant, Melchisedech fuisse verum Sacerdotem, et panem ac vinum in sacrificium obtulisse; necnon et Christum Dominum idcirco Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech censeri, quod pariter sacrificium in pane et vino obtulerit. Occurrit enim imprimis S. Cyprianus, Epist. 63. ubi exponens hæc verba Psalmistæ: *Tu es Sacerdos in æternum,* etc. scribit: *Qui ordo venit, et descendit de sacrificio illo, quod Melchisedech fuit Sacerdos Dei summi, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit; quis enim magis Sacerdos, quam Dominus noster, qui sacrificium obtulit Deo Patri, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest, panem et vinum, suum scilicet Corpus et Sanguinem?* Quibus verbis nostram assertionem aperte

confirmat S. Cyprianus, dicens, idem fuisse sacrificium Christi, ac Melchisedech, quantum ad externa symbola panis et vini, non vero quoad rem sub symbolis latentem, scilicet Corpus et Sanguinem Christi. — Sancto Cypriano subscribit Ambrosius, lib. 5. *De Sacramentis*, cap. 1. ubi agit de pane et vino ad consecrandam Eucharistiam: *Cognovimus*, inquit, *horum Sacramentorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando sanctus Melchisedech obtulit sacrificium.* Et in cap. 5., Epist. ad Hebræos: *Hujus ordinem sacrificii Melchisedech justissimus Rex per similitudinem instituit, quando panis et vini fructus Domino obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron, non Melchisedech*, etc. Ubi vides, S. Ambrosium utroque loco usum verbo *obtulit*, non *protulit*, et cum relatione ad sacrificium, non ad solam refectionem corporalem. *Per ineffabilem, et arcanum sacrificii modum* (inquit Gregorius Nyssenus, Homil. 1. *De Resurrectione*) *sua dispositione et administratione præoccupavit impetum violentum, ac sese in oblationem, et victimam obtulit pro nobis Sacerdos simul et Agnus Dei..... cum suum Corpus ad edendum, et Sanguinem suum ad bibendum familiaribus præbuit.* — Similiter S. Hieronymus, Epist. 26. eodem modo rem explicat, ut Melchisedech fuerit Rex simul et Sacerdos, qui non carnis et sanguinis victimas immolaverit, nec brutorum sanguinem dextera susceperit, sed pane et vino simplici puroque sacrificio, Christi dedicaverit Sacramentum; additque, hanc fuisse doctrinam Hypoliti Martyris, Irenæi, Eusebii Emysseni, Apollinarii, Eustatii. Præterea idem S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in in Genes. ubi explicat hanc historiam Abrahæ, simul etiam profert locum Psalmi, *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, aitque nomine ordinis significari mysterium nostrum: *Non immolandis per Aaron irrationabilibus victimis, sed oblato pane et vino, idest*, inquit, *Corpore et Sanguine Domini.* Ubi adhuc S. Hieronymus utitur verbo *offerendi*, non *ferendi*, nec ignorabat textum Græcum, aut Hebraicum. Et in c. 26. S. Matthæi, ait, Christum accepisse panem et vinum, quomodo in præfiguratione ejus fecerat Melchisedech Sacerdos, summo Deo panem et vinum offerens. Et Ep. 17. *Melchisedech panem et vinum obtulit*, etc. ubi perpetuo vides verbum offerre, non proferre, et in sacrificium, non ad solam refectionem. — At omnium perspicuissime explicat S. Augustinus, lib. 1. *Contra adversarium legis*, c. 20. *Juravit Dominus, Tu es Sacerdos*, etc. *Noverunt*, ait, *qui legerunt, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham, et vident nunc talè sacrificium offerri Deo in toto orbe terrarum*, etc. Et lib. 17. *De Civit.*, c. 17. explicans hunc locum Psalmi: *Tu es Sacerdos: Nemo*, inquit, *ambigere potest, de quo ista dicantur, cum hodie nusquam sit Sacerdotium secundum ordinem Aaron, sed ubique offeratur sub Sacerdote Christo, ut, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abrahæ.* Et lib. 18. c. 35: *Hoc sacrificium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; sacrificium autem Judæorum cessasse, qui adhuc expectant alium Christum.* Addi potest Theophilactus in c. 8. ad Hæbræos, ubi ait: *Christus pane et vino sacrificium consecravit, sicut et Melchisedech.* Similiter Isidorus Pelusiota, Epist. 43. *Melchisedech*, inquit, *pane et vino sacrificans divinum Mysterium figurabat.* Constat

igitur ex communi SS. Patrum sententia Melchisedech revera fuisse sacerdotem, qui solitus erat panem et vinum Deo offerre in sacrificium, in quo Christi Domini incruentum sacrificium præfigurabat.

Probatur tertio Catholica assertio: in Ecclesia Catholica est verum Altare: igitur et verum sacrificium. *Consequentia patet*, quia Altare et sacrificium sunt relata; siquidem Altare est propter sacrificium, et sacrificium Altare supponit, in quo fieri debeat. *Antecedens probatur* ex illo ad Heb. 13. ubi Apostolus ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent qui Tabernaculo deserviunt.* Idest, qui adhuc in Judaismo perseverant, et nondum Christo nomen dederunt. — Idipsum testantur SS. Patres, præsertim S. Irenæus, lib. 4. c. 34., ubi ait: *Christus vult nos offerre munus ad Altare frequenter, et sine intermissione.* Et S. Cyprianus, q. 62. *Non merentur ad Altare Dei nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altar. et sacrificiis Sacerdotis avocare volunt.* Et S. Ambrosius, lib. *De eleemosyna, et jejunio: Venit jam dies Resurrectionis, baptizantur Electi, veniunt ad Altare, accipiunt Sacramenta*, etc. Et S. Augustinus, lib. 9. *Confessionum*, c. 13. loquens de B. Monica sua Matre piissima, ait: *Imminente die resolutionis suæ, non curavit corpus suum sumptuose contegi, aut aromatibus condiri; non ista mandavit, sed tantummodo memoriam sui ad Altare fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Et c. 12. *Preces fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut fieri solet.* Et lib. 20. *Contra Faustum*, cap. 18. *Volo*, inquit, *mihi dicatis, cur templum, ara, sacrificium in vera Religione prædicantur? Christiani peracti a Christo sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, et participatione Corporis et Sanguinis Christi.* Et c. 21. *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria; quis enim Antistitum in locis SS. Corporum assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad accendendam charitatem, et in illos, quos imitari possumus, et in illum, quo juvante possumus.*

Objiciunt hæretici 1. Minutium Felicem, qui in Octavio inducit Cæcilium arguentem Christianos, quod nulla templa, nulla Altaria haberent; et Clementem Alexandrinum, lib. 1. *Stromatum*, scribentem, nos Deo sacrificia non offerre, et S. Augustinum, *Oratione Contra Judæos*, cap. 6. et 7. dicentem, nos hodie non habere, nisi sacrificium laudis: igitur eorum tempore nullum erat sacrificium apud Christianos, nullumque Altare. — **Nego consequentiam,** *et ad primum* dico, Cæcilium loqui de Altari noto et publico, qualia erant templa et Altaria Gentilium: *Cur*, inquit, *nulla habeant templa, nulla tota simulacra*, etc. Tunc temporis enim fideles agebant cœtus et sacra Mysteria in locis abditis, propter sævientem in eos persecutionem. *Ad secundum* dico, Clementem Alexandrinum agere de sacrificiis, quibus pagani deos suos venerabantur; hi autem sacrificia offerebant, quas Deus, quem colebant, illis indigeret, vel quasi sacrificii voluptate

caperetur, vel denique quasi intuitu sacrificiorum, non autem conscientiæ puræ et immaculatæ, ad benefaciendum alliceretur: quo tantum sensu negat Clemens, sacrificia nos offerre Deo: *primo*, quia ait Deum nullius indigere: *secundo*, quia ait fumum victimarum vix ad crassissimas usque nubes pervenire: *tertio*, neque sacrificiis, neque donariis, neque gloria et honore Deus invocatur, neque aliis hujusmodi allicitur, sed solis veris bonis et honestis apparet. Sanctus autem Augustinus opponit sacrificium laudis sacrificiis vitulorum et hircorum, cum interpretatur hæc Psalmistæ verba: *Non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo Sacrificium laudis.* Sacrificium vero crucis appellat eo sensu sacrificium laudis; nam cap. 1. sic habet: *Ipse igitur Sacerdos, et victimam immolavit Sacrificium laudis.*

Confirmatur hæc tertia probatio auctoritate Apostoli ejusdem 1. ad Cor. 10., ubi cum mentionem fecisset participationis Eucharistiæ his verbis: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est, et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* ut fideles revocet et deterreat ab esu eorum, quæ idolis immolabantur, statim subjungit: *Vide Israël secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Quid ergo? Quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo; nolo autem vos fieri socios dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Ex quibus argumentor: Apostolus per antithesim comparat mensam Domini, quæ est apud fideles in Ecclesia, cum mensa dæmoniorum; ita quod quemadmodum Judæi sunt participes Altaris, et Gentiles mensæ dæmoniorum, sic fideles fiunt participes mensæ Domini: sed fideles non essent eodem modo participes mensæ Domini, quo Judæi Altaris, et Gentiles mensæ dæmoniorum, si non essent participes alicujus victimæ in altari per sacrificium immolatæ: igitur revera censet Apostolus, in Ecclesia Dei Eucharistiam esse verum sacrificium super Altare incruente oblatum.

Missas facio alias hujusmodi probationes, necnon plurimas SS. Patrum auctoritates, quibus Bellarminus, Perronius, et alii gravissimi Auctores, quotquot adversus hæreticos hujus temporis acerrime disputaverunt, hoc Catholicum dogma efficacissime propugnarunt. Unicum laudo S. Augustinum, qui hanc veritatem manifestissime declarat pluribi, maxime vero lib. 10. *De Civitate Dei*, cap. 20. ubi ait: *Christus, et Sacerdos est, et oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium. Cujus signa erant Sacrificia prisca Sanctorum; huic summo, veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Et idem, lib. 22. cap. 8. *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zebedi appellatum. Ubi cum afflictione animalium, et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros (me absente) Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; et Deo protinus miserante cessavit.*

His etiam suffragatur ratio Theologica: quia nulla fuit unquam

lex aut religio vera vel falsa sine sacrificio: igitur in Lege Evangelica, quæ vera est, debuit etiam esse verum sacrificium. *Major constat* ex omnibus historiis sacris aut profanis, quæ quoties mentionem faciunt conditæ legis et religionis, etiam meminerunt instituti sacrificii; nam, ut præclare inquit S. Augustinus, lib. 19. *Contra Faustum: In nullum nomen Religionis, sive verum sive falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo Sacrificiorum et Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Consequentia etiam patet; nulla est enim ratio, ob quam Christiana Religio careat potius Sacrificio vero ac sibi proprio, quo publice Deum colat, quam Religio Legis Naturæ vel Mosaicæ.

Objiciunt hæretici disparitatem inter novam Legem et cæteras, quod in nova Lege vigeat sacrificium crucis habens virtutem infinitam, et semper manentem, ac subinde frustraneum omnino est quodlibet aliud sacrificium; unde Apostolus Hebr. 10. *De Christo,* ait: una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos; quod etiam ipsemet Christus significavit, cum dixit, jam pene animam exhalans: *Consummatum est,* ut nempe denotaret se complevisse per sacrificium crucis omnia, quæ ad nostram salutem erant necessaria, et consequenter superfluum esse quodlibet aliud Sacrificium. — **Verum respondeo,** hoc hæreticis familiare effugium facile præcludi; Christus enim in cruce nedum satisfecit pro peccatis hominum in nova Lege existentium, sed etiam pro peccatis eorum, qui vivebant tempore Legis naturæ et Mosaicæ: ergo cum, non obstante merito sacrificii crucis, vera fuerint sacrificia in illa utraque lege, pari ratione potest esse verum sacrificium in Lege Evangelica; non enim minorem virtutem habuit sacrificium crucis erga illos homines, quam erga Christianos. *Nec obstat,* quod sacrificium crucis habeat vim infinitam et sempermanentem ad sanctificandum; quia licet Christus in cruce perfecte quoad sufficientiam pro nobis satisfecerit, tamen quoad efficaciam requiritur, quod satisfactio nobis applicetur per Sacramenta, et Missæ sacrificium, quæ sunt media, quibus meritum Passionis in nos effluit, ut præclare docet S. Cæsarius Arelatensis, Homil. 7. *De Paschate,* ubi ait: *Quia Corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, et sideribus oblaturus, necessarium erat, ut nobis in hoc die Sacramentum Corporis et Sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per Mysterium, quod semel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana, et indefessa currebat pro salute hominum Redemptio, perpetua etiam esset Redemptionis oblatio, et perennis victima viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia,* etc. Nec pariter obstat, quod Christus dixerit, *Consummatum est;* hæc enim ab illo dicta sunt, tum ut significaret consummata esse de eo Prophetarum vaticinia, tum ab eo plenissime satisfactum esse pro Redemptione hominum, necnon mandato paterno de morte subeunda pro resarciendo divino honore et jure per hominum prævaricationem pessundato.

Objiciunt 2. Ubi non sunt Sacerdotes, ibi non debet esse sacrificium: sed in nova Lege non sunt Sacerdotes: ergo nec sacrificium. *Major constat ex dictis. Minor vero probatur* ex Apostolo ad Hebr. 7. ubi cum dixisset, Aaronicos Sacerdotes fuisse plures, idcirco, *quod morte prohiberentur permanere,* statim subjunxit: *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde et servare*

in perpetuum potest accedentes ad ipsum, semper vivens ad interpellandum pro nobis; talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populis: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. — **Nego minorem**, et ad Apostolum dico, Christum vocari unum Sacerdotem, sicut in Evangelio seipsum appellat unum Magistrum, Matth. 23. *Unus est Magister vester Christus;* et unum Pastorem, Joan. 11. *Fiet unum ovile, et unus Pastor:* quia videlicet ipse est, qui per Vicarios, Doctores, et Pastores docet, et pascit; unde non habet Sacerdotes sibi succedentes in eadem potestate et auctoritate, sicut habebant Sacerdotes Aaronici, licet habeat Sacerdotes Vicarios, per quos seipsum incruente offerat. Hinc tantum abest, ut illud Apostoli oraculum nobis adversetur, quin imo suffragatur plurimum; cum enim sit Sacerdos in æternum, idest, usque ad mundi consummationem, et sempiternum habeat Sacerdotium, quod utique otiosum esse non debet, nec tamen illud per se exerceat, necessum fuit, quod haberet Vicarios Sacerdotes, per quos sacrificaret, sicut habet Vicarios Pastores, et Magistros, per quos ovibus, et Discipulis suis, de congruis pascuis et doctrinis providet.

Objiciunt 3. Quod est Sacramentum et Testamentum, non potest esse sacrificium proprie dictum: sed Eucharistia est Sacramentum simul et Testamentum: igitur non est sacrificium. *Minor constat. Major probatur:* rationes Testamenti et Sacramenti pugnant cum ratione Sacrificii; siquidem per Sacramentum Deus nobis aliquid tribuit, et largitur, nempe gratiam sanctificantem; per sacrificium autem nos offerimus Deo, et ipsi victimam immolamus. Similiter Testamentum est promissio hæreditatis accipiendæ ab hærede, cui delegatur, tamquam ea indigenti; sacrificium autem est oblatio victimæ in honorem Dei, et testificationem sui supremi dominii, suæque plenitudinis: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: quod est Sacramentum et Testamentum non potest esse sacrificium secundum eamdem rationem, *concedo:* secundum diversam, *nego.* Et *concessa minore, similiter distinguo consequens;* quemadmodum enim Agnus Paschalis in Lege veteri simul erat Sacramentum, et Sacrificium; Sacramentum quidem, quatenus erat signum visibile invisibilis gratiæ; Sacrificium autem, in quantum immolabatur Deo; sic Eucharistia, quatenus nobis confert gratiam sanctificantem, habet rationem Sacramenti; quatenus vero offertur Deo in illius honorem, et obtestationem illius supremi dominii in mortem et vitam hominum, habet rationem Sacrificii. Similiter nil repugnat, quod eadem res sit Testamentum, et Sacrificium, et impendatur simul in honorem et utilitatem testatoris et hæredis; nam testator potest ea conditione hæreditatem legare, ut hæres illius partem impendat, vel in extruendo mausoleo, vel curando ut singulis annis Sacra fiant in ipsius testatoris requiem. *Adde quod,* ipsemet hæres legatæ sibi hæreditatis compos possit illam in sui testatoris honorem et utilitatem impendere. Quidni igitur Christus Dominus Eucharistiæ Sacramentum nobis tamquam hæreditatem delegans facultatem fecerit ipsum usurpandi in nostram utilitatem, ut est res sacra, et eam offerendi *in Dei* honorem, quatenus Sacrificium?

Objiciunt 4. Non aliter nunc conficitur Eucharistia, quam eam primo Christus confecerit: sed Christus non confecit Eucharistiam per modum sacrificii: igitur nec sic modo confici potest. *Major constat. Minor probatur;* si enim Christus Eucharistiam conficiendo seipsum obtulisset in sacrificio, cum hoc fuisset valoris infiniti, superfluum fuisset sacrificium crucis. — **Nego minorem**; nam (ut diximus) cum Christus Dominus fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum in sacrificium offerebat, consequens est, quod Eucharistiam in pane et vino conficiendo, etiam verum sacrificium præfiguratum a Sacrificio Melchisedech obtulerit: Sacerdotium enim correlative se habet ad sacrificium proprie dictum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* — *Insuper:* ex verbis institutionis Eucharistiæ aperte colligitur, quod Christus eam instituendo verum sacrificium obtulerit; nam Lucæ 22. legimus: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur:* ubi *dátur*, utpote verbum præsentis temporis significat in ultima Cœna Christi Domini Corpus jam in verum sacrificium fuisse oblatum. — *Nec obstat,* quod apud eumdem Evangelistam de calice legamus: *Hic est calix novum Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis fundetur;* nam in Græcis exemplaribus legitur in præsenti *funditur.* Et insuper relativum, *qui,* non refertur ad Sanguinem, sed ad calicem, ut constat ex textu Græco: Sanguis autem Christi in sacrificio cruento crucis non est effusus per calicem: igitur illa effusio Sanguinis pro hominum salute, de qua ibi fit mentio, non potest proprie intelligi de sola effusione cruenta in cruce, sed etiam de incruenta, quæ fiebat in institutione Eucharistiæ. — *His adde,* quod hæc Eucharistiæ institutio habeat omnes conditiones ad verum sacrificium desiderandas; ibi enim reperitur *oblatio sensibilis,* scilicet Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini in honorem Dei facta; nam, inquit S. Augustinus, lib. 4. *De Trinit.,* cap. 15. *Quid tam grate offerri, et suscipi posset, quam Caro Sacrificii nostri, Corpus effecta Sacerdotis nostri?* Fuit etiam sufficiens *hostiæ immutatio,* non quidem per mortem veram et realem Christi, sed per consumptionem specierum, cujus ratione Christi Corpus amisit esse sacramentale. Fuit denique *legitimus Minister* et Sacerdos, qui sacrificium obtulit super mensam, quæ gerebat vicem Altaris, idque in Dei honorem, et obtestationem illius supremi in homines dominii; quapropter hanc oblationem facturus, oculos in cælum elevavit, et Deo gratias egit.

Objiciunt denique: Victima, quæ in vero et proprie dicto sacrificio offertur, debet occidi: sed Christus, qui offertur in Missa, non occiditur, nec moritur: igitur Missa non est verum ac proprie dictum sacrificium. — **Respondeo majorem** esse veram de sacrificio cruento, quale fuit sacrificium crucis; non vero de sacrificio incruento, quale fuit sacrificium Melchisedech, quale pariter est sacrificium Missæ. *Secundo* dico, Christum in Eucharistiæ Sacramento mystice ac moraliter occidi: *tum* quia constituitur in Eucharistia modo veluti mortuo; siquidem ibi nullam habet functionem et operationem sensuum exteriorum; hinc de Christo in Eucharistia existente dici potest, quod de eodem testatur S. Joann. Apocalyp. 5. *Vidi agnum stantem tamquam occisum;* stat

equidem divinus ille Agnus in Eucharistia, quia vivit vita immortali et omnino beata; ibi tamen est, tamquam occisus, quia scilicet nullos exerit exteriores et sensibiles vitæ actus. *Tum* quia sacrificium Missæ est repræsentativum sacrificii crucis, siquidem in eo recolitur memoria Passionis, et, ut inquit Catechismus Romanus, *De Eucharistia*, c. 81. *Unum, et idem Sacrificium fatemur, et haberi debet, quod in Missa peragitur, et quod in cruce oblatum est, quemadmodum una est, et eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit, neque enim cruenta et incruenta hostia duæ sunt hostiæ, sed una tantum.* Unde Sanguis Christi ex vi verborum ponitur separatim a corpore, fitque in hoc incruento Missæ sacrificio mystica effusio sanguinis *per gladium verborum*, inquit S. Cyrillus. Hinc S. Gaudentius, Tract. 2. in Exodum, Eucharistiam appellat *exemplar passionis Christi*. Quapropter etiam Lucæ 22. jussit Dominus Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem;* nam, inquit Apostolus jam pluries a nobis laudatus, *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

* " Instabis: Nullum est sacrificium proprie dictum sine sanguinis effusione, nam sacrificium continet Testamentum, quod quidem non est absque sanguinis effusione; *Ubi enim*, inquit Apost. ad Hebr. 9, *testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris:* atqui, etc. — **Respondeo** ad 1. *nego majorem:* ratio est quia in antiquo Testamento sacrificia fera erant vera sacrificia; unde cruento tantum, non autem incruento sacrificio, ut est Eucharistia, essentiale est ut sanguis effundatur. — Ad 2. *distinguo antecedens:* Testamentum in sui institutione non est absque effusione sanguinis, *concedo antecedens:* in sui commemoratione, *nego antecedens*. Eucharistia supponit novum Testamentum jam institutum, estque illius tum commemoratio, tum applicatio: commemoratio quidem per mysticam hostiæ mortem, exhibetur nimirum Christi mors in ipsa panis et vini consecratione, per eam enim Corpus et Sanguis mystice separantur, cum *vi verborum* solum corpus sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini constituantur. Unde merito hæc ait Chrysostomus, Homil. 14. ad populum Antiochenum: *Quid agis, o homo, juras super sacram mensam, ubi et Christus occisus jacet?* Eucharistia est etiam applicatio cruenti sacrificii, nempe per Christi realiter præsentis oblationem, merita mortis quam passus est in cruce, nobis applicantur. " *

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALE SIT, ET IN QUO FORMALITER CONSISTAT MISSÆ SACRIFICIUM.

Notandum 1. Multiplex esse sacrificiorum genus, ut constat ex lib. *Levitici*, quæ universim dividuntur vel ratione materiæ, idest, rei oblatæ, vel ratione finis. *Ratione materiæ* sacrificium dividitur in victimas, immolationes, et libamenta. *Victimæ* erant ex animantibus, videlicet ovibus, caprís, bobus, columbis, passeribus, et turturibus. *Immolationes* ex rebus inanimis, sed solidis, ut farina, pane, sale,

thure. *Libamenta* vero ex rebus liquidis, ut vino et aqua. — *Ratione vero finis* triplex est, nempe latreuticum, pacificum, et propitiatorium. *Primum* offerebatur Deo ad testandum ipsius Majestatis honorem, et supremum in universa imperium; idcirco victima tota in eo comburebatur, ideoque dicebatur *holocaustum*, quasi totum incensum, et consumptum, ut significaretur, quod quemadmodum totum animal solvebatur in vaporem, et sursum ascendebat, ita etiam totus homo sacrificium offerens, et omnia quæ ipsius erant, Dei potestati et dominio esse subjecta. *Pacificum* illud erat, cujus finis præter cultum Dei, est gratiarum actio pro beneficiis divinitus acceptis, vel accipiendis. Unde pacificum duplex erat, nempe *eucharisticum*, quod offerebatur ad gratias agendas pro beneficiis divinitus acceptis, et animi gratitudinem declarandam; et *impetratorium*, quod pro accipiendo beneficio offerebatur. In hoc autem sacrificio pacifico victima dividebatur in tres partes, quarum prima incendebatur in honorem Dei, secunda cedebat in usum, et victum Sacerdotum; tertia præbebatur ei, qui victimam offerebat, ut significaretur, quod salus hominis procedit a Deo mediantibus Ministris, et cooperantibus ipsis, qui salvari cupiunt. *Propitiatorium* vero illud erat, cujus finis, præter cultum Dei, erat placare Deum offensum, et peccati veniam obtinere. Illudque pro varietate peccatorum et personarum varium erat, et multiplex; quippe aliud offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis; et similiter aliud offerebatur pro peccato summi Sacerdotis, aliud pro peccato Regis, vel Magistratus, aliud pro peccato totius populi, et aliud pro privatorum hominum peccato. In hoc autem sacrificio victima dividebatur in duas partes, quarum una comburebatur, altera vero cedebat in usum Sacerdotum, ut significaretur, quod expiatio peccati sit a Deo per ministerium Sacerdotum; nisi quando sacrificium offerebatur pro peccato Sacerdotis, vel totius populi; tunc enim tota victima incendebatur; quia conveniens non erat, ut Sacerdotes, participarent illi Sacrificio, quod tam pro eorum, quam pro totius populi peccatis ad satisfaciendum Deo offerebatur. Quæritur autem, utrum Eucharistiæ sacrificium horum omnium Sacrificiorum rationem in se contineat et complectatur.

Notandum 2. Quod etsi sacrificiorum legis tam naturæ, quam scriptæ varii fuerint fines immediati, tamen, inquit Arcudius, lib. 3. *De Sacramentis*, cap. 7., unus eorum omnium finis mediatus erat repræsentatio sacrificii Christi, qui idcirco dicitur Apocalypsis 13. *Agnus occisus ab origine mundi;* quia videlicet omnia a mundo condito oblata sacrificia eum figurabant ac repræsentabant. Hinc, quoniam dupliciter reipsa immolatus est Christus, non sine mysterio antiqua sacrificia partim cruente, partim incruente offerebantur. In lege naturæ Melchisedech incruente panem et vinum obtulit et sacrificavit. At vero Abraham, cæterique Patriarchæ cruente animalia immolarunt. In lege scripta animalia immolabantur, ac fructus terræ, aut alia ex illis confecta, nulla sanguinis effusione interveniente, quæ nulla fieri poterat, offerebantur. — His igitur omnibus sacrificiis, et pro omnibus cum personis, tum peccatis, in lege gratiæ unum ab illis figuratum successit in cruce cruentum, incruentum in Altari, ut hac ratione sit Christus Dominus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, pa-

nem et vinum offerens, sacratissimum, inquam, Corpus suum et Sanguinem. Hæc optime declarat S. Leo, Serm. 8. *De Passione Domini: Nunc*, inquit, *carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis et Sanguinis implet oblatio.* Et Sanctus Joannes Chrysostomus, in Psal. 95. *Lex in veteri Testamento multas habebat hostias, hanc quidem pro peccatis, illam vero dictam holocautoma, aliam vocatam laudis, aliam salutaris, permultasque alias, et varias pro his, qui innumeris piaculis recensebantur. Omnino magnus erat, et sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia nova superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam et veram statuens hostiam.* Sanctus quoque August., qu. 57 in Leviticum: *In multis*, inquit, *Sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum Sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum.*

Notandum 3. Eucharistiæ sacrificium concipi posse habere vim aliquid efficiendi et impetrandi ex quadruplici capite: *primo* quidem, quatenus est opus bonum, et attenditur ex parte operantis, sive Sacerdotis offerentis; cum enim sit actus virtutis Religionis, eosdem plane effectus habere potest, quos habent cæteræ virtutis actiones, et iisdem omnino modis, nempe *vel* per modum meriti, de condigno, aut de congruo, *vel* per modum impetrationis; siquidem homo justus per quoslibet virtutum actus mereri potest augmentum gratiæ et gloriæ, et satisfacere Deo pro pœnis prioribus suis peccatis debitis, necnon et bona temporalia et spiritualia promereri; maxime quando hunc virtutis actum in eos fines elicit et refert. *Secundo*, hoc sacrificium potest concipi habere vim aliquam operandi ex parte dignitatis et excellentiæ rei oblatæ; quo enim res majoris perfectionis et pretii Deo offertur, eo movetur efficacius ad largiendam suam gratiam, et conferenda beneficia homini offerenti; sicut enim preces, ita etiam munera solent habere vim impetrandi. *Tertio*, potest sacrificium concipi habere vim impetrandi, quia offertur nomine Ecclesiæ, quæ cum sit Christi Domini Sponsa, non habens maculam neque rugam, ac subinde Deo semper accepta, inde fit, quod ejus preces et munera Deo semper grata sint; etiamsi per manus peccatoris offerantur. *Quarto* tandem concipi potest Eucharistiæ sacrificium habere vim, et efficacitatem aliquid efficiendi et impetrandi ex parte Christi instituentis et offerentis, quatenus videlicet Christus hoc sacrificium instituendo, ipsi externo actui sacrificii annexa voluit esse sua merita, ad certum effectum conferendum ei, pro quo offertur, dummodo ipse non ponat obicem; idque independenter a devotione vel indevotione immediate offerentis; qui utique modus agendi dicitur *ex opere operato*, quia effectus infallibiliter sequitur ex positione externi operis in subjecto non ponente obicem. Vel concipi potest eam efficacitatem habere ratione dignitatis et excellentiæ ipsius Christi Domini, quatenus videlicet, cum ipse sit primarius offerens, sacrificium ab eo oblatum maximam habet dignitatem, ratione cujus mereatur rem petitam a Deo impetrare.

Quibus ita præmissis, tria hic supersunt determinanda: *primum*, utrum Missæ Sacrificium in se complectatur tria sacrificiorum genera: *secundum*, quomodo possit esse propitiatorium et satisfactorium pro *peccatis* tam mortalibus, quam venialibus: *tertium*, utrum omnes suos *effectus operetur ex opere operato.*

Conclusio prima. — MISSÆ SACRIFICIUM NON SOLUM EST LATREUTICUM ET EUCHARISTICUM, SED ETIAM IMPETRATIVUM ET PROPITIATORIUM PRO PECCATIS. Ita Concilium Trident., Sess. 22. *De Sacrificio Missæ*, c. 2. et Can. 3., his verbis: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, vel gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Quod autem sit Latreuticum, aperte constat, utpote cum offeratur Deo in signum et obtestationem supremi sui dominii, non solum in vitam et necem aliorum hominum, sed etiam ipsius Christi Domini unigeniti sui Filii. Unde plus honoris et gloriæ Deo accedit ex celebratione unius Missæ, quam accederet, non solum ex omnibus operibus quamtumvis perfectis et meritoriis, sed etiam ex oblatione et sacrificio omnium omnino creaturarum, si omnes in Dei gloriam et honorem immolarentur, et in nihilum abirent; cum enim Christus Dominus longe plures ac præcelléntiores perfectiones et dotes complectatur, utpote cum sit Deus homo, quam omnes puræ creaturæ; etiam longe major accedit Deo honor ex illius oblatione, quam ex immolatione omnium creaturarum.

Quod pariter sit Eucharisticum, et valeat ad rependendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, sufficienter constat ex ejus nomine; vocatur enim *sacrificium Eucharistiæ; Quia*, inquit S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Littera, in ipso verissimo, et singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.* Quod etiam mente præsaga futurorum significaverat Vates Regius, Psal. 115., his verbis: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*

Similiter est impetratorium, non solum beneficiorum spiritualium, sed etiam temporalium; quod utique significat Apostolus 1. ad Timoth. 2., cum ait: *Obsecro omnino fieri orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam et quietam vitam agamus.* Quem utique textum S. Ambrosius, lib. 5. *De Sacramentis*, et S. Augustinus, Epist. 69. explicant de sacrificio Missæ. Eadem veritas constat ex communi et perpetua Ecclesiæ doctrina, quam tradit Tertullianus, cum ait lib. *Ad Scapulam*, cap. 2. *Sacrificamus*, inquit, *et pro salute Imperatoris, sed Deo nostro.* Et Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 5. ubi scribit: *Obsecramus Deo pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, et afflictis, et in summa pro omnibus, qui egent auxilio, hoc sacrificium offerimus.* Idem testatur Eusebius, lib. 4. *De vita Constantini*, cap. 45. et Chrysostomus, Homil. 21. in Acta Apostolorum, et Augustinus, lib. 22. *De Civitate*, cap. 8. supra a nobis memoratus, ubi narrat quomodo per oblationem sacrificii Corporis Christi cessaverit dæmonis vexatio in domo Tribunitii.

Suffragatur pariter ratio; cum enim, ut jam diximus in 2. Notabili, Eucharistiæ sacrificium successerit omnibus sacrificiis Legis Naturæ et Mosaicæ, et eorum omnium virtutem in se contineat, quod etiam protestatur Ecclesia in oratione secreta post septimam Do-

miñicam Pentecostēs, his verbis: *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti*, etc., consequens est, quod, cum antiquitus essent sacrificia pro impetrandis bonis temporalibus et spiritualibus, etiam et Eucharistiæ Sacramentum hanc virtutem et efficacitatem eminenter in sē contineat.

Tandem hoc sacrificium revera propitiatorium est ad remissionem peccatorum mortalium et venialium. Ita Trident., Sess. 22. cap. 2., his verbis: *Docet sancta Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum motu et reverentia contriti, et pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus oblatione placatus Dominus gratiam et donum Pœnitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittit.*

Eadem veritas colligitur ex verbis institutionis; nam Christus significat, se tradere Corpus et Sanguinem sūum *in remissionem peccatorum*, ut dixīmus Quæst. præcedenti. Indicat etiam Paulus ad Hebr. 5., dicens: *Omnis Pontifex constituitūr, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Igitur cum in nova Lege sint veri Sacerdotes, et verum sacrificium, debent illud offerre tamquam propitiatorium pro peccātis.

Huic veritati suffragatur etiam auctoritas SS. Patrum, maxime vero S. Cypriani, vel alterius Auctoris Serm. *De Cœna Dom.* ubi *Eucharistiam* vocat *holocaustum ad purgandas iniquitates, et infirmitates sanandas*, S. Cyrilli Hierosolymit., Catechesi 5. mystagogica: *Postquam confectum est spiritale illud Sacrificium, et cultus ille incruentus, obsecramus Deum super ipsa propitiationis hostia pro communi pace Ecclesiarum.* Et paulo post: *Offerimus Christum pro nobis mactatum, ut Deum nobis et defunctis propitium reddamus.* S. Chrysostomi, Homil. 3. *De incomparabili natura Dei*, versus finem, ait: *Quod sicut homines ramos olearum gerentes movere Reges consueverunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant et humanitatem, sic Angeli tunc* (dum Missæ sacrificium celebratur) *pro ramis oleaginis Corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obiens, animam in cruce efflare: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es Sanguinem: pro his oramus, pro quibus Corpus immolasti.* Tandem sic concludit: *His itaque magis magisque animadversis, fratres charissimi, omnes tempore illo in Ecclesiam properemus, ut Dominum ad misericordiam invitemus, et tempestivi adjumenti gratiam comparemus.* Subscribit S. Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Titum, ubi ait: *Quotidie Episcopus pro suis populique peccatis illibatas Deo offert victimas.* Et S. Augustinus, q. 57. in Levitic. *Vetera Sacrificia*, inquit, *unum hoc nostrum Eucharistiæ Sacrificium figurarunt, in quo fit vera remissio peccatorum.*

Suffragatur etiam ratio; siquidem in Lege naturæ, et Mosayca fuerunt aliqua sacrificia pro peccatis eluendis, ac subinde multo magis debent esse in Lege gratiæ, quæ eis longe excellentior est: sed in lege gratiæ nullum aliud est sacrificium præter Eucharistiam, per quod Christi merita et satisfactiones applicantur et communicantur: igitur illud debet esse remissivum peccati.

Objicit Calvinus: Sacrificium Missæ non potest affirmari esse

propitiatorium pro peccatis, quin fiat injuria merito Passionis Christi, nam, inquit, cap. 8. n. 3. *Si Christus in cruce semetipsum in sacrificium obtulit, quo nos in perpetuum sanctificaret, et æternam redemptionem nobis acquireret, haud dubie vis atque efficacia ejus sacrificii nullo fine præstat; quare aut Christi sacrificio, quod in cruce implevit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit, aut uno semel sacrificio Christum in omnia sæcula defunctum esse.* — **Nego antecedens**: quemadmodum enim sacrificia Legis naturæ, aut Mosaycæ, quæ expiatoria erant, et ordinata ad placandum Deum, non evacuabant meritum crucis, imo illius gloriam et efficacitatem mirum in modum commendabant, utpote cum essent ipsius figuræ, omnemque vim suam ab illo mutuarentur; ita nec Eucharistia derogat efficacitati Passionis Christi: imo illam plurimum commendat, quippe cum nedum sit illius typus et repræsentatio, sed etiam ejus fructus et meriti applicatio, ratione cujus solum vim habet remittendi peccata. Non enim ea ratione diximus Eucharistiam esse sacrificium propitiatorium quasi per illud quotidie redimeremur, ita quod mors Christi non fuisset sufficiens ad nostram redemptionem, et defuisset aliquis effectus internus, qui per Eucharistiæ sacrificium debuisset impleri; hoc enim falsissimum est; nam, inquit Apostolus ad Hebr. 8. *Christus per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Et cap. 10. *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Sed solum asserimus Eucharistiam esse sacrificium in ratione medii, et applicationis quoad effectum; ut nempe summa Passionis Christi virtus per illud in nos derivetur.

Urget Calvinus: Idcirco Apostolus infert, sacrificia veteris Legis fuisse imperfecta, nec potuisse mundare conscientias, quia sæpius illa iterare necessum erat. *Alioqui*, ait cap. 6, *cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati*; unde subdit: *Ubi autem horum remissio jam non est oblatio pro peccato.* Ex quibus inferre licet, vel quod Christi Domini Passio non fuerit sufficiens ad mundandam conscientiam, si ad hujusmodi mundationem iterum conferat Missæ sacrificium, vel saltem quod Missa sit sacrificium imperfectum, quippe cum sæpius iteretur sicut Sacrificia veteris Legis. — **Respondeo**, sensum Apostoli esse, quod Sacrificia veteris Legis non fuissent equidem repetita, si habuissent vim mundandi a peccatis, quia semel mundati iterato Sacrificio opus non habuissent ad illam munditiem sibi conciliandam; unde ex præcepto legis iterabatur Sacrificium, sive homo relapsus fuisset in peccatum, sive non. Hac autem ratione Sacrificium crucis non potest censeri imperfectum, quippe cum supremam habeat vim sanctificandi homines, quibus illius meritum applicatur; unde, ut mox diximus, non iteratur illud Sacrificium crucis per Sacrificium Missæ, sed tantum illius virtus et meritum applicatur; quæ utique repetita applicatio non derogat illius efficacitati; alioquin non liceret etiam repetere sumptionem Eucharistiæ, per quam ipsemet Calvinus ibidem fatetur Christi Passionis virtutem ubertim in nos exundare. Nec officit, quod repetatur sæpius Missæ Sacrificium; nam indicium non est, quod illud sit imperfectum: *tum* quia non tantum repetitur, ut propitiatorium est, sed etiam ut Latreuticum, Impetratorium, et Eucharisticum: *tum* quia quando re-

petitur ut propitiatorium, non repetitur propter peccata de novo commissa.

URGET ITERUM: Apostolus ibidem ait: *Sine Sanguinis effusione non fit remissio:* sed in Missa non fit Sanguinis effusio: ergo nec peccati remissio. — **Respondeo**, sensum Apostoli verum esse de Sacrificiis veteris Legis, quæ ut plurimum erant cruenta, quando offerebantur pro peccatis, ait enim: *Omnia pene in Sanguine mundantur secundum Legem, et sine Sanguine non fit remissio.* Nota *secundum legem. Adde quod* in Eucharistiæ sacrificio fiat etiam sanguinis effusio, eo sensu, quod Christus in cruce fundens Sanguinem suum, virtute illius effusionis nobis impetravit remissionem peccatorum: quæ remissio nobis applicatur per Sacrificium Missæ. Et insuper fit quædam sanguinis effusio mystica, quia vi verborum sanguis ponitur præcise, et seorsim a Corpore, sub speciebus vini, et revera seorsim ab illo existeret, nisi Christus ratione suæ immortalitatis expers esset doloris et mortis.

Conclusio secunda. — MISSÆ SACRIFICIUM NON PRODUCIT GRATIAM SANCTIFICANTEM, NEQUE REMITTIT PECCATA IMMEDIATE. Hæc est communior apud Theologos, et

Colligitur ex Concilio Trid., Sess. 22. cap. 2, ubi ait: *Sacrificium Missæ vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus. in auxilio opportuno.* Quibus significat, idcirco Missæ Sacrificium esse propitiatorium, quoniam per ipsum accipimus dona, sive actualia gratiæ auxilia, quibus disponimur ad veram pœnitentiam remissivam peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantis. Hanc autem esse genuinam Concilii mentem, colligere licet ex verbis sequentibus, ait enim: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum Pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit* utique per contritionem charitate perfectam, aut per Attritionem cum Sacramento; non autem proxime et immediate merito et virtute hujus sacrificii.

Suffragatur etiam ratio a priori ex differentia, quæ est inter Sacramentum, et Sacrificium, nempe quod *Sacrificium* immediate refertur ad cultum et honorem Dei; secundario autem ac veluti per redundantiam in nostram cedat utilitatem; *Sacramentum* vero primario institutum est ad nostram sanctificationem; unde congruum est, quod Sacramentum gratiam, et peccati remissionem immediate conferat; Sacrificium vero dumtaxat mediate, quatenus videlicet Deum placando conciliat ejus misericordiam, ac eum movet ad conferenda auxilia necessaria ei homini, pro quo offertur, quibus excitetur et juvetur ad agendam pœnitentiam, qua mediante reconcilietur Deo, et peccatorum remissionem obtineat.

Adde quod, nullibi legitur virtutis promissio facta Sacrificio, certo et infallibiliter remittendi peccata, sicut hæc virtutis promissio facta est Baptismo et Pœnitentiæ Sacramento; quin potius contrarium significat Concilium Trid., nam Sess. 14. cap. 4. docet, quod *Attritio sine Pœnitentiæ Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorum nequeat;* perduceret autem, si Sacrificium immediate peccata mortalia remitteret, adeoque primam gratiam conferret.

Probatur etiam a posteriori ex plurimis inconvenientiis, quæ ex opposita sententia emergerent. *Primo* namque sequeretur, quod Sacerdos celebrans in peccato mortali cum sola Attritione posset justificari; quia per attritionem removeret obicem suscipiendæ gratiæ sanctificantis per sacrificium producendæ: falsum autem est, ut mox diximus, quod quis cum sola attritione extra Sacramentum Pœnitentiæ possit justificari. — *Secundo*, sequeretur, quod unicum sacrificium posset justificare omnes attritos etiam dormientes, et gravissimos alioqui peccatores, pro quibus hoc Sacrificium offerretur, quamvis nullam actualem dispositionem haberent: sed hoc est absurdum; alioquin majorem virtutem haberet, quam Sacramenta: etenim Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, licet per se ordinentur ad remissionem peccati, non possunt tamen illud remittere in homine adulto sine prævia ejus dispositione et devotione: *qui enim creavit te sine te, non te justificabit sine te:* ac proinde id multo magis dicendum est de Missæ Sacrificio. — *Tertio*, sequeretur, quod Sacrificium Missæ haberet majorem efficacitatem, quam sacrificium crucis; nam cruentum crucis Sacrificium non justificat per se immediate, sed tantum mediantibus Sacramentis; licet enim Christus Dominus pro nobis sufficientissime passus fuerit, et nos æterno Patri reconciliaverit, tamen nobis adhuc necessarius est Baptismus, et adultis peccatoribus necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto susceptum: igitur, etc. — *Tandem*, sequeretur Confessionem Sacramentalem non esse absolute necessariam adultis peccatoribus, qui ingentia crimina admisissent, sed sufficeret, quod pro eis Sacrificium offerretur; si enim hoc haberet vim immediate conferendi gratiam sanctificantem homini non ponenti obicem, posset peccator adultus cum sola Attritione recipere gratiam sanctificantem. *Nec valet reponere*, attritionem illam includere saltem votum et propositum Confessionis; nam si exigat votum confitendi, consequens est, quod Missæ Sacrificium per se et immediate non sufficiat ad efficiendam justificationem. *Deinde*, quantumvis illa Attritio includeret votum Confessionis, non esset adhuc sufficiens, ut peccator per Missæ sacrificium justificaretur; alioqui qui esset reus peccati mortalis, et cognosceret se habere dumtaxat Attritionem, procurando pro se celebrari Sacrificium, posset secure ad Eucharistiam accedere, quia videlicet existimaret, se revera justificari; quod tamen damnat Concil. Trid. Sess. 13, Can. 22, scribit: *Statuit, atque declarat S. Syn. illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se etiam contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem.*

Dices: Non minoris efficacitatis est sacrificium Eucharistiæ respective ad remissionem peccatorum, imo multo majoris, quam Sacrificia expiatoria veteris Legis ad eluendas noxas et maculas, pro quibus mundandis offerebantur: sed illa immediate purgabant ejusmodi maculas: ergo etiam immediate Eucharistia debet habere vim auferendi peccatorum sordes. — **Distinguo majorem**: non minoris est efficacitatis, quantum ad positionem effectus, *concedo:* quantum ad modum ponendi hujusmodi effectum, *nego.* Eucharistia equidem æque infallibiliter confert ad remissionem peccati, ac Sacrificia veteris Legis conferebant ad eliminationem maculæ, pro qua removenda instituta fue-

rant, quia videlicet Eucharistiæ sacrificium promeretur actualia gratiæ auxilia, quibus nedum homo possit pœnitere, sed etiam revera pœniteat, et media sua pœnitentia peccatorum veniam obtineat. Licet autem peccati maculam solum mediate elueret, nihilominus longe præstantioris est virtutis, quam Sacrificia veteris Legis, quia ea dumtaxat ordinabantur ad abstergendas quasdam legales et corporeas sordes; Sacrificium autem Missæ ordinatur ad removenda peccata, quibus anima inficitur, et revera coram Deo sordescit. Unde, quia longe præstat emaculatio animæ, etiam mediata et infallibilis, expiatione corporis immediata, quantum scilicet anima præstat corpori, et ejus macula pejor est macula corporis, hinc etiam Missæ Sacrificium, quamvis dumtaxat mediate conferat ad emaculationem animæ, nihilominus longe præstantius est Sacrificiis veteris Legis, quæ tantum ad legales et corporeas sordes abstergendas erant instituta.

Conclusio tertia. — MISSÆ SACRIFICIUM CONFERT SUUM EFFECTUM EX OPERE OPERATO, SI NON ADSIT IMPEDIMENTUM EX PARTE ILLIUS, PRO QUO OFFERTUR. Hæc est pariter communior apud Theologos, eamque docet S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. ubi ait, *prodesse Sacrificium Missæ ex opere operato, licet Sacerdos fuerit malus.* Idem pariter docet Subtilis Doctor quodlibeto 20. n. 2. ubi sic ait: « Hic præmittendum est unum, hoc scilicet, quod probabile videtur, « quod Missa non solum valet virtute meriti, sive operis operantis, « sed etiam virtute sacrificii, et operati; vel non solum valet ratione « meriti personalis Sacerdotis offerentis; sed etiam virtute meriti ge- « neralis Ecclesiæ, in cujus persona per Ministrum offertur sacrificium. « *Probatur:* alioquin Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non me- « retur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia; quod « reputatur communiter inconveniens, juxta illud Joann. 6. *Panis, « quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Quandocumque enim « Christus, ut summus Sacerdos offert, panis, quem dat, idest, Caro « ejus, est mundi vita ». *Hæc Doctor.*

Probatur autem Conclusio: *primo* quidem ex Concilio Trid. Sess. 22. cap. 1. ubi docet, *Christum præcepisse Eucharistiæ Sacrificium, ut salutaris virtus Passionis suæ nobis applicaretur ad quotidianorum peccatorum remissionem;* etenim divina hæc institutio facile ostendit opus operatum; quod clarissime etiam apparet ex verbis, quibus Christus in nocte Cœnæ consecravit Eucharistiam, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hic calix, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum; hoc facite,* etc. verba enim apertissima sunt, nec sunt de sacramento solum, sed etiam de sacrificio, manifestamque gratiæ promissionem continent. *Deinde,* si Eucharistiæ sacrificium valeret tantum ex opere operantis, sequeretur, non habere excellentiorem agendi modum, quam sacrificia legalia, quæ hoc etiam modo proderant. *Denique,* si Missæ Sacrificium non produceret effectum ex opere operato, sequeretur, quod quando offertur a pravo Sacerdote et in peccato mortali existente, frustraretur ac careret omni suo effectu: at hoc est falsum, nam, inquit Concilium Trid., ibidem cap. 1. *Illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.* Addi potest ex eodem Concilio, cap. 2. quod ille effectus cau-

satur ex opere operato, qui producitur ex sola dignitate sacrificii, petenda ex merito et dignitate tum victimæ, tum principalis Sacerdotis offerentis: at effectus Sacrificii Missæ causatur ex merito et dignitate utriusque: *Una enim*, inquit Concilium, *eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

Dices 1: Quod producit gratiam ex opere operato, potest facere de attrito contritum, necnon et causare gratiam ultra recipientis dispositionem: sed Eucharistia neutrum habet, ut constat ex priori Conclusione: igitur non producit suum effectum, nec causat primam gratiam ex opere operato. — **Distinguo majorem**: si illam gratiam causet immediate, sicut Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, *concedo:* si solum causet mediate, impetrando videlicet auxilium, seu dispositionem ad gratiam obtinendam, *nego.*

Dices 2: Quod efficitur per modum impetrationis, non producitur ex opere operato: sed auxilia gratiæ ad peccati remissionem conducentia obtinentur virtute Sacrificii Missæ tantum per modum impetrationis: igitur non causantur ex opere operato. — **Distinguo majorem**: si illa impetratio dumtaxat fiat per modum orationis et deprecationis, *concedo:* si fiat ratione operis, quod agitur, hoc est ratione dignitatis, tum rei oblatæ, tum principalis offerentis, qualiter Missæ Sacrificium gratiam impetrat, et suum effectum producit, *nego.*

Dices 3: Causa operans ex opere operato infallibiliter suum ponit effectum: sed Missæ Sacrificium non est ejusmodi, experientia enim constat, illud offerri pro conversione plurium peccatorum, qui tamen non convertuntur: igitur, etc. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem* universaliter sumptam, nam licet Sacramentum Extremæ-Unctionis conferat ex opere operato ad restituendam corpoream sanitatem, tamen illam non causat infallibiliter. Similiter licet Eucharistiæ Sacramentum producat ex opere operato auxilium efficax ad perseverandum, tamen illud infallibiliter non producit. *Respondeo secundo, distinguendo majorem:* si causa illa agat per modum Sacramenti, *concedo:* si per modum sacrificii tantum, *subdistinguo:* ponit effectum suum infallibiliter per modum applicationis actualis, quasi effectus ille conferri debeat statim, ac sacrificium oblatum est, *nego:* per modum impetrationis, ita quod effectus qui impetratur conferatur quando et quomodo Deo visum fuerit, juxta sapientem et suavem illius dispositionem, *concedo.* Nec aliud certe vult Concilium Tridentinum, Sess. 22. cap. 2, cum ait: *Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut... misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

QUÆSTIO TERTIA.

IN QUANAM ACTIONE ESSENTIALITER CONSISTAT MISSÆ SACRIFICIUM.

Notandum 1. Sex potissimum distingui posse actiones in Missa, quibus hoc sacrificium perficitur et integratur, quarum aliquæ Consecrationem præcedunt, aliquæ sunt consecrativæ, seu Consecrationem comitantur, et efficiunt; aliæ vero ipsam subsequuntur. *Prima* est

oblatio panis et vini, quæ *Offertorium* appellatur; *secúnda* est consecratio Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini; *tertia* est oblatio Corporis et Sanguinis consecrati, quæ fit his verbis: *Offerimus præclare Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*, etc. *quarta* est fractio ipsius hostiæ, et illius divisio in tres partes, quarum duæ servantur in patena sumendæ in utilitatem Ecclesiæ militantis, et patientis; altera vero mittitur in calicem in honorem Ecclesiæ triumphantis, quæ inebriatur ab ubertate domus Dei, et de torrente voluptatis ejus potatur: *quinta* est sumptio hujus Sacramenti facta a Sacerdote: *ultima* tandem est hujus Sacramenti distributio populo fideli ad sacram Synaxim accedenti. Hinc plures oriuntur diversæ sententiæ inter Theologos, in quanam earum actionum consistat ratio formalis Sacrificii Missæ.

Notandum 2. Omnes pene Theologos invicem convenire, quod oblatio facta ante consecrationem non habeat rationem formalem Sacrificii: *tum* quia Christus Dominus perfectum et integrum Sacrificium Missæ obtulit; nullibi tamen legimus, nec ex Scriptura, nec ex Traditione apparet, quod hanc oblationem fecerit: *tum* quia Ecclesia semper habuit verum et perfectum Sacrificium; nec tamen hanc utramque oblationem usurpavit, ut constat ex antiquioribus Liturgiis: *tum* quia Ecclesia statim post illam oblationem, significat illam solum esse quamdam materiæ præparationem ad futurum Sacrificium; nam in Canone post peractam oblationem legimus: *Veni, sanctificator omnipotens, æterne Deus, et benedic hoc Sacrificium tuo sancto nomini præparatum. Tum denique* quia Concilium Tridentinum definit, Sess. 22. cap. 2. quod res oblata in hoc Sacrificio sit Corpus et Sanguis Christi: sed per illam oblationem, quæ fit ante consecrationem, non offertur Corpus Christi, utpote cum nondum positum sit sub speciebus panis et vini, sed solum adsit materia consecranda et convertenda in Corpus et Sanguinem Christi. Neque oppositum docuit Doctor, in 4. dist. 13. q. 2. n. 5., ubi ait: *Oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur: offertur enim hostia non consecrata, et tunc est Sacrificium, non Sacramentum.* Nam, ut observat Hiquæus in suo *Commentario*, n. 67. Doctor ibi sumit Sacrificium in latiori significatione, quatenus significat oblationem cæremonialem, quæ ad essentialem oblationem disponit.

Notandum 3. Certum esse pariter, quod sumptio, et Eucharistiæ distributio non spectet ad essentiam Sacrificii: *tum* quia potest vere, et perfecte celebrari Sacrificium Missæ, etiamsi nullus e populo ad sacram Communionem accedat, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 22. cap. 6. et definit Can. 8. his verbis: *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit. Tum* quia ipsa Eucharistiæ sumptio et distributio supponit jam sacrificium peractum: siquidem est ipsius sacrificii participatio; nam, inquit Apostolus 1. ad Cor. 10. *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Tum denique*, quia sacrificium a solo Sacerdote celebrari et offerri potest; illa vero distributio Eucharistiæ fieri potest interdum a Diacono, ut diximus supra.

Difficultas ergo solum superest de quatuor aliis actionibus, nimirum de consecratione utriusque speciei, de oblatione, quæ fit post illam,

de fractione et divisione hostiæ, ac de sumptione utriusque speciei; in quanam scilicet ex illis quatuor actionibus essentialis ratio Sacrificii Missæ consistat, necnon et utrum utriusque speciei consecratio ita necessario requiratur ad essentiam Sacrificii, ut si unica dumtaxat consecraretur, irritum ac nullum foret Sacrificium. Quæ utique duplex capitalis difficultas duabus in sequentibus Conclusionibus resolvetur.

Conclusio prima. — SACRIFICIUM EUCHARISTIÆ CONSISTIT ESSENTIALITER IN SOLA CONSECRATIONE, AD EJUS TAMEN INTEGRITATEM REQUIRITUR SUMPTIO. Hæc mihi videtur probabilior, quantum ad utramque partem, quarum

Probatur prima, idque *primo* auctoritate S. Ambrosii, in Psal. 37. dicentis: *Ipse Christus offerri manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offerimus.* Porro sermo ille Christi Domini non alius est, quam verba consecrationis, quibus simul conficitur Sacrificium et Sacramentum Eucharistiæ; nam, ut ipse ait lib. 4. *De Sacramentis*, c. 4. *Per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo... ubi vero venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi... ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Ex quibus sic licet argumentari: eisdem verbis conficitur Sacrificium, quibus conficitur Sacramentum: sed per verba consecrationis fit sacramentum, ex S. Ambrosio: igitur, et Sacrificium. *Major constat*, quia quantumvis ratio Sacramenti a ratione Sacrificii differat in facto esse, tamen in fieri seu in actuali confectione nulla inter utrumque apparet diversitas. Hinc Auctor Sermonis *De Cœna Domini*, docet, ex quo prolata sunt verba formæ, panem, et calicem consecratum, simul Sacramentum, seu medicamentum, et holocaustum esse. *Ex quo a Domino dictum est*, inquit, *hæc est Caro mea, et hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum, et holocaustum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates.* Cui subscribunt S. Chrysostomus, Homil. *De proditione Judæ: Vox*, inquit, *illa, hoc est Corpus meum, usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.* Et Sanctus Irenæus, lib. 4. c. 32. *Christus novi Testamenti novam docuit oblationem, quando panem accepit, et gratias agens, dixit: Hoc est Corpus meum.*

Eadem veritas probatur ratione Theologica, *primo* quidem: in ea actione consistit ratio formalis Sacrificii, cui competit ipsius Sacrificii definitio: sed hæc convenit consecrationi. *Primo* namque est oblatio externa; nam, inquit Concil. Trid., Sess. 22. c. 1., *Christus Dominus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.* Sed id non præstitit aliter, quam per consecrationem, ac subinde in ea fit oblatio, et pariter immutatio oblatæ victimæ. *Primo*, quia in consecratione reperitur mystica separatio Corporis a Sanguine; nam vi verborum Corpus et Sanguis ponuntur seorsim unum ab alio, sicut in cruce revera separata fuere, atque ita Christus mystice et incruente immolatur. Porro hæc immutatio mystica sufficit in Sacrificio; ratio enim propter quam requiritur in Sa-

crificio immutatio victimæ, est ad obtestandam omnipotentiam Dei, quatenus est auctor vitæ et necis: sed eo ipso, quo vi verborum ponitur solum Corpus absque Sanguine, et Sanguis absque Corpore, eo ipso significatur vitæ et mortis auctor; quia scilicet mors Christi, quæ id maxime testata est, mystice, ac moraliter præsens in Sacrificio incruento et commemorativo sacrificii cruenti, in quo revera mors illa obvenit: igitur cum omnes ad sacrificium desiderandæ conditiones conveniant ipsi consecrationi, fatendum est, quod in ea consistat ratio formalis sacrificii. — *Secundo,* in ea sola actione consistit Missæ Sacrificium, quæ sola fit in persona Christi, ut principalis Sacerdotis offerentis: sed talis est sola consecratio; siquidem in ea sola Sacerdos loquitur nomine et vice Christi, et quasi ipsemet Christus esset, qui loquitur: igitur, etc. — *Tertio,* Sacerdotium est essentialiter propter sacrificium; ac subinde ratio essentialis sacrificii petenda est a ratione essentiali Sacerdotii: sed ratio essentialis Sacerdotii nostri adæquate consistit in potestate consecrandi Corporis Christi, ut colligitur ex verbis formæ, qua traditur Sacerdotium, his verbis conceptæ: *Accipite potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis,* etc. Idest, juxta communem interpretationem, consecrandi Corpus et Sanguinem Christi. Id pariter indicat character sacerdotalis, qui per se primo est potestas consecrandi.

Denique, hæc veritas apparet ex refutatione aliarum sententiarum. *Primo* namque ratio essentialis Sacrificii non consistit in *oblatione,* quæ fit *post consecrationem,* ut contendit Gabriel, in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3. *Tum* quia per talem oblationem nulla fit immutatio hostiæ oblatæ, quæ tamen immutatio est de ratione Sacrificii. *Tum* quia Christus Dominus instituendo Eucharistiam, verum obtulit Sacrificium, nec tamen talem oblationem fecisse legitur. *Tum* quia hæc oblatio consequens consecrationem est dumtaxat ex institutione Ecclesiæ, et solum fit in persona Sacerdotis, et Ecclesiæ, ut patet ex illis verbis Canonis: *Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, offerimus præclare Majestati tuæ, de tuis donis ac datis hostiam puram,* etc. Actio autem formalis Sacrificii fieri debet in persona Christi, utpote principalis Sacerdotis et offerentis: igitur, etc. — *Nec* etiam ratio essentialis Sacrificii consistit in *fractione, et divisione hostiæ* consecratæ: *tum* quia ista fractio fit solum circa speciem panis; actio autem consecrativa spectare deberet ad utramque speciem; siquidem Sacrificium Missæ est secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum offerebat. *Tum* quia talis fractio solum est quædam præparatio ad sumptionem; ideo namque frangitur hostia, non solum ad imitationem Christi, qui acceptum panem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit ac fregit, deditque Discipulis; sed etiam ut convenientius sumatur a Sacerdote sacrificante; ac subinde illa fractio præcise non spectat ad rationem Sacrificii. *Tum denique,* quia fractio posset omitti, adhuc perseverante integro Sacrificio; si enim casu hostia ante fractionem caderet in calicem, convenienter non posset frangi, sed ibi deberet relinqui usque ad sumptionem: igitur, etc. — *Denique* non consistit in sola *sumptione: tum* quia de fide est, Christum Dominum in ultima Cœna perfectum Sacrificium obtulisse, ut docet Concil. Tridentinum, Sess. 21. cap. 1. et constat ex dictis in prima Quæstione: sed non ita

certum est, quod consecratum panem sumpserit, quamvis istud ut probabilius cum plurimis Theologis docuerimus. *Tum* quia inde sequeretur, quod si Sacerdos partem hostiæ ab alio jam consecratæ sumeret cum intentione offerendi cultum Deo, vere sacrificaret, quod tamen nullus dixerit. *Tum* quia Sacrificium maxime offertur in persona Christi, ut principalis offerentis et Sacerdotis: sed sumptio non est actio facta in persona Christi, sed in persona ipsius sumentis. *Tum denique*, quia sumptio consecratæ hostiæ convenit tam Laicis, quam Sacerdotibus: sed actio sacrificativa præcise et essentialiter solis Sacerdotibus debet esse propria: igitur in nulla ex actionibus Missæ consistit essentialiter ratio Sacrificii, quam in consecratione.

Secunda pars etiam facile constat, nempe quod sumptio victimæ licet non habeat rationem formalem Sacrificii, nihilominus ad ejus integritatem requiratur. *Tum* quia id colligitur ex Rubricis Missalis, quibus cautum est, quod si forte deficiat Sacerdos post consecrationem, et adsit alius, quamvis non jejunus, debeat hic supplere et sumere consecratam hostiam, ut dicetur infra pag. 391. Ex quibus apparet, sumptionem necessario requiri ad rationem Sacrificii; alia namque non potest reddi efficax ratio, cur sit tam stricta obligatio, urgensque præceptum sumendi species consecratas ab homine non jejuno contra Ecclesiæ praxim et consuetudinem, nisi quia hæc sumptio necessaria est ad integritatem sacrificii. Hinc Concilium Toletanum 12., c. 5. graviter carpit Sacerdotes, qui in celebratione Missæ non sumebant Corpus et Sanguinem Christi, profertque hanc suæ justæ reprehensionis rationem: «*Quale*, inquit, *erit Sacrificium, cujus nec ipsum sacrificium, nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

Objicies 1. Sacrificium Missæ consistere debet essentialiter in ea actione, quæ victimam immutat: atqui sola sumptio et consumptio victimam immutat, per hanc enim solam perit ac destruitur esse Sacramentale, quod Christus sub speciebus habuerat: igitur in ea sola consistit ratio formalis Sacrificii. — *Deinde*, in ea actione præcise consistit ratio formalis Sacrificii, per quam præcise repræsentatur Sacrificium crucis: sed hæc repræsentatio maxime fit per sumptionem; nam, inquit Apostolus, *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et S. Augustinus relatus a S. Prospero, lib. *Sentent. Cum frangitur*, inquit, *hostia, dum Sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici Corporis in cruce immolatio, ejusque Sanguinis de latere effusio designatur?* — *Denique*, in die Parasceves, seu Veneris sancti revera celebratur Sacrificium; nam in Offertorio illius diei nominatur Sacrificium, sicut in aliis diebus, his verbis: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.* Similiter Sacerdos ad populum conversus dicit: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium*, etc. Tunc autem Sacerdos non consecrat, sed die præcedente consecratam hostiam sumit: igitur potissimum in sumptione constituenda est ratio formalis Sacrificii. — **Respondeo primo** *negando minorem;* siquidem, ut diximus, per consecrationem sufficienter immutatur victima, et ea est causa, saltem mediata et moralis, cur Christus sub speciebus substantialiter ac physice desinat; cum enim consecratio Christum constituat dependentem a speciebus, ita ut

tamdiu habeat esse sacramentale, quamdiu conservabuntur species, sub quibus per consecrationem ponitur, ipsa pariter efficit, ut ad desitionem specierum deperdat esse sacramentale; ac subinde est causa saltem mediata istius desitionis, quod utique sufficit, ut revera fiat hostiæ immutatio. Non enim necessum est, quod consecratio sit illus desitionis causa immediata, utpote cum hæc ipsa sumptio hanc rationem sibi vindicet; non enim species sacramentales desinunt esse statim, ac sumuntur, sed dumtaxat dum in stomachum trajectæ hii alterantur; unde si ratio essentialis Sacrificii constituenda esset in eo, quod est causa immediata desitionis esse sacramentalis, potiori jure reponenda esset in digestione specierum, quam in quavis alia actione. *Ad secundum* dico, repræsentationem Passionis Christi fieri quidem per sumptionem, sed non proxime et immediate, per eam enim potius repræsentatur Christi sepultura, quæ ad Sacrificium cruentum non spectabat, quam ipsius mors, et essentialis immolatio: igitur sumptio tantum repræsentat Christi mortem mediate, et ratione alterius, quod præsupponit, scilicet ratione consecrationis; quia hoc ipso, quod Christi Corpus sumitur, jam supponitur per consecrationem mystice mactatus et immutatus ex vi verborum, idque solum volunt Apostolus et S. Augustinus. *Ad tertium nego*, quod in die Parasceves celebretur Sacrificium, sed tantum sumitur victima die præcedente oblata, tam pro salute ipsius Sacerdotis, quam pro salute populi; unde merito populum astantem rogat, ut illa Eucharistiæ sumptio cedat tam in sui, quam in populi utilitatem. Nec obstat, quod illam sumptionem appellet Sacrificium; ibi enim Sacrificii nomen sumitur non pro actione sacrificativa, sed pro consumptione hostiæ prius sacrificatæ. Ideo autem illo die proprie non sacrificatur mystice, quia in eo peractum est Sacrificium cruentum; nam, inquit Rupertus, lib. 6. *De divinis Officiis*, cap. 3. *Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur: non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

Instabis: Eucharistia vocatur holocaustum a SS. Patribus: sed holocaustum debet omnino consumi in honorem Dei: igitur eatenus Eucharistia habet rationem Sacrificii et Sacramenti, quatenus consumitur: sed non consumitur, nisi per sumptionem: ergo in sumptione constituenda est formalis ipsius Sacrificii ratio. — **Respondeo**, Eucharistiam vocari holocaustum, non per proprietatem, neque enim fas est eam igni tradere comburendam, dum integræ sunt species ac perfectæ; sed solum per appropriationem et similitudinem, quatenus Christus in hoc Sacrificio totum se offert divinæ Majestati, eademque est numero hostia in Missa, ac in cruce, licet diverso modo oblata. *Denique*, Eucharistiæ Sacrificium est figura Dominicæ Passionis, in qua Christus totum se immolavit, totum fudit Sanguinem usque ad ultimam guttam pro redemptione nostra, et licet non materialibus flammis, tamen ardentissimo charitatis igne et amore succensus fuit. Imo possumus retorquere argumentum in adversarios: nam si Eucharistia proprie habet rationem holocausti: ergo non debet manducari, neque a Laicis, neque a Sacerdotibus, siquidem ea est lex holocausti, ut cedat soli Deo, et nullus plane ex eo manducet, qua etiam de causa inter multas alias comburebatur olim holocaustum, ne scilicet tandem corrumperetur et putrefieret, sicque gigneret horrorem aliquem, cum

nefas esset illud comedere, et in alios usus convertere. Porro, inquit Guitmundus, lib. 2. *De Veritate Eucharistiæ: Sacra mysteria igni traduntur, non ut combustione consumantur, id præcipitur, sed tamquam omnium elementorum purgatissimo, ac mundissimo, dignissimoque, quod omnia reliqua elementa purgat, ipsum vero ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter committi jubentur.* Et infra: *Quod si forte cuivis curioso videantur comburi, certissime noverit, quod Dominici Sacramenti substantia quidem nullatenus crematur, sed a nobis, ut dictum est, cœlestia petens abripitur. Qualitates vero sensuales, quas ibidem post immutationem substantiæ, Deus remanere altissimo consilio voluit, ostendunt quod suum est.*

URGENIS: Sacrificium est essentialiter actio victimam immutans et destruens: sed in Sacrificio Missæ revera non destruitur victima, quatenus præsens, nisi per sumptionem: igitur, etc. *Minor constat:* Sacrificium enim definitur, *Oblatio externa religiosa soli Deo facta alicujus rei permanentis cum ipsius immutatione,* ac subinde immutatio debet fieri circa rem oblatam. *Minor* etiam est evidens; nam per consecrationem v. g. non destruitur etiam moraliter Corpus Christi; sed potius ponitur et producitur sub speciebus: igitur, etc. — **Respondent aliqui** *cum Vazquezio,* quod, licet de ratione Sacrificii absoluti sit, quod destruatur victima, id tamen non est necessum de ratione Sacrificii, quod non est absolutum, sed solum commemorativum alterius; cujusmodi est Sacrificium Eucharistiæ. *Verum* hæc solutio videtur insufficiens: *tum* quia quod est de natura Sacrificii, ut sic, omni Sacrificio, quodcumque illud sit, convenire debet: sed immutatio rei oblatæ est de ratione Sacrificii ut sic; hinc in omnibus Sacrificiis veteris Legis res oblata destruebatur, vel per occisionem, ut in victimis, quando immolabantur viventia, vel per combustionem, ut in immolationibus, in quibus offerebantur inanimata solida, vel per effusionem, ut in libaminibus. *Tum* quia Sacrificia veteris Legis repræsentabant etiam Christi mortem et immolationem futuram; nec minus tamen revera habebant adjunctam immutationem rei oblatæ; ac subinde etiam in Sacrificiis repræsentativis debet esse victimæ immutatio. *Tum* denique quia Sacrificium distinguitur ab aliis actibus Religionis, quibus colitur Deus, maxime vero ab adoratione, quæ Deo cultum exhibet, quatenus ipsi hominem submittit tamquam suo Superiori; sacrificium vero hominem Deo submittit tamquam auctori vitæ et necis, ac subinde ut istud distincte significet, debet habere annexam immutationem victimæ, eamque quodammodo destruere: igitur hac, et aliis similibus solutionibus prætermissis, *respondeo,* quod ad rationem sacrificii perfecti sufficiat, quod eo modo, quo Sacrificium offertur, sequi deberet connaturaliter mors victimæ, quamvis ipsa propter aliam rationem de facto non sequatur; si enim v. g. ovis post susceptum lethale vulnus a Sacerdote sacrificante in veteri Lege, miraculose conservata fuisset a Deo, non minus ibi fuisset verum Sacrificium, quia illa actio significasset dominium Dei in vitam et mortem, non minus, quam si de facto mors accidisset. Cum ergo consecratio, quantum est de se, vi verborum constituat Corpus Christi seorsim a Sanguine, unde sequeretur realis separatio, nisi obviaret Christi vita in statu naturali et immortali; ideo illa veram habet rationem sacrificii, quippe cum

aperte ac distincte significet dominium Dei in vitam et mortem hominum.

Objicies 2: Illa actio, quæ est productiva victimæ, non est destructiva illius: sed per consecrationem Corpus Christi fit præsens per modum victimæ sub speciebus panis et vini: igitur consecratio non est destructiva, nec immutativa Corporis Christi, ac subinde nec illius sacrificativa. — **Distinguo majorem**: si per actionem productivam victima non fiat præsens modo veluti mortuo, *concedo:* secus, *nego.* At in proposito eadem consecratio, quæ efficit Corpus Christi præsens sub speciebus, illud ibi constituit modo veluti mortuo; quippe, ut jam pluries diximus, vi verborum Corpus ponitur seorsim a Sanguine.

Conclusio secunda. — Consecratio unius dumtaxat speciei sufficeret ad essentialem rationem sacrificii, utriusque tamen consecratio requiritur ad illius integritatem, et evidentiorem significationem Sacrificii cruenti. Hæc sententia videtur mihi probabilior; mediat enim inter duas extremas, quarum prima affirmat utriusque speciei consecrationem esse de ratione intrinseca et essentiali Sacrificii Missæ, quam tuentur Suarez, Vazquez, etc. Secunda vero id negat.

Porro probatur nostra assertio *primo,* quia in uniuscujusque speciei consecratione salvatur vera et essentialis ratio sacrificii: igitur utriusque consecratio non est de ratione illius essentiali. *Antecedens constat;* quia, ut jam pluries diximus, Sacrificium est oblatio externa rei permanentis cum ejusdem destructione, facta a legitimo Ministro, summam Dei excellentiam, nostramque erga eumdem subjectionem repræsentans: sed sola consecratio speciei panis esset oblatio externa Corporis Christi, cum eiusdem immutatione; nam, sicut species panis distincta consecratione consecratur, ita distincta sumptione sumitur a specie vini; fieret item a legitimo Ministro, nempe a Sacerdote, et in honorem summæ divinæ Majestatis: ergo quoad hanc considerationem sola unius speciei consecratio veram et essentialem haberet Sacrificii rationem. *Consequentia patet,* quia enim ratio essentialis Sacramenti in qualibet specie consecrata reperitur, inde omnes concludunt, ambas species non esse partes essentiales Sacramenti Eucharistiæ, sed integrales tantum; quæ enim ut partes essentiales concurrunt ad unum totum essentiale constituendum, neutrum separatim acceptum fundare potest rationem illius, cujus est pars, et ejus prædicationem in recto suscipere, ut patet de corpore, et anima respectu hominis, quem essentialiter constituunt. *Confirmatur,* quia consecratio Corporis non dependet a consecratione Sanguinis, nec e contra: igitur potest una absque alia valide fieri, et sicut potest ratio Sacramenti in unica specie consecrata salvari, ita et ratio Sacrificii in unius speciei consecratione. *Probatur antecedens,* quia per primam consecrationem aliquid sacrum fieret et Deo dicatum, quod factum maneret, etiamsi secunda non sequeretur: ergo illa adhuc in tali casu haberet veram et essentialem rationem Sacrificii, non minus ac species consecrata Sacramenti.

Probatur secundo: Ratio hujus Sacrificii incruenti essentialiter *consistit* in ea consecratione, qua mystice et Sacramentaliter repræ-

sentatur Sacrificium cruentum crucis: sed per unius dumtaxat speciei consecrationem sufficienter fit talis repræsentatio; siquidem per solam consecrationem panis ex vi verborum ponitur Corpus sine Sanguine et Anima; et similiter ponitur Sanguis sine Anima et Corpore: igitur per cujuslibet speciei consecrationem sufficienter repræsentatur cruenta Christi mactatio: igitur, etc. *Confirmatur*, quia non minus ex vi verborum consecrationis Sanguinis repræsentatur sanguis, ut abstrahens a sanguine extra venas, quam ex vi verborum consecrationis Corporis repræsentatur corpus abstrahens a vivo et mortuo: igitur consecratio Sanguinis addita consecrationi Corporis non est magis idonea ad repræsentandam separationem Sanguinis a Corpore, quam altera tantum. *Consequentia patet:* in tantum enim verba consecrationis Corporis non repræsentant corpus mortuum sive exangue, sed abstrahens a vivo et mortuo, quia cum revera ibi non sit Corpus exangue, sed vivum, verba illa non essent vera, sed falsa; eodem modo verba consecrationis Sanguinis non repræsentant Sanguinem a corpore separatum; quia revera Sanguis ille in calice positus ex vi consecrationis, existit realiter intra venas Corporis Christi: igitur si sola consecratio corporis non sit sufficiens ad repræsentandum corpus exangue, ita nec ambæ consecrationes simul sumptæ ad id sufficientes erunt; alioquin verba utriusque consecrationis simul sumptæ essent falsa. *Patet hæc ultima consequentia:* plures enim præcisiones, sive abstractiones præcisivæ non magis sunt idoneæ ad repræsentandam divisionem realem, quam una tantum, ac subinde nec ambæ consecrationes magis repræsentabunt separationem Sanguinis Christi a Corpore, quam una tantum, quippe cum ambæ simul sint præcisivæ, licet revera utriusque speciei consecratio simul juncta clarius ac distinctius cruentum Christi Domini sacrificium repræsentet.

Patet etiam secunda pars, nempe quod, licet essentialis sacrificii ratio salvari posset ac subsistere independenter a consecratione alterius, attamen ad integritatem sacrificii, et magis sensibilem ac evidentem repræsentationem sacrificii cruenti crucis, utriusque speciei consecratio necessario requiritur; quod maxime *probatur* ex universali et perpetua Ecclesiæ praxi, quæ exemplo ipsius Christi a principio semper obtulit Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini, et summe sollicita fuit pro utriusque speciei sumptione; quod signum est, Ecclesiam sic intellexisse institutionem Christi, ut quamvis in consecratione unius tantum speciei haberetur ratio veri Sacrificii, haud equidem Sacrificii totalis et completi a Christo instituti et præcepti. Atque hæc est ratio, quare Ecclesia semper adhibuerit tantam diligentiam, ut ipse celebrans, aut, eo deficiente, alius Sacerdos sacra Mysteria perficeret per sumptionem: *Si Sacerdos*, inquiunt Rubr., Tit. *De defectibus*, c. 10. n. 3. *ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa. Si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Porro hæc utriusque speciei consecratio ita necessario requiritur ad integritatem Sacrificii, ut etiam Ecclesia non videatur posse dispensare, quod celebretur Sacrificium in unica dumtaxat specie; siquidem

Ecclesia solum circa Sacramentorum administrationem et usum statuere potest et variare, quæ, dictante Spiritu Sancto, pro temporis opportunitate, æquum judicaverit, salva semper eorum Sacramentorum integritate et essentia: at si dispensaret in oblatione Sacrificii, nempe quod fieret sub una tantum specie, non subsisteret illius integritas completa et perfecta: igitur, etc.

PETES: *Quænam sit præcipua ac principalis hostia, quæ in incruento Missæ sacrificio offertur?*

Respondeo *primo*, esse Corpus et Sanguinem Christi: *tum* quia id significavit ipsemet Christus Dominus cum dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: tum* quia id docent SS. Patres jam pluries a nobis laudati, præcipue vero S. August., lib. 17. *De Civitate Dei*, c. 20. *Nam*, inquit, *et in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait:* non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet; *quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de Corpore et Sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus Corpus ejus offertur, et participantibus ministratur.*

Respondeo *secundo*, quod panis et vinum habeant etiam rationem hostiæ, sed minus principalis et præparatoriæ; quod utique probatur ex modo loquendi Ecclesiæ, quippe in Offertorio Missæ appellatur panis *Hostia immaculata*, ibi: *Suscipe, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam:* et vinum *Calix salutaris*, ibi: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris:* ergo aliquo modo spectant ad materiam Sacrificii. *Confirmatur* ex prima Antiphona in Vesperis festi Corporis Christi, quæ sic habet: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit.* Hinc Concilium Carthaginense III, Can. 24. *Ut in Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum. Nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis, et frumentis.* Hunc modum loquendi imitantur SS. Patres, Irenæus, Cyprianus, et alii; quidni proprie intelligendi? Enimvero per actionem externam panis et vinum immutantur in protestationem summi dominii Dei. Immutantur, inquam, per destructionem physicam suæ totius substantiæ.

QUÆSTIO QUARTA.

PRO QUIBUS POSSIT OFFERRI MISSÆ SACRIFICIUM.

NOTANDUM 1. Homines generatim distribui posse in tres ordines: quorum *aliqui* sunt viatores; *alii* terminum ac statum viæ jam sunt adepti: *alii* vero partim in via, partim in termino existunt. *Prioris ordinis* sunt omnes illi, qui mortalem adhuc vitam agunt, suntque in tempore velut in itinerario ad æternitatem: qui rursum tres in status possunt distribui; nam eorum aliqui Christo nomen dederunt, et computantur inter membra Ecclesiæ, quibus per Fidei, Spei, et Charitatis vinculum agglutinantur; aliqui intra hoc Christi mysticum Corpus

nondum sunt adjuncti, quales sunt infideles et catechumeni: alii denique ab hoc Corpore per Excommunicationis gladium præcisi sunt. *Secundi ordinis* sunt vel Beati in cælo triumphantes, vel damnati in inferno gementes; quorum status invariabilis est. *Tertii denique ordinis* sunt omnes animæ in purgatorio degentes, quæ partim vitæ terminum sunt adeptæ, cum mortalem hanc vitam peccatis obnoxiam exuerint; partim vero hærent in via, quippe cum felicitatem æternam adhuc præstolentur, nec ex illa valle lacrymarum prius sint exituræ, quam pro admissis delictis debitas pœnas luerint et persolverint usque ad ultimum quadrantem. Quæritur autem utrum pro his omnibus licite ac debite offerri possit Missæ Sacrificium.

Notandum 2. Certum esse, quod Missæ Sacrificium nequaquam licite ac fructuose possit offerri pro damnatis: *tum* quia in inferno nulla est redemptio, nullaque satisfactio ac propitiatio; siquidem, inquit Isaias, c. ult. *Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur.* Quam utique veritatem innumera propemodum testantur Scripturarum oracula, quibus constat nusquam finiendam fore damnatorum pœnam; quam ideireo Christus Dominus plerumque appellat *ignem æternum*, maxime Matth. 25. *Tunc*, inquit, *dicet his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum.* Hinc S. Joannes Apocalypsis 20. refert, quod *diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et Pseudo-Propheta cruciabuntur die, et nocte in sæcula sæculorum.* Quem utrumque locum expendit S. August., lib. *De hæresibus*, c. 23. ubi ait: *Quod ibi* (Matth. 25.) *dictum est in sæcula sæculorum, quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis. — Nec obstat*, quod Ecclesia in Missis Defunctorum sic oret in Offertorio: *Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis*, etc. nomine enim inferni et profundi lacus non intelligitur locus inferior damnatorum, sed animarum in Purgatorio existentium; qua ratione etiam Christus dicitur descendisse ad inferos, et ab inferis liberasse animas SS. Patrum. Porro illæ non degebant in inferno damnatorum. Unde Ecclesia orat, ut animæ fidelium Defunctorum exeant ab illo carcere, et ne post oblationem hujus Sacrificii amplius detineantur in locis tenebrosis. *Adde quod*, Ecclesia consideret ejusmodi animas veluti de corpore egredientes, et quasi nondum sententiam suæ mansionis, aut loci, in quem ire debeant, exceperint, quapropter subdit: *Sed signifer S. Michaël repræsentet eas in lucem sanctam*, etc. eo pene sensu et ritu, quo tempore Adventus, quasi Christus nondum venisset, orat: *Veni, Domine, et noli tardare: Rorate, cæli, desuper*, etc. — *Nec pariter obstat*, quod plures historiæ ferant, varios homines a pœnis inferni solutos fuisse precibus, et meritis SS. vivorum; nam Trajanus Imperator per preces S. Gregorii, Falconilla Ethnica fœmina intercessione S. Teclæ Virginis ab inferno dicuntur soluti. Hoc, inquam, non obstat: *tum* quia omnes istæ et similes historiæ dubiæ ac nutantis omnino sunt fidei: *tum* quia si veræ sint, dici potest eos tales resuscitandos, nondum pœnis inferni fuisse addictos, Deo eorum judicium per extraordinariam Providentiam differente; eosque solum per imaginem quamdam, non autem in rei veritate cœpisse experiri pœnas

vitæ futuræ, ut earum apud homines mortales acerbitatis testes existerent. Difficultas ergo tantum superest de Beatis, necnon et de animabus Purgatorii, ac de triplici Viatorum sorte.

NOTANDUM 3. Sacrificii Missæ efficacitatem et virtutem exerceri posse dupliciter: vel per modum applicationis infallibilis, seu *ex opere operato*, vel dumtaxat per modum liberalis impetrationis, et suffragii. Censetur autem Sacrificium valere *per modum suffragii* et impetrationis, quando videlicet suum effectum non consequitur ex virtute ipsius operis eliciti; ita quod ad applicationem hujus Sacrificii Deus certa lege non constituerit effectum infallibiliter sequendum, puta remittere pœnas peccatis debitas tam vivis, quam defunctis, sed solum Sacrificium ad id conferat per modum impetrationis; ut quemadmodum orationes vivorum defunctis solum prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certa lege constituerit propter ejusmodi preces et orationes debitas tam vivorum quam mortuorum peccatis pœnas infallibiliter remittere; ita etiam Missæ Sacrificium prosit tam vivis, quam defunctis. Quæritur ergo qualiter et pro quibus Sacrificium Missæ debeat offerri.

Conclusio prima. — MISSÆ SACRIFICIUM OFFERRI NON POTEST PRO BEATIS, QUATENUS EST PROPRIE PROPITIATORIUM, VEL SATISFACTORIUM; SED QUATENUS EST GRATIARUM ACTIO PRO FELICITATE IPSIS CONCESSA.

Prima pars est evidens: Beati namque omnino incapaces sunt culpæ et pœnæ, ac subinde nostris precibus non egent et Sacrificiis, ut ab his eximantur et solvantur. Hinc præclare docet Concilium Tridentinum, Sess. 25. *De Invocatione Sanctorum*, Sanctos in cælo cum Deo regnantes non egere nostris precibus, sed nos eorum orationibus adjuvari; quapropter Sess. 21. cap. 3., prius dixerat: *Quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri licet, sed soli Deo, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut pro nobis intercedere dignentur in cœlis quorum memoriam facimus in terris.* Unde Can. 5. sic definit: *Si quis dixerit imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* Quibus Concilium duo significat: *primum*, quod revera Missæ Sacrificium offerri possit pro Beatorum victoriis celebrandis: *secundum*, pro etiam impetranda eorum accidentali gloria; qua ratione in Missa post lotionem manuum orat; *Ut illis* (nempe omnibus Sanctis) *sacrificium prosit ad honorem, nobis autem ad salutem; ut illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Quibus significatur, Missæ Sacrificium posse aliqua ratione censeri impetratorium pro Beatis, quatenus nempe confert ad augendam eorum gloriam et beatitudinem accidentalem. Quod utique præclare docuerat Innocentius III, Epist. ad Archiepiscopum Lugdunensem, et refertur cap. Cum Marthæ, *De Celebratione Missarum*, ubi cum inter varia quæsita etiam petiisset Episcopus, quare mutatum fuerat, quod in Secreta Missæ S. Leonis II antiquiores codices lege-

batur, nempe: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio;* in modernis autem Sacramentariis haberetur: *Ut intercessione B. Leonis prosit oblatio;* respondet Pontifex: *Quod cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod sint perfecte Beati, omnia eis ad vota succedunt; sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos (cum miseri simus) undique mala nostra perturbant. Unde, quod in plerisque orationibus continetur,* prosit, *vel proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad honorem, et gloriam, ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis glorificetur a fidelibus in terris: licet plerique reputent, non indignum Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari: et ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum petere.* — Advertendum tamen, quod facile non debeat apud vulgus prædicari, nostra obsequia, necnon et Sacrificium Missæ, Sanctis prodesse ad honorem et gloriàm; ne videlicet ansam inde capiant cogitandi, eos non esse perfecte Beatos, et illos nostris orationibus ac suffragiis indigere; certo namque certius est, Sanctos suis suffragiis et orationibus nobis plurimum prodesse; illis vero nostras orationes et vota nil conferre, nisi ad gloriam accidentalem. Quam utique plebecula rudis et agrestis cum vix posset distinguere ab essentiali, ideo satius est ab hujusmodi locutionibus abstinere.

Conclusio secunda. — MISSÆ SACRIFICIUM RELIGIOSE OFFERTUR PRO DEFUNCTIS FIDELIBUS, UT OBTINEANT REMISSIONEM PŒNÆ TEMPORALIS, IDQUE EX OPERE OPERATO. Hæc est de fide, quantum ad

Primam partem, quam tradit Concil. Trid., Sess. 22. cap. 22. *Non solum,* inquit, *pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum Traditionem offertur.* Porro hæc Traditio Apostolica constat ex continua Ecclesiæ praxi, ut patet ex Liturgiis SS. Jacobi, Matthæi, et Marci; et testatur Clemens Romanus, lib. 8. *Constit.*, cap. 9. ex Tertulliano, lib. *De Corona Militis*, cap. 3. et S. Cypriano, lib. 1. Epist. 9. et S. Chrysost., Homil. 3. in Epist. ad Philippenses, circa finem, ubi scribit: *Non frustra instituerunt Apostoli, ut cum tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hâc vita decesserunt; sciebant enim magnum inde lucrum, multamque utilitatem his provenire: cum enim adsit populus universus, et Collegium sacerdotale manus attollat, et coram posita sit tremenda hostia, quomodo iram Dei non placabimus, pro illis orantes?* Idem docent cæteri Patres, quorum oracula proferri solent in controversia cum hæreticis de Purgatorio, a quibus, ne longior sim, hic recensendis supersedeo. Omittere tamen non possum, quæ præclare scribit S. Augustin., in Enchiridio, cap. 109. *Neque negandum est,* inquit, *Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut ista non requirat, et est rursus talis in malo, ut*

nec his valeat, cum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Et cap. 110. sic inquit: *Non enim omnibus prosunt suffragia Ecclesiæ. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo Sacrificia, sive Altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis* (idest, pro Beatis) *gratiarum actiones sunt; pro non valde malis* (idest, existentibus in Purgatorio) *propitiationes sunt; pro valde malis* (idest, damnatis) *etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt.*

Probatur secunda pars, nempe quod Missæ Sacrificium prosit Defunctis *ex opere operato*, per solutionem pœnæ, qua adhuc illigantur; idque primum ex Concil. Trid., Sess. 25. in decreto de Purgatorio, ubi inter cætera, ait: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex sacris Litteris, et antiqua Patrum Traditione, in sanctis Conciliis, et novissime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabilis Altaris Sacrificio juvari, præcipit S. Synodus*, etc. Ex quibus sic licet argumentari: sententia Concilii est, animas in Purgatorio degentes certius et efficacius juvari per oblatum pro eis Missæ Sacrificium, quam per jejunia, eleemosynas, et alia vivorum suffragia: sed his non solum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato, et infallibiliter juvantur, quatenus per hujusmodi opera satisfactio operi correspondens animabus applicatur, sicut satisfactiones Sanctorum, quæ sunt in Ecclesiæ Thesauro, applicantur per Indulgentias: ergo multo magis juvari poterunt Sacrificio Missæ, per quod nobis et aliis applicatur fructus Passionis Christi. *Major constat* ex verbis Concilii. *Minor* vero expresse traditur a Catechismo Romano, part. 2. c. 5. num. 61., ubi scribit: *Ut enim quod ad Contritionem, et Confessionem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri potest, ita quæ divina gratia prædita sunt, alterius nomine possunt quod Deo debetur persolvere; qua re fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur: nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum Communionem confitentur.* Licet autem ibi solum loquatur de fidelibus vivis, tamen eadem ratio pariter viget pro defunctis; ipsi namque ad Sanctorum Communionem spectant. *Secundo*, si quæ ratio contrarium suadere posset, maxime, quia præcipua conditio ad percipiendum fructum hujus Sacrificii ex opere operato, est status viatoris: animæ autem in Purgatorio existentes non sunt amplius in via, sed extra dominium Ecclesiæ militantis; ac subinde non possunt ex certa lege bona ipsius participare, sed tantum per modum liberalis impetrationis, nempe prout Deo placuerit, orationes vivorum, et Ecclesiæ sacrificia pro Defunctis acceptare. Sed hæc ratio nulla est; nam, cum animæ in Purgatorio existentes sint membra viva Christi, quæ non sunt omnino extra viam, cum sint adhuc in via ad cælum, idcirco tam Sacrificium potest eis prodesse, quam prodest vivis.

Dices 1: Illæ Animæ non sunt membra Ecclesiæ visibilis, nec in eas Ecclesia potestatem et jurisdictionem habet: igitur nec sunt in statu, in quo possit eis ex opere operato prodesse visibile Sacrificium. — **Nego antecedens**; quamvis enim animæ illæ non pertineant ad Ec-

clesiam, quatenus illius visibilia membra, pertinent tamen ut membra invisibilia, quæ nondum viæ terminum attigerunt, sed adhuc cum Ecclesia militante peregrinantur a Domino, suntque in via ad solvenda debita, quæ ex peccatis in hac vita commissis, et non omnino expiatis contraxerunt. Itaque illæ animæ, quæ viatrices sunt, pertinent ad Ecclesiam militantem, cum nondum triumphanti incorporentur.

Dices 2: Ecclesia non potest illis animabus applicare fructum Sacramentorum: ergo nec sacrificii. *Consequentia patet*, quippe cum Ecclesia non habeat majorem efficacitatem applicandi fructus sacrificii, quam Sacramenti. — **Nego consequentiam**: et ratio disparitatis est, quod Sacramenta tantum sint instituta pro vivis; quippe cum suos effectus in anima non producant, nisi dependente a signo sensibili corpori applicato; sacrificium autem independenter ab omni signo sensibili, et ex sola voluntate offerentis, ordinantis illud ab bonum alterius, producit suum effectum. *Insuper*, Sacramenta ordinantur ad gratiam conferendam; Animæ autem in Purgatorio non sunt capaces suscipiendæ novæ gratiæ; quippe cum non sint amplius in statu crescendi in præmio essentiali, quod cuilibet gratiæ augmento correspondet. Sacrificium autem ordinatur ad solvendas pœnas; quippe cum sit applicatio meritorum Christi patientis pro solvendis nostris criminibus.

Dices denique: Animæ existentes in Purgatorio non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi: ergo nulla satisfactio jam eis prodesse potest, saltem ex opere operato. — **Distinguo antecedens**: non sunt in statu satisfaciendi active, et per seipsas, *concedo:* passive, et per alios, *nego*. Consentaneum enim est, ac justæ Dei ordinationi congruum, ut oblata pro eis animabus Sacrificia Deus acceptet in satisfactionem pro commissis ab eis peccatis luendam; nam qua ratione sunt in statu solvendi pœnas, eadem ratione aliorum satisfactionibus juvari possunt, præsertim Christi Domini, cum debitum ex justitia solvi possit non solum solutione propria, sed etiam aliena.

Conclusio tertia. — Missæ Sacrificium offerri potest pro omnibus fidelibus viatoribus, qui a fidelium Communione per excommunicationem non sunt separati. Hæc est communis, et

Prima pars colligitur ex Apostolo ad Hebr. 5, ubi ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro seipso offerre pro peccatis*. Quibus verbis Apostolus significat, Sacerdotem non tantum debere sacrificium offerre in propriam suam utilitatem, sed etiam in utilitatem populi, maxime baptizati et fidelis; quippe fideles propter suam intimam cum Christo unionem, quatenus sunt membra Corporis Ecclesiæ, cujus ipse caput est, longe capaciores sunt suscipiendi effectus sacrificii, quam infideles et non baptizati. Hinc etiam Ecclesiæ mens est, ut sacrificium potissimum offeratur pro fidelibus, ut colligitur ex Offertorio Missæ, his verbis: *Sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis*. Et initio Canonis orat Sacerdos sic: *Imprimis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica... et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, et Apostolicæ fidei cultoribus*. Et certe rationi consentaneum est, quod cum Missæ Sacrificium sit bonum

Ecclesiæ relictum per legitimos Ministros dispensandum, ut pro omnibus fidelibus baptizatis generatim Deo offeratur, et nullus ab ejus fructu et utilitate arceatur, nisi præcisus sit a participatione bonorum ipsius Ecclesiæ.

Nam, ut refert secunda pars Conclusionis, non licet orare pro excommunicatis, maxime qui *nominatim denuntiati sunt a Judice;* quod utique constat ex jure Canonico, *Extra de sententia Excommunicationis,* cap. *A nobis,* ubi Innocentius III, interrogatus; utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerunt Pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quo minus reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, non susscepto beneficio Absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, et utrum pro tali recipienda sit eleemosyna, et a fidelibus sit orandum. Respondet: *Quantumcumque se quis juramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcumque Pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus Absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Igitur pro tali non est recipienda eleemosyna, neque a fidelibus orandum. *Probatur consequentia* ex cap. *Sacris* 38. eodem titulo, ubi præfatus Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi scribit in hæc verba: *Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus et participibus suis excommunicationis sententia sunt adstricti, ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit, non tamen priusquam Absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus; nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt Absolutiones, vel Oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viventis Pœnitentia, per evidentia signa constiterit, et juxta cujusdam Constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam Absolutionis beneficium impendatur.* Ex quibus constitutionibus Doctores communiter inferunt. excommunicatum excommunicatione *majori,* de quo maxime nobis est sermo, omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis esse privatum, puta Indulgentiis, sacrificiis, et orationibus, quæ fiunt nomine Ecclesiæ.

Dixi in probatione secundæ partis, *qui nominatim denuntiati sunt a Judice;* probabile enim est, quod liceat offerre Sacrificium nomine Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis, puta hæreticis occultis, et etiam forte pro degentibus in regnis, in quibus habent libera suæ religionis exercitia. Ita docet Lugo, disp. 19. n. 87. cum aliquibus aliis, quos ipse laudat. Cujus utique ratio sumitur ex constitutione Concilii Basileensis, Sess. 20. qua statuitur, quod *nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam a Judice publicata, vel denuntiata specialiter, et expresse,* etc. Quibus verbis Concilium permittit communicationem cum excommunicatis nominatim a Judice non declaratis, in Sacramentis, et aliis quibuscumque Divinis, ac su-

binde permittit, ut pro iis Sacrificium offeratur. *Nec valet reponere,* Concilium loqui solum de communicatione externa, quæ fit in auditione Missæ, necnon in assistentia divini officii, non autem de communicatione interna, qualis est ea, quæ fit per Missæ sacrificium, aut preces Ecclesiæ. *Id,* inquam, *non obstat;* si enim liceat cum hujusmodi excommunicatis inire societatem in audienda Missa, et Horis Canonicis recitandis, pari ratione licebit publice pro ipsis orare; nam in Missa nomine Ecclesiæ oratur pro omnibus circumstantibus, et dum quis recitat cum alio divinum Officium Primæ, vel Completorii v. g. dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus,* etc. et consequenter quando Ecclesia permittit communionem in orationibus, etiam permittit, ut pro communicantibus oretur; quidni ergo pariter licentiam pro ipsis sacrificandi, et applicandi eis fructum ex sacrificio provenientem?

Conclusio quarta. — MISSÆ SACRIFICIUM OFFERRI POTEST PRO CATECHUMENIS, ET INFIDELIBUS NONDUM BAPTIZATIS, ILLISQUE PRODEST PER MODUM IMPETRATIONIS.

Probatur hæc assertio ex continua et antiqua Ecclesiæ praxi, quam tradit S. Apostolus 1. ad Timoth. 2, cum ait: *Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt;* qui utique tunc temporibus erant Infideles. Hunc autem Apostoli textum S. Augustinus explicat de publicis orationibus, inter Missarum solemnia fieri solitis: *Multa hinc,* inquit, *dici possunt, quæ improbanda non sint, sed lego his verbis* (Apostoli supra) *hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes cum benedicitur, et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.* Et paulo inferius: *Interpellationes autem, sive... postulationes fiunt cum populus benedicitur; tunc enim Antistites velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt pietati; quibus peractis, et participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit; quam in his etiam verbis ultimam commendat Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis, atque significatis, non putaretur negligendum esse, quod sequitur: Pro omnibus hominibus, pro Regibus, et iis, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et charitate; ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret, non esse ista facienda pro his, a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent omnium genere colligenda.* — Ei præiverat S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum,* cap. 5. ubi signanter præscribit modum orandi pro Catechumenis; et Tertullianus, lib. *Ad Scapulam,* cap. 2. scribens: *Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro.* Et S. Chrysostomus, Homil. *De Adam, et Eva,* ubi scribit: *Cum enim sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibimet data legatione fungantur apud divinam clementiam humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes postulant ac precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut*

ab idololatria et impiis erroribus liberentur, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei receptione resipiscant, ut Schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis Pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta productis cœlestis misericordiæ aula reseretur; hæc non inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus. Subscribit pariter Sanctus Cœlestinus primus Epist. *Ad Episcopos Galliæ*, cap. 11. *Sanctarum plebium Præsules*, inquit, *publica legatione funguntur, et apud divinam clementiam humani generis causam agunt, et tota ingemiscente Ecclesia postulant, ut Idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant*, etc.

Dices: Concilium Braccharense primum cap. 35. statuit, *Ut Catechumenis, sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium; nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.* — **Respondeo,** Canonem illum intelligendum esse solum de Catechumenis defunctis, qui in suscipiendo Baptismate nimium negligentes, absque ejus perceptione, et sine sufficientibus Pœnitentiæ signis decesserant; qualiter etiam intelligendus est Chrysostomus, Serm. 3. in Epist. ad Philippens., ubi ait: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverint illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Stante siquidem universo populo, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendoque posito* (idest, incepto) *Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt; Catechumenos vero neque isto solatio dignamur; sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quodam dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, unde illis nonnihil refrigerii accedit.* His enim et similibus verbis, quæ subjicit S. Chrysostomus, significat tunc temporis ab Ecclesia prohibitum fuisse orationes et sacrificia fieri pro defunctis Catechumenis, ad incutiendum terrorem Catechumenis viventibus, et ad coërcendam eorum in suscipiendo Baptismate negligentiam. Unde non dicit, Catechumenos esse incapaces omnis fructus sacrificii, aliarumque orationum; sed inquit, *neque isto solatio dignamur*, propter scilicet prohibitionem Ecclesiæ pro isto tempore; sicut etiam de facto non dignamur isto solatio excommunicatos, non quia incapaces sunt, sed quia Ecclesia prohibuit publice pro illis offerre, vel orare, de quibus Conclusione præcedenti. Quod ut clarius ostenderet, addidit: *Pauperibus illorum nomine dare licet;* quasi diceret: tametsi non liceat propter prohibitionem Ecclesiæ publice offerre, vel orare pro Catechumenis, tamen minime prohibitum est pro ipsis dare eleemosynam.

QUÆSTIO QUINTA.

QUALIS SIT VALOR, ET EFFECTUS SACRIFICII, ET QUOMODO POSSIT APPLICARI.

NOTANDUM 1. Nomine *valoris*, hic intelligi moralem dignitatem, quam habet sacrificium; nomine vero *effectus*, id quod intuitu talis valoris confertur. Porro valor Sacrificii Missæ attendi potest: 1. Ex parte Christi offerentis, et hostiæ: 2. Ex parte meritorum totius Ecclesiæ, cujus nomine Sacrificium offertur: 3. Ex parte dispositionis et devotionis Sacerdotis offerentis. *Insuper* valor sacrificii ex parte Christi Domini attendi potest, vel quantum ad sufficientiam, vel quantum ad actualem influxum seu fructum, qui de facto confertur ei, pro quo Missæ Sacrificium offertur; qui utique fructus maxime consistit, vel in impetratione beneficiorum, vel in solutione pœnæ peccatis remissis debitæ. Quæritur autem, quantus, et qualis sit valor, et effectus hujus sacrificii.

NOTANDUM 2. Quantitatem valoris Missæ attendi posse duplicem: unam *intensivam;* alteram vero *extensivam*. Prior attenditur secundum meritum et pretium illius Sacrificii in se considerati, posterior vero æstimatur, et colligitur ex numero subjectorum, quibus applicari potest; ita quod eo major æstimetur illius valor, quo pluribus absque divisione posset applicari; ac subinde valor ille sit infinitus, si infinitis subjectis simul prodesse possit. Prior quantitas dicitur *categorematica*, quia attenditur et æstimatur secundum certos gradus perfectionis et valoris, quos Sacrificium istud in se complectitur; ita quod censeatur infiniti valoris intensive, si infinitos perfectionis gradus in se complectatur. Posterior vero dicitur *syncategorematica;* quia tantum attenditur penes subjecta, quibus prodesse potest, et applicari; ita quod hoc Sacrificium censeatur infiniti valoris, si infinitis hominibus possit prodesse. Porro circa hanc controversiam resolvendam triplex est capitalis Auctorum sententia: quarum *prima* affirmat, hoc Sacrificium esse infiniti valoris quantum ad vim impetrandi, et satisfaciendi, syncategorematice; ita Cajetanus, Vazquez, et plures alii recentiores. *Secunda* vero id negat; ita Subtilis Doctor, Richardus, Durandus, et plures alii tam veteres, quam recentiores, cum Suarez, Toleto, etc. *Tertia* incedens media via docet, virtutem impetratricem hujus Sacrificii esse infinitam extensive; ita ut possit pro pluribus et pluribus offerri absque singulorum præjudicio; secus autem de virtute satisfactoria, quam fatentur esse limitatam et determinatam; ita ut pluribus non possit prodesse sine sui diminutione et divisione. Ita Aversa qu. 11. sect. 7. cum pluribus aliis, quos ipse laudat.

NOTANDUM 3. Fructum Missæ attendi posse triplicem, nempe generalem, specialem, et specialissimum. *Generalis* est ille, quem Ecclesia intendit applicari omnibus omnino fidelibus, tum vivis, tum defunctis. Vivis quidem, seu præsentibus, seu absentibus, quorum quisque majorem, aut minorem fructus portionem recipit juxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, et propriam uniuscujusque cooperationem ad sacrificium. Quanta autem portio unicuique contingat, Deus scit; certum tamen est, unumquemque plus gratiæ recipere,

quo plures habet titulos ad majorem portionem habendam, ut si v. g. non tantum intersit, sed et inserviat Sacro, etc. *Specialis* vero fructus est ille, qui obvenit iis, pro quibus Sacerdos specialiter offert sacrificium, juxta praxim Ecclesiæ, modo pro una, modo pro alia persona offerentis Sacrificium Missæ. *Specialissimus* denique valor et effectus est ille, qui obvenit Sacerdoti, et ita illi proprius est, ut juxta multorum sententiam, aliis ab offerente Sacerdote applicari non possit. — Porro hanc Missæ valoris et fructus partitionem primus omnium invenit et docuit Subtilis Doctor, qu. 20. quodlib. n. 3. ubi, ait: « Po-« test meritum, vel specialiter oratio, in triplici gradu intelligi valere « alicui, sive pro aliquo. Uno modo *specialissime*, et sic semper valet « oranti, quando est in gratia; ipse enim habet motum animi bonum, « et elicit opus bonum. Iste malus, et illud opus; nam sic sunt al-« terius, pro quo orat, sicut orantis. Nec potest iste, ordinata volun-« tate, sic illud alteri dare, quod non sit suum meritum; quia magis « tenetur ex charitate diligere seipsum, quam alium; imo forte non « potest dare alteri sic, quin istud esset peccatum. Alio modo *gene-« ralissime*, et sic valet toti Ecclesiæ; nec enim debet orans aliquem « de Ecclesia excludere, sed ex intentione habituali omnes includere. « Tertio modo, scilicet, modo medio, valet illi, cui per orantem *spe-« cialiter* applicatur. *Probatur:* non valet ei specialissime; patet ex « primo membro. Sed nec præcise valet sibi generalissime, sicut cui-« cumque; tunc enim frustra in Ecclesia essent speciales orationes as-« signatæ, aliæ pro vivis, aliæ autem pro mortuis; et iterum pro vivis « illis et aliis, puta, benefactoribus, amicis, et aliis, ut patet in ora-« tionibus Missalis Romani pro diversis assignatis personis, et statibus, « et congregationibus. Frustra, inquam, essent istæ specialiter assi-« gnatæ; quia non plus valerent illis, quam generaliter cuicumque « in Ecclesia ».

His ita præmissis, duo maxime sunt hac in Quæstione determinanda: *primum*, quod Sacerdos possit applicare virtutem sacrificii pro libito: *secundum*, quod ejus valor eo minor sit in singulis, quo pro pluribus offertur.

Conclusio prima. — Revera valor Sacrificii Missæ applicari potest a Sacerdote illis, quibus libuerit. Ita Subtilis Doctor, qu. 20. quodlibetica n. 13., ubi ait: *Dico* quod in potestate Sacerdotis celebrantis est aliquo modo, scilicet speciali applicare virtutem sacrificii. Idque probat duplici auctoritate S. Augustini in *Enchiridion*, cap. 89. ubi ait: *Neque negandum est, defunctorum animas, pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur:* ergo, inquit Doctor, offerens potest applicare illis Sacrificium, et illæ per hoc poterunt relevari. Idem in Sermone de Cathedra S. Petri: *Ostendam*, inquit, *qua ratione animæ defunctorum juvari possunt: adhibeant pro eis Sanctorum preces, et Sacerdotali eos prosecutione Domino commendent.* Juvantur ergo animæ per hoc, quod Sacerdos pro eis applicat virtutem Sacrificii. Addit Doctor rationem congruentiæ nu. 14. « Quia, *inquit*, ubi in domo aliqua aliquod bonum est distri-« buendum diversis secundum eorum exigentiam vel indigentiam, « *rationabile est*, quod dominus domus non immediate singulis distri-

« buat, sed talis distributio alicui, vel aliquibus certis Ministris in « domo committatur. Ita videtur regulariter in familiis ordinatis. « Æque ergo, vel magis debet esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, « quod bonum ibi virtute sacrificii communicandum, non solum Deus « distribuat, sed aliquis Minister in Ecclesia : nulli autem magis con- « venire potest in Ecclesia, quam Sacerdoti Sacrificium offerenti, cui « sicut convenit determinare intentionem suam, pro quo specialiter « offerat, sic convenit sibi dispensatorie vel dispositive determinare, « cui virtute Sacrificii bonum, quod impetratur, reddatur ».

Dices 1: Non spectat ad instrumentum, quod virtutem habeat applicandi actionem, vel effectum actionis, hoc enim proprium est agenti principali: sed Sacerdos, quantum ad virtutem Sacrificii, est mere instrumentum, et organum inanimatum; licet enim sit organum vivum, quantum ad meritum personale in celebrando, quia sic meritum celebrationis Sacrificii provenit ex ejus parte, quatenus ipse vivit vita gratiæ; tamen quantum ad illud bonum, quod ex opere operato provenit ex Sacrificio, Sacerdos est tantum organum veluti mortuum ratione sui characteris, quia effectus ille ex posito Sacrificio infallibiliter sequitur, etiamsi Sacerdos non vivat vita gratiæ. — **Negat minorem Doctor** *ibidem;* quia licet, *inquit,* bonum, quod impetratur virtute Sacrificii, non impetretur virtute meriti personalis Sacerdotis, sed virtute meriti Ecclesiæ, in cujus persona fit oblatio, et ob cujus gratiam oblatio acceptatur; et ideo quoad hoc, scilicet tale bonum sic impetrandum, Sacerdos, licet sit mere organum, tamen ratione Ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre, vel oblationis virtutem determinare, et in hoc non est præcise organum, sed Minister, Dispensator.

Dices 2: Bonum, quod non debetur isti, non habet iste jus alii assignandi, vel applicandi : sed bonum, quod debetur virtute Sacrificii, non habet Sacerdos in quantum celebrans, sed tantum ut est ipse nuntius offerens petitionem Ecclesiæ; et bonum, quod virtute Sacrificii debetur, non sibi debetur; quia eadem esset virtus Sacrificii, si ipse esset in mortali peccato: ergo, etc. — **Respondet Doctor:** « Quod « si bonum reddendum virtute Sacrificii non debeatur Sacerdoti pro « se, debetur tamen Ecclesiæ secundum ejus distributionem; quia « ipse ex ordine suo est nuntius Sponsæ ad Sponsum, offerens peti- « tiones specialiter pro determinatis personis, et ita dispositorie, vel « dispositive determinans eis illud, quod pro talibus petitionibus red- « detur ». — Observat insuper Doctor *ibidem* n. 7. quod etsi Sacerdos sacrificium pluribus applicet, et pro pluribus celebret, quod ejus devotio non minuatur magis, quam si pro uno dumtaxat celebraret. « Distractio, *inquit,* non necessario concurrit ex hoc, quod pro plu- « ribus celebratur; quia non oportet celebrantem pro multis tunc de eis « actu cogitare, sed sufficit, quod ante recollegerit istos, pro quibus « intendit specialiter orare, et intentionem suam talem Deo obtulerit; « ex tunc enim, si tantum in communi memoriam eorum habeat, hoc « sufficit, quia Deus orationem et devotionem suam pro illis acceptat, « pro quibus ordinavit prius se velle offerre. Et in isto casu verum est, « quod propter multitudinem attentio actualis ad singulos minuitur, quia « non est ad eos, nisi in communi; sed devotionem, quæ est mentis motus

« in Deum, non oportet minui. Quam veritatem hoc exemplo illustrat: « non minus, *inquit*, devote celebrat quis de omnibus Sanctis quam « de uno Sancto; quia etsi minus distincte attendat ad quemlibet, « tamen attentio ad totam communitatem sufficit ad devotionem, non « tantum æqualem, sed majorem, quam sufficeret attentio ad unum « eorum, nisi forte ad illum, in quo eminenter est illud, quod est « materia devotionis ad omnes, qui est solus Deus Trinus. Sic quando « oratur pro multitudine, sive communitate indigente, ut impetretur « sibi bonum, quo indiget, major compassio potest haberi, et ita majus « desiderium impetrandi illud, quo indiget, quam si pro uno indigente « oraretur; et ita non minuitur devotio, licet minuatur intentio actualis, « et distincta ».

Conclusio secunda. — MISSÆ SACRIFICII VALOR ET EFFECTUS NON EST INFINITUS SYNCATEGOREMATICE, SED FINITUS; SUBINDEQUE OBLATUM PRO PLURIBUS MINUS PRODEST, QUAM SI PRO UNO DUMTAXAT OFFERRETUR. Ita Subtilis Doctor supra n. 20., ubi *ait:* « Dici « potest, quod Missa non tantum valet virtute Sacrificii applicata plu- « ribus in eodem gradu, sicut si uni soli applicaretur. *Probat:* quia « bonum, quod debetur virtute Sacrificii, correspondet secundum ple- « nam justitiam alicui merito in Ecclesia: sed illud meritum est fi- « nitum, et certi gradus: ergo sibi secundum justitiam plenam adæ- « quate correspondet bonum certi gradus reddendum, ita quod nihil « reddatur virtute Sacrificii, nisi illud, vel inclusum in illo: ergo si « totum illud reddatur isti, nihil virtute Sacrificii reddetur illi, quia « quod daretur illi nec est istud bonum, quod datur isti, nec inclu- « ditur in illo, ut aliquid ejus, et per consequens ex opposito conse- « quentis, si virtute Sacrificii aliquod bonum detur illi, non totum « datur isti, quod debetur virtute Sacrificii; daretur autem ei totum « in medio gradu, si sibi soli specialiter applicaretur ». Ita Doctor, quibus aperte demonstrat, Missæ Sacrificium esse finiti valoris, ac subinde minus prodesse singulis, dum pro pluribus offertur.

Porro hujus Conclusionis probatio a priori alia non est, quam Christi Domini voluntas, quæ utique ordinavit, ut sua merita et satisfactiones, quas pro nobis æterno Patri obtulit in cruento crucis Sacrificio, nonnisi finito modo ac determinato applicarentur per Sacrificium incruentum. Quæ utique Christi Domini voluntas colligitur ex sensu et praxi Ecclesiæ; nam, inquit Doctor ibidem n. 3. Si idem numero Sacrificium ob suam infinitatem, ex æquo pluribus, imo et infinitis prodesse posset, ac si uni tantum illorum applicaretur, frustra in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro vivis, et aliæ pro defunctis; et iterum pro vivis aliis, et aliis; ut patet in orationibus, et collectis, quæ in Missali Romano assignantur pro diversis personis, statibus, cætibus; frustra, inquam, id ita fuisset præscriptum; quippe non plus valeret illis, pro quibus specialiter offerretur, et oraretur, quam prodesset generaliter cuicumque fidelium in Ecclesia consistentium. — *Sequeretur insuper,* inquit *ibidem* Doctor, quod Sacerdotes, qui non ex stipendio, nec ex aliqua obligatione, sed ex mera devotione celebrant, deberent Sacrificium offerre pro omnibus simul *fidelibus vivis et* defunctis; et peccarent contra charitatem, quoties

secus facerent; nam charitas postulat, ut Missæ Sacrificium offeratur pro omnibus, quibus prodesse potest absque aliorum præjudicio; atque ita Sacerdos per unicam Missam solvere posset debitum omnium animarum in Purgatorio existentium. — *Sequeretur tertio*, quemlibet Sacerdotem unico Sacrificio satisfacere posse pro quibusvis fundationibus, et obligationibus pia Testatorum voluntate præscriptis; et sic frustra tot Sacrificia pro eisdem personis repeti; quippe cum semel oblatum etiam pro omnibus defunctis remitteret eis omnes pœnas eorum remissis peccatis debitas. Hoc autem omnino alienum est ab assidua Ecclesiæ praxi, quæ semper censuit, Missæ Sacrificium debere, ac posse pluries offerri, etiam pro specialibus ac privatis personis. — *Sequeretur tandem*, quod Sacerdos, pluribus ex justitia obligatus ad Missam ratione diversi stipendii celebrandam pro pluribus, posse per unicam Missam illis debitis facere satis: at hoc est absurdum; sic enim frustraretur fidelium pietas, damnarentur justa et æqua pro celebrandis Sacris ab Ecclesiæ propositis taxata stipendia, et laxaretur Sacerdotibus infesta avaritiæ lues.

Reponit Vazquez, disp. 231. cap. 3. *negando* hanc sequelam, *primo*, quia, inquit, qui stipendium tribuit Sacerdoti, non solum petit ab eo applicationem Sacrificii, sed etiam orationes Ecclesiæ, et impetrationem earum, quæ sunt finiti valoris, ac proinde tantum singulis prosunt, si inter plures, quam si inter pauciores dividantur. — **Verum contra** *primo*, Sacerdos ille pro singulis posset orare, et sic omnes æqualem effectum impetrationis acciperent, ac si pro singulis seorsim offerret. *Denique*, impetratio Ecclesiæ se habet per accidens ad solutionem debiti ex parte Sacerdotis; nam excommunicatus, qui Missam celebraret ex debito, satisfaceret suæ obligationi, etiam si nomine Ecclesiæ nihil impetraret, quippe cum ab ea sit præcisus.

Reponit 2. Sacerdotem in eo casu ideo agere contra justitiam, quia cum stipendium detur ratione sustentationis, ut qui altari servit, vivat de altari, ipsa justitia non patitur, ut qui semel ab uno in sustentationem stipendium accepit, iterum ad idem opus aliud stipendium accipiat. — **Verum contra**, inde sequeretur *primo*, quod qui stipendium accepit pro celebrando uno Sacro in Natali Domini non possit iterum stipendium accipere pro secunda et tertia Missa; quippe cum jam habeat rationem accepti stipendii pro prima Missa, unde sustentetur illa die, et vivat de altari. *Secundo*, sequeretur, quod Sacerdos, qui liberaliter promisit, se celebraturum Sacrum pro uno, posse iterum acceptare stipendium ab alio pro eodem Sacro faciendo; quippe cum Missa æque duobus prodesset, ac si pro uno dumtaxat offerretur.

Dices 1: Sacrificium crucis fuit valoris infiniti: ergo et Missæ Sacrificium pariter est valoris infiniti. *Antecedens* communiter admittitur a Theologis. *Consequentia vero probatur: tum* quia Sacrificium Missæ est idem numero cum Sacrificio crucis ex parte rei oblatæ, et principalis offerentis; est enim in utroque Sacrificio eadem victima, et idem Sacerdos: *tum* quia eadem est vis satisfactoria ex opere operato in utroque Sacrificio; nam, ut diximus, Christus nunc de novo non satisfacit, sed per Sacrificium crucis semel satisfecit, et hæc satisfactio applicatur nobis per incruentum Missæ Sacrificium. — **Nego consequentiam**; quamvis enim Sacrificium crucis fuisset infiniti valoris

inde non sequitur, quod Sacrificium incruentum Missæ sit pariter infinitum; quippe id, quod applicat perfectionem causæ principalis, in eodem gradu hujusmodi perfectionem non participat. Porro Missæ Sacrificium applicat satisfactiones Sacrificii crucis, ac subinde non habet eamdem virtutem satisfaciendi, quam habuit crucis Sacrificium. Unde Sacrificium crucis debuit habere quamdam vim infinitam, quia una oblatione Christus consummavit in æternum sanctificatos; cum enim hoc Sacrificium non esset iterabile, debuit extendi ad omnes, et esse satisfactorium pro omnibus; secus est autem de Sacrificio Missæ, quod Christus voluit pluries offerri, et frequentari; idcirco non debuit habere valorem infinitum, alioquin frustra fuisset repetendum. *Ad probationes* autem dico: ad *primam* quidem, quod valor oblationis non semper repetatur ex parte principalis offerentis, et dignitate rei oblatæ, sed etiam ex parte applicationis. Porro applicatio meritorum Christi, quæ fit per Sacrificium Missæ, finita est et determinata, ut constat ex praxi Ecclesiæ: igitur, etc. Idem dicendum *ad secundam probationem;* licet enim effectus Missæ Sacrificii fiat ex opere operato, tamen cum pendeat ab applicatione Sacerdotis offerentis, idcirco determinatur juxta determinantis intentionem. Non igitur recte infertur infinitas sacrificii ex infinitate rei oblatæ, et principalis offerentis; alioquin sequeretur, quod oblatio, quæ B. Virgo Filium suum obtulit in templo, habuisset valorem infinitum, et similiter oblatio illa, qua Filium suum morientem Patri obtulit, fuisset infiniti valoris ex parte B. Virginis, siquidem Christus in eo Sacrificio erat victima, et principalis offereus. Quamvis ergo hoc Sacrificium sit idem cum Sacrificio, quoad principalem offerentem, et victimam oblatam, inde non sequitur, quod sit ejusdem valoris quoad oblationem; nam oblatio in hoc Sacrificio est actio Sacerdotis, quæ est finiti valoris; oblatio vero quæ facta fuit in Sacrificio crucis, erat infiniti valoris, et dignitatis ex ea parte, qua procedebat ex persona infinita et increata Verbi.

Objicies 2. S. Hieron. ut refertur *De Consecr.*, dist. 5. cap. *Non mediocriter*, ait: *Dum pro centum animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro una qualibet earum diceretur, accipitur:* sed id dici non posset, si Sacrificium non esset infiniti valoris. — **Respondeo** *primo*, certo non constare, quod ea sententia sit S. Hieron. *Secundo*, respondet Doctor, illius legitimum sensum esse, quod uni Sacerdoti non minus prosit unica Missæ celebratio, et recitatio attenta et cum fervore spiritus paucorum psalmorum, quam multiplex remissa et frigida cum tristitia spiritus, et cordis anxietate; unde immediate hæc verba præcedunt: « Melior est quinque Psalmorum decantatio « cum cordis puritate et serenitate et spirituali hilaritate, quam to- « tius Psalterii modulatio cum anxietate cordis et tristitia ». Quæ verba, *inquit Doctor*, dixit S. Hieronymus, si tamen revera dixerit, ad consolationem Monachorum, qui, si pro multis orare teneantur, non est necessum, quod propterea plures fundant orationes, quæ eis tædium inferrent; sed satius est, quod pauciores Missas et Psalmos celebrent cum devotione et fervore spiritus.

Objicies 3. Bonum spirituale proportionatur spiritui, et spiritus, v. g. Angelus est ubique totus, et non per partes communicatur, sed est totus in toto, et totus in singulis partibus: ergo bonum spirituale,

et per consequens fructus Sacrificii communicatur sine divisione, et ita non diminuitur, licet pluribus communicetur. — **Respondet Doctor**, n. 8. « Spiritus etsi extensive non dividatur, tamen numeraliter « spiritus a spiritu distinguitur; sunt enim singulorum corporum ani- « matorum singulæ animæ, et illæ habent bonitatem naturalem magis « extensive, quam una ex eis; imo æquivalentem bonitati magis in- « tensæ, secundum illud S. Augustini, 7. *De Trinit.*, cap. 6. *Plus « sunt aliquid homines duo, quam unus homo.* Et per hoc distinguitur « pluralitas in Divinis a pluralitate in creaturis, quia plus aliquid hic « sunt duo, quam unum, non sic ibi. Unde subdit: *Non enim major « essentia est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus simul, quam solus « Pater, aut solus Filius.* Bonitatis etiam plures spirituum sunt ma- « joris valoris, et ideo requirunt plura bona, vel unum majus bonum « propter quod retribuantur. Non enim, qui orando meretur vivificare « unum mortuum, eadem ratione, æque meretur vivificationem quo- « rumcumque mortuorum. Ita dico, quod bonum spirituale commu- « nicatur sine divisione quantitativa; secundum extensionem tamen « communicatur cum distinctione, scilicet aliud alteri, et ita requiritur « distinctum meritum, propter quod reddatur, et hoc dico æquale in- « tensive ».

Instabis: Saltem bonum spirituale non communicatur per partes: ergo si virtute hujus Missæ debetur bonum utrique tamquam unum totale præmium, illud non reddetur per partes, sic scilicet, quod pars dabitur uni, et pars alteri. — **Respondet Doctor**, n. 9. ex S. Augustino, 6. *De Trinit.*, cap. 8. « In his, quæ non mole magna sunt, hoc « est, majus esse, quod est melius esse. *Subsumit:* duo vero bona « æqualia sunt meliora altero: ergo in eis est major bonitas; majus « autem, licet non possit actu dividi, tamen toti æquantur plura parva, « quam medietati, et in illis parvis est distinctio, et pro illo uno « magno, licet in se indivisibili, tamen divisibili, vel magis distin- « guibili in æquivalentia possent illa multa reddi ». *Applicat ad pro- positum:* « sic hic tanto merito debetur adæquate tantum; illud in se « dividi non potest; sed tamen illi æquivalere possunt multa bona « minora; et ita ipsum potest dividi valore, dum pro ipso diversa « bona minora distincte reddantur. Non ergo illud bonum spirituale « realiter per partes datur, sed datur in multis bonis minoribus, quæ « respectu illius boni habent partialem valorem ».

Urgebis: Qui spiritum recipit, totum spiritum recipit: ergo simi- liter, qui aliquod bonum spirituale recipit, recipit ipsum totum. — **Respondet Doctor**: « Si possibile esset, eumdem spiritum distribui « multis in valore, sicut hic est possibile de bono reddendo virtute « orationis, unicuique minus bonum daretur, et forte etiam spiritus « minus communicaretur, si transcenderet suum susceptivum propor- « tionatum; sicut forte anima non æque vivificarêt corpus quantum- « cumque cresceret; sed passo proportionato æque communicatur. In « proposito receptivum proportionatum bono illi, quod est reddendum « pro merito, est una persona, et quod datur illi, datur non per « partes ».

Instabis denique: Aliqua etiam corporalia non minus communi- cantur pluribus, quam paucioribus, ut patet de lumine candelæ æque

plura illuminabilia illuminantis, ac si unicum eorum tantum illuminaret: patet etiam in voce, quæ æqualiter simul immutat auditum plurium audientium, ac si unum illorum solum immutaret: igitur a pari bonum spirituale valoris Sacrificii pluribus applicatum non minus proderit singulis, quam si uni tantum applicaretur. — **Respondet Subtilis Doctor**, n. 11. « Cum dicitur, quod æque illuminantur plura il-« luminabilia, sicut unum, verum est, quando illa plura sunt partes « ejusdem illuminabilis adæquati: puta, quando sunt contenta in eadem « sphæra, sive intra eamdem sphæram respectu illuminantis, ut centum. « In proposito autem, duo illi, pro quibus oratur, non sunt per se par-« tes unius, quod sit susceptivum adæquatum boni reddendi virtute « orationis; sed uterque per se est susceptivum adæquatum ». *Ita Doctor*. Fateor equidem, quod Deus potuit efficere et ordinare, ut Missæ Sacrificium æqualiter prodesset pro pluribus, ac plures æqualiter ab eadem candela illuminantur; non tamen ita statuit, sed potius voluit, ut fructus, et valor Missæ se haberet ad modum pecuniæ, quæ divisa inter multos minus prodest. Quod ita ordinaverit, constat ex dictis in confirmatione nostræ sententiæ.

Objicies denique: Idem Sacerdos unica actione plures baptizare potest, ita ut omnibus æqualis conferatur gratia ex opere operato: ergo pariter offerens Missæ Sacrificium pro pluribus, æqualiter proderit et valebit omnibus illis ex opere operato. *Consequentia patet*, quia tam Sacramentum, quam Sacrificium hoc valorem suum habent præsertim ex opere operato. *Confirmatur*, quia per Sacrificium Missæ virtus meritorum Christi nobis applicatur, quæ certe non minuitur ex eo, quod pluribus applicetur: ergo Sacrificium, per quod applicatur, cum pro multis offertur, eodem modo singulis proderit, ac si pro paucioribus offerretur. Tandem certum est, Sacerdotem in Missa commemorationem facere non solum ejus, qui stipendium dedit pro sacro, sed etiam aliorum, ut propinquorum et amicorum, quod utique non liceret, si ob id in ejus fructu qui dedit eleemosynam detrimentum aliquod pateretur. — **Nego consequentiam**; quia, inquit Doctor in 4. dist. 6. q. 2., cum Sacramentum Baptismi sit ablutio passiva, sequitur quod tot erunt Sacramenta Baptismatis, quot homines abluti; atque adeo multiplicato Sacramento, multiplicabitur etiam illius effectus; Missæ vero Sacrificium pluribus applicatum solum est unicum; unde ex opere operato unicum habet effectum. *Ad primam confirmationem* nego pariter *consequentiam*, licet enim per Sacrificium Missæ virtus meritorum Christi nobis applicetur; non tamen applicatur ad æqualitatem, et cum omni plenitudine, inquit Doctor, sed tantum inadæquate, et quoad determinatos effectus. *Ad secundam confirmationem* respondet Doctor, quod quando Sacerdos obligatus ex stipendio accepto ad celebrandam Missam pro aliquo, nihilominus insuper orat in *Memento* pro amicis, propinquis, etc. non sic orat, quasi specialiter intendat illis quoque applicare valorem Sacrificii, qui ei ex opere operato correspondet; hoc enim totum quoad substantiam et fructum tenetur applicare illi, qui stipendium dedit; sed tantum applicat fructum, qui ex Sacrificio provenit per modum impetrationis ex opere operantis, sive ex merito personali. Quod utique legitime præstare potest, quia per hujusmodi fructus particularis applicationem nihil

detrahitur fructui correspondenti oblationi, quæ fit in persona Christi, in utilitatem ejus, qui stipendium dedit.

PETES 1. *An Sacerdos possit licite et legitime accipere simpliciter stipendium pro celebratione Missæ?*

Affirmo cum omnibus Theologis, idque probatur ex illo Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua;* justum enim est, ut qui in bonum aliorum applicantur ministrando spiritualia, mutuo ab illis ad vitam temporalem fovendam et sustentandam necessaria accipiant, ut egregie probat Apost. 1. ad Cor. 9. *Quis,* inquit, *militat suis stipendiis umquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quibus verbis significat Apostolus, non solum eos, qui Evangelium annuntiant, sed etiam qui in offerendo Sacrificio altari deserviunt, posse legitime pro beneficiis spiritualibus impensis temporalia ab eis, quibus spiritualia largiuntur, accipere. Unde nihil mirum si Eccesia approbat praxim accipiendi stipendii pro impenso labore et opere in celebratione Missæ. *Nec obstat,* quod in hoc interveniat pactum aliquod, in quantum datur stipendium, ut fiat Sacrum, et vicissim fiat Sacrum, ut accipiatur vel propter acceptum stipendium. Nulla enim in hoc intervenit Simoniæ labes, quia stipendium non datur pro ipsa Missa, quasi esset illius pretium, *Sed,* inquit Doctor q. 20. quodlibetica ad 3. art. principalem, *eleemosyna liberaliter offertur cum petitione orationis; et recipiens eleemosynam tenetur secundum justitiam exaudire mendicantem orationem suam; et tunc ex justitia, liberaliter tamen, scilicet sine conventione et computatione, obligat se ad orandum pro benefactore; vel si est communitas aliqua, Prælatus ejus se pro tota obligat, vel ipsam totam obligat, vel ipsa tota se totam obligat; et quælibet istarum obligationum potest esse stricta, licet non sit secundum commutationem hujus pro illo.* Itaque stipendium non datur pro ipsa Missa, sed vel pro sustentatione Ministri, vel pro ipso externo ministerio, quæ sunt aliquid temporale. Unde justum Missæ stipendium non debet mensurari penes valorem Sacrificii; qui etiamsi sic non sit infinitus formaliter, tamen adeo summus est, ut nullum bonum temporale possit ipsi ex æquo comparari. Neque etiam mensurari debet penes effectum, quem consequitur ille, cui Sacrificium applicatur; quia effectus illi per se primo sunt quid spirituale; licet interdum tendant in consecutionem rei temporalis. Sed stipendium mensurari debet vel ex Lege Ecclesiastica illud taxante; vel ex justa et rationabili consuetudine; vel, si hæc deficiunt,

ex honesta et frugali Sacerdotis in unum diem sustentatione. Quapropter stipendium majus legitime exigi non potest, quam quod a Superiore potestatem habente, puta Episcopo, vel ejus Officiali taxatum est; vel si taxatum non fuerit, exigi non potest majus, quam quod communi consuetudine receptum et approbatum est a viris prudentibus et timentibus Deum; quod tamen non impedit, quin Sacrificium offerri postulans, longe uberius stipendium, quam illud, quod taxatum est, ex liberalitate possit largiri.

PETES 2. *Utrum quando quis petit ut secundum suam intentionem plura celebrentur Sacra, nec dat justum stipendium pro singulis, possit Sacerdos propria auctoritate numerum Missarum ita determinare et redigere, ut conveniens stipendium pro singulis habeat?*

Affirmant multi Casuistæ; quia, inquiunt, tunc fit injuria Sacerdoti, a qua potest seipsum redimere; quamvis promiserit pro quolibet modico uno stipendio se Missam celebraturum; non secus ac famulus et operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum, ut poterit resarcire. — *Verum* præterquam quod hæc sententia periculoso fundamento nititur, mihi omnino videtur improbanda: *tum* quia directe militat in fidelitatem servandam in omnibus pactis, vergitque in fraudem et deceptionem illius, qui Sacrificia postulat, quique tot Sacrificia alibi certo potuisset obtinere, in illis nempe locis, in quibus minora sunt taxata stipendia, quia non ita care vivitur: *tum* quia hanc sententiam tamquam minus tutam proscripsit sacra Cardinalium Congregatio, ordinata secundum determinationem Concilii; nam die 21. Julii, anno 1625. inter cætera hæc decrevit: « Pro plu« ribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, « quantumcumque incongrua et exigua, sive ab una, sive a pluribus « personis collata fuerint, aut conferantur in futurum Sacerdotibus, « sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præ« cipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ « eleemosynæ præscriptæ fuerint; alioqui graviter peccant, et ad re« stitutionem tenentur ».

PETES DENIQUE: *Utrum quis, accepto justo et taxato in sua Diœcesi stipendio pro Missis celebrandis, possit curare totidem Missas in alia Diœcesi celebrari pro minori stipendio, retenta sibi aliqua accepti stipendii parte; puta si quis 24. aut 30. asses Parisiis exceperit pro duabus Missis celebrandis, possit curare totidem Missas celebrari in ea Diœcesi, in qua tantum quinque aut sex asses taxantur pro stipendio.*

Affirmant Suarez, disp. 86. Sect. 3. Emmanuel Sa, et nonnulli alii ex recentioribus Casuistis; quia, inquiunt, hoc in casu non fit injuria nec danti stipendium, quippe cum tot Sacra pro eo celebrentur, quot ipse postulavit; nec Sacerdoti Missas dicenti, quia datur ei justum stipendium secundum ordinationem suæ Diœcesis. *Verum* hæc sententia mihi videtur omnino improbanda: *tum* quia Sacerdos ille, qui 24. vel 30. asses recepit, et tantum 10. aut 20. largitur, nullum habet jus retinendi partem residuam hujus pecuniæ, neque *titulo gratuito*, quoniam hæc residua pars ipsi non donatur, neque a vero Domino

illius pecuniæ, neque a Sacerdote dicente illas Missas; unde facit utrique injuriam, retinendo partem pecuniæ, quæ destinata fuerat pro legitimo stipendio. *Nec* habet etiam jus in eam partem pecuniæ *titulo onerario;* quippe cum ipse non subeat onus dicendi Missam, neque tantum laboret in quærendo Sacerdotem, qui has Missas celebret, ut propter eum laborem juste sibi retinere possit illam pecuniæ partem: *tum* quia hæc sententia omnino proscripta fuit ab eadem sacra Congregatione Concilii, quæ supra; eodem enim decreto definivit, non posse Sacerdotem, majori accepto stipendio pro celebratione Missæ, partem ipsius retinere; *Sacra Congregatio,* inquit, *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdotem, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

Nec obstat, quod Julius II dicatur concessisse Generali Ordinis nostri, qui tunc erat, ut in sua visitatione posset sic in multitudine Missarum dispensare, ut in qualibet Missa possent recitari novem orationes, seu Collectæ, et quælibet Collecta valeret pro una Missa; quam concessionem extendit Leo X, anno 1613. ut quilibet Generalis futurus idem facere posset. Et super valore istarum concessionum consultus Navarrus, respondit lib. 5. *Conciliorum,* tit. *De Privilegiis,* valere eam concessionem, licet ea utendum esset cum magna consideratione, nec posse sine magna necessitate recipi talem numerum Missarum, cum proposito decipiendi illos, qui pro tali numero Missarum eleemosynas offerunt. *Insuper,* idem Leo X dicitur concessisse Patribus nostri Ordinis, quod si eleemosyna non æquivaleret uni regali, possent unica Missa satisfacere, etiamsi duas, vel tres, aut quatuor celebraturi essent occasione plurium eleemosynarum, ut refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, verbo *Missa,* ubi idem ab iisdem Pontificibus concessum Patribus Minimis, refert Laurentius Perinus. *Hæc,* inquam, *non obstant: tum* quia omnia ista privilegia censentur revocata per supra dicta Decreta Congregationis, approbata et confirmata auctoritate summi Pontificis: *tum* quia, ut observat præfatus Auctor Privilegiorum nostri Ordinis, hæ omnes concessiones Pontificiæ sunt surreptitiæ: *tum* etiam quia essent concessæ in præjudicium animarum, et æqui ac justi regiminis Ecclesiæ, ac sunt repudiandæ.

Inde tamen inferre non licet, quod qui habet beneficium, ratione cujus debet singulis diebus Missam celebrare, teneatur omnem illius beneficii fructum eo die obvenientem ei largiri, cui Missam celebrandam commendat; nam beneficii cujuscumque fructus non solum obvenit propter celebrationem Missæ, sed etiam propter recitationem Officii, et dignitatem, ac necessitatem status Ecclesiastici; quapropter ex æquo satisfaciet largiendo celebranti Missam taxatum stipendium in ea Diœcesi, in qua commorantur.

Plures sunt aliæ similes hac de re formari solitæ quæstiunculæ; de quibus consulere poteris Theologos Morales, seu Casuistas; sed cave a laxioribus, *quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam! et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Faxit Deus ut eam et invenire, et per eam ad æternæ felicitatis sacrarium pervenire valeamus.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Consulto quidem Sacramenti Confirmationis delineationi (quæ apud alios Theologos inter Sacramentorum seriem secundum locum obtinet) nos quintum dumtaxat assignamus. Enimvero homo vitiata propagine, et propriis suorum peccatorum sordibus deturpatus, prius per ea Sacramenta, quæ ad eluendas animi sordes, et restaurandam vitam spiritualem instituta sunt, repurgari debuit, ac etiam Christi Domini Corporis et Sanguinis edulio saginatus adolescere, quam per sacram Confirmationem inter strenuissimos Christi milites consignaretur, et ejus unctione accingeretur ad pugnam, et ad victoriam armaretur. Nam, ut præclare ad Episcopos Hispaniæ scribit S. Melchiades summus Pontifex: *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes: Confirmatio armat, atque instruit ad agones.* Etenim si Christum nostræ militiæ ducem *unxit Deus oleo lætitiæ præ participibus ejus*, quia non venerat *mittere pacem, sed bellum* adversus principes et potestates tenebrarum, de quibus gloriosam victoriam reportavit, *et traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso;* ita plane convenientissimum erat, ut Christianus toto vitæ suæ mortalis curriculo contra eosdem hostes, attritos quidem, non tamen exarmatos, præliaturus, cælesti Confirmationis unguento peruunctus medios inter adversarios audacter erumperet, et nullo pœnarum, suppliciorumque terriculamento a Christianæ fidei professione deterretur. — Satis non fuit Israëlitis ad consequendam tot votis expetitam terram promissionis horrendos maris rubri gurgites transcendere, ut refluentibus in eorum hostes jugulatricibus aquis, securo pede procederent; fuit insuper necessum, ut post contritos ac conculcatos varios serpentes, post gustatum cæleste Manna, nova etiam virtute, novoque animi imbuerentur ardore, ut adversus tot obviantes hostium exercitus animose præliarentur, et eis devictis, optatam, ac sibi repromissam terram lacte ac melle manantem obtinerent. His figurarum lineamentis aperte satis adumbratam conjicio fidelium novæ Legis sortem; ut quod Israëlitæ præseferunt in umbris, Christiani media in veritatis luce implere teneantur. Non enim nobis satis est ad æternam felicitatem anhelantibus contrivisse capita draconum in aquis, et in salutiferis Baptismatis undis nobis congenitum primordiale crimen deposuisse; nec sufficit omnia deinceps contracta peccata, veluti tot serpentes, in deserto pœnitentiæ in amaritudine animæ contrivisse; oportuit ultra, ut post Christi Domini Corpore veluti cælesti Manna recreatus animus, adhuc nova virtute roboraretur, quatenus incursantes ac assidue infestantes mundi, carnis, ac dæmonis impetus non solum constanter sustinere,

sed etiam generose repellere valeret. — Ea autem est cælestis virtus et divina propemodum animi fortitudo et constantia, quam ex Confirmationis Sacramenti participatione mutuamur; quamque Christus Dominus Apostolis spondens S. Spir. in eos mirabilem illapsum promiserat, dicens Act. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos;* nam, ut egregie ait supra laudatus Melchiades Pontifex, *quod nunc in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populos donavit universis.* Non erit igitur ingratum, nec injucundum tam eximii, tamque utilis, ac necessarii Sacramenti naturam, effectus, ac legitimum dispensatorem, et susceptorem investigare. Quod utique pro modulo nostro præstare conabimur tribus in sequentibus Articulis: quorum *primus,* Confirmationis essentiam: *secundus,* ejusdem mirandos effectus: *tertius,* Ministrum, ac susceptores explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ESSENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quoniam rei cujuslibet nomen ejusdem essentiæ et naturæ non obscurum notamen est et indicium, ideo quo facilior ad investigandam et detegendam Confirmationis Sacramenti naturam nobis pateat aditus, placet in limine varia, quibus celebratur et illustratur, nomina recensere. *Primo* itaque ab excellentiori effectu dicitur *Confirmatio,* quia nisi aliquis obex interveniat, Christiani, qui per Baptismum nascuntur in Christo, suntque, ait S. Petrus, Epist. 1. c. 1. *Quasi modo geniti infantes,* per hujus Sacramenti virtutem, et divini unguenti perfusionem tanto robore firmantur, tantaque donantur animi fortitudine et constantia, ut Christi fidem ac Religionem generosissime coram sævientibus etiam tyrannis profiteantur, nulloque pœnarum ac suppliciorum terriculamento a recta fide et pietate deterreri possint. — A cæremonia, qua hoc Sacramentum suscipientes consignantur in fronte, appellatur a S. Clemente, Epist. 4. *Consignatio,* a S. Cypriano, Epist. 73. *Signaculum Dominicum;* quibus prælusit Apostolus ad Ephes. 4. scribens: *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis.* — Ratione *materiæ,* ex qua conficitur, appellatur a S. Dionysio, *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 4. *Perfectrix unctio, et consummatio,* quod Christianum consummatum efficiat, perficiat, et absolvat; cum enim Christianus dicatur a Chrismate, non censetur eo nomine dignus, qui non est unctus. Ab eodem etiam ibidem appellatur *Unguentum divinum, ac deificum;* eo quippe Christianus delibutus unguento, nedum ipsimet Christo, idest, Uncto assimilatur, sed et tanta Sancti Spiritus plenitudine perfunditur, ut per hæc magna et pretiosa dona efficiatur consors divinæ naturæ. — *A ritu,* quo Sacramentum illud conferre solebant Apostoli, vocari solet a Patribus, maxime Græcis, *Manus impositio,* juxta illud Actor. 8. *Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* — Aliis etiam plurimis his similibus gloriæ titulis illustrari solet a SS. Patribus, ut constabit in hujus Disputationis decursu, maxime vero in præsenti Articulo, quem tribus Quæstionibus absolvemus: quarum *prima,* hujus Sacramenti essentiam generatim: *secunda,* illius materiam: *tertia,* ejusdem formam speciatim explicabit.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM CONFIRMATIO SIT VERUM AC PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, ET QUANDONAM A CHRISTO FUERIT INSTITUTUM.

NOTANDUM 1. Mirum non esse, quod hæretici post ejuratam Christi fidem, etiam Confirmationem, Christianitatis Sacramentum abjiciant; cum enim Christianus dicatur a Chrismate, sicut Christus ab unctione, non potuerunt illi conservare sacræ et Christianæ Unctionis Sacramentum, qui Christi Legem et religionem evertere ac pessundare moliti sunt. Præ cæteris autem hujus Sacramenti impugnatoribus intensissimi extiterunt Novatiani, ex Theodoreto, lib. 3. *Hæreticarum fabularum*, ✻ " cap. 5. *Et iis*, inquit, *quos baptizant sanctissimum Chrisma non præbent*. Quapropter eos qui ex hac hæresi Corpori Ecclesiæ conjunguntur laudatissimi Patres inungi præceperunt. Idem colligitur ex S. Paciano, Epist. 3. Ad Sympronianum, ubi ait: *Vestræ plebi ubi Spiritus quam non inungit unctus Sacerdos?* Refert etiam Eusebius, lib. 6. *Hist. Eccles.* cap. 43. ex fragmento Epistolæ S. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, quod Novatianus, qui nomen hæresi suæ dedit, *cum Energumenus ab exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus; dum jamjamque moriturus creditur in ipso lecto baptismum suscepit; sed postquam liberatus est morbo nequaquam reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est; hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem;* inquit S. Cornelius, *modo potuit Spiritum Sanctum accipere?* Inde sufficienter colligitur quod Novatiani non baptismalem tantum unctionem prætermisisse, sed etiam Confirmationem quæ Baptismo conjungebatur sustulisse. " ✻ Ariani similiter hoc Sacramentum contempserunt, ut colligitur ex Concilio Nicæno, Can. 31. Arabico, et Arelatensi 2, Can. 17. et Trullensi, Can. 95. Donatistæ pariter in hoc Sacramentum contumeliosi fuerunt, ut scribit Optatus, lib. 2. *Contra Parmenianum*, ubi refert, ampullam vitream sacri Chrismatis a Donatistis projectam per fenestram, divinitus servatam fuisse illæsam. — Eumdem errorem innovavit Wicleffus, lib. 4. *Trialogi*, cap. 14. ubi negat probari posse hoc Sacramentum ex Scriptura; adjicit insuper nonnullos dicere illud a diabolo introductum, quos ipse non reprehendit. Ita refert Thomas Waldensis Tomo 2. cap 3. — Verum sicut post hominum memoriam sacrorum rituum infensissimi fuerunt Lutherus, et Calvinus, etiam præ cæteris in hoc Sacramentum desævierunt; Lutherus enim lib. *De Captivitate Babylonica*, illud appellat inventum pure humanum: *Mirum*, inquit, *quid illis in mentem venerit, quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex manuum impositione.* — Calvinus autem, lib. 7. *Institut.* cap. 19. n. 5. cum retulisset ritum administrandi hujus Sacramenti, et illud fictitiam Confirmationem appellasset, subdit: *Pulchre, et venuste, sed ubi Dei Verbum, quod Spiritus Sanctus præsentiam hic promittat? ne vota quidem obtendere possunt. Unde ergo nos certiores facient, Chrisma suum esse vas Spiritus Sancti? Videmus oleum, crassum scilicet, et pinguem liquorem, præterea nihil.* Quoniam autem hæc ad ejus impietatem non sufficiebant, addit numero

octavo: *Verius definire hanc confirmationem possum, quam ipsi hactenus definierint: nempe insignem esse baptismi contumeliam, quæ usum ipsius obscurat, imo abolet: falsam esse diaboli pollicitationem, quæ nos a veritate Dei abstrahit: aut si mavis, oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offusis tenebris simplicium mentes fallit.* Deinde ore petulco oblatrans in Sanctum Melchiadem, quod in celebri sua Epistola ad Episcopos Hispaniæ scripsisset, *Confirmationem præstantius esse Sacramentum, quam Baptismus*, sic eum verbis maledicis et contumeliosis interpellat: *Os sacrilegum, tu ne pinguedinem fœtore dumtaxat anhelitus tui inquinatam, et verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, et conferre cum aqua verba Dei sanctificata? At parum hoc ipsum erat tuæ improbitati, nisi etiam præferres; Hæc sunt Sanctæ Sedis responsa, hæc Apostolici tripodis oracula.* Ut autem obtruatur os loquentium iniqua,

Notandum 2. Ex Hincmaro Rhemensi Episcopo, lib. *De Variis capitulis Ecclesiasticis*, cap. 16. multiplicem antiquitus frequentatam fuisse, sed maxime quadruplicem manuum impositionem: nempe curativam, ordinativam, reconciliativam, et confirmativam. *Prima* erat ad fugandos corporis morbos, et exerendam salutiferam illam virtutem, quam Christus Dominus Apostolis, ac in eum credentibus repromisit, his verbis Marci ult. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Secunda*, nempe ordinativa, est, qua Sacrorum Ministri constituuntur, de qua S. Paulus 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Et iterum cap. 5. *Nemini cito manus imposueris. Tertia*, cujus frequens est mentio apud veteres, erat *reconciliativa*, qua Pœnitentes ad gratiam Absolutionis admittebantur; illius enim meminit Concilium Carthagin. quartum Can. 8. Agathense, Can. 11. Arausicanum primum, cap. 3. ubi loquens de Pœnitentibus infirmis absolvendis, ait: *Quod si supervixerint, sicut in ordine Pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* De ea pariter, inquit Hincmarus, loquitur S. August. lib. 3. *De Baptismo*, cap. 16. cum ait: *Manus impositio, non secus ac Baptismus, repeti non potest, quid enim est aliud, quam oratio super hominem? Quarta* denique erat *confirmativa*, qua Spiritus Sanctus plenitudinem longe, quam in Baptismo majorem Apostoli largiebantur, juxta illud Actor. 8. *Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Porro de hac postrema manus impositione nobis futurus est sermo in sequentibus.

Notandum 3. Ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, *quo loco illius manus impositionis* confirmativæ, *datur in Ecclesia Confirmatio, et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur (quorum vices tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant.* Quoniam autem hæc Confirmatio simul cum Baptismo solebat antiquitus concedi; idcirco interdum cum ipso Baptismo a nonnullis e SS. Patribus confundi videtur; quod etiam fecisse colligitur S. Petrus, dum Actorum 2. ait Judæis conversis: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti;*

etenim per ly *donum Spiritus Sancti,* non obscure Confirmationem significat, quippe per solum Baptismum in Scriptura nullibi legitur datus Spiritus Sanctus, idest, ejus donorum plenitudo, quàliter conferri solet in Confirmatione. Quibus ita præmissis, sit

Conclusio prima. — CONFIRMATIO EST VERUM AC PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM. Hæc assertio est de fide expresse definita in Concilio Florentino, in decreto de Armenis, et Tridentino, Sess. 7. de hoc Sacramento, Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Confirmationem otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprie dictum Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ejusdem etiam meminerunt Laodicenum, Can. 48. *Oportet,* inquit, *baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, et cœlestis regni participes fieri.* Et Eliberitanum, Can. 38. ubi statuit: peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat. ✻ " Et Can. 77: Si quis diaconus regens plebem sine presbytero, vel episcopo aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.

Probatur ex Scriptura Sacra. " ✻ — Hæc autem veritas aperte colligitur e Scripturis sacris, maxime vero ex illo ad Ephes. 1. *In quo* (scilicet Christo) *et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et cap. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die Redemptionis.* Dicimur autem per Confirmationem signati *Spiritu promissionis,* quia Dominus pollicitus est, se missurum Spiritum Sanctum, ut patet Joann. 14. 15. et 16. Dicuntur verò fideles, quos alloquitur Apostolus, signati *in die Redemptionis,* idest, in die Baptismi, in quo baptizati a peccati servitute redempti et liberati, simul ab Apostolis confirmabantur. Hæc autem signatio sine unctione non fiebat, ut idem Apostolus innuit 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus in cordibus nostris,* per manus scilicet Antistitum; nam de Sacramento Confirmationis verba illa S. Ambrosius, lib. *De iis, qui initiantur,* cap. 7. interpretatur: *Repete,* inquit, *quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii, atque virtutis, spiritum cognitionis, atque pietatis, spiritum sancti timoris; et serva, quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica Lectione didicisti.* Ita etiam ex S. Chrysostomo locum illum intellexit Œcumenius: *Qui in veteri Testamento,* inquit, *ungebantur, aut Sacerdotes erant, aut Prophetæ, aut Reges. Et nunc,* inquit Apostolus, *ungimur, ut Reges quidem efficiamur, principatum super affectiones habentes.* — Eamdem veritatem indicat S. Joannes, Epist. 1. cap. 2. *Sed vos,* inquit, *unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia.* Verba enim illa interpretatur S. Athanasius de Confirmatione, Epist. ad Serapionem, his verbis: *Chrisma dicitur spiritus; et sigillum est, cum Joannes scribat: Unctio, quam accepistis ab eo, manet in vobis. Et in Isaia idem scriptum est:*

Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me. — Colligitur pariter hæc veritas ex gestis Apostolorum, qui passim leguntur per manus impositionem contulisse Spiritum Sanctum. Sic Actor. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quibus significatur, quod etiamsi jam Samaritani fideles baptizati excepissent Spiritum Sanctum, una cum gratia sanctificante per Baptismum collata, nihilominus dicuntur illum non excepisse, quia videlicet illam S. Spiritus plenitudinem per Confirmationem conferri solitam, ac uberrimam illius donorum plenitudinem nondum excepe-rant. Idem refertur, cap. 19. ubi legimus, quod cum S. Paulus eos, qui baptizati erant Baptismo Joannis, jussisset iterum baptizari, manus eis imposuit, et venit Spiritus Sanctus super eos. Ex quibus omnibus sic formari potest argumentum: omne signum sensibile gratiæ sanctificantis divinitus institutum est verum ac perfectum novæ Legis Sacramentum: sed talis est Confirmatio: igitur, etc. *Majorem* ultro admittunt hæretici. *Minor vero probatur:* illa manuum impositio, quam usurpabant Apostoli, erat verum Sacramentum; siquidem erat *primo* signum sensibile: *secundo,* per illam conferebatur infallibiliter gratia; quippe cum daretur Spiritus Sanctus: *tertio,* divinitus erat institutum: nam Apostoli propria auctoritate non potuissent aliquod signum instituere, ut ad ejus collationem certo et infallibiliter daretur Spiritus Sanctus: sed illa manus impositio aliud non erat Sacramentum, quam Confirmatio; non enim erat Baptismus, quandoquidem fiebat post Baptismum, et jam baptizatis conferebatur, ut ex statim dictis liquet: igitur distinctum a Baptismo erat Sacramentum.

Reponunt primo hæretici, illam manuum impositionem fuisse tantum cæremoniam quamdam Baptismi, qua Apostoli baptizatos Deo commendabant, et offerebant, atque pro ipsis orabant. – **Verum contra** *primo,* id *gratis* dicitur, et sine ullo Scripturæ et SS. Patrum testimonio: *secundo,* mendaciter et falso, quippe cum per illam manuum impositionem daretur Spiritus Sanctus majori plenitudine donorum, quam in Baptismo fuisset collatus; ac subinde illa cæremonia nobiliorem dignitatem ac virtutem habebat, quam Baptismus: *tertio,* imperite; si enim illa manuum impositio fuisset dumtaxat levis quædam Baptismi cæremonia, et nuda Baptizatorum oblatio, potuisset adhiberi a quocumque, qui posset Baptismum conferre: hoc autem repugnat Scripturæ; quos enim Philippus Diaconus baptizaverat Samariæ, eosdem ita Deo non obtulit, nec manum eis imposuit, ut S. Spiritus plenitudinem acciperent, sed ad hoc beneficium conferendum missi sunt SS. Petrus et Joannes Apostoli.

Reponunt 2. Per Spiritum Sanctum collatum per manus impositionem, non intelligi gratiam sanctificantem et gratum facientem, sed gratias gratis datas, puta donum linguarum et Prophetiæ. — **Verum** quam futilis et inanis sit hæc elusio, *probatur primo,* quia Spiritus Sanctus non dicitur dari per collationem gratiarum gratis datarum, sed per infusionem gratiæ sanctificantis et charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; ✳ "ubique enim dona illa accurate a Spiritu Sancto distinguuntur tamquam effectus a causa.

Sic. 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum*, etc. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Sic etiam S. Lucas Actorum 2. et 19. donum linguarum et prophetiam diserte a Spiritu Sancto distinguit: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, inquit, *et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Et cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant.* Igitur nomine Spiritus Sancti, qui apostolica manuum impositione recentibus christianis tribuebatur, non sola charismata, sed ipsa Spiritus Sancti persona, quæ per charitatem dicitur nobis infundi, et gratia singularis ad robur in fidei confessione præstandum, et ad eximium quoddam gratiæ sanctificantis incrementum tribuendum intelligenda est. *Secundo* donum linguarum peccatoribus etiam tribui potest a Deo: at peccatores manentem in se Spiritum Sanctum non habent, *in malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, ut dicitur Sap. 1. ergo cum dicitur conferri Spiritus Sanctus, non sola Spiritus Sancti charismata, sed ipsam gratiam sanctificantem quoad substantiam vel quoad augmentum et modum infundi intelligere debemus. *Tertio*, " ✳ gratiæ gratis datæ non conferebantur omnibus, sed aliquibus tantum, prout Ecclesiæ expediebat. Unde Apostolus 1. ad Cor. 12. *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes loquuntur linguis?* etc. Sed donum Spiritus Sancti tribui solitum per manus impositionem, conferebatur omnibus, quibus ab Apostolis manus imponebantur. Unde S. Petrus Act. 2. probat ipsum eumdem Spiritum, quem acceperunt Apostoli in die Pentecostes, omnibus dandum esse fidelibus, et effundendum super omnem carnem. Porro Apostoli in die Pentecostes nedum acceperunt gratias gratis datas, sed etiam gratiæ sanctificantis augmentum, et divinum robur, cælestemque virtutem ad Christi fidem et Religionem animose propalandam, ut ipsemet Christus Dominus promiserat Lucæ ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Et Actor. 1. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti, et eritis mihi testes in Judæa*, etc. ✳ " Spiritus enim in Apostolos in die Pentecostes illapsus, et post ab eis collatus fidelibus per manuum impositionem, ille ipse est quem Christus promisit Joann. 14. *Ego rogabo Patrem*, inquit, *et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.* At dona extraordinaria prophetiæ, linguarum, sanationum, etc. non efficiunt ut Spiritus Sanctus habitet in fidelibus, nec perpetuo manserunt in Ecclesia. Ergo Spiritus Sanctus Apostolis, et per Apostolos collatus, non fuit dumtaxat Spiritus charismatum, sed ipsa Spiritus Sancti persona, et gratia sanctificans. " ✳

Reponunt 3. Illam manuum impositionem fuisse dumtaxat quamdam cæremoniam a Christo institutam, qua conferebantur egregia Spiritus Sancti dona ad illustranda et facilius stabilienda Ecclesiæ nascentis exordia, qualis etiam erat virtus patrandi miracula; at hoc beneficium cum ipsis Apostolis desiisse, utpote cum jam non conferantur ea dona

cum signis sensibilibus linguæ igneæ. — **Verum hæc responsio** directe militat in SS. Patres; nam S. Cyprianus, Epist. 73. loquens de Samaritanis baptizatis a Philippo Diacono, cum dixisset: *Quia legitimum et Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo, quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus.* Statim subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico confirmentur.* Et S. Augustinus, lib. 15. *De Trinitate*, cap. 26. *Orabant*, inquit, *Apostoli, ut Spiritus sanctus in eos veniret, quibus manus imponebant, quem morem in suis Episcopis, seu Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

* " Reponunt 4. Fideles quibus Apostoli manus imponebant, jam accepisse per Baptismum gratiam sanctificantem, adeoque Spiritum ipsis per Apostolos in manuum impositione collatum significare gratiam alteriûs generis, scilicet non gratum facientem, sed gratis datam. — **Nego consequentiam**, quoad ultimam partem; licet enim alterius generis gratiam per manuum impositionem acciperent quam per Baptismum, non sequitur gratiam illam non fuisse gratum facientem. Quæcumque enim post Baptismum conferuntur gratiæ, quibus illa prima augetur et modificatur, non sunt dona gratis data et extraordinaria charismata, et tamen sunt alterius generis moralis ab illa; siquidem non sunt gratiæ regenerationis, ned ad delendum peccatum originale conferuntur. Sic in Baptismo datur Spiritus sanctus ad primam animæ sanctificationem; confertur autem in Confirmatione ad spirituale robur animæ contra tentationes; ideoque non unam eamdemque gratiam, sed duplicem et diversæ quasi speciei significat, ut diserte tradit Auctor antiquus homiliæ de Pentecoste, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumfertur, sive sit ille Eucherius Lugdunensis, sive Hilarius Arelatensis. *Quod nunc*, inquit, *manuum impositio in confirmandis neophytis tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus quod manus impositio et confirmatio ei, qui jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid possit; forte cogitat sibi aliquis: quid mihi prodest post Baptismi mysterium, ministerium confirmantis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis* (gratiæ) *indigemus? Non ita est, dilectissimi, attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, ut cum imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum, ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiæ. Numquid prodest si quisquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, nisi providere studeat et tutorem? Paracletus autem regeneratis in Christo custos et consolator, et tutor est: ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: ac si continuo transi-*

turis sufficiunt regenerationis beneficia; victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia: regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos.

Probatur veritas Sacramenti Confirmationis ex perpetuo Ecclesiæ usu et ex sanctis Patribus " ✳ — Ut autem omnino perfidia hæreticorum effutientium cum Calvino, Sacramentum Confirmationis primum a Melchiade esse memoratum, pateat, placet hic attexere auctoritates SS. Patrum, qui ab ipsis Apostolis acceptam de hoc Sacramento doctrinam continua Traditione ad nos usque propagarunt. Prodit imprimis S. Dionysius, qui cap. 2. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* expressam hujus Sacramenti mentionem facit. Scribit enim: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt; ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat.* Et cap. 4. loquens de Sacramento Eucharistiæ, ait: *Ei finitimum est aliud Sacramentum, quod Præceptores nostri unguenti Mysterium nominant.* Idem habet S. Clemens Romanus Epistol. 4. ad Julium et Julianum, ubi circa medium scribit: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, et consignari ab Episcopo. Idest, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere.... quia aliter perfectus esse Christianus numquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, ut a B. Petro accepimus, et cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Idem docet lib. 3. *Constitut.* cap. 16. — Similiter Urbanus primus in sua Decretali Epist. scribit cap. 7. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut veri Christiani inveniantur.* Pariter Cornelius Epist. ad Fabianum Antiochiæ Episcopum, scribit minime esse putandum Novati Clinici Baptisma perfectum aut consummatum fuisse, aut Spiritum sanctum interveniisse, *eo quod jacens in lecto pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo, quæ Baptismum subsequi solent, adimpleta sint, nec signaculo Chrismatis confirmatus sit, unde nec Spiritum sanctum unquam potuit promereri.* — Idem facto suo comprobavit S. Sylvester, qui hoc Sacramentum Constantino administravit, ut ipsemet Constantinus testatur in edicto pro Christianis, ubi legimus: *Septiformis gratiæ Spiritus sanctus linivit beati Chrismatis unctionem, et vexillum sanctæ crucis circuivit in mea fronte, dicens: Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Hujus pariter Sacramenti meminerunt SS. Pontifices, Eusebius, Epist. 3. Innocentius I, Epist. 1. Damasus, Epist. 4. Leo Epist. 86, ✳ " S. Gregorius Magnus, lib. 3. Epist. 9. ad Januarium Calaritanum episcopum aliique infra citandi, ubi de Confirmationis ministro agendum erit. " ✳ — Sed eis præivit Tertull. lib. *De Resurrectione carnis,* cap. 8. ubi declarans veterem Ecclesiæ consuetudinem administrandi eodem die tria Sacramenta adultis optime dispositis, nempe Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam, de Baptismo ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur;* de Confirmatione: *Caro ungitur, ut anima consecretur, Caro signatur, ut anima muniatur, Caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.* Quibus verbis tria designat, quæ in Sacramento Confirmationis ministrando observari solent; nam primo ungimur Chrismate; deinde signamur signo crucis; demum manuum Episcopalium impositione adumbramur. De Eucharistia autem ait: *Caro Corpore et*

Sanguine Domini vescitur, ut anima de Deo saginetur. Ei subscribit Origenes, Hom. 9. in Leveticum. Subscribunt pariter omnes SS. Patres Græci simul et Latini, maxime vero S. Ambrosius, lib. 7. *De Spiritu sancto*, cap. 6. *Signati*, inquit, *a Spiritu sumus, sicut enim in Christum morimur, ut renascamur, ita etiam spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, et gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum. Nam, et si spiritu signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem.* — ✻ " His accedit S. Cypriani auctoritas, Epist. 71. ad Januarium dicentis: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Porro Eucharistia et unde Baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur.* Quibus verbis 1. unctionem illam necessariam esse, 2. eam a Baptismo distingui utpote quæ homini jam baptizato conferatur, 3. eam efficere ut baptizatus Christi gratiam habeat, 4. eam cum Eucharistia comparandam in ratione Sacramenti pronuntiat. Et Epist. 72. ad Stephanum, in qua contendit ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes de integro baptizarentur, Confirmationem sacramentum dicit, eamque cum Baptismo componit. *Parum*, inquit, *est eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur.* — Idem testatur Optatus Milevitanus, lib. 4. adversus Parmenianum, ubi in Christi Baptismo adumbratum esse docet non solum Baptismum nostrum, sed etiam Confirmationem quæ illum subsequebatur. *Descendit in aquam*, inquit, *non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda et ordinanda et implenda baptismatis. Lotus cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii. Apertum est cœlum Deo Patre ungente. Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit et insedit capiti ejus et profudit eum, unde capit dici Christus quando unctus est a Deo Patre. Cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis: hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.* Ex his colligitur Confirmationem quæ in chrismatione et manus impositione consistit, esse singulare sacramentum; nam mysteria baptismatis secundum Optatum initiantur et implentur per aquam, et sicut unctio Christi per Spiritum sanctum et ejusdem confirmatio per Patris testimonium non erant partes rituales Baptismi Joannis quem susceperat Christus, ita nec christianorum Confirmationem his adumbratam partem esse cæremonialem Baptismi nostri innuit Optatus. — Chrismatis virtutem idem Auctor aut quivis alius antiquissimus, lib. 7. contra Parmenianum, aperit his verbis: *Oleum simplex est, et nomen suum unum et proprium habet: contectum jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritie peccatorum; quæ animum innovat lenem, quæ sedem Spiritui sancto parat, ut invitatus illic asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur.* Quanti autem faciendum sit sacrum illud chrisma, et quam merito pro materia veri sacramenti habeatur, declarat idem Optatus, lib. 2. adversus Parmenianum, ubi sacrilegum æque facinus *a Donatistis* perpetratum innuit, cum sacri chrismatis ampullam per

fenestram projecerunt, et cum Eucharistiam dederunt canibus, et miraculo sceleris utriusque immanitatem fuisse demonstratam refert. Nam iidem canes, inquit, accensi rabie ipsos dominos suos, quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice laniaverunt, et manus Angelica non defuit, quæ ampullam chrismatis spiritali subvectione deduceret, ne frangeretur. — Idipsum colligitur ex Epist. 1. S. Paciani Barcinonensis episcopi adversus Sympronianum Novatianum, ubi probat jus remittendi peccata competere Episcopis, eo quod Apostolis dictum sit a Christo: *quorum remiseritis peccata*, etc. Quod cum solis Apostolis dictum Novatiani contenderent, sic eos refellit: *An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum longe chrismatum ad Episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfluit atque solvendi.* Porro chrismatis potestas majora inter chrismata non censeretur cum Baptismo, nec ad Spiritum sanctum diceretur destinata, et ab Apostolis ad Episcopos derivata, si Confirmatio esset solum cæremonia Baptismi ab Ecclesia pro libito instituta et revocanda, ut contendunt heterodoxi. Idem inferri potest ex illis ejusdem Paciani verbis Epist. 3. ad Sympronianum: *vel suæ plebi unde Spiritus sanctus, quam non consignat unctus Sacerdos?* idest Episcopus. Consignatione igitur antistitum dari Spiritum Sanctum existimavit. — Similiter S. Hieronymus, dialogo contra Luciferianos, sic hæreticum loquentem inducit: *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Et si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Cui sic Orthodoxus reponit: " * *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat... Quod si hoc loco quæris, quare baptizatus in Ecclesia, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui; Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* — Idem approbat S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui ex quinque Catechesibus, quas pro informandis Catechumenis, qui eodem die Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam debebant suscipere, primam, et secundam scripsit de Baptismo: quartam, et quintam de Eucharistia: tertiam composuit de Confirmatione, in qua inter cætera scribit: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi, sic et Sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsius Divinitatem energiam habet, qua frons, et alii sensus tui symbolice inunguntur, et corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur.* — Consentit etiam Theodoretus in 1. caput Canticorum, ubi scribit: *Qui initiantur Baptismo, post abnegationem satanæ, et Confessionem fidei, veluti signo ac nota regia spiritalis unguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie invisibilem S. Spiritus gra-*

tiam percipiunt. Similia habet S. Damascenus, lib. 4. *De Fide Orthodoxa*, c. 10. ubi ait: *Apostolis datum Spiritum sanctum in forma ignis: nobis per oleum.* — ✻ " Catholicam de Sacramento Confirmationis fidem diserte exponit S. Isidorus Hispalensis, lib. 6. *Originum*, cap. 19. ubi de sacramentis agens sic loquitur: *Sunt autem Sacramenta: Baptismus, chrisma, Corpus et Sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem Sacramentorum operatur.* Ibi chrismatis Sacramentum eodem in ordine ac sensu habet Isidorus ac Baptismum et Eucharistiam, ut verba sequentia declarant. *Chrisma*, inquit, *græce, latine unctio nominatur, ex cujus nomine et Christus dicitur, et homo post lavacrum sanctificatur; nam sicut in Baptismo remissio peccatorum datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. Quæ dum carnaliter fit, spiritualiter proficit, quomodo et in ipsa Baptismi gratia visibilis actus est, quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus, quod delictis mundamur.* Tum de manus impositione subjungit: *Manus impositio adeo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus, tunc enim ille Paracletus post mundata et benedicta corpora libens a Patre descendit.* — Hoc ipsum non minus perspicue tradit Venerabilis Beda in *Comment.*, Psal. 26. ad illa tituli verba: *priusquam liniretur David, idest priusquam ungeretur unctione tertia.* Observat namque ex sacris Litteris ter unctum fuisse Davidem, et christianorum fuisse typum, qui ter ungi debent, oleo scilicet in Baptismate, chrismate in Confirmatione, et gaudio æternæ vitæ in cælo. Moxque explicans psalmi verba: *Dominus illuminatio mea et salus; Dominus*, inquit, *animam meam, quæ prius in tenebris infidelitatis fuit, illuminavit per notitiam fidei datam mihi et in prima unctione olei, quando Satanæ et pompis ejus abrenuntiavi, et in secunda unctione chrismatis, quando nominis ejus manifeste professor fui.* Et infra: *Potest quoque si cui libuerit illuminatio ad primam tantum unctionem, in qua simpliciter abrenuntiamus Satanæ referri. Salus vero ad secundam, in qua magis firmamur, quia et nomen Christi in ea profitemur, et ab ea nomen accipimus, scilicet ut christiani dicamur... Sciendum autem, quod illa unctio quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia a duabus prædictis, et vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda. Propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut et multa alia.* — Amalarius Fortunatus, lib. 10. *De Ecclesiasticis officiis*, cap. 27. idem Sacramentum commendat, vocans eum Baptismum ignis. *Baptizamur*, inquit, *Spiritu sancto et igne. Baptizamur Spiritu sancto, quando abluimur a peccatis in baptismate. Baptizamur igne, quando ardorem Spiritus accipimus, ut Apostoli acceperunt in die Pentecostes. Hunc autem Baptismum ignis accipimus per manus Episcoporum, qui consumat ligna, fœnum et stipulam, quia Deus ignis consumens est calorem præstans vitæ æternæ.* — Sic quoque Rabanus Maurus, lib. *De Institutione Clericorum*, cap. 30. quod *de impositione manus episcopalis et chrismatis sacramento* inscribitur: *Novissime autem*, inquit, *a summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur ille Spiritus sanctus, ut roboretur ad prædicandum aliis idem donum quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vita donatus æterna. Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in*

capitis summitate, per pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et virtutis venire in hominem declaretur. Tunc enim Spiritus sanctus, post mundata et benedicta corpora atque animas, libens a Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret et illustraret in Baptismo: et nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei, quod in fronte suscepit, faciat cum donis cœlestibus repletum et sua gratia confortatum, intrepide coram regibus et potestatibus hujus sæculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. — Suffragatur S. Petrus Damianus Serm. 69. in dedicatione Ecclesiæ: *Secundum Sacramentum*, inquit, *est Confirmationis. In baptismate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam. Hi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus premimur*, etc. — Adstipulatur Arnoldus Bonævallis abbas, in lib. *De cardinalibus operibus Christi*, qui S. Cypriano olim adscriptus est, Sermone de unctione chrismatis, in quo hæc habet: *Non hæc de medendis corporibus unctio instituta, quæ sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentius operatur, sed adest veritas signo et Spiritus sacramento, ut et ipsis rerum efficentiis gratiæ dignitas appareat... Ex hujus unctionis beneficio et sapientia nobis et fortitudo cœlitus illabitur*, etc. — Veritas et utut Sacramenti Confirmationis adhuc probari posset ex Ordine Romano, qui liber ante nonum sæculum, nemine reclamante, conscriptus est; ex Sacramentario Gregoriano, ex perantiquis ecclesiarum Ritualibus, ex Græcorum Eucoleugis, in quibus et nomen et virtus sacramenti tribuitur Confirmationi, sed auctoritates Patrum omnium Ecclesiæ sæculorum jam sufficiant allatæ si prius agmen earum clauserit qui primus inter eos tenet, S. Augustinus, " * qui pluribi Sacramentum Confirmationis commendat, maxime vero lib. *Contra Litteras Petiliani*, cap. 104. ubi referens illud Psalmi: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, ait: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* — * " Et infra: *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest; illis ad præmium, illis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis quæ propria bonorum est.* Et Tractatu 3, in Epist. Joannis: *Unctionis Sacramentum*, inquit, *est virtus ipsa invisibilis;* quæ virtus quid efficiat continuo exponit: *Unctio invisibilis est Spiritus sanctus, unctio invisibilis charitas est.* Quibus constat S. Augustinum confirmationem in numerum sacramentorum adscribere, eamque bonis invisibilem gratiæ unctionem præstare, omnibus vero, cum malis, tum bonis, indelebilem characterem, qui sit illis in judicium, et illis vero in præmium. — Et lib. 3. *De Sacramentis*, cap. 2. *Sequitur*, inquit, *spirituale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. *Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris.* Et lib. 6. cap. 2. *Baptizatus es in nomine Trinitatis. Deus qui te unxit et signavit posuit Spiritum sanctum in corde tuo; accipe aliud, Christum dicentem ad Ecclesiam: pone me ut signaculum.* " *

Ex quibus omnibus aperte liquet, quam stolide, quamque mendaciter Lutherus et Calvinus effutiant hujus Sacramenti nullum apparere vestigium, nec in Scriptura, nec in Traditione. Quibus utique reponi potest, quod Luciferianis reponebat S. Hieronymus: *exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum: sed etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret.*

Reponunt, illam unctionem, cujus meminerunt SS. Patres, fuisse tantum unam ex Baptismi cæremoniis. *Tum* quia prius manuum impositio cum aliis Baptismi cæremoniis exercebatur, ut patet ex SS. Dionysio, Clemente, et Cyrillo, Catechesi 62. *Tum* quia Tertullianus ubi mentionem fecit unctionis ex Chrismate, lib. *De Baptismo*, concludit: *Diximus quantum mediocritati nostræ licuit, de universis quæ Baptismi religionem struunt:* ergo censet eam spectare ad Baptismi cæremoniam. Similiter S. Cyprianus, Epist. 70. agens de tali unctione, ita eam nectit cum Baptismo, ut ab ejus invaliditate vel validitate inferat Baptismum iterandum esse, vel non. *Tum denique*, quia ipsemet Epist. 73. affirmat Samaritanis jam baptizatis per impositionem manuum Apostolicarum fuisse factum, quod eorum Baptismo deerat. Similiter, ex supra laudato Eliberitano Canone unctio dicitur Baptismi perfectio: ergo a baptismate non distinguitur. — *Nego antecedens, et consequentiam*, et ad 1. *Confirmationem* dico, duplicem a prædictis Patribus distingui unctionem; unam, quæ Baptismum præcedit, quæque fieri debebat a Presbyteris ex oleo puro circa totum baptizandi corpus, aut saltem in vertice capitis; quæ quidem unctio erat veluti præparatio ad Baptismi internam unctionem, seu gratiam recipiendam. Et ejus meminit tum S. Clemens, lib. 7. *Constit.*, cap. 43. *Tum* S. Cyrillus laudatus. *Alia* erat unctio, quæ non ex puro oleo, sed ex Chrismate, neque ante, sed post Baptismum, nec a Presbyteris, sed ab Episcopis, nec denique circa totum corpus, sed in baptizati fronte fieri debebat. Unde S. Cyrillus Catechesi 3. *Postquam*, inquit, *ex aquis sacri lavacri ascendisti, datum est Chrisma, quod gerit imaginem illius, quo unctus est Christus, hoc autem est Spiritus sanctus.* Eamdem sententiam confirmat S. Dionysius, lib. *De Hierarch. Eccles.*, cap. 2. Nam ibi duplicem in baptismate unctionem fieri solitam advertit; unam, qua totum baptizandi corpus profunditur a Sacerdotibus ante sacramentalem Baptismi ablutionem, et formæ prolationem; seu, ut loquitur ipsemet S. Dionys. *Antequam Hierarcha eum, qui initiatur, ter demergat, et in tribus demersionibus, immersionibusque trium divinæ beatitudinis personarum nomina appellet, et invocet;* alteram, quæ completam Baptismi collationem subsequitur; et ei confertur, quando indutus candida veste restitutus suo sponsori per Sacerdotes ad Hierarcham deducitur ungendus, et hanc unctionem in sua theoria a priori in *hoc distinguit, quod habeat vim perficiendi, et eum, qui baptizatus est, suavitate odoris fragrantem faciat;* quæ proculdubio Confirmationi conveniunt. *Ad S. Cyprianum* dico, eum quidem jungere Chrismationem cum ablutione, non tamquam cæremoniam cæremoniæ, sed tamquam Sacramentum roborans Sacramento gignenti, et spiritualem vitam conferenti; tria siquidem Sacramenta uno eodemque die ministrabantur: Baptismus, quo spiritualiter nasci, Confirmatio,

qua roborari, et Eucharistia, qua nutriri possent homines, ut constat tum ex S. Dionysio, tum ex Tertull., tum ex S. Ambrosio, lib. 1. *De initiandis*, cap. 2. tum denique ex ipsomet S. Cypriano, qui loco citato ita loquitur: *Ungi quoque necesse eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit; porro autem Eucharistia, et unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificantur;* idest, oleum ad altare sanctificatur, et Eucharistia conficitur. Sic enim subdit: *Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, quando constat oleum sanctificari, et Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse; scire autem, et meminisse debemus scriptum esse: Oleum peccatoris non ungat caput meum.* Ex quibus legitime infert, licet erronee, quod si Confirmatio ab hæretico fieri nequeat, nec Eucharistia; quia altare, et Ecclesiam non habent, ideo nec Baptismus fieri potest. Eodem modo *Resp.* Tertullianum intelligendum, sic ut velit se egisse de Baptismo; non tamquam de unica actione secundum entitatem, sed secundum continuitatem, quia Confirmatio nulla mora post Baptismum conferri solebat. Quod autem eam unctionem non puram esse Baptismi cæremoniam teneat, satis indicat, dum eum ejusdem cum Baptismo significationis ac virtutis esse doceat his verbis: ✻ " *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron a Moyse unctus est; unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre... sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit; quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur, spiritalis est effectus, quo delictis liberamur.* Quibus Tertullianus nedum illam unctionem a Baptismo distinguit, sed et ipsi spiritualem sicut et Baptismo tribuit effectum. Et ne in hujus Sacramenti mentione desideretur aliquid quod ad ipsum pertineat subdit: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum... quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit, ex arca demissa, et cum oleo reversa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur, eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, idest, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta columba Spiritus sancti advolat pacem Dei ferens, emissa de cœlis, ubi est Ecclesia est arca figurata.*

Ut autem objectionibus hæreticorum obviam procedam, observa quod si Tertullianus dicat unctionem baptizatorum esse de pristina disciplina, idest, de Mosayca, non ideo vult eam esse merum Legis veteris ritum, sed quod unctionibus Mosaycæ Legis figurata fuerit. Nihil enim in religionis christianæ mysteriis esse *sine argumento præcedentis figuræ*, satis ibi innuit. Deinde observa, quod vane unctio illa revocaretur ad Baptismi cæremonias ex eo quod de illa agat in lib. *De Baptismo;* præterquam quod enim de ea obiter tantum et data occasione disserit, non eam omnino sicut nec Eucharistiam omittere debebat, tria enim illa Sacramenta simul primitus conferebantur. Cæterum, quod eam verum Sacramentum censuerit, exinde colligi potest, quod de ea sicut de Baptismo et Eucharistia loquatur. Sic lib. *De præscript. hæretic.*

cap. 40. *Diabolum ipsas res sacramentorum æmulari* dicit *idolorum mysteriis, quia tingit et ipse quosdam, uti credentes et fideles suos, et expositionem delictorum de lavacro repromittit, et quia Mithra signat in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem.* Sicut ergo Baptismum et Eucharistiam divina Sacramenta esse, quæ diabolus imitatur, agnoscit, ita et signationem frontis atque inunctionem, quam in Mithræ mysteriis æmulatus est dæmon rem esse Sacramenti veri existimat. Quod iterum inferri potest ex his verbis, lib. 1. *Contra Marcionem*, cap. 14. "*Ille quidem*, inquit, *usque nunc neque aquam reprobavit Creatoris, qua suos lavit; nec oleum quo suos ungit, nec panem quo ipsum Corpus suum repræsentat; etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.* Ex quibus infert Tertullianus, non malas esse creaturas quas in Sacramentis ad conferendam gratiam ipse Marcion adhibet; sed nos inde concludimus ipsum confirmationem ex oleo inter Sacramenta cum Baptismo et Eucharistia accensere." * — *Ad Concilium Eliberitanum* dico, illud non dicere baptizatum a Laico ad Episcopum ducendum, ut perficiatur Baptismus; sed ut baptizatus perfici possit; quod utique verum esse non abnuo, siquidem per Confirmationem perficitur et roboratur vita spiritualis per Baptismum accepta.

Objicies 1. Frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora: sed omnis effectus, qui per Confirmationem præstari potest, sufficienter obtinetur per Baptismum et Eucharistiam; nam in Baptismo infunditur gratia, virtutes communicantur, ipseque Spiritus Sanctus tribuitur; pariter in Eucharistia vires spirituales crescunt, non secus ac corporis vigor cibo et potu roboratur; unde de Eucharistia explicari solet illud Psalmistæ oraculum: *Panis cor hominis confirmat;* igitur vanum prorsus, ac inutile est Confirmationis Sacramentum. — **Respondet Seraphicus Doctor**, in *4.* dist. *7.* dub. 1., ubi profert varias hujus argumenti solutiones: *primo* modo, inquit, respondetur, quod istud Sacramentum ordinatur ad robur per se, sed Eucharistia per accidens. *Sed* hoc non solvit, quia sive per se, sive per accidens, dum tamen habeat effectum eumdem, videtur alterum superfluere. *Secundus* modus dicendi est, quod Confirmatio confirmat contra malum, sed Eucharistia in bono. *Sed* nec illud sufficit, quia omne Sacramentum, cum sit remedium, est contra malum, et ita Eucharistia. *Alii dicunt*, quod duo sunt nobis necessaria, scilicet fides, et mores; et unum confirmat in fide, scilicet Confirmatio; sed Eucharistia quantum ad bonos mores; quia, ut dicit Bernardus, Eucharistia non solum delet venialia, sed etiam consensum fortificat, ne inclinetur ad mortalia. *Alii dicunt* quod utrumque fortificat fidem: sed duo necessaria sunt ad fidem firmam, scilicet corde credere, et ore confiteri; et Eucharistia confirmat quantum ad fidem in corde, sed Confirmatio quantum ad confessionem, sive prolationem in ore. *Alii dicunt*, quod utrumque fortificat charitatem, quia ab ejus fortitudine pendet fortitudo omnium. Sed charitas potest deficere dupliciter, scilicet per defectum alimenti, vel per actionem contrarii, sicut patet in igne materiali; et contra primum est Eucharistia, quæ cibat; contra secundum Confirmatio, ut impugnantibus resistat. *Alii dicunt* aliter, et probabilius, quod Confirmatio est ad corroborationem fidei; sed Eucha-

ristia charitatis; et hoc patet, quia hic est signum confessionis fidelis, ibi signum unionis. Et si quæratur, quare magis confirmantur hæ duæ virtutes, quam aliæ? Dicendum, quod quia in his duabus pendet fortitudo spiritualis ædificii, quantum ad intellectum, et affectum. Et quia in fide est prima elevatio, in charitate elevatio summa, et utrobique difficultas, et quia pronitas est ad contrarium, ideo magis confirmantur. — *Verum* brevius et clarius, *respondeo negando minorem;* quamquam enim gratia sanctificans, et idem Spiritus sanctus in omnibus Sacramentis novæ Legis conferatur; nihilominus diversos in fines, et varios effectus collimat hæc communicatio; quod maxime verum est in tribus præfatis Sacramentis; in Baptismo enim infunditur gratia et virtutes Spiritus sancti ad innocentiam, in Confirmatione ad pugnam, in Eucharistia ad animæ delicias, et saginam. In Baptismo confertur plenitudo justitiæ, in Confirmatione plenitudo fortitudinis, in Eucharistia plenitudo devotionis. In Baptismo regeneramur in novam creaturam, in Confirmatione roboramur ad vitam spiritalem tuendam, in Eucharistia hujus vitæ spiritalis deliciis impinguamur. Sicut ergo non est superflua Eucharistia, tametsi gratia et Spiritus sanctus in Baptismo conferantur; ita nec supervacanea est Confirmatio, quæ distinctum a duobus aliis Sacramentis effectum tribuit.

Objicies 2. Sacramenta novæ Legis conferre debent gratiam ex opere operato, ut jam pluries diximus: at id non est de Confirmatione; nam, ut observat S. Augustinus, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 16. Apostoli per manuum impositionem non conferebant Spiritum sanctum, sed dumtaxat quasdam sensibiles gratias gratis datas; imo neque has gratias virtute manuum impositionis conferebant, sed dumtaxat merito suæ orationis: *Orabant enim* (inquit, lib. 15. *De Trinitate*, cap. 26.) *ut Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Idem S. Cyrillus, lib. 2. in S. Joannem, cap. 2., negat Apostolicam manum dedisse Spiritum sanctum, sed eum ab Apostolis exoratum advenisse: igitur Confirmatio non habet veram rationem Sacramenti. — **Nego minorem**; et ad priorem S. Augustini auctoritatem dico, eum dumtaxat velle, quod tunc quidem daretur Spiritus modo sensibili; nunc autem modo insensibili: *Neque enim*, inquit, *temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant loqui linguis? Sed invisibiliter, et latenter intelligitur per vinculum pacis, eorum cordibus divina charitas inspirari.* — *Ad alias* tum S. Augustini, tum S. Cyrilli sententias dico eos, *vel* non ibi intelligendos esse de Confirmatione, sed de alia manuum impositione; alias sibi ipsis contradicerent, cum, ut jam diximus, uterque asserat Apostolos Spiritum sanctum dedisse: *vel* eos velle quidem Apostolos non dedisse Spiritum sanctum ut causas principales, sed ut instrumentales: *vel denique* loquuntur de manus impositione non ordinatoria aut Confirmatoria, sed reconciliatoria, qua scilicet recipiebantur pœnitentes ad pacem et Ecclesiasticam communionem. Triplex siquidem erat manuum impositio, per quam dabatur Spiritus sanctus; nam per Ordinatoriam dabatur ad potestatem debite

exercendam in Sacramentis conficiendis, aut ministrandis; per Confirmatoriam dabatur ad roborandam animam in fidei confessione; per Reconciliatoriam dabatur ad remissionem peccatorum. De hac autem triplici manus impositione ibidem agit Augustinus. Nam illius propositum erat solvere argumenta S. Cypriani, qui ex eo quod in sola Ecclesia dari potest et accipi Spiritus sanctus, colligebat Sacramenta hæreticorum esse nulla, et invalida quod argumentum ut dilueret, initio capitis explicat quid significetur per *Spiritum sanctum, qui in sola Ecclesia Catholica dari potest,* dicitque: *Spiritus sanctus, qui in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: quoniam charitas Dei diffusa est in,* etc. ubi impositionem manuum sumit generice, quatenus prædictis convenit, dicitque Spiritum sanctum, idest, charitatem non posse habere nisi bonos; ac proinde cum extra Ecclesiam nullus sit bonus, concludit: *Non autem habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem; ac per hoc recte intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus sanctus; non enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus,* etc. Quibus accipit manuum impositionem non generice, sed magis stricte, idest, pro Confirmatoria, qua dicit dari Spiritum sanctum non attestantibus signis externis, sed latenter, ut supra dixi; ibi tamen nulla est æquivocatio, quia quod convenit toti generi, recte declaratur exemplo unius speciei. *Deinde,* redit ad argumentum S. Cypriani, et distinguit tria Sacramenta, donum Spiritus sancti, gratis datum, et gratum facientem, nempe charitatem; dicitque extra Ecclesiam, et in pravis hominibus posse esse duo priora. *Cum ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet; sicut Saul habuit Prophetiam, aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta: quodlibet hæretici, et schismatici accipiant; charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis et pacis.* Ac proinde contendit baptizatos ab hæreticis debere in Ecclesiæ unitatem et gremium adunari, ut charitatem habere possint per impositionem manuum reconciliatoriam. Et quia poterat aliquis suspicari hanc manuum impositionem repeti non posse, sicut Baptismus, Confirmatio, et Ordinatio, subjungit: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest; quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Quibus aperte satis indicat se non loqui de impositione manuum Confirmatoria: siquidem posset ei responderi, est Chrismatio, unctio, etc. ut tu ipse dixisti locis citatis.

INSTABIS: Manus impositio reconciliatoria non erat diversa a Confirmatoria: ergo si una iterari possit, potest et alia. *Probatur antecedens,* tum ex Concilio I Arelat., Can. 8. *Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes symbolum, et si perviderint in Patre, Filio, et Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum; quod si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Tum ex Laodiceno, Can. 7., ubi statuitur, ut *Novatiani, et Thessaradecatitæ ad Ecclesiam revertentes, nostræ fidei symbolum doceantur, et uncti sancto*

Chrismate sic mysteriis communicent sacrosanctis, etc. — **Distinguo antecedens**: in Ecclesia Orientali, *concedo:* in Occidentali, *nego:* nam, ut notant Summi Pontifices Vigilius, Epist. 1. cap. 3. et Gregorius, lib. 9. *Epist.*, Epist. 61. hæretici idcirco ad Ecclesiam redeuntes ungebantur in Oriente, quia Ariani et Novatiani non chrismabant in Oriente; unde etiam illi jubentur ungi; at in Occidente chrismabant, idcirco per solam manuum impositionem recipiebantur. Vel si Chrismationis Sacramentum eis ministrabatur, non tamen statim ac recipiebantur, sed opportuno tempore; ut etiam modo fit cum Calvinistis et Lutheranis ad Ecclesiæ gremium sese recipientibus.

Conclusio secunda. — Sacramentum Confirmationis fuit a Christo Domino institutum, idque in die Cœnæ.

Prima pars jam sufficienter constat ex dictis de Sacramentis in communi, eamque aperte definit Concilium Tridentinum, Sessione 6. *De Sacramentis in Genere*, Can. 1. *Si quis dixerit*, inquit sancta Synodus, *Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Eamdem veritatem docet Subtilis Doctor, in 4. dist. 5. quæst. 1. num. 3., ubi scribit: « De Sacramento Confirmationis supponitur in« stitutum esse a Deo, licet tempus et modus hujus institutionis in « Scriptura non legatur; forte quia Historiographi Scripturam usque ad « tempus illud non produxerunt; non enim produxerunt ultra tempus « Apostolorum, nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum; « toto autem tempore Apostolorum forte mansit donum linguarum in « Sacramento Confirmationis. Nec est improbabile, multa esse tradita « auctoritative a Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scri« ptura non legimus, ut dicit Damascenus, lib. 4. cap. 4. ubi loquens « De Adoratione Imaginum, ait: est autem nobis tradita ista Traditio, « quemadmodum oportet ad Orientem adorare crucem, et alia plurima « his similia ». Quibus verbis Doctor tria significat: *primum*, quod Confirmatio sit divinitus instituta: *secundum*, quod illius institutionis tempus et modus non præscribatur in Scriptura: *tertium*, quod illius institutionis modus et tempus maxime appareat et innotescat per Traditionem. Ubi Doctor non negat, Sacramenti Confirmationis veritatem colligi posse ex Scriptura sacra, ut perperam ei affingit Basilius Pontius, parte 1. sui Tractatus *De Confirmatione*, cap. 3. n. 11. sed tantum, quod tempus illius institutionis expresse in Scriptura sacra non designetur.

Secunda pars colligitur ex S. Fabiano summo Pontefice, Epist. 2. cap. 1. is enim cum accepisset quosdam Episcopos Orientales, non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere, sed duos, vel tres annos confectionem S. Chrismatis semel actam conservare; quoniam vel balsamum per singulos annos non poterant reperire, vel putabant non esse necesse singulis annis chrisma conficere, dum confecti copia Chrismatis abundabat; cum, inquam, hæc accepisset S. Fabianus, morem illum verbis his correxit: « Errant, qui talia excogitant,

« et mente vesana potius, quam recta sentientes hæc dicunt. In illa « enim die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, « et lavit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis Prædecessores nostri « acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa « enim lavatio pedum, nostrum significat Baptismum, quoniam sancti « Chrismatis unctione perficitur, et confirmatur. Sicut igitur ipsius « diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti « Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in « annum renovanda, et vetus Chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista a sanctis Apostolis, et a Successoribus eorum accepimus, « vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, et Antiochena a tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, et « Ephesianorum tenet; in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, « et vetus Chrisma incendi, et non amplius quam uno anno uti per« miserunt ». Ex quibus sic formatur argumentum: ea, quæ ex instituentis Christi voluntate pendent, aliter nobis innotescere non possunt, quam ex Scriptura vel Traditione; conjecturis enim, vel convenientiis hac in parte indulgere Theologi non est: atqui tempus institutionis Confirmationis ex Scripturis aperte non elicitur: ex Traditione autem, testante Fabiano, constat Christum in die Cœnæ Apostolos Chrisma conficere docuisse, quæ est idonea et necessaria Confirmationis materia: ergo sicut tunc Christus Baptisma instituit, non quando Apostolos baptizare populos docuit, vel Baptisma promisit; sed quando materiam Baptismatis designavit, et ut (volunt aliqui) tactu suæ mundissimæ Carnis in Jordane consecravit, ita tunc Confirmationem instituit, quando Chrisma conficere docuit. Unde Ecclesia Catolica eam sententiam approbans, sacrum Chrisma eo die conficere consuevit, in perpetuum institutionis Salvatoris monimentum. — Idem habet Catechismus Romanus, cap. *De hoc Sacramento*, n. 8., ubi ait: *Consecratur autem Chrisma solemnibus cæremoniis ab Episcopo. Ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema Cœna, cum Chrismatis conficiendæ rationem Apostolis commendaret, Fabianus Pontifex, sanctitate et Martyrii gloria clarissimus, tradidit.*

Confirmatur: si alio tempore, quam die Cœnæ instituta fuisset Confirmatio, maxime vel cum Christus Matth. 19. pueris manus imposuit, ut nonnulli volunt: vel quando, Joan. 20. dixit Discipulis: *Accipite Spiritum sanctum:* sed neutrum recte potest asseri. *Non quidem primum: tum* quia parvuli nondum erant baptizati, ac subinde non erant capaces suscipiendi Sacramentum Confirmationis: *tum* quia illa manuum impositio non erat confirmativa, sed tantum curativa: nam, ut observant sanctus Hieronymus et Anselmus, parvuli illi Christo fuerant oblati, ut benedicerentur, et curarentur ab infirmitatibus suis: *tum denique*, quia Joan. 7. legimus: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Nondum, inquam, datus, nempe ad intrepide et constanter profitendam Religionem et fidem Christi, qualiter divinus ille Spiritus confertur in Confirmatione. *Non etiam secundum: tum* quia Joan. 20. datus est Spiritus sanctus Apostolis ad remittenda peccata; nam statim Christus subjungit: *quorum remiseritis peccata*, etc.: sed Sacramentum Confirmationis per se non ordinatur ad remissionem peccati: *tum* quia eo loci Christus Domi-

nus Apostolos quidem instituit Episcopos, et eis dat facultatem non solum regendi Ecclesiam, quam acquisivit Sanguine suo, et administrandi Sacramenta Ordinis et Confirmationis; tunc autem non censetur Sacramentum proprie institui, quando Minister ejus designatur; sed solum cum ejus forma et materia præscribitur; non enim Christus censetur instituisse Sacramentum Baptismi, quando misit Apostolos in universum mundum prædicare et baptizare; neque censetur instituisse Sacramentum Ordinis, quando Apostolos constituit Episcopos; nam, ut docet Concilium Tridentinum, Sess. 22. cap. 1. Apostolos constituit Sacerdotes in die Cœnæ: igitur, etc.

Dices 1: Statim ac Sacramentum institutum est, potest administrari: sed Sacramentum Confirmationis non potuit administrari ante Christi Resurrectionem: *tum* quia, ut mox diximus, Apostoli nondum erant ordinati Episcopi, nec consequenter poterant hoc Sacramentum administrare: *tum* quia Spiritus sanctus conferri non poterat ante Christi glorificationem, juxta illud Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* — **Distinguo majorem:** si ita expediat *concedo:* secus, *nego.* Potest enim Sacramentum institui pro alio tempore congruenti applicandum; ac subinde potuit Christus Sacramentum Confirmationis instituere in die Cœnæ, etiamsi dumtaxat in die Pentecostes illius effectum et fructum extraordinario modo Apostoli essent consecuturi. Quod autem ita fuerit, non obscure colligitur ex præclaro illo, et prorsus mirando Sermone, quem habuit Christus Dominus ad Discipulos in die Cœnæ, in quo pluries meminit concedendi Spiritus sancti non solum Apostolis, sed etiam omnibus in eum credentibus: concedendi, inquam, sensibili aliqua cæremonia nondum usitata in ipsius S. Spiritus receptione, quem jam invisibili et insensibili modo pluries receperunt, tum in susceptione Baptismatis, tum quando in Sacerdotes fuerunt inaugurati, tum denique quando Christi Domini Corpore et Sanguine fuerunt saginati.

Dices 2: Doctor Subtilis, in 4. dist. 2. quæst. 1. n. 4. colligens Sacramentorum institutionem ex Scriptura, ait: *De Confirmatione patet institutio,* Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum. Vel in die Pentecostes, Act.* 2. et dist. 7. n. 3. *Et si objicitur,* inquit, *primo contra materiam, et formam simul; quia Christus non sic instituit, ut patet* Joan. 20. *quando insufflavit, et dedit Discipulis Spiritum sanctum. Et similiter,* Actor. 2. *quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur,* etc.: Igitur ex mente Doctoris Sacramentum Confirmationis tantum fuit institutum, vel Joan. 20. vel in die Pentecostes. — **Nego consequentiam,** et ad *primum* dico, Doctorem ibi significare, quod ex Joan. 20. et Act. 2. optime possit colligi, quod Confirmatio fuerit instituta a Christo: *tum* quia Joan. 20. confirmata fuit institutio, quando videlicet Christus constituit Apostolos Episcopos, et consequenter Ministros ordinarios hujus Sacramenti: *tum* quia in die Pentecostes acceperunt Apostoli per extraordinariam Dei potentiam, et modo sensibili et extraordinario effectum Confirmationis, nempe S. Spiritus plenitudinem, ad Christi fidem et Religionem animose propalandam. Quod autem nihil aliud voluerit Doctor, patet ex præfata dist. 7. dum respondens ad prædictam objectionem scribit: *Quod Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, et ideo ipse sive in*

terris, sive post Ascensionem in cœlo existens, potuit confirmare Apostolos sine tali materia, et tali forma; nempe sine Chrismate, et verbis proferri solitis in administratione hujus Sacramenti. Quod autem ibi non loquatur Doctor de tempore institutionis, patet; quia paulo post subjungit: *Supponitur hoc Sacramentum institutum a Deo, licet tempus et modus hujus institutionis in Scripturâ non legatur.* Itaque dicendum arbitror, hoc Sacramentum fuisse quidem institutum in die Cœnæ, et inchoatum; completum autem Joan. 20. quando Christus Apostolos instituit Episcopos; collatum autem et ministratum, sed extraordinario modo, in die Pentecostes, ut refertur Actor. 2. quia nempe eodem die Apostoli receperunt plenitudinem Spiritus sancti, quæ est hujus Sacramenti effectus.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM SIT LEGITIMA MATERIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

NOTANDUM 1. seu potius revocandum ex jam pluries dictis, duplicem esse Sacramentorum novæ Legis materiam, remotam scilicet, et proximam. *Remota* est res illa sensibilis, circa quam cæremonia versatur, seu illa, cujus fit usus et applicatio, cujusmodi est aqua in Baptismo. *Proxima* vero est ipsemet usus, seu ejusdem rei sensibilis applicatio, in quam proxime ac immediate tendit Sacramenti forma, cujusmodi est infusio aquæ in Baptismo. Porro de hac utraque materia agitur in præsenti, quænam videlicet certo et necessario requiratur ad validam hujus Sacramenti collationem.

NOTANDUM 2. Circa hujus quæstionis resolutionem Theologos invicem non consentire; tres enim in capitales eunt sententias; quarum *prima* contendit, solam manuum impositionem esse necessariam, et etiam nunc sufficere ad essentiam hujus Sacramenti; quæ quidem videtur sententia quorumdam Canonistarum; imo Sirmundus in *Antirrhetico*, n. 10. docet, eam dumtaxat materiam fuisse in usu tempore Leonis primi, motus ad id asserendum verbis Canonis Arausicani Concilii primi a se correcti, et explicati; ubi, *inquit*, præcipitur, ut si quis in Baptismo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, sed manus tantum ipsi ab Episcopo imponatur; ex quo infert unctionem chrismaticam non esse de essentia hujus Sacramenti, sed dumtaxat accidentalem quamdam cæremoniam institutam ab Ecclesia, et ipsi manuum impositioni supperadditam ad majorem ornatum; subindeque ipsam posse ex dispensatione summi Pontificis præteriri; et hoc Sacramentum per solam manuum impositionem valide et licite conferri. *Secunda sententia* ait, saltem oleum olivarum esse de necessitate et essentia hujus Sacramenti, balsamum vero solum requiri ex præcepto Ecclesiæ, sicut mixtio aquæ in calice; ita Cajetanus, q. 72. Sotus, in 4. dist. 4. q. 1. Navarrus in *Manuali*, cap. 22. quibus cum plurimis aliis subscribit Estius, in 4. dist. 7. § 8. *Tertia denique* sententia asserit, etiam balsamum esse de necessitate Sacramenti; ita communiter veteres Theologi. Quæ autem earum sententiarum probabilior sit et tutior, hic determinandum est.

NOTANDUM 3. Difficultatem pariter moveri, utrum ex hypothesi,

quod chrisma compositum ex oleo olivæ et balsamo sit essentialis materia remota hujus Sacramenti, debeat hæc mixtio necessario esse benedicta, idque ab Episcopo; ita quod ad id non sufficiat prævia solius Sacerdotis benedictio, saltem ex concessione et dispensatione summi Pontificis. Quocirca, tria hic occurrunt determinanda: *primum*, utrum materia essentialiter requisita ad hoc Sacramentum debeat esse chrisma ex oleo olivæ et balsamo compositum: *secundum*, utrum ab Episcopo necessario benedictum: *tertium*, qualiter, et in qua parte corporis per materiam proximam applicandum.

Conclusio prima. — MATERIA REMOTA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EST CHRISMA CONFECTUM EX OLEO OLIVARUM ET BALSAMO. Ita traditur in decreto Eugenii de unione Armenorum his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo et balsamo per Episcopum benedicto.* Ubi summus Pontifex, sacro approbante Concilio, ad materiam Confirmationis perœque balsamum, atque oleum desiderat. Idem longe ante docuerat S. Fabianus Pontifex, Epist. 2 ad Episcopos Orientis, ubi Apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatur. Dionysius etiam, cap. 4. *Eccles. Hier.*, sic habet: *Dicimus igitur unguenti confectionem esse collectionem quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim et copiam fragrantium qualitatum contineat.* Quod idem S. Basilius, in Psalm. 132. expresse ait, *Chrisma ex variis condimentis constare; verum nullum illorum separatim tantam emittebat fragrantiam, sed illorum mixtura et injunctio maximam reddebat odoris redolentiam.* Quod et docuit S. Clemens, lib. 8. *Constitut. Apostol.*, cap. 44. necnon 2. et 3. Concilium Carthaginense; et aperte S. Cyprianus, vel quisquis est Auctor Tract. *De Unct. chrismatis*, ait enim: *Hodie sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum Regiæ et Sacerdotalis gloriæ exprimit dignitatem. Oleo enim, quod lumini alimentum subministrat, et vires corpori, si perunctum illo fuerit, auget, cœlestis gratiæ largitates, nitor conscientiæ, et ardor charitatis indicantur.* Et S. Gregorius magnus in illud Cant. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, ait: *In Engaddi Balsamum gignitur, cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur.* Ex quibus liquet, oleum et balsamum æque pertinere ad materiam Sacramenti Confirmationis. Quamvis enim apud profanos auctores nomen *chrismatis* quodlibet unguenti genus significet, attamen apud Sanctos Patres et Scriptores Ecclesiasticos hoc nomen non solum oleum, sed etiam balsamum cum oleo permixtum designat, ut constat non solum ex laudatis SS. Patribus, sed etiam ex Amalario Fortunato, qui floruit sub Ludovico Pio, an. 831. cui nuncupavit opus *De Officiis Ecclesiasticis*, lib. 1. cap. 12. agens de consecratione Chrismatis, *Hic*, inquit, *non oleum, sed et balsamum consecratur*, etc. *Odor balsami in oleo opinionem bonarum virtutum late dispersam, operante gratia Spiritus sancti demonstrat. Oleo additur balsamum, quia nitet in vultu Christi cœlestis splendor*, etc. Ex Hugone de S. Victore, *De Sacramentis*, lib. 2. par. 17. cap. 1. *Chrisma*, inquit, *est oleum cum balsamo mixtum, quo unguntur capita Pontificum et Regum, quo etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, sicut eodem Pontifex per imposi-*

tionem manus confirmandos ungit in fronte. Idem docet Innocentius III, Epist. ad Patriarcham Constantinopolitanum, et refertur *De sacra unctione*, ubi ait: *Conficitur Chrisma*, inquit, *quod ex oleo fit, et balsamo, mystica ratione; per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur: Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; per balsamum odor bonæ famæ exprimitur, propter quod dicitur: sicut balsamum aromatizans odorem dedi.*

Etiam huic non absimilem hujus congruæ materiæ ex balsamo et oleo confectæ profert Catechismus Romanus, n. 7. Cum enim dixisset, chrisma ex oleo et balsamo esse confectum unguentum, quod Confirmationis materiam esse, Ecclesia et Concilia perpetuo docuerunt, subdit: *Neque vero ulla alia materia, quam chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur. Oleum enim, quod pingue fit, et natura sua manet, ac diffluit, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum sanctum a Christo capite in alios redundat, atque effunditur, sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron, usque in oram vestimenti ejus. Unxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis, ac de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Balsamum vero, cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere: Christi bonus odor sumus Deo? Habet præterea balsamum eam vim, ut, quidquid eo circumlinitum fuerit, putrescere non sinat; quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur, cum plane constet, fidelium animos cœlesti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facile a scelerum contagione defendi posse.*

Dices 1: Illud non potest censeri materia essentialis Sacramenti, sine quo Sacramentum valide conferri potest: sed sine chrismate ex balsamo et oleo confecto licite ac valide collatum fuit Confirmationis Sacramentum ab Apostolis; siquidem nullibi legitur, Apostolos confirmandos Chrismate unxisse et consignasse, sed tantum eis manus imposuisse: igitur tale chrisma non est essentialis materia hujus Sacramenti. — **Respondet Doctor**, dist. 7. qu. 1. num. 3., *cum Apostolis in primitiva Ecclesia potuisse dispensari, et maxime quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritus sancti super confirmatos, et donum linguarum; sed tamen cessantibus talibus miraculis, Ministri debuerunt hanc materiam et hanc formam servare.* Quibus verbis Doctor probabiliter sustinet cum Apostolis fuisse dispensatum, ut Confirmationis effectum conferrent sine debita materia, et cum sola manuum impositione, et oratione. — Quod autem probabiliter dumtaxat et dubitative profert Doctor, distincte affirmant Alensis et S. Bonaventura, idque tamquam certum supponere videtur Eugenius IV, in decreto pro unione Armenorum, dicens: *loco illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia Confirmationis Sacramentum.* Nec abs re quidem; cum enim Confirmatio ordinetur ad conferendam gratiæ plenitudinem, dum insolito et extraordinario modo gratia infunderetur, tunc Sacramentum Confirmationis eodem ritu eis conferre minime opus erat; sic Christus eximia sua potestate excellentiæ nulli Sacramento alligatæ, inquit Doctor

supra, *sive in terris, sive post Ascensionem in cœlo existens, potuit confirmare Apostolos sine materia, et forma Sacramenti.* Similiter Apostoli, cum ad suam orationem et manus impositionem, viderent sensibiliter et per aspectabiles effectus communicari Spiritum sanctum, ideo tunc opus non erat adhiberi sensibilem Sacramenti Confirmationis materiam et formam, quippe cum patentibus miraculis aperte constaret concessam fuisse Spiritus sancti plenitudinem.

Verum respondeo, quod etsi ita forte actum fuerit, nihilominus non improbabile est Apostolos manus imponendo pariter adhibuisse legitimam Sacramenti Confirmationis materiam. Dicitur quidem in Actis Apostolicis, eos manuum impositione Spiritum sanctum dedisse, sed sola dedisse non dicitur; sicut in Scripturis dicimur fide justificari, sed sola fide nos justificari nullibi legitur. Dictum est ergo, impositione manuum ab Apostolis datum fuisse Spiritum sanctum at non sola, sicut dum dicitur aqua deleri peccata, non excluduntur verba formæ, quibus accedentibus ad elementum fit Sacramentum.

Quod autem Apostoli, manus imponendo ad Confirmationem, pariter chrismate confirmatos linierint, testis est S. Dionysius, cap. 4. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ,* ubi sermonem faciens de Sacramento Confirmationis, dicit: *Est quædam perfectiva operatio, quam Duces nostri chrismatis hostiam nominant.* Ubi per *Duces* intelligit Apostolos, quorum ipse Discipulus fuerat. Idem pariter testatur S. Cyprianus, Epist. 37. ubi cum dixisset, *quod deerat,* (supple Samaritanis baptizatis per Philippum) *id,* inquit, *a Petro, et Joanne factum est, ut oratione pro iis factâ, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus,* statim subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico confirmentur.* Quibus verbis S. Cyprianus aperte significat, eamdem esse Episcopalem manus impositionem in ministranda Confirmatione, cum ea quam usurparunt Apostoli in confirmandis Samaritanis: porro Episcopalis manus impositio confirmativa, revera Sacramentum est: igitur talis etiam erat Apostolica. Hoc etiam aperte docet Eusebius Papa, in sua Epist. Decretali, ubi ait: *Manus impositione Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ipsis Apostolis legitur, aut scitur esse peractum; neque ab aliis, quam ab illis, qui Apostolorum tenent locum, umquam perfici potest, aut fieri debet.* Quibus verbis Eusebius significat, in Scripturis legi ministratum ab Apostolis Confirmationis Sacramentum; sed non legitur alibi, quam eis in locis, ubi fit mentio collati Spiritus sancti per Apostolicarum manuum impositionem, ac subinde censet, illam manus impositionem Apostolorum fuisse Confirmatoriam. Idem pariter docet Fabianus Papa loco in prima Quæstione laudato, ubi dicit Apostolos et docuisse et observasse consuetudinem Chrisma renovandi singulis annis. Unde ad decretum Eugenii respondet Bellarminus, lib. 2. *De Sacramento Confirmationis,* cap. 9., per illum modum loquendi Pontificem non distinguere ritum a ritu, sed personas a personis. Dici etiam potest, quod hoc loquendi modo significare voluerit ordinem successionis inter Apostolos et Episcopos

eorum Successores, necnon et diversitatem effectus, quatenus manus impositio facta per Apostolos conferebat non solum effectum invisibilem, nempe plenitudinem Spiritus sancti, sed etiam visibilem per donum linguarum, quod utique tunc temporis ad fidem stabiliendam et propagandam congruebat. Episcopi vero Apostolorum successores Spiritum sanctum conferunt tantum modo invisibili, scilicet quoad plenitudinem gratiæ, quæ est effectus per se hujus Sacramenti; nam donum linguarum non per se, sed per accidens, et ex speciali Dei ordinatione tempori, locis, et personis accommodata, ad Confirmationis Sacramentum spectat. His omnibus adde, quod, licet sola manuum impositione tamquam Confirmationis materia Apostoli ex speciali dispensatione semper usi essent; non recte tamen inde colligeretur Chrismatis unctionem ad Sacramenti Confirmationis materiam a Christo non fuisse designatam, nec ab Ecclesia, cessante dispensationis ratione, esse usurpandam, quamvis enim forte cum Apostolis dispensatum fuisset, ut baptizarent in solo nomine Jesu, inde non est consequens, quod etiam nunc taliter sit baptizandum.

Instabis: Verisimile non est, Christum Dominum pro Sacramenti materia assignasse id, quod rarissimum erat, et nonnisi summo pretio poterat comparari: sed balsamum tunc temporis adeo rarum erat, ut teste Plinio, lib. 12. et 25., solum oriretur in Judæa, idque dumtaxat in duobus hortis regiis; unde etiam Titus, capta Hierosolyma, et Judæis omnibus devictis, arbusculam balsami, veluti quid pretiosissimum Romam reportavit: igitur verisimile non est, Christum ordinasse, ut Apostoli, et nascentis Ecclesiæ Rectores, qui summa bonorum mundialium inopia laborabant, balsamum in Sacramento Confirmationis administrando adhiberent. — **Nego minorem:** *primo,* quia falsum est, quod tunc temporis magna esset balsami penuria; nam ipsemet Plinius ibidem subjungit, suo tempore balsamum montes et colles vitium instar implevisse; unde id quod scribit de balsami penuria, ad priora sæcula referendum est. Hoc ipsum confirmat Josephus, lib. 8. *De Bello Judaico,* cap. 2., ubi dicit Reginam Saba Salomoni plantam attulisse balsami; *cujus,* inquit, *ferax est nostra regio.* Quapropter Fabianus Summus Pontifex admittere noluit Orientalium Episcoporum excusationem, qui renuebant quotannis renovare Chrisma, vetere combusto, causantes balsamum ægre reperiri. *Insuper,* etiamsi revera rarum fuerit balsamum tunc temporis, nihilominus cum non requiratur tanta quantitas ejus ad conficiendum Chrisma, facile comparari poterat ab Apostolis, et Episcopis primitivæ Ecclesiæ ex fidelium eleemosynis. Jam vero facili negotio et modico pretio balsamum haberi potest; siquidem asportatur ex India, et America in varias regiones; quod licet colore, et forte specie differat a Syriaco, nihilominus quia in fragrantia odoris, et in aliis effectibus, et proprietatibus cum eo convenit, idcirco Paulus III, et Pius IV declaraverunt, illud sufficere ad validam Confirmationis materiam.

Urgebis: Si balsami admixtio essentialis esset materia hujus Sacramenti, ejus omissio hoc Sacramentum redderet invalidum; sublata enim parte essentiali, res perit et essentia; sed omissio balsami non reddit invalidum Confirmationis Sacramentum, ut constat ex cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis,* ubi Innocentius III rescribens

ad Episcopum Heliensem, hæc inter cætera habet: *Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus assumptus: et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermissum fuerat.* — **Nego minorem**; et ad Innocentium dico, eum verbis citatis solum voluisse, vel quod prior unctio, quia publice facta fuerat, publice propter vitandum scandalum non debeat iterari; sed defectum substantialem esse supplendum privatim et occulte, utendo videlicet omnibus, quæ sunt de necessitate Sacramenti, nempe unctione olei et balsami, circa eum, qui per errorem non Chrismate, sed simplici oleo fuerat delinitus. Vel dico Innocentium ibi non respondere ad casus propositos in particulari, sed solum hanc tradere regulam generalem, ex qua judicent ii, ad quos rescribit, quid sibi faciendum sit, quando Sacramenta ministrabunt, nempe ut privatim suppleatur id, quod in Sacramentorum administratione fuit omissum, si id tantum erat quid accidentale; si autem quid essentiale, tunc totum Sacramentum esse repetendum, idque secreto et prudenter ad evitandum scandalum; ita quod Sacramentum, utpote nullum et invalide collatum, caute suppleatur; qui utique supplendi modus iterationem non importat; quia, ut habetur de Consecratione, dist. 1. cap. *Solemnitates*, non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.

INSTABIS ITERUM: Non magis balsamum spectat ad essentialem materiam Confirmationis, nec minus prætermitti potest, quam duodecim genera aromatum, ex quibus Græci Chrisma conficiunt, ut habetur in eorum Euchologio, et significare videtur S. Dionysius, cap. 4. *De Eccles. Hierarchia*, his verbis: *Dicimus igitur*, inquit, *unguenti confectionem esse collectionem quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim et copiam fragrantium qualitatum contineat. Cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportione fragrantis communionis, quæ in eis inest.* Necnon et S. Basilius Magnus exponens illud Psal. 132. *Sicut unguentum in capite*, ubi ait: *Oleum illud sacerdotale ex variis condimentis constabat. Verum nullum illorum, et inunctio maximam reddebat odoris redolentiam. Recte igitur huic unguento concordiam comparavit, multarum enim virtutum coadunatio perfectæ virtutis fragrantiam operatur.* Ita vertit Arcudius. Licet enim Basilius declaret atque describat unguentum antiquæ Legis, illud tamen erat figura nostri; et potest nostrum etiam quoad materiam esse perfectum, atque fuerit illud, cum in effectu longe sit præstantius: sed ista omnia aromatum genera non spectant ad essentialem materiam Confirmationis: ergo nec balsamum. — **Nego majorem**; certum enim est quod illa aromatum genera, quæ oleo et balsamo ex usu Ecclesiæ Græcæ in conficiendo Chrismate solent adhiberi, non sint de necessitate Sacramenti, sed ad ritum quemdam accidentalem hujus Ecclesiæ pertineant. Unde cum in Sacra Rituum Congregatione dubitaretur utrum talis Græcorum usus esset tolerandus, decretum fuit, esse tolerandum, si post exactam inquisitionem constaret, illum esse antiquissimum; sed monendos esse Græcos Orthodoxos, ut

hujusmodi aromata in tam parva quantitate admisceantur, quod semper balsami odor prævaleat, et oleum in sua natura subsistat.

Conclusio secunda. — Ut Chrisma sit legitima et sufficiens materia Confirmationis, debet esse benedictum ab Episcopo; non est tamen improbabile, quod ex dispensatione summi Pontificis ad id sufficeret simplicis Sacerdotis benedictio.

Prima pars aperte docetur ab Eugenio, in decreto pro unione Armenorum; ubi, sacro approbante Concilio Florentino, ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Et paulo post addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* — Idem docent varia alia Concilia: *primo* quidem Romanum II sub Sylvestro, Can. 5. *Constituit etiam clara voce idem Sylvester Episcopus urbis Romæ, ut nemo Presbyterorum Chrisma conficeret, dicens: Quoniam Christus a Chrismate vocatur.* Similiter Carthaginense III, Can. 36., ubi decernitur, *ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret; Chrisma vero nusquam conficiat.* In VI vero Can. 36., statuitur, *ut Parochi singulis annis ante festum Paschæ petant Chrisma ab Episcopo proprio.* — Item in Toletano VIII, celebrato anno 653. tempore Martini, cap. 7., ubi cum damnasset quorumdam Sacerdotum præsumptionem, qui eo temeritatis progressi fuerant, ut, quæ Episcopalis erant muneris, usurparent, statim subdit: *Qua de re nosse vos convenit, quod Episcopalis eminentiæ culminis auctoritas non immerito sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorum ordinum institutionem, quæ tam divinitus ordinata persistunt, quam excellentissime consecrantur; quia et tanto ab eis singulariter impenduntur, quanto eidem summo culmini peragenda servantur.* Idem denique tradunt Concilia I Braccharense, cap. 4., ubi balsamum appellat *benedictum, quod pro salute animarum per Spiritus sancti invocationem consecratur.* Et Wormatiense, Can. 2., his verbis: *Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat; nam illi soli hæc dignitas concessa est.* In eamdem sententiam unanimi calculo conspirant SS. Patres, quorum auctoritates fusissime referunt Bellarminus, lib. 2. *De hoc Sacramento*, cap. 8., et Basilius Pontius, parte 2. cap. 3.

Suffragatur etiam ratio Theologica, quæ *a priori* nulla alia assignari potest, quam Christi Domini voluntas ita statuentis et ordinantis, quæ utique nobis innotescit per continuam Ecclesiæ praxim et doctrinam. Cur autem Christo Domino hujus Sacramenti materiam potius, quam Baptismi, voluerit esse consecratam, hanc rationem profert Doctor, dist. 7. qu. 1. num. 3. *Quod Christus*, inquit, *contactu suæ Carnis mundissimæ omnem aquam consecraverit in usum Baptismi, non sic autem materiam illam Confirmationis; et ideo requiritur hic specialis sanctificatio. Quod etiam est rationabile magis hic, quam ibi, quia Baptismus est Sacramentum necessitatis, et ideo potest*

a quocumque Ministro conferri; et rationabile est, quod in aqua non consecrata; alioquin materia conveniens non posset esse communis, et sic impediretur solus multorum. Quam utique rationem approbat Catechismus Romanus, num. 8., dicens: *Quod in plerisque aliis Sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit; non solum enim aquam elementum Baptismi esse voluit, cum inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu, non potest introire in regnum Dei, sed cum ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi prædita esset; quare dictum a S. Chysostomo: Aqua Baptismi purgare peccata credentium non posset, nisi tactu Dominici Corporis sanctificata fuisset. Quoniam igitur Dominus hanc Confirmationis materiam usu ipso et tractatione non sacravit, necessarium est, ut Sanctis, et religiosis precationibus consecretur; neque ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest, qui ejusdem Sacramenti ordinarius Minister institutus est.*

Dices: Qui potest majus, potest et minus in eodem genere operationis: sed simplex Sacerdos potest majorem efficere consecrationem, quam sit consecratio Chrismatis, puta consecrationem Eucharistiæ: igitur multo magis poterit consecrare Chrisma. — **Distinguo majorem**: si ad utramque potestatem habeat, *concedo;* secus, *nego.* At Sacerdos non habet potestatem circa quamlibet consecrationem inferiorem consecratione Corporis Christi; alioquin propria auctoritate confirmare posset, et Ordines conferre, templa et Altaria consecrare, et facere similes hujusmodi consecrationes; quæ licet inferiores sint consecratione Corporis Christi, fieri tamen non possunt a simplici Sacerdote, quia ad illas efficiendas non habet auctoritatem. Unde ad vulgare illud axioma, *qui potest majus, potest minus;* dico, istud equidem verum esse in eodem omnino genere, et ordine operationis; sic qui potest ferre pondus centum librarum, faciliori negotio deferre poterit pondus viginti librarum; at istud axioma falsum est in disparato ordine operationis; non enim sequitur: homo potest ratiocinari, et producere hominem: ergo pariter volare potest, et generare muscam. — Hinc satis mirari non possum, quo pacto Cajetanus ad quæst. 72. art. 3., tam debili ratione ac fundamento nixus, ausus fuerit a communi Theologorum sententia declinare, ut assereret simplicem Sacerdotem, deficiente Episcopo, posse Chrisma benedicere, et consecrare.

Quod autem ex dispensatione et concessione Summi Pontificis *probabile sit, simplicem Sacerdotem posse Chrisma benedicere et consecrare,* non obscure significat Doctor loco mox laudato, num. 2., ubi ait: *Materia remota Confirmationis est Chrisma compositum ex oleo olivæ et balsamo, sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio potest committi.* Clarius vero ac distinctius in *Reportatis* ibidem num. 11., ubi ait: *Debet Chrisma compositum ex oleo olivæ et balsamo sanctificatum sanctificatione Episcopali communiter.* Hanc autem sententiam aperte tuentur Cajetanus, Victoria, Valentia, etc.; et ex nostris Hiquæus, Brancatus, Pitigianis, et communiter Scotistæ, paucis demptis cum Fabro, et Poncio. Suffragatur hæc ratio: non minus Summus Pontifex concedere potest simplici Sacerdoti facultatem benedicendi et consecrandi Chrisma, absente Episcopo, et urgente necessitate, quam hoc Confirmationis Sacramentum administrandi: sed revera potest Sum-

mus Pontifex conferre, imo de facto contulit facultatem conferendi hujus Sacramenti: igitur, etc. *Minor constabit* ex dicendis de Ministro extraordinario hujus Sacramenti. *Major vero patet;* non enim plus videtur requiri facultatis in conficiendo Chrismate, quam in conferendo Sacramento Confirmationis.

REPONES FORSAN, disparitatem esse in eo, quod facilius concedi possit potestas ministrandi hoc Sacramentum, quam conficiendi Chrisma, quia materia Sacramenti debet esse invariabilis; benedictio autem Episcopi est de essentia hujus materiæ, et ideo variari non potest; secus autem est de Ministro, qui potest esse duplex, sicut in Baptismate, nempe ordinarius, scilicet Episcopus, et extraordinarius, nempe Sacerdos, ex delegatione. — **Verum hæc responsio petit principium,** et supponit tamquam verum, quod vocatur in quæstionem, et dubium, nimirum, benedictionem Episcopi ita esse essentialem materiæ hujus Sacramenti, ut ea deficiente, nulla et invalida foret materia. Fateor equidem, Chrisma necessario debere ab Episcopo consecrari, tamquam ab ordinario consecrante; at non tamquam a consecrante essentiali. *Adde quod,* qui concedit potestatem in ordine ad finem aliquem, etiam necessario illam concedere debet in ordine ad media necessario prærequisita ad hujusmodi finis consecutionem: at consecratio Chrismatis est medium necessario prærequisitum ad legitimam hujus Sacramenti administrationem: ergo si facultas administrandi hujus Sacramenti concedi possit simplici Sacerdoti, pari ratione concedi poterit facultas consecrandi Chrismatis.

REPONES 2, disparitatem inter utrumque repeti ex eo, quod legatur equidem facultas concessa simplicibus Sacerdotibus ad ministrandum hoc Sacramentum; nullibi autem appareat facultas aliquando concessa ad benedicendum Chrisma. — **Verum contra** *primo:* ex negatione facti recte colligi non potest negatio potestatis et defectus auctoritatis: sicut ergo antequam dispensatum fuisset cum simplicibus Sacerdotibus, ut extraordinarie conferre possent Confirmationis Sacramentum, non poterat legitime negari potestas in summo Pontifice ad concedendam eis hanc facultatem, ita neque ex negatione facti in dispensatione de facienda consecratione, inferre licet defectum potestatis in summo Pontifice ad hujusmodi facultatem concedendam. *Adde quod,* non leve appareat hujus dispensationis argumentum in Concilio Toletano primo, c. 20. ubi hæc habet: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis, Præsbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit, ex hoc die, nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere, et per Diœcesim destinare.* Et paulo post: *Episcopo sane, certum est, quod omni tempore licet Chrisma conficere. Sine conscientia autem Episcopi, nihil penitus Presbyteri agere præsumant. Statutum vero est, Diaconum non chrismate, sed Presbyterum, absente Episcopo, præsente vero non, nisi ab ipso fuerit præceptum.* — *Nec valet quorumdam responsio,* Concilium hoc factum non approbasse, sed potius redarguisse, utpote cum prohibuerit. Id, inquam, non sufficit ad elevandam vim hujus auctoritatis; nam eo ipso, quod Concilium factum istud irritum non declarat, nec jubet repetendam esse Confirmationem, jam supponit cum legitima primum auctoritate consuetudinem illam

ex concessione summi Pontificis invaluisse in illis provinciis, quam deinceps cessante necessitate propter Episcoporum copiam legitima de causa abrogavit. Enimvero si existimasset Episcopalem consecrationem ad validitatem hujus Sacramenti essentialiter esse prærequisitam, haud dubie providisset, ut confirmati Chrismate per simplicem Sacerdotem benedicto, iterum confirmarentur, ne perpetuo hujus Sacramenti fructu et effectu destituerentur. — *Confirmari* etiam potest ex Concilio Hispalensi secundo, celebrato anno 657. nam cap. 7. arguens, et damnans factum Agapii Cordubensis Episcopi, qui ex ignorantia licentiam fecerat Presbyteris consecrandi Altaria, ita statuit: *Quamvis, cum Episcopis plurima Presbyteris mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis, et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, et Diaconorum; ac Virginum consecratio, constitutio Altaris, benedictio, vel unctio; siquidem nec liceat eis benedicere Ecclesiam, vel Altaria consecrare, nec impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Spiritum sanctum tradere; nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publice quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare. Quæ omnia eis a Sede Apostolica prohibita esse noscuntur.* Audis, quia prohibita a Sede Apostolica, non autem ex eo quod Episcopalis benedictio requiratur ex essentia Sacramenti? Si autem id non liceat, quia prohibet Sedes Apostolica, haud dubie licitum erit, dum illa concedet.

Dices: Concilia et SS. Patres absolute significant consecrationem Chrismatis spectare dumtaxat ad Episcopos: igitur simplici Sacerdoti concedi non potest. — **Distinguo antecedens**: tamquam ad Ministros ordinarios, qui propria auctoritate hanc consecrationem faciant, *concedo:* ita ut nulli alteri ab Episcopo hæc potestas concedi possit, *nego.* Licet enim Concilia et Patres, ut dicemus infra, aperte significent, solos Episcopos esse Ministros hujus Sacramenti; nihilominus, ut constabit ex dicendis, ea facultas concedi potest, et de facto fuit concessa simplicibus Sacerdotibus, qui ex delegata sibi potestate hoc Sacramentum administrarunt.

Instabis: Quoties concessa fuit simplici Sacerdoti facultas administrandi Confirmationis Sacramentum, toties cautum est, ut illud administraret ex Chrismate ab Episcopo benedicto; ita namque habet Concilium Florentinum supra, dicens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum:* igitur aliter fieri non potest. — **Nego consequentiam**; nam, ut dixi, ex Conciliis Toletano et Hispalensi aperte satis colligitur, quod aliquando etiam delegata fuerit simplici Sacerdoti facultas consecrandi Chrismatis; idcirco autem in expressis concessionibus summi Pontificis, quibus facta est facultas simplicibus Sacerdotibus hoc Sacramentum administrandi, cautum est, quod Chrisma esset ab Episcopo benedictum, quia sic benedictum Chrisma facile haberi poterat, et in varias orbis regiones deferri. Nihilominus, si justa adesset causa, nempe si contingeret casus, quod in longinqua aliqua regione, quæ primum ad fidem converteretur, nec Episcopus posset esse præsens, nec Chrisma ad eam deferri ab Epi-

scopo benedictum, non video quare Pontifex secundum probabilem sententiam, præsertim tempore persecutionis, quando hoc Sacramentum est maxime necessarium ad fortiter fidem profitendam, quare, inquam, non posset Sacerdoti ibidem commoranti delegare potestatem consecrandi Chrisma, et eodem Chrismate confirmandi.

Conclusio tertia. — MATERIA PROXIMA CONFIRMATIONIS EST UNCTIO IN FRONTE FACTA CUM CHRISMATE BENEDICTO IN MODUM CRUCIS. Ita Subtilis Doctor supra laudatus, n. 2. ubi scribit: *Materia proxima, idest, illud visibile, quod concurrit in Sacramento, est unctio facta in fronte in figura crucis, cum Chrismate sanctificato.* Quod utique aperte confirmat Concilium Florentinum: *Ideo,* inquit, *in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur.* In quibus verbis exprimitur, ut patet, unctio in fronte per modum crucis. Idem pariter dicunt omnes SS. Patres: Dionysius, *De Cœlesti Hierarchia,* cap. 2. *Assumentes autem illum* (baptizatum) *Sacerdotes, susceptori siquidem accessus duci consignant, et una cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt, sicque indutum rursum ad Pontificem ducunt. Ille divino ac deifico prorsus unguento virum signans* (utique signaculo Christianorum; quod est crux) *sacratissimæ communionis participem facit.* Manifestius S. Ambrosius, lib. 6. *De Sacramentis,* c. 2. *Unxit,* inquit, *te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus forma ad illius passionem, accepisti signaculum ad illius similitudinem.*

Idem pariter suadet ratio Theologica: illud enim necessario requiritur ad Sacramentum, quod per verba essentialia formæ exprimitur fieri a Ministro; sed unctio per modum crucis exprimitur per hæc verba formæ, *Signo te signo crucis,* etc.: igitur hæc consignatio per modum crucis est necessaria. *Deinde,* consignatio, quæ fit in Confirmatione, significatur fieri more Christiano: at omnis Christianorum consignatio fit per modum crucis, ut docet Stephanus V, et refertur *De consecrat.,* dist. 5, cap. 10, his verbis: *Numquid non omnia Chrismata sacerdotalis ministerii crucis figura perficiuntur? Numquid Baptismatis unda, nisi cruce sanctificato, peccata relevantur? Et, ut cætera prætereamus, sine crucis signaculo, quis Sacerdotii gradus ascendit?* Idem docet sanctus Chrysostomus, Tract. 118. in Joann. *Postremo, quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite poscitur.* Ipsa pariter consignatio fieri debet *in fronte,* ex continua Ecclesiæ praxi, ut docet Innocentius I, Epist. 1. cap. 3. ubi loquens de unctionibus, quæ fieri possunt a simplici Sacerdote, subdit: non tamen frontem, ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Idem pariter docet Damasus, Epist. 4. inhibens Chorepiscopis hujus Sacramenti ministerium his verbis: *Nec Chrismate baptizatorum frontes signare.* Hinc S. Augustinus, Serm. 2. in Psalm. 36. *Crux,* inquit, *jam de pœna generis humani sublata est; cum enim*

sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur, honorata est, et finita est; finita est pœna, manet in gloria: a locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum. Et in Psalm. 44. *Attende gloriam crucis Christi, jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt.* Et in Psalm. 95. *Dominus regnavit a ligno, quia pugnavit cruce sua Christus, vicit Reges, et subjugatis eis, ipsam crucem in fronte fixit, et gloriantur de illa, quia ibi est laus illorum.*

Dices: S. Cyrillus Hierosolym., Catechesi 3. docet non solum frontem, sed et alias corporis partes Chrismate inungendas esse, maxime vero quinque sensuum organa; ait enim: *Primum frons illinitur, ut eum a nobis abstergat pudorem, quem primus homo transgressu perpetuo circumferebat simulque efficiat, ut possimus vultu non velato gloriam Dei intueri; deinde vero aures inunguntur.... postea nares,* etc. Quem etiam ritum plurimæ servant Græcorum Ecclesiæ, ut patet ex diversis Græcorum Euchologiis. Insuper S. Ambrosius, lib. *De initiandis,* cap. 6. dicit caput inungi; deinde vero unguentum in barbam effluere: igitur unctio non solum in fronte debet fieri. — **Respondeo,** quod etsi aliæ corporis partes inungantur Chrismate, nihilominus solam unctionem in fronte esse de necessitate et essentia hujus Sacramenti; cum enim frons sit sedes pudoris et erubescentiæ, prius est ungenda, quam cæteræ partes, ut confirmatus Christi fidem et Evangelium profiteri non erubescat. Ad S. Ambrosium dico, eum ibi non loqui de unctione Confirmatoria, sed de cæremoniali, quæ fit in vertice, dum quis baptizatur; de Confirmatoria enim tantum agit c. sequenti. — Differt autem hæc unctio, quæ fit *in fronte* per Episcopum (ut observat Durand., lib. 6. *De ritibus Ecclesiasticis*) ab illa, quæ fit *in cerebro,* sive *in vertice* per Sacerdotem: *primo,* quia secundum Rabanum, *De Consec.,* dist. 5. c. *novissime,* in illa signatur supra baptizatum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in hac vero signatur ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum plenitudine sanctitatis, scientiæ, et virtutis venire in homine declaretur. *Secundo,* differunt quia per illam, quæ fit in vertice, anima Christo desponsatur; per istam vero, ditatur, et dotatur. Item per illam ostenduntur vulnera esse sanata; per hanc plenitudo gratiarum confertur; quod ex verbis utriusque unctionis potest perpendi. In collatione enim illius unctionis dicit Sacerdos: *Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu sancto, quique tibi dedit remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in vitam æternam.* His verbis, quæ est salutatio in vitam æternam, per hanc unctionem obtineri ostenditur; sed hæc verba transcendit Episcopus in unctione Confirmationis, dicens: *Emitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum Paracletum de cœlis: Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et imple eum Spiritu timoris Domini, et consigna eum signo sanctæ Crucis, propitiatus in vitam æternam: consigna, inquam, ut Spiritum sanctum non amittat.* In Concilio Tolet. *De consec. dev.,* cap. *dictum,* et c. sequenti dicitur, quod nullus debet bis confirmari, sicut nec baptizari. « Post orationem, quam communiter « dicit Episcopus super omnes confirmandos, si plures sint, singula-

« riter cuilibet frontem linit in modum crucis, Chrismate cum pol-
« lice, dicens cuilibet: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*
« *Pax tecum.* Quæ salutatio fit ad novum hominem, qui dignus est
« salutari propter vitæ novitatem, et qui secundum Deum creatus est
« in justitia, et sanctitate, et veritate; interim enim, cum erat vetus,
« non erat salutandus, sed tantum erat pro eo orandum. Ideo autem
« fit in modum crucis, et cum Chrismate, sicut et omnia Chrismata
« cum crucis figura perficiuntur, *De consecr.*, dist. 5. numquid ut
« appareat, quod est illius, per cujus crucem redemptus est, sine quo
« signaculo non oportet nos ante Deum repræsentari. Quod fit cum
« pollice, quia ille in consecratione Pontificis est ad hoc specialiter
« consecratus. Hæc Durand. quibus addit: Subsequenter Episcopus
« confirmatum percutit in faciem: *primo,* ut tenacius memoriæ teneat,
« se hoc Sacramentum recepisse: *secundo,* quia hoc Sacramentum datur
« baptizato ad robur fidei, ut præmissum est, ut videlicet sit ita fortis
« in fide in Baptismo suscepta, quod ulterius coram quocumque con-
« fiteri nomen Christi non erubescat: *tertio,* hæc percussio repræsentat
« manuum impositionem, quoniam Apostoli per manus impositionem
« confirmabant: *quarto,* ad terrendum malignum spiritum, ut fugiat,
« neque redire audeat, sicut fecit beatus Benedictus, liberans per
« alapam monachum, qui a maligno spiritu vexabatur, ut legitur in
« *Dialog. Greg.*, lib. 2. cap. 32. Duo ergo facit Episcopus: *primum,*
« quia cum ungit in fronte: *secundum,* quia ipsum percutit in facie.
« *Unctio* significat unguentum gratiæ quantum ad actus audaces ag-
« grediendi ea, quæ pertinent ad fidem; *percussio* vero fit, ne ulte-
« rius confundatur, aut timeat confiteri nomen Christi, quasi dicat
« Episcopus confirmato: ita sis fortis, ut quicumque sic te percusserit,
« vel quocumque alio modo tibi confusionem fecerit pro eo, quia Christi
« fidem confiteris, tu in his omnibus non erubescas; percussi enim in
« facie erubescere solent; similiter etiam fit alicubi propter eamdem
« causam militibus novis ». Ita Durandus.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM SIT FORMA LEGITIMA ET VALIDA CONFIRMATIONIS.

Notandum 1. Citra controversiam esse, quod hujusmodi Sacramenti forma, sicut et aliorum Sacramentorum, quæ consistunt in usu, sint aliqua verba, quæ materiam proximam significant et exprimunt; commune etenim est omnibus Sacramentis novæ Legis, ut materia et forma constent, idest elemento visibili, et verbis quibusdam formæ rationem gerentibus, si Matrimonium excipias, quod, ut dicemus, per nutus et signa consensum declarantia valide potest contrahi. Quod maxime verum est de Confirmatione; siquidem Apostoli Actor. 8. leguntur oravisse, ut qui baptizati jam fuerant, Spiritum sanctum per manuum impositionem acciperent; quæ utique oratio fuit instar formæ, vel erat ipsamet forma, quæ idcirco dicitur oratio, quod ad ejus prolationem, et impositionem manuum Spiritus sanctus super confirmatos velut exoratus et precibus interpellatus illaberetur. Verum controver-

titur inter Theologos, quænam verba ad Confirmationis formam necessario sint adhibenda.

Notandum 2. Eam esse quorumdam Græcorum sententiam, ut refert Arcudius, lib. 2. cap. 6. quod verba, quæ dicuntur a Pontifice super unguentum consecrandum, sint hujus Sacramenti forma. Ita Gabriel Philadelphiæ, in Tract. *De Sacramentis*, ubi agens de consecrationis forma, ait: *Forma unguenti sunt verba Pontificis, quæ dicuntur super unguentum, et quæ vim habent illud informandi.* Eodem errore laborat Nicolaus Cabasilas, in lib. *De Expositione Liturgiæ*, cap. 29. qui cum vellet probare formam consecrationis esse deprecatoriam, recenset a simili cæterorum Sacramentorum formas esse deprecatorias, præcipue vero sacri unguenti. Idem pariter censet Marcus Ephesinus in opusculo, cujus inscriptio est, quod non solum a voce Dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verum etiam a consequente oratione, et benedictione Sacerdotis. Verum, ut optime notat Arcudius, hi omnes turpiter hallucinantur: *tum* quia Sacerdos Græcus ex dispensatione Sacramentum Confirmationis tribuit, non potest autem Chrisma consecrare: igitur hujus Sacramenti forma et essentia non consistit in precibus, quibus Chrisma consecratur. *Tum* quia unguentum consecratum a Pontifice, habet tantum rationem materiæ: igitur hujus Sacramenti forma non consistit in illius Chrismatis consecratione. *Tum denique*, quia plurima verba in benedictione et consecratione Chrismatis profert Pontifex, quæ illi Græci ultro fatebuntur non omnia spectare ad hujus Sacramenti formam. Nec in illis aliqua certe designari possunt, in quibus præcise hujus Sacramenti formæ ratio consistat: igitur inanis est et absurda eorum sententia; ac subinde solum restat libranda difficultas de legitima forma usurpari solita ab Ecclesia Orientali simul et Occidentali, Græca videlicet et Latina.

Notandum 3. Duplicem solito circumferri formam conferendæ Confirmationis, quarum prima in Ecclesia Latina frequentata concipitur his verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris*, etc. Quæ utique forma pridem in usu fuit apud Latinos, ut colligitur ex Ritualibus antiquissimis, quos laudant Alcuinus et Amalarius Fortunatus, qui floruerunt pœne abhinc 200. annis. Nec officit, quod his verbis expressa non inveniatur apud SS. Patres; nam, ut docet Innocentius I, Epist. 1. ad Decentium, cap. 3. agens de Confirmatione: *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Forma vero usitata apud Græcos hæc est: *Signaculum donationis Spiritus sancti*, supple, *donatur tibi.* Quam utique formam antiquitus frequentatam fuisse apud Græcos, pluribus probat Arcudius, lib. 2. cap. 2. maxime vero ex B. Asterio Episcopo Amasii. Tradit etiam Cardinalis Bessarion in Tract. de Sacramento Eucharistiæ, ubi asserit hanc formam expressam fuisse in secunda Synodo Œcumenica. *Quæ*, inquit, *verba, quæ sacrum Chrisma perficiunt, tradens in 7. Can., ita ait: Obsignantes, hoc est, sanctissimo Chrismate eos Chrismantes, dicimus signum doni Spiritus sancti, et hæc verba secundum eos, hoc Chrismatis sacramentum perficiunt.* Idem pariter docet Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua censura hæresis Calvinianæ, quam Stanislaus Socoloreus e Græco in

Latinum vertit, et orationibus illustravit; explanans autem caput tertium ejusdem censuræ, ubi habetur hæc Græcorum forma, addit, formam hanc verborum Sacramenti Confirmationis olim fuisse, testatur, Can. 7. Concilii primi Constantinopolitani: « Signatos, *inquit*, sive « unctos, primum sancto Chrismate, et frontem, et oculos, et nares, « et os, et aures, et eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus « sancti ». Non dissimilis est item ea formula, qua nunc in Ecclesia utimur: *Consigno te signo Sanctæ Crucis, et Chrismo te oleo salutis.* Quam item vetustissimam esse, patet ex D. Ambr. de iis, qui mysteriis instituuntur, cap. 7. *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lotione didicistis.*

Quibus præmissis, duo hic occurrunt statuenda: *primum*, quænam sit legitima forma hujus Sacramenti a Latinis usurpata: *secundum*, utrum probanda sit forma usitata apud Græcos.

Conclusio prima. — Forma ordinaria et legitima Confirmationis apud Latinos est hæc, aut ei æquivalens: signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spir. sancti. Ita docet Concilium Florentinum in Decreto unionis Armenorum, et habet Pontificale Roman. a Clemente octavo atque ab universa Ecclesia Latina probatum.

Quod etiam ratione suaderi potest, quam tradit Catech. Rom. n. 6. Illa enim est forma conveniens, quæ quidquid ad Sacramenti essentiam pertinet aptissime declarat: atqui præfata forma aptissima est ad declarandum Sacramenti Confirmationis essentiam, causam et effectus; etenim maxime hæc tria in Confirmatione observanda sunt: divina potestas, quæ ut principalis causa in Sacramento operatur; *tum* robur animi, et spiritus, quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur: *deinde* signum, quo notatur is, qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est. — Ac primum quidem verba illa: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quæ extremo loco posita sunt; alterum ea, *Confirmo te Chrismate salutis*, quæ in medio sunt; tertium, quæ in principio formæ locantur, *Signo te signo Crucis*, satis aperte declarant. Quamquam si etiam ratione aliqua probari non possit, hanc esse hujus Sacramenti veram et absolutam formam, Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare. — Porro ad hanc formam respexisse videtur Apost. 2. Cor. 1. his verbis: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, et unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Imprimis hoc Sacramento confirmamur a Deo Patre in Christum, idest, in fide erga Christum, quam intrepide tutamur, et ad quam mores fideliter exigimus. In hoc etiam Sacramento imprimit militibus suis insignia sua Princeps noster Christus, cujus Cruce pugnamus, vincimus, triumphamus, coronamur. Infunditur etiam Spiritus sanctus, pignus, et donum notionale, infirma cordis et corporis virtute firmans perpeti. Pater milites spiritales eligit, Filius acceptat, Spir. sanctus instruit et firmat. *Signavit te Deus Pater*, inquit S. Ambrosius, lib. *De Iis qui initiantur*, cap. 7. *Confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* A Patre

ergo milites vocamur, a Christo militiæ adscribimur, sed a Spiritu sancto armamur, juxta illud Cyrilli Hierosolymitani Catech. 3. *Ut Salvator post Baptismum, et Spiritus sancti adventum egressus in prælium devicit adversarium, sic et vos post sacrum Baptisma, et Chrisma mysticum induti armis sancti Spiritus adversus oppositam potestatem consistitis, et prœliamini dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat Christo.* — Verba ergo illa, *Confirmo te, Signo te,* Spiritus sancti effusam plenitudinem significant; ideo namque in *Confirmatione* fortes efficimur, quia Spiritu sancto roboramur. Nam Christus in cælum ascensurus, cum Spiritum sanctum Apostolis polliceretur, hoc eodem virtutis nomine Spiritum sanctum expressit, Lucæ 24. *Sedete,* inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto:* nihil ergo mirum, si quo orationis genere Spiritum sanctum Christus promisit, eodem Ecclesia promissum dari significet. Dixi autem in Conclusione, *aut aliis verbis æquivalentibus;* siquidem valeret forma, si loco *confirmo* quis diceret, *Confirmetur,* vel, *Confirmet te Deus,* supple *per me;* perinde enim est ad formam hujus Sacramenti, quod fiat modo imperativo, vel indicativo. Hac enim forma imperativa usus est S. Sylvester in Confirmatione Constantini Magni, quam Imperator in edicto suo (quod habetur Tom. 1. Conciliorum post Conc. Rom. 11. sub Sylvestro) his verbis: *Levatoque me de venerabili fonte, indutu vestibus candidis septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit beati Chrismatis unctione, et vexillum sanctæ Crucis in meâ fronte linivit, dicens: Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in consignationem fidei.* — Imo nonnulli probabiliter docent, eam fieri posse verbis deprecativis, ut existimat Hiquæus n. 71. idque colligit non solum ex ritu, quo Apostoli conferebant Confirmationem; nam Actor. 8. legitur: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum:* sed etiam ex illis verbis S. Augustini, lib. 15. *De Trinit.,* cap. 20 *Neque enim,* inquit, *aliquis Discipulorum ejus dedit Spirit. sanctum: orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia,* etc. — Ex quibus, inquit Hiquæus, non incongrue interpretari licet modum deprecativum esse sufficientem. Eum autem fuisse in usu, colligitur ex forma, qua usus est Sylvester, et videtur S. Augustinus similem modum in suo tempore, tamquam consuetum indicare. Neque incongrue intelligitur ille locus S. Ambrosii lib. 2. *De Sacramentis,* cap. 7. ad hunc modum confirmandi alludere: *Venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse ungat in vitam æternam,* etc. Et quamvis hæc esse verba Sacerdotis ungentis in vertice, dicat Amalarius, lib. 1. *De Offic.,* cap. 27. tamen verba Episcopi, quæ subjungit etiam deprecatoria sunt, et non indicativa potestatis; unde ipse dicit: *Emitte in eum* (verba sunt Episcopi) *septiformem Spiritum sanctum tuum Paracletum de cœlis, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis; adimple eum spiritu timoris Domini, et consigna eum signo Crucis in vitam propitiatus æternam,* etc. Ad hæc autem verba S. Ambrosii recte possunt alludere, qui in clausula sequenti declarat effectum Confirmationis; *Vide,* inquit, *ubi unctus es? In vitam,*

inquit, *æternam: Noli hanc vitam illi vitæ anteferre:* v. gr. « si exurgat « inimicus aliquis, si velit tibi vitam tuam auferre, si minatur mortem, « ut prævaricetur quisquam, vide quid eligas. Noli eligere illud, in « quo non es unctus, sed elige, in quo unctus es, et vitam æternam « vitæ præferas temporali, etc. » Et lib. 3. sequenti, postquam cap. 1. explicavit effectum Baptismi, cap. 2. *Sequitur,* inquit, *spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando invocatione Sacerdotis Spirit. sanctus infunditur; spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis,* etc. ubi agit de Confirmatione, quæ Baptismo accedit, tamquam perfectio. Huc ergo verba etiam ultimi capitis lib. 2. quasi ejusdem materiæ continuatio non intermissa, referenda sunt. Hæc Hiquæus. — Verum, quamquam ista non sint omnino improbabilia, nihilominus certum est, quod servanda sit usitata forma verbis indicativis expressa; peccaret enim graviter apud Latinos, qui alienam ab ea formam usurparet; secus autem est apud Græcos, ut significabit

Conclusio secunda. — VALIDE AC LEGITIME GRÆCI UTUNTUR HAC FORMA IN CONFERENDA CONFIRMATIONE: Signaculum doni Spiritus sancti.

Probatur primo ex præfato Can. 7. Concilii Constantinopolitani, in quo, ut diximus, non alia servabatur forma in recipiendis hæreticis et confirmandis, quam forma mox assignata; sic enim hunc Canonem refert et vertit Arcudius: *Eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, et parti eorum, qui ex hæreticis salvantur, recipimus secundum subjectum hic tenorem et consuetudinem: Arianos videlicet, et Macedonianos, et Sabatianos, et Novatianos, qui se puros, et sinistros vocant, et Quartodecimanos, scilicet Tetraditas, et Apollinaristas, dantes quidem libellos, et omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia, recipimus obsignandos, sive ungendos, primum Sancto Chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures, et eos signantes dicimus: Signaculum donationis Spiritus sancti.* Ubi haud dubie sermo est de Sacramento Confirmationis. Idem antea statutum et ordinatum erat in Concilio Laodiceno, cap. 7. *Hæreticos,* inquit, *Novatianos, Photinianos, Quartodecimanos, seu quos ipsi vocant fideles conversos, non prius esse recipiendos, decernimus, quam omnem hæresim, potissimum eam, qua erant infecti, anathematizaverint; tum demum ab ipsis dictos fideles mysteria fidei edoctos, sanctoque Chrismate inunctos, ad sacratissimæ Communionis mysterium participandum admittendos.*

REPONES, Canones Concilii Constantinopolitani non esse approbatos ab Ecclesia, ut testatur S. Gregorius, lib. 6. Epist. 31. *Canones,* inquit, *Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, neque nos accipimus.* — **Verum contrarium apparet** ex sexta Synodo, ut refertur, cap. 7. dist. 16. ubi præfata Synodus decernit: *Confirmamus et cæteros sanctorum Canones et Synodos,* idest, Nicænam, Constantinopolitanam, etc. Et cap. 17. ejusdem distinctionis transcribitur hæc professio Romani Pontificis ex lib. divino: *sancta octo universalia Concilia, idest,*

primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum, etc. *usque ad unum apicem inviolata servare, et pari honore et veneratione digna habere, et quæ prædicaverunt, et statuerunt, modis omnibus sequi, et prædicare, quæque condemnaverunt, ore et corde condemnare profiteor.* Accedit etiam Leo quartus in Epistola ad Episcopos Britanniæ, et refertur dist. 10. cap. 1. ubi inter cætera hæc habet: *Quibus*, inquit, *in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum... Constantinopolitanorum, et isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, simul judicantur et Clerici.* Unde ad S. Gregorium dico, eum intelligendum esse solum de Can. 5. illius Concilii, in quo statuitur, Sedem Constantinopolitanam esse secundam post Romanam, et cæteris præferendam. Quem utique Canonem non recipit Ecclesia Romana, ut constat ex Epistola Leonis primi ad Anatolium, et ex Epistola Leonis octavi, vel noni adversus Michaëlem. Unde etiam Baronius ad annum 393. existimat, et non sine fundamento, hunc Canonem adscititium esse, et a Præsulibus Constantinopolitanis Canonibus aliis insertum. — *Verum*, quidquid sit de isto Canone Constantinopolitano, certum est, prætatam Gregorii formam pridem ab eis fuisse usurpatam, nec usquam a Latinis reprobatam: *tum* quia hujusmodi forma habetur in veteri Euchologio Græcorum, jussu Urbani octavi recusso et approbato: *tum* quia in omnibus Conciliis, maxime Lugdunensi, et Conciliis, in quibus actum est de Græcorum erroribus, nusquam hic fuit eis objectum, quod invalida Confirmationis forma uterentur: *tum* quia Clemens octavus in Bulla, qua perstringit abusus Græcorum, quæ habetur Tom. 3. Bullarii, folio 47. cum prohibuisset Presbyteris Græcis, ne Confirmationis Sacramentum conferrent, prohibuit quoque, ne ista verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*, nullatenus proferrent; si autem illa verba non essent verba Confirmationis usitata apud Græcos, sed tantum quædam Baptismi cæremonia, non prohibuisset Presbyteris, ne hujusmodi verba proferrent: *tum* denique quia in hac forma continetur quidquid necessarium est ad veram formam Confirmationis; nam tria ad veram Confirmationis formam requiruntur, nempe actus Ministri; secundo robur spirituale, quod significatur homini conferri per Sacramentum; tertio, ipsius materiæ, seu signi sensibilis applicatio designata: at tria hæc in præfata Græcorum forma reperiuntur: *primo* namque significatur principalis causa conferens plenitudinem roboris, nempe sancta Trinitas, cum dicitur *in nomine Patris*, etc. significatur pariter, et exprimitur actus, qui per Ministrum exercetur, necnon et ipsum suscipiens; nam hujus sensus formæ est hic: *Hoc, quod tibi do, est signaculum doni Spiritus sancti;* hæc enim important duo illa vocabula, *signaculum doni*, non secus ac apud Latinos synonima sunt hæc, *hic est liber tuus*, et *do tibi hunc librum*.

Nec obstat, quod non scribatur verbum substantivum; sufficienter enim subintelligitur, quemadmodum plerumque fit apud Latinos, ut patet ex locutionibus; *Lumen Christi; Gloria in excelsis Deo; Gloria Patri, et Filio*, etc. Unde ubi in Exodo, cap. 24. legimus: *Hic est Sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus;* Apostolus ad Hebr. 9. idipsum exprimit sine verbo substantivo, scribens: *Hic Sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* In ea pariter designatur effectus duplex Sacramenti: primus videlicet character, qui exprimitur

nomine *signaculi;* et gratia sanctificans, quæ designatur nomine *doni.* Unde Cardinalis Bessarion, et Arcudius locis laudatis, docent hanc Græcorum formam æquivalere formæ a Latinis usurpatæ.

Nec obstat, quod Catumsyritus in concordia utriusque Ecclesiæ tr. 1. accusatione 7. dicat hujusmodi verba, *Signaculum doni Spiritus sancti,* non esse formam Confirmationis, sed cujusdam Chrismationis reconciliatoriæ, quæ olim in Ecclesia Græca solebat in Baptismo adhiberi; contrarium enim hujus assertionis sufficienter constat ex omnibus mox dictis. *Nec pariter obstat,* quod Severus Patriarcha Alexandrinus lib. *De Ritibus Baptismi,* qui habetur Tom. 6. *Bibliothecæ sacræ,* proferat formam consecrationis similem Romanæ. Hoc, inquam, non obstat; quippe, sicut in Ecclesia Latina in diversis Ritualibus antiquis diversæ referuntur formæ consecrationis, ita mirum videri non debet, quod etiam in diversis Euchologiis Græcis, diversæ hujus Sacramenti formæ reperiantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRÆCIPUIS AC PROPRIIS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EFFECTIBUS.

Quatuor potissimum hujus Sacramenti mirandos effectus recenset ac declarat Catechismus Romanus, n. 16. et sequentibus. ubi scribit: Pastores docebunt, Confirmationem hoc cum cæteris Sacramentis commune habere, ut, nisi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui illud recipit, interatur, novam gratiam tribuat. Etenim hæc sacra et mystica signa ejusmodi esse, demonstratum est, quæ gratiam declarant, atque efficiunt. Sed præter hæc, quæ cum aliis communia censenda sunt: *primum* quidem illud proprie Confirmationi tribuitur, quod Baptismi gratiam perficit; qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent; ac deinde Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi, et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum et glorificandum nomen Domini Nostri Jesu Christi; ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitarit. — Nec vero confirmat solum, sed auget etiam; de quo Melchiades ita testatur: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. — Deinde,* non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti translatione Scriptura significavit, atque expressit; inquit enim Dominus Salvator, cum de hoc Sacramento loqueretur: *Sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* — Habet præterea Confirmatio eam vim, ut characterem imprimat; quo fit, ut nulla unquam ratione iterari possit; quod etiam in Baptismo supra observatum est; ac de Sacramento Ordinis quoque suo loco planius exponetur. Hæc igitur si a Pastoribus sæpe et accurate explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles cognita hujus Sacramenti dignitate atque utilitate, illud summa cum diligentia sancte et religiose suscipere studeant.

Quoniam autem quatuor illi et similes effectus maxime collimant *in infusionem* gratiæ, et characteris impressionem, idcirco duæ occur-

runt hoc in Articulo librandæ controversiæ: *prima*, quænam specialis gratia per Sacramentum Confirmationis conferatur: *secunda*, utrum characterem imprimat, ratione cujus non possit tillatenus iterari.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM, ET QUÆNAM SPECIALIS GRATIA PER SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CONFERATUR.

NOTANDUM 1. Citra controversiam esse, quod per Confirmationem conferatur gratia sanctificans; quippe cum veram ac perfectam Sacramenti novæ Legis rationem et dignitatem obtineat: porro ea est novæ Legis Sacramentorum efficacitas, ut ex opere operato ad hominis salutem et sanctificationem conferant; ac subinde largiantur gratiam, qua hujusmodi sanctitas formatur et firmatur. Sed difficultas movetur de speciali gratia, quæ per hoc Sacramentum ita conferatur, ut per aliorum Sacramentorum receptionem de via ordinaria non possit obtineri.

NOTANDUM 2. Pariter certum esse, quod Sacramentum Confirmationis per se, et ex primaria intentione Christi instituentis, non habeat vim conferendi primam gratiam, sed tantum secundam, nempe augmentum gratiæ sanctificantis jam in homine existentis. Quamvis enim per accidens forte posset interdum conferre primam gratiam, ubi aliquis bona fide existimat se, vel debite Sacramentum Pœnitentiæ suscepisse, vel non perdidisse gratiam in Baptismate acceptam, vel saltem se esse contritum, dum ad Sacramentum Confirmationis accedit; nihilominus aperte constat ex dictis de Sacramentis in communi, quod Confirmatio ex ratione sua formali, et per se non habeat vim conferendi primam gratiam: *tum* quia definitum est in decreto unionis Concilii Florentini, necnon in Trid., Sess. 5. Can. 3. et Sess. 14. Can. 1. duo solum esse Sacramenta per se instituta ad eluendum peccatum mortale, nempe Baptismum, quo originale, et Pœnitentiam, qua actuale tollitur. Itaque solum movetur quæstio de gratia secunda, hoc est de augmento gratiæ sanctificantis per Confirmationem conferendo, qualis videlicet sit illa gratia.

NOTANDUM 3. Certum pariter esse, quod gratia per Confirmationem collata necessario præsupponere debeat gratiam baptismalem; siquidem prius est fieri Christianum, quam corroborari et perfici; priusque est nasci, quam adolescere, et in virum perfectum evadere. Sed controvertitur apud Theologos, utrum gratia Confirmationis sit præstantior ac copiosior gratia baptismali. Porro utriusque hujus gratiæ comparatio potest fieri dupliciter, ut belle observat Seraphicus Doctor, dist. 7. art. 3. q. 3. *Uno modo* ratione præsuppositionis; et hac ratione constat, quod gratia Confirmationis præstantior sit baptismali; nam bene et perfecte vivere melius est, quam tantum vivere; *alio modo* ratione efficaciæ, seu effectus formalis, quem utraque gratia confert. Quæritur autem, utrum gratia per Confirmationem collata hoc utroque modo sit præstantior baptismali. Duo itaque hic sunt statuenda: *primum*, quænam sit specialis gratia per Confirmationem conferenda: *secundum*, utrum, et qualiter sit præstantior gratia baptismali.

Conclusio prima. — CONFIRMATIO PER SE ORDINATUR AD CONFERENDA SPECIALIA GRATIÆ AUXILIA, QUIBUS HOMO ROBORETUR ET ANIMETUR AD CONFITENDAM RELIGIONEM CHRISTIANAM ET CATHOLICAM, ET FIDELITER CONSUMMANDUM FIDEI CERTAMEN. Ita Subtilis Doctor, dist. 7. q. 1. n. 1. ubi ait: *Confirmationis Sacramentum est unctio... significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ, per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi.* Idipsum docet Concilium Florentinum in Decreto Unionis, ubi agens de Confirmatione, ait: *Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut audacter Christi confiteatur nomen.*

Quemadmodum enim Apostoli Confirmationis effectum in die Pentecostes per internum, et externum S. Spiritus in eos illapsum, ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, et summa animi fiducia Christum ubique prædicabant, juxta solemne illud ipsius Christi promissum, Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritus sancti et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ;* sic homo confirmatus speciale animi robur obtinet, non tantum ad expugnandas assiduas interiores et exteriores diaboli infestationes, sed maxime ad protestandam fidem coram tyrannis, et Ecclesiæ impugnatoribus. Sicut ergo baptizatus potestatem spiritualem accipit protestandi fidem in Ecclesia, et coram aliis fidelibus per susceptionem aliorum Sacramentorum, ita confirmatus accipit specialia gratiæ auxilia ad suam fidem profitendam coram infidelibus, et Ecclesiæ adversariis. — Hinc S. Clemens, lib. 3. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 17. ait: *Unguentum est Confirmatio professionis.* Et Epist. 4. Confirmationem appellat perfectionem Christianismi: *Cum autem*, inquit, *regeneratus fuerit per aquam, et postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus, quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.* Hoc ipsum docet S. Dionysius, lib. 4. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ: Adventum Spiritus sancti*, inquit, *consummans unguenti inunctio largitur.*

Quæ sit autem Spiritus sancti adventus consummatio, et quem in finem deserviat, diserte explicat S. Melchiades Papa, Epist. ad Episcopos Hispaniæ, dum scribit: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, et pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio autem armat et instruit ad agones hujus mundi, et prælia reservandos. Qui autem post Baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem.*

Conclusio secunda. — BAPTISMUS RATIONE EFFICACIÆ, ET *UNIVERSALITATE* EFFECTUUM EST SIMPLICITER PERFECTIOR CONFIR-

MATIONE; RATIONE VERO PRÆSUPPOSITIONIS, ET MINISTRI, CONFIRMATIO DICI POTEST BAPTISMO PERFECTIOR SECUNDUM QUID. Utraque pars est Doctoris, disp. 7. q. 4. n. 2. *Dico*, inquit, *quod Baptismus est simpliciter nobilius Sacramentum, loquendo de nobilitate Sacramenti penes finem principalem Sacramenti, qui est collatio gratiæ; nam ad majorem gratiam, et ad plures effectus simpliciter nobiles confertur Baptismus, quam Confirmatio.* Siquidem Baptismus est janua aliorum Sacramentorum; insuper confert primam vitam spiritualem; omnium peccati turpitudinem et pœnam eliminat, hominemque Dei amicum constituit, ei cælum reserat, claudit infernum, etc. qui utique effectus longe plures sunt et præstantiores, quam qui per Confirmationem solent haberi; majus enim est, inquit Seraphicus Doctor, beneficium, mortui vivificatio, quam ipsius viventis et infirmi perfecta sanatio; majus pariter donum est de inimico fieri amicum, quam de amico magis amicum.

Secundam autem partem sic declarat Doctor ibid. *Confirmatio dici potest nobilior, quia multum addit Baptismo; et insuper ratione Ministri, quia a nobiliori Ministro confertur; sed non est hoc propter ejus nobilitatem, sed propter Baptismi majorem necessitatem: iste pluribus Ministris conceditur, ista non.* Quibus verbis Doctor Confirmationis dignitatem supra Baptismum repetit, tum ex parte gratiæ perficientis et consummantis Baptismum, necnon et ex parte dignioris Ministri; siquidem Baptismus a quolibet conferri potest in necessitate, et a simplici Sacerdote extra necessitatem; confirmatio vero nonnisi ab Episcopis. Quod etiam discrimen notat Rabanus, lib. 1. *De institutione Clericor.*, cap. 30. dicens: *Novissime a summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in Baptismate consecutus est per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et virtutis venire in hominem declaretur.* Quibus verbis Rabanus significat, per Confirmationem conferri plenitudinem sanctitatis, quatenus videlicet gratia per hoc Sacramentum collata complet et perficit gratiam Baptismi; non quod hæc sit illa perfectior simpliciter et absolute, sed quia est illius augmentum et complementum, ea videlicet ratione, qua tertius gradus caloris additus duobus prioribus censetur eorum complementum, quamvis tertius gradus in se, et partialiter sumptus, sit imperfectior priore calore, ut duo. — *Nec obstat*, quod Melchiades summus Pontifex in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, a quibus interrogatus fuerat, utrum Confirmatio nobilior esset Baptismo, *respondet*, Sacramentum Confirmationis majori veneratione venerandum esse et tenendum. Hæc enim non ideo dicit, quod censeat ampliorem et perfectiorem gratiam per Confirmationem, quam per Baptismum tribui; sed quia, inquit, *a majoribus fit, idest a summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest.* Porro hæc dignitas, quæ accedit Sacramento ex parte Ministri nobilioris, est tantum extrinseca, nec per se Sacramentum al-

tero præstantius efficit; alioqui Confirmatio esset etiam nobilior Eucharistia, quæ per simplices Sacerdotes efficitur. Itaque Sacramenti dignitas et præstantia maxime petenda est ex dignitate effectus et rei cujus Sacramentum est signum; Sacramentum enim est signum practicum; signi vero practici dignitas desumitur ex signato, seu significato.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM CONFIRMATIO IMPRIMAT CHARACTEREM, NEC POSSIT ITERARI.

NOTANDUM 1. Ex Arcudio, c. 17. non defuisse ex antiquis Patribus qui hoc Sacramentum iterarent, ut etiam Baptismum, si ab hæreticis collatum fuisset. Cujus utique erroris in Africa auctor extitit Agripinus Episcopus Carthaginensis, S. Cypriani Prædecessor; nam quod S. Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi dixerat: *Soli hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non erat Baptisma*, facili modo exponi potest de hæreticis, qui inter baptizandum legitimam formam non usurpabant. Eo modo intelligendus est S. Basilius Magnus, dum Epist. ad Amphilochium propendere videtur in sententiam S. Cypriani et Agripini, de Baptismate ab hæreticis collato, dicens: *Neque poterant Spiritus sancti gratiam aliis impertire, a qua ipsi exciderant.* Quæ ratio æque militat adversus Confirmationem ab hæreticis collatam. Et certe si S. Basilius hæreticorum Baptisma libenter iterasset, citra ullam dubitationem idem vir sanctus ab eis collatam Confirmationem geminasset. Existimo tamen ea de re nihil dixisse, ac statuisse S. Basilium, eo quod hæretici Orientis, præsertim illi, de quibus eum Amphilochius interrogaverat, Confirmationem aspernarentur; quocirca simpliciter mandat, eorum Baptismate non rejecto, si ita visum aliis fuerit, prorsus tamen esse confirmandos: *Omni autem*, inquit, *ratione statuatur, ut, qui cum Baptismate illorum ad Ecclesiam se adjungunt, a fidelibus scilicet inungantur.*

NOTANDUM 2. Illam etiam apud Catholicos Ecclesiæ Præsules tempore S. Cypriani viguisse consuetudinem, iterum confirmandi eos, qui ab hæreticis Confirmationis Sacramentum videbantur excepisse. Quamobrem S. Cyprianus, Epist. 74. eos Præsules carpit, quod ab hæreticis baptizatos non rebaptizarent, sed confirmatos ab eis denuo inungerent; cum tamen aut utrumque Sacramentum ab hæreticis collatum spernere ac repudiare, aut utrumque ratum habere, et acceptare deberent: *Si majestati nominis*, inquit S. Cyprianus, *tribuunt, ut, qui in nomine Jesu Christi ubicumque, et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur; cur non ejusdem Christi nomine illic, et manus baptizato imponitur, ad accipiendum Spiritum; cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet in manus impositione, quam valuisse contendunt in Baptismi sanctificatione?* Hanc eamdem sententiam de iteranda Confirmatione ab hæreticis collata tueri videntur nonnulla Concilia; sed quo sensu eorum sententia sit accipienda, dicendum erit in præsenti Quæstione.

NOTANDUM 3. Ex eodem Arcudio, cap. 18. eam esse Græcorum nunc a veritate Catholica et Ecclesiæ sinu aberrantium erroneam de

Confirmatione sententiam, quod Baptismus etiam ab hæreticis collatus sit quidem validus, nec subinde ulla ratione iterandus; secus autem de Confirmatione sentiunt; eorum enim mos est, hæreticos quoscumque, sive in hæresi natos et educatos, sive in eam lapsos, si se convertant, Chrismate consignare. Quocirca Armenopolus in suo Compendio Canonum, dum recenset 47. Canonem Apostolorum, hoc addit scholium: *Baptizatum rebaptizare prohibitum id quidem est, sed unguente inungere, nequaquam; licet hoc quoque sacri Baptismatis pars esse videatur.* Hunc autem morem Græcorum Confirmationem iterantium referunt et approbant Job Monachus in Trac. *De Sacramentis*, Simeon Thessalonicensis, et Nicolaus Cabasilas, in 2. Orat. *De vita in Christo*, necnon et Gabriel Philadelphensis in suo Tract. *De Sacramentis*, ubi inter cætera scribit, duo esse Sacramenta, quæ characterem indelebilem imprimunt, nempe Baptismum, et sacrum Ordinem; quantum vero ad divinum unguentum, seu Confirmationem, addit nonnullos pie etiam his duobus adjungere, quasi id pro certo et rato ipse non habeat. Ut autem eorum error, quem jam ex parte explosimus, tum in Disputatione de Sacramentis in communi, cum in quæstione de non iterando Baptismate, funditus convellatur, sit

Conclusio unica. — CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM CHARACTEREM IMPRIMIT OMNINO INDELEBILEM, AC SUBINDE ITERARI NON POTEST. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, Sess. 7. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile; unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem decrevit Concilium Tarraconense, cap. 6. his verbis: *Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis vel ter, vel eo amplius, Episcopis ignorantibus tamen, ab eisdem Episcopis confirmentur; unde visum est nobis, Confirmationem, sicut nec Baptisma, iterari minime debere.* Idem pariter probat constans ac perpetua Ecclesiæ praxis, quæ Sacramentum hoc rite collatum nusquam iteravit. Non est autem verisimile, Ecclesiam, quæ tanta sollicitudine filiorum suorum saluti ac sanctificationi invigilat, voluisse semel confirmatos novo hujus Sacramenti fructu fraudare, si illius percipiendi capaces essent. Unde merito Subtilis Doctor, dist. 7. qu. 4. inquirens, utrum Sacramentum Confirmationis possit iterari: *Respondeo*, inquit, *iterari non debet, ita quod scienter, quia iterans peccat mortaliter. Sed nec potest iterari sic, quod iteratum habeat propriam efficaciam. Ratio principalis est institutio divina; et congruentia, quia per istud Sacramentum instituitur aliquis in determinato gradu Ecclesiæ, scilicet in gradu bellatoris; et Sacramentum instituens in gradu determinato non iteratur, et juxta hoc adduntur congruentiæ, quia imprimit effectum indelebilem, scilicet characterem.*

Colligitur autem et probatur hæc veritas ex illo Apostoli ad Hebræos 6., ubi sic scribit: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, etc. Subiungit autem: *Impossibile est enim eos, qui semel illuminati* (per Sacramentum Baptismi)

gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti (per Confirmationem) *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam;* idest, recipere fructum Pœnitentiæ, nempe gratiam sanctificantem, et illius augmentum, iterum videlicet suscipiendo Baptismum, aut Confirmationem; nam per illam manuum impositionem S. Paulus confirmationem intellexit, ut tradunt SS. Patres, Anselmus, Theophilactus, sed præcipue Chrysostomus. Unde idem Homil. 3. in 2. ad Cor. diserte et aperte docet, Confirmationem imprimere signaculum indelebile; cum enim dixisset, per unctionem internam Spiritus sancti simul antiquitus constitutos fuisse Prophetas, Sacerdotes, et Reges, *ad eumdem*, inquit, *modum tu quoque in Baptismo Rex, et Sacerdos, et Propheta efficeris. Rex cum omnes pravas actiones in terram abjecisti, ac peccata interemisti. Sacerdos, cum teipsum Deo obtulisti, et corpus sacrificasti, atque adeo ipse quoque mactatus es. Si enim ei commortui sumus*, inquit, *et convivemus ei. Propheta denique, cum futura prædicis, ac divino numine afflaris, atque obsignaris. Quemadmodum enim nota quædam cuidam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quod fit, ut si ordinem deserueris,* (nota) *omnibus perspicuus fias. Judæi enim signaculi loco Circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus.* Hactenus Chrysostomus, qui clarissime docet, signaculum Spiritus sancti (quod nimirum imprimitur fidelibus per Baptismum, et multo magis per Confirmationem) instar Circumcisionis esse indelebile, quo fit, ut agnoscantur ea nota regia, qui militiam Christi deserunt. Missas facio omnes illas cæterorum Patrum auctoritates hanc eamdem veritatem insinuantes, quas fusissime refert Basilius Pontius, parte 3.

Ratio autem congruentiæ, cur non iteranda sit confirmatio, petitur ex eo, quod hoc Sacramentum datur per modum consecrationis, scilicet cum chrismate consecrato, sicut olim Sacerdotes et Reges ungebantur in lege: natura autem consecrationis reiterationem non admittit. Hac ratione utitur Mag. 4. sent. dist. 7. ad probandam iterabilitatem Baptismi, et Ordinationis, quam desumpsit ex S. Augustino, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 13. ibi: *Utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, adeoque in Catholica (Ecclesia) utrumque non licet iterari.* Subjungit Mag. Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est. Concinit Toletanum VIII, cap. 7. *Nequaquam*, inquit, *aliquando poterit profanari, quod divina professione, simulque Apostolicæ Traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse.* (Agit contra eos, qui metu sacris initiati, pœnitentia suscepti status ducti, pristina pertentabant conjugia). *Verum sicut sanctum Chrisma collatum, et altaris honor propter consecrationem (quæ per Episcopos tantum exercenda et conferenda sunt) evelli non queunt; ita quoque sacrum decus honorum, quod his compar habetur et socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimode inconvulsum.*

Objicies 1. Plurimis Conciliorum et SS. Patrum decretis sancitum est, ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes Chrismate inungantur: sed verisimile non est, nullos ex hæreticis illorum temporum revera Confirmationem excepisse: igitur eorum sententia non est, quod Confir-

matio characterem indelebilem imprimat, ratione cujus non possit iterari. *Major patet* ex Can. 7. Concilii Constantinopolitani primi, necnon et ex cap. 7. Concilii Laodiceni a nobis jam laudati Art. præced. quæst. 3. Similiter ex Concilio Arelatensi primo, Can. 8. necnon secundo cap. 17. in quibus Ariani et Bonosiaci ad Ecclesiam revertentes jubentur Confirmationem suscipere. *Denique*, Concilium Arausicanum primum, Can. 2. ubi sic statuit: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate et benedictione consignari placet.* Idem docent summi Pontifices, Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 61. *Arianos* inquit, *per impositionem manus Occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Oriens reformat.* Idem habet Eusebius Epistola 3. *Hæreticos omnes*, inquit, *quicumque Dei gratia convertuntur, et in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus:* igitur, etc. ✻ " Idem in Concilio Epaonensi, cap. 16. sancitum est: *Presbyteris, propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, Chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Hinc manifestum est, morem illum iterum hæreticos confirmandi non solum in Oriente, sed etiam in Occidente usurpatum fuisse. Quod et tradit Gregorius Turonensis; lib. enim 1. *Historiæ Francorum*, cap. 31. de conversione Lanthildis sororis Clodovæi, hæc scribit: *Conversa est et alia soror ejus, Lanthildis nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri et Spiritui sancto, chrismata est.* Et lib. 4. cap. 27. de Atanagildi Regis Hispaniæ filia, quam Sigibertus in matrimonium duxit, hæc habet: *Et quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, ipsiusque Regis admonitionem conversa, chrismata est.* Idem scribit cap. 28. de Galovintha ejusdem Reginæ sorore, quam Chilpericus uxorem duxit. Et lib. 3. cap. 39. de Herminigildo Leuvigildi Regis Hispaniæ filio, et Ingunde illius uxore eadem tradit. ✻ " — **Respondeo,** Concilia illa intelligenda esse, *primo* vel de hæreticis, qui nullo modo fuerunt confirmati, tum quod respuerent Confirmationis Sacramentum, ut Novatiani, qui ut refert Theodoretus, lib. 5. *De Hæreticis fabulis*, Confirmationem minime præbebant: *Iis*, inquit, *qui ab ipsis Novatianis baptizantur, unguentum sacrum non exhibent; quocirca eos, qui ex hac hæresi cum Ecclesiæ corpore se consociant, omni laude digni Patres ungi jusserunt.* Qua ratione etiam S. Leo Epist. 35. ait, hæreticos baptizatos, dum ad Ecclesiam revertuntur, non esse rebaptizandos; sed hoc eis esse conferendum, quod ibi defuit, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem Spiritus sancti consequantur; *vel* certe qua ipsi a Ministro non idoneo fuerant confirmati, simplici videlicet Sacerdote, qui sine ulla summi Pontificis dispensatione, imo etiam contra illius prohibitionem Sacramentum Confirmationis contulerat; quales præsertim fuerunt Presbyteri Photiani, seu Photii schismatici sectatores; quibus Adrianus II, (ut ipsemet testatur in Epistola, quam scripsit ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, et habetur in Synodo 8.) non solum in Bulgarorum terris, sed ubique Gentium sacris omnibus interdixerat. *Scripsisti*,

inquit Adrianus, *ut nostri Presbyteri ex ditione Bulgarorum cum ignominia et dedecore pellerentur... Quod si dicas, prius a nobis Presbyteros Constantinopolitanæ Diœcesis ab regione expulsos, haud inficias imus, erant Photiani: illiusque symmistæ, quibus non solum in Bulgarorum terris, sed ubique Gentium sacris omnibus diximus interdicimusque.* Photius etiam intrusus in sedem, quam Profanus occupavit, in sua Epist. encyclica ad Patriarchas, dissimulans suorum Presbyterorum suspensionem a sacris, hoc ipsum vitio vertit Latinis, quod Confirmationem iterarent; quæ licet falso ac mendaciter dixerit, tamen consuetudinem Ecclesiæ universalis de non iterando Chrismate attexit contra Latinos: *Quin etiam illos,* inquit, *qui a Presbyteris Chrismate uncti fuerunt, iterum chrismare non horruerunt, Episcopos seipsos jactantes, et Presbyterorum Chrisma inutile esse, et frustra ab illis administrari, portentose docentes,* etc. *Non reperitur aliquis qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt; illos videlicet, qui semel tincti sunt Chrismate, iterum chrismantes, et Christianorum excelsa et divina mysteria in magnas nugas et derisum ingentem convertentes.* Et infra: *Iterata chrismatio illorum, qui baptizati sunt, et Chrismate tincti, neque Canonum auctoritate indiget, credo, ut damnetur; cum vel ipsa sola rei narratio superet omnem impietatis excessum,* etc. Hæc notat Arcudius contra modernum errorem Græcorum, qui chrismationem renovant; quod vel ipse Auctor totius schismatis Photius damnat, a Latinis contra Canones, et veritatem factum. Cæterum maligne, quia nullum fuit hujus rei exemplum præter illud, quod factum est inter Bulgaros, quia, et ab iis, qui nullam auctoritatem habuerunt in aliena Diœcesi, et qui sacris erant interdicti, erantque Sacerdotes simplices, ex more Græcorum ministri, non vero Episcopi, qui apud Græcos solam ordinationem faciunt, illa Confirmatio fuerat facta. *Respondeo secundo,* Concilia et SS. Patres non loqui de chrismatione confirmativa Neophytis in Ecclesia tribui solita, sed de chrismatione, benedictione, et manuum impositione reconciliatoria, quæ scilicet ministrari solebat hæreticis ad Ecclesiam revertentibus. Cujus utique argumentum est, quod hæc omnibus promiscue hæreticis concedi jubeatur, nullo facto discrimine inter eos, qui Confirmationem ab Episcopis accepissent, et illos, qui ipsa non fuissent signati. Porro hæc chrismatio erat pura cæremonia nihil conducens ad Sacramentum Confirmationis; nihilominus a solo Episcopo fieri solebat, nec poterat eos simplex Sacerdos, nisi urgente mortis discrimine, hæreticos reconciliare, ut statuit S. Leo, Epist. 79. cap. 6. *His vero,* inquit, *qui ad iterandum Baptisma, vel metu coacti sunt, vel errore traducti, et imo se contra Catholicæ fidei Sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram nonnisi per Pœnitentiæ remedium, et per benedictionem Episcopalis manus communionis recipiant unitatem.*

Objicies 2: Euchologium, seu Rituale Græcum, per totam Græciam receptum et probatum, in quo leguntur nonnullæ precationes expiatrices, seu reconciliatrices cujusdam Methodii Patriarchæ Constantinopolitani; item et modus recipiendi a Christianismo transfugas, si quando eos resipiscere, et ad fidem Catholicam redire contingat: modus autem iste est, quod *ungatur conversus unguento baptizati instar.* Pre-

cationibus autem peractis et absolutis, in calce illius Rubricæ præscribitur ratio unctionis, et in quibusnam partibus ungi debeat conversus; denique recitatur forma hujus Sacramenti: igitur revera iterari potest, et de facto a Græcis iteratur Confirmationis Sacramentum. — **Distinguo consequens**: iteratur illegitime, et invalide, *concedo:* licite et valide, *nego.* Ad *antecedens* autem dico, non esse magnifaciendas illas precationes et Rubricas; quippe cum Methodius earum concinnator non sit magnæ auctoritatis, imo nullius; non enim is est Methodius sanctus Confessor, qui circa annum 840. multa passus est pro tuendo cultu sacrarum imaginum; neque enim verisimile fit, virum sanctum et doctum, inquit Arcudius, cap. 18. non observasse locum Pauli ad Hebræos 6. simulque illius loci Græcos expositores Chrysostomum, Theodoretum, Theophilactum, Œcumenium, ex eo Apostoli oraculo affirmantes, Baptismum, et Confirmationem imprimere signaculum indelebile, et utrumque Sacramentum non esse iterabile. Sed Methodius ille hujusmodi Rubricæ artifex sine dubio, inquit idem Arcudius, fuit schismaticus infectus errore Photii, qui vixit circa annum 1240. *Dico secundo* cum eodem Arcudio, verisimile esse illas Rubricas de ungendo et abluendo ad Ecclesiam revertente, et post precationes proferendo super eum formam Confirmationis, additas fuisse per modum appendicis a posterioribus Græcis; cujus utique argumentum est, quod illam appendicem nonnulla exemplaria manuscripta non habeant, ut videre est maxime in Euchologio manuscripto Monasterii Cryptæ Ferratæ, quod ipse Arcudius præ manibus habuit.

PETES: *Quas pœnas incurrat, qui scienter Confirmationis Sacramentum iterato ministrat?*

Respondet Doctor, qu. 5. nullam esse pœnam a jure præscriptam contra Sacramentum Confirmationis iterato ministrantem, et suscipientem. « Dico, *inquit*, quod universaliter nulla pœna canonica, « quæ non est inflicta a Papa condente jus, incurritur ipso jure. Nec « propter argumenta exponentium Canones, sive a simili, sive a con- « trario sensu, est aliquis ulli pœnæ adstrictus, quia possunt expo- « nere jus condictum, non autem condere novum per suas exposi- « tiones. Unde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cum fecisset ma- « gnum opus, exponendo jus Canonicum, cum fuisset requisitus ab « aliis, quale robur vellet illum tractatum habere; dixit, quod nollet « ipsum esse authenticum, sed tantummodo magistrale. Cum ergo non « inveniatur in Jure Canonico expresse pœna irregularitatis inflicta, « pro iteratione Confirmationis; sequitur, quod non incurratur. Et hoc « maxime patet, quia Constitutiones pœnales sunt restringendæ, non « ampliandæ; et si voluisset Legislator pœnam talem inflixisse pro « iteratione Confirmationis, sicut Baptismi, potuisset expressisse hic, « sicut ibi. Et confirmatur per caput illud *De Consecr.*, dist. 5. *dictum*, « ubi nulla pœna infligitur Episcopo iterum confirmanti, sed nec su- « scipienti, nisi quod soli Deo sub habitu regulari, vel Clericali ipsum « religiosissime famulari, decretum est. Hic autem innuit non pœnam « irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officii Cleri- « calis. Nam in executione Ordinum, et præcipue in consecratione « Eucharistiæ Clericus Deo suo religiosissime famulatur ». *Hæc Do-*

ctor. Quibus verbis, *inquit Hiquæus*, Doctor censet, bis confirmantem non incurrere pœnam irregularitatis, sicut incurrunt rebaptizantes, quia talis pœna in jure Canonico non reperitur, pœnæ autem restringendæ sunt; unde argumentum a simili in materia odiosa, et pœnali non valet. Doctorem sequuntur Paludanus, dist. 7. qu. 2. Gabriel, art. 3. dub. 5. Covarruvias in Clement. *Si furiosus*, citans Turrecrematam et alios; solum enim reperitur in Concilio Tarraconensi apud Gratianum, capite *Qui bis, De Consecrat.*, dist. 4. quod debeat in Monasterio sub habitu clericali, aut regulari famulatum præstare Deo: sed hoc neque omnes obligat, cum sit Concilii Provincialis, nec fuit receptum, neque in ipso Concilio habetur. Et eo admisso tamquam jure incurso, ut notat Doctor, magis supponit contrarium, nempe in famulatu Dei ipsum non constitui irregulare, sed posse uti Ordine. Accedit, quod irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis, cap. *Is qui, de sententia excommunicationis in* 6. Hanc sententiam etiam sequuntur Moderni, ut Soto, et Suarez. *Ita Hiquæus.*

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRO, ET SUBJECTO SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Ea fuit erronea inter alias *Wicleffi* sententia, quod omnis et quilibet Sacerdos censeretur conferendæ Confirmationis legitimus Minister, ut constat ex Concilio Constantiensi, Sess. 8. Idem pariter docuit Armachanus, lib. 1. *De Quæstionibus Armenorum*, cap. 4.; et eam dubiam ac probabilem censet Durandus, dist. 7. quæst. 3. imo Suarez, disp. 36. sect. 2. in eamdem sententiam Doctorem Subtilem, sed perperam, adducit: *Fere idem*, inquit, *sentit Scotus.* — Verum, hoc erroneum dogma obstinatissime præ cæteris propugnavit Photius Patriarcha Constantinopolitanus et schismatis Græcorum antesignanus, ut constat ex ejus encyclica Epistola ad Patriarchales sedes Orientis, in qua stomachatur et bilem effundit adversus Ecclesiam Romanam, ut refert Arcudius, cap. 11. quod cum mos et consuetudo esset Constantinopolitanis Patriarchis Chrisma a se confectum in varias deinde Ecclesias Episcopis, et Presbyteris eo baptizatos consignaturis mittere; consuetudini illi morem gerens Photius, ad Bulgarorum Gentem recenter ad Christi fidem conversam unguentum a se consecratum misit, quo Presbyteri Græci baptizatos confirmarent. Hanc Confirmationem Legati Nicolai I in Bulgariam auctoritate Apostolica missi reprobarunt, et populos iterum confirmarunt: tum quod unguentum esset a Photio suspenso a divinis consecratum, tum quod foret a Photianis Presbyteris peræque suspensis, ut testatur Adrianus, Epistola ad Patriarcham Ignatium, in cujus Sedem obtrusus erat Photius administratum. Indignari et furere cœpit Photius, atque ad damnandum Ecclesiæ Hierarcham Concilium congregare. Hanc suspensionis suæ et Presbyterorum suorum rationem Photius prætermisit, utque ostenderet confirmatos a suis Presbyteris non debuisse iterum confirmari, conatus est ostendere Presbyterum legitimum esse Confirmationis Ministrum, nullaque proinde suspensione eorum Confirmationem irritam, invalidamque fuisse. Duo itaque maxime hoc in Articulo sunt statuenda:

primum, quis sit legitimus Minister, tum ordinarius, tum extraordinarius Confirmationis: *secundum*, quinam sint capaces illius suscipiendæ, et quas dispositiones prærequirant.

QUÆSTIO PRIMA.

QUISNAM SIT LEGITIMUS MINISTER SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

NOTANDUM 1. Duplicem solito distingui hujus Sacramenti Ministrum, ordinarium scilicet, et extraordinarium. *Ordinarius* est, qui ratione sui characteris et ordinis, necnon et institutionis Christi, completam habet auctoritatem hoc Sacramentum ministrandi, qualis censetur omnis et solus Episcopus. *Extraordinarius* vero ille est, qui ex delegata sibi facultate, et virtute hoc Sacramentum confert. Quæritur autem, utrum Episcopus ita sit ordinarius ac necessarius hujus Sacramenti Minister, non solum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ut si simplex Sacerdos propria vel delegata sibi auctoritate illud conferre tentaret, nil nisi invalidum et irritum ageret.

NOTANDUM 2. Circa Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, tres esse capitales Theologorum sententias; quarum duæ sunt extremæ, tertia vero media. *Prima* docet, solum Episcopum ita de jure divino esse Sacramenti Confirmationis Ministrum, ut nec Episcopus, nec Summus Pontifex possit illam administrationem simplici Sacerdoti delegare; ita sentit Durandus, Major, Adrianus, et nonnulli Recentiores cum Estio. *Secunda* contendit, simplicem Sacerdotem posse esse Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, non solum ex commissione Summi Pontificis, sed etiam ex delegatione Episcopi, quamdiu Summus Pontifex id non prohibet. *Tertia* vero media, quæ est communior et probabilior, concedit per dispensationem et delegationem solius Summi Pontificis simplicem Sacerdotem valide ac licite posse hoc Sacramentum administrare. Ita Alensis, et Seraphicus Doctor, necnon et Subtilis, dist. 7. qu. 1., ubi, ut optime notat Hiquæus, in hac sententia non fuit dubius, ut ait Aversa, neque obscurus, ut dicit Suarez, neque sibi contrarius, ut vult Soto; perspicua enim et clara sunt illius verba, nam cum dixisset, hoc Sacramentum conferri debere a Ministro idoneo, quis sit ille idoneus Minister, explicat cum ait: *Minister est Episcopus, vel alius, cui committi poterit.* Quibus verbis significat, Ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum; extraordinarium vero Sacerdotem, cui committi potest facultas hoc Sacramentum administrandi.

NOTANDUM 3. Facultatem ordinariam, vel extraordinariam fundari non in sola jurisdictione propria, vel delegata; neque in solo ordine, aut charactere Episcopali, aut Sacerdotali, sed in utroque. Non quidem in sola jurisdictione, alioqui Episcopus degradatus hoc Sacramentum valide conferre non posset, quippe cum per degradationem spolietur omni prorsus potestate jurisdictionis. Neque pariter in solo ordine, quippe cum character Ordinis Episcopalis, vel Sacerdotalis per se et immediate non tendat, nec exerceatur in Corpus mysticum, nisi interveniat aliqua jurisdictionis potestas; alioqui Episcopus quoslibet obvios, etiam alterius Diœcesis, et sibi non subditos, non solum

valide, sed etiam licite confirmare posset, et ordinare. Igitur facultas proxima et immediata ad conferendam Confirmationem utramque connotat facultatem, Ordinis, et jurisdictionis. Hinc Sacerdos quilibet potentiam habet remotam fundatam in ordine et charactere Sacerdotali, quæ per dispensationem, sive delegationem jurisdictionis: eo fere modo, quo potestas remota ad absolvendum (quam quilibet Sacerdos accipit in sua ordinatione) fit proxima per potestatem jurisdictionis ab Episcopo, aut a summo Pontifice delegatam. Sicut ergo character Sacerdotalis non significat absolute et simpliciter potestatem absolvendi a peccatis, sed sub conditione, nempe si accesserit jurisdictio, sic quoque non significat simpliciter et absolute potestatem confirmandi, sed conditionate, si nempe accesserit summi Pontificis delegatio.

Conclusio prima. — Ordinarius Minister Confirmationis est omnis et solus Episcopus. Ita determinatur in Concilio Tridentino, Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Idem antea statuerat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, necnon et Constantiense, damnando errorem Wicleffi.

Colligitur etiam ex Scriptura Sacra, Act. 8. ubi legimus missos fuisse Petrum et Joannem in Samariam, ut eis, quos Philippus baptizaverat, per manuum impositionem conferrent Spiritum Sanctum: at nulla alia proferri potest ratio hujus laboriosæ peregrinationis, et longioris itineris, nisi quia munus conferendi Spiritum Sanctum solis Apostolis, et Episcopis eorum successoribus ex Christi institutione conveniebat, ut egregie docet S. Chrysost., Homil. 18. in Acta Apostolorum, ubi quærit, quare baptizati a Philippo non accepissent Spiritum Sanctum; et duo respondet: *Vel quia,* inquit, *Philippus non dederat, hac re forsan honorans Apostolos:* sed cum responsum ei non arrisisset, statim subdit: *Vel quia hujusmodi donum Philippus non habebat: erat enim ex septem illis; id quod magis videtur dicendum. Unde mea sententia hic Philippus unus ex septem erat, secundus a Stephano; ideo et baptizans Spiritum Sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat, hoc namque donum solis duodecim Apostolis datum erat; virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum.* Idipsum præclare docet Isidorus Pelusiota, Ep. 45. lib. 1. *Si Philippus,* inquit, *a quo Baptismum acceperat, ex Apostolorum numero fuisset, Spiritum donandi potestatem profecto habuisset: at vero baptizabat tantum ut Discipulus; Apostoli autem gratiam explebant, atque perficiebant, ut qui hujusmodi muneris tribuendi potestatem atque auctoritatem divino beneficio accepissent.* Eadem pariter ratione utitur Eusebius Papa, Epist. 4. ad Episcopos Tusciæ: *Manus impositionis Sacramentum,* inquit, *magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis Sacerdotibus; nam tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis non legitur, aut scitur peractum esse.* Consentit Innocentius III jam a nobis supra laudatus, necnon, et VI Epist. ad Episcopum Tusculanum in regno Cypri Legatum Apostolicum: *Soli,* inquit, *Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujusmodi unctio non debet, nisi per Episcopum fieri; quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per*

manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.

Varias hujusce rei congruentias profert Seraphicus Doctor, dist. 7. art. 1. q. 3. *Primo,* quia Episcopi sunt Prælati principales in Ecclesia; Prælati autem duplex est officium, scilicet inferiores in gradu suo statuere et collocare in ordine, et murum opponere se, sive gregem suum defendere; ideo ipsi soli Ordines faciunt, et corroborant. *Secundo,* quia in his duobus Sacramentis, nempe Ordine, et Confirmatione, datur gratiæ plenitudo; ideo ab his debent dari, qui habent plenitudinem auctoritatis, ab aliis non. *Tertio,* quia per hoc Sacramentum fideles adscribuntur militiæ Christi; porro Episcopi duces sunt, ad quos spectat militum conscriptio. Aliæ similes proferri possunt congruentiæ; sed nulla potior assignari potest ratio, quam Christi Domini voluntas, quæ nobis per Ecclesiam innotescit.

Objicies 1. Si soli Episcopi Sacramentum Confirmationis valide ac legitime conferre possent, maxime quia sunt Apostolorum Successores, sed tales sunt etiam simplices Presbyteri: igitur pari ratione possunt confirmare. *Major constat* ex dictis. *Minor pariter:* enimvero si Sacerdotes non essent Apostolorum Sucessores, sicut Episcopi, non possent consecrare Christi Domini Corpus et Sanguinem, nec offerre Missæ Sacrificium; hoc enim solis Apostolis mandavit Christus, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* igitur, etc. — *Distinguo minorem:* Sacerdotes sunt Apostolorum Successores in omnimoda participatione eorum auctoritatis et ministerii, *nego:* in potestate consecrandi, baptizandi, et absolvendi, *concedo.* Soli enim Episcopi in omnimoda Apostolis a Christo delegata auctoritate et ministerio succedunt. Observandum enim est, penes Apostolos omnem prorsus fuisse primitus nascentis Ecclesiæ statum et auctoritatem: *primo* namque primi fuerunt fideles, et Ecclesiæ membra: *secundo,* in ultima Cœna Sacerdotes fuerunt inaugurati: *tertio,* post Resurrectionem Joann. 20. Episcopi sunt instituti. Juxta primum statum, omnes fideles dici possunt eorum Successores, secundum repræsentant Sacerdotes, tertium vero soli referunt Episcopi. Unde licet omnes Christiani et Sacerdotes aliqua ex parte dici possint Apostolorum Sucessores, nihilominus soli Episcopi hanc dignitatem et appellationem proprie sibi vindicant: quippe cum succedant in auctoritate et omni ministerio, quod Christus ipsis delegavit Joann. 20, cum dixit: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.* Hanc veritatem aperte prodit Sanctus Anacletus Pontifex, Epist. 2. ad Episcopos Italiæ, in qua inter cætera scribit: *In Novo Testamento post Christum Dominum a Petro Sacerdotalis cœpit ordo.... cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt.... qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt; ipsis quoque decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi.... Inde ab eis* (Apostolis) *electi sunt* 72. *Discipuli; quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia.* Porro quod Apostoli confirmaverint, non ut Presbyteri, sed ut Episcopi, etsi sacra Scriptura aperte et distincte non significet, tamen Traditio clamat, Concilia decernunt, et docent SS. Patres, ac Summi Pontifices jam sæpius laudati.

Instabis: Simplices Sacerdotes conferre possunt Sacramenta Confirmatione perfectiora: ergo multo magis Confirmationem. *Probatur antecedens:* Baptismus perfectior est Confirmatione; quippe per Baptismum plena fit remissio peccatorum, omnisque expungitur reatus pœnæ, et, ut diximus, gratia præstantior per Baptismum, quam per Confirmationem tribuitur. Similiter Eucharistia præstantius est Sacramentum, quam Confirmatio: ergo cum simplices Sacerdotes baptizare possint, et Eucharistiam conficere, multo magis poterunt propria auctoritate confirmare. — **Nego consequentiam**; si enim vera esset hæc consecutio, sequeretur pariter, quod simplex Sacerdos posset Ordinem conferre; etenim Sacramentum Ordinis non est tantæ efficacitatis et dignitatis, quam Baptismus, et Eucharistia; imo inde pariter inferre liceret, quod cum in casu necessitatis non solum Clericus quivis, sed Laicus etiam valide ac licite possit baptizare, poterit itidem confirmare; quod utique absurdum est.

Urgebis: Neutiquam absurdum et illicitum videtur, quod simplex Clericus, imo etiam et Laicus, urgente necessitate possit Sacramentum Confirmationis conferre, absente Episcopo: igitur nulla solutio. *Probatur antecedens* ex Actor. 9. ubi Ananias, qui non erat Episcopus, imo forte neque Sacerdos, manus imposuit Paulo, eumque confirmavit: nam ipsi manus imponens, ait: *Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto.* Porro hæc Spiritus sancti plenitudo est effectus Confirmationis: igitur, etc. — **Respondeo primo**, hactenus non esse satis probatum, quod Ananias non fuerit Episcopus; nec forte probari potest. *Deinde*, etiamsi non fuerit Episcopus, ut docet S. Augustinus, lib. 2. *Quæstionum Evangelicarum*, q. 40. ubi loquens de S. Paulo, *Ad Ananiam*, inquit, *missus est, ut illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet;* unde si ex dispensatione summi Pontificis, ut dicemus sequenti Conclusione, simplex Sacerdos legitime confirmare potest, multo magis Ananias ex dispensatione Christi, a quo mittebatur, potuit hoc Sacramentum conferre. *Denique* dico, illam manuum impositionem non fuisse Confirmatoriam, sed curatoriam; unde et facta est ante Baptismum, non ut ex tunc, sive per eam impleretur Spiritu sancto, sed ut visum reciperet, et postea per Baptismum gratiam Spiritus sancti. Sequitur quippe vers. 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est.* Confirmatur ex vers. 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Et vero si visibiliter descendit Spiritus in Cornelium, aliosque fideles primitivæ Ecclesiæ, quidni etiam descendisset in Paulum, si revera per impositionem manus Ananiæ, Confirmationis Sacramentum excepisset?

Objicies 2. S. Paulus monet Timotheum, Epist. 1. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*, videlicet in Confirmatione: igitur vera simplex Sacerdos et Presbyter confirmare potest. — **Respondeo primo**, in Vulgata jussu Clementis VIII emendata non legi *Presbyteri*, sed *Presbyterii*, ut significetur Sacramentum *Ordinis Presbyteratus*, in quo concessa fuerat gratia. *Vel* si placeat altera lectio, dico nomine *Presbyteri* Paulum ibi intelligere Episcopum: *tum* quia Pre-

sbyter idem est quod senior; quod utique nomen etiam Episcopis conveniebat propter dignitatem: *tum* quia nomen Sacerdotis et Presbyteri olim specialiter accommodatum erat Episcopis, ut videre est in multis Conciliis Toletanis, necnon et apud Sidonium Apollinarem, lib. 9. Epist. 3. ubi alloquens Faustum, qui in Episcopum assumptus fuerat ex Abbate Lyrinensi, ait: *Nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem*, idest, Episcopum. Quam utique interpretationem approbat S. Hieronymus; nam scribens ad Rusticum Narbonensem, ait: *Quoniam, et ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur, secundum quod scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ in te est*, etc. Concinit pariter S. Ambrosius, in cap. 4. ad Ephesios, ubi cum scripsisset: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus;* quod nomine Presbyteri Episcopum seu forte Chorepiscopum, vel Sacramentum intelligat, apparet, quia statim subdit: *Nam, et Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat; quia primum Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente uno alius succederet.* Concinit pariter S. Augustinus, sive quis alius fuerit Auctor *Quæstionum veteris et novi Testamenti*, q. 101. ubi similiter cum scripsisset: *In Alexandria, et per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter*, subdit: *Presbyterum autem intelligi Episcopum probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos*, etc. Et infra: *Multum distare inter Diaconum et Sacerdotem liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti Diacono ab Apostolis ordinato, miserunt, inquit, ad Petrum et Joannem, ut venirent, et his, qui crederent, darent Spiritum sanctum per manus impositionem.* Ex his apparet, quod quando S. Ignatius, Epist. 13. et S. Ambrosius, lib. 3. *De Sacram.*, cap. 3. dicunt, *spirituale signaculum, et septiformem Spiritum sanctum dari ad invocationem Sacerdotis*, nomine *Sacerdotis* intelligunt Episcopum.

Objicies 3. Ille censendus est ordinarius minister Confirmationis, qui absente Episcopo vel ab eo præsente jussus, potest confirmare: sed id potest simplex Presbyter: igitur, etc. *Probatur minor* ex variis Canonibus, quibus statuitur, quod Presbyter absente Episcopo, imo et ipso præsente, si ab eo jussus fuerit, possit ungere Chrismate; *primo* quidem ex Concilio Toletano primo, Can. 20. *Statutum vero est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente vero non, nisi ab eo fuerit præceptum.* Item ex Concilio Arausicano primo, Can. 2. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placet.* Similiter ex Concilio Romano sub Martino Papa, Can. 11. *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum.* — **Nego minorem**, et ut planior fiat illius probationis solutio, observandum est tres hodie in Ecclesia Catholica diversas esse unctiones; quarum *prima* fit ante Baptismum in pectore et humeris cum oleo Catechumenorum: *secunda* post Baptismum in vertice baptizati cum Chrismate; et *tertia* in fronte, quæ est Confirmatio. Secunda olim non erat in usu quando Sacramentum Confirmationis una semper cum Baptismo ministrabatur; eam autem

instituit Sylvester Papa; cum enim multi suo tempore statim post Baptismum immatura morte decederent, quibus absente Episcopo Confirmatio dari non poterat, ut illi in ultimo certamine aliquod præsidium acciperent contra tentationes dæmonis ex orationibus Ecclesiæ, hanc unctionem una cum precibus post Baptismum placuit adhiberi. Ita testatur Damasus in vita Sylvestri, his verbis: *Hic et hoc instituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis.* Porro hujus etiam unctionis fit mentio in Ordine Romano in Officio in Sabbato sancto ubi legimus: *Ipse vero Presbyter facit de Chrismate crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo: Deus omnipotens,* etc. Ejusdem consuetudinis expressis verbis meminit S. Gregorius, lib. *De Sacramentis,* ubi ait: *Ut autem surrexerit a fonte, ille, qui eum suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de Chrismate cum pollice in vertice ejus.* De hac ergo unctione, quæ Presbyteris erat prohibita in præsentia Episcopi, sine expresso ejus consensu, intelligendi sunt Canones in objectione allegati; in nullo quippe eorum exprimitur consignatio frontis, quæ tamen propria est Confirmationi; præsertim cum alii Canones, quos supra citavimus, in periculo mortis solum Baptismum permittant Sacerdotibus.

Objicies 4. S. Hieronymum, *dial. adversus Luciferianos,* ubi scribit: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nonnisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum, quem omnes asserimus in vero Baptismate tribui; disce hanc observantiam ex ea auctoritate descendere, qua post Ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit; et multis in locis idem factitatum reperitur ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem.* Similiter *Epist. ad Evagrium* ait: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Igitur ex ejus mente simplex Sacerdos, saltem in absentia Episcopi, valide posset hoc Sacramentum conferre. — **Nego consequentiam,** et *ad primum* dico, S. Hieronymum ibi non negare solis Episcopis concessam esse facultatem conferendi Spiritum sanctum per manus impositionem; imo id expresse probat exemplo Apostolorum, qui ut recenter baptizatis Sacramentum Confirmationis administrarent, Samariam descenderunt. Sed causam assignans, cur Christus Dominus ordinaverit, quod soli Episcopi essent Ministri ordinarii Sacramenti Confirmationis, ait, quia id requirebat honor summi Sacerdotii, seu episcopalis dignitatis, potius quam legis necessitas, quia videlicet aliter ordinare potuisset, si voluisset. Itaque sensus sancti Hieronymi est, quod Sacramentum Confirmationis, cum non sit simpliciter necessarium ad salutem, non debeat passim, sicut Baptismus, ab omnibus conferri, sed illius collatio spectet dumtaxat ad Episcopos, ita ordinante Christo Domino ad majorem honorem eorum dignitatis; Episcopus enim, qui in Ordine Sacerdotali principem locum obtinet, non modo honoratur, cum illud Sacramentum, tamquam dux Christianæ militiæ, baptizatis confert. Qui utique sensus patet ex antecedentibus, et consequentibus; ait enim Spiritum sanctum, idest, gratiam sanctificantem tribui in vero Baptismate, ex quo liquet, Confirmationem non esse absolute necessariam. Et ad idem intentum subjungit verbis citatis: *Alioquin si ad Episcopi tantum precationem Spiritus sanctus*

(idest, gratia sanctificans) *defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros et Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur. — Ad secundum* dico, S. Hieronymum vel nomine Presbyteri intelligere Episcopum, cum ibidem indiscriminatim de utroque loquatur; vel assignasse tantum ordinationem ex pluribus ministeriis, quæ Episcopis ex officio conveniunt; non autem quod voluerit, simplicem Sacerdotem posse quodlibet munus episcopale, sola dempta Ordinatione, præstare.

Conclusio secunda. — SIMPLEX SACERDOS EX ORDINATIONE ET DISPENSATIONE SUMMI PONTIFICIS POTEST ESSE EXTRAORDINARIUS MINISTER HUJUS SACRAMENTI. Hæc est communior et probabilior; imo Sotus, in 4. dist. 7. q. unica art. 11. censet eam sententiam esse certam Ecclesiæ sanctionem: *Est,* inquit, *jam non solum opinio, sed et Ecclesiæ sanctio.* Idem etiam sentire videtur Basilius Pontius, part. 4. cap. 3. n. 11. idque colligunt ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi cum dixisset Pontifex, loquens de Sacramento Confirmationis, *Ordinarius Minister est Episcopus;* satis aperte significans per illum loquendi modum, extraordinarium esse simplicem Sacerdotem; et ut nulla prorsus remaneret occasio dubitandi de ejus mente, statim subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ubi summus Pontifex non solum eam dispensationem factam recenset, sed eam etiam una cum Concilio approbat, et ex rationabili causa processisse testatur. — Neque id leviter quidem dictum fuit; nam ibidem aperte testatur, quidquid in ipso decreto sancitum est, nonnisi matura cum deliberatione, et exacta rerum discussione fuisse determinatum. *Multis itaque,* inquit, *adhibitis disputationibus, collocutionibus, et tractatibus, postquam non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus, et Doctoribus deducta sunt, et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant, cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis et perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis Oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus.* Hæc Eugenius; ex quibus Pontius tria colligit: *primum,* instructionem illam datam esse Armenis post longam disputationem Patrum: *secundum,* dari hujusmodi compendium orthodoxæ fidei, quam in his rebus Romana tenet Ecclesia: *tertium* est, hujusmodi compendium factum fuisse, sacro approbante Concilio Florentino, et ipso Romano Pontifice præsente. Verum etsi nolim subscribere huic sententiæ, nempe quod certum sit certitudine fidei, simplicem Sacerdotem esse ministrum extraordinarium Confirmationis; attamen ex his Concilii verbis saltem inferre licet, non improbari, imo approbari concessionem factam simplicibus Sacerdotibus administrandi Confirmationis Sacramentum. — Eamdem concessionem Leo X, et Adrianus VI fecerunt Patribus nostri Ordinis ad conversionem In-

dorum destinatis, ut patet apud Rodriguez *quæstionum regularium*, q. 19. art. 3. Quin etiam hoc privilegium a posterioribus summis Pontificibus concessum fuisse Patribus Societatis Jesu, idem Rodriguez testatur quæst. 31. — Unde Concilium Senonense hoc privilegium veluti certum ac concedi solitum videtur supponere; nam de Abbatibus loquens, cap. 38. ait: *Si qui sint, qui contendant sibi competere facultatem confirmandi ex privilegio, volumus, quod cum primum fuerint requisiti de privilegio, fidem facere teneantur.* Idem colligitur ex Concil. Trident., Sess. 7. Can. 3. ubi cum ait, solum Episcopum esse *Ministrum ordinarium* hujus Sacramenti, satis aperte insinuare videtur, alium esse posse extraordinarium, scilicet Sacerdotem, ex dispensatione et concessione summi Pontificis; cum enim agit de cæteris Sacramentis, per solos Episcopos, aut Sacerdotes ministrandis, numquam adhibet particulam determinantem, *ordinarius*, sed aliam restringentem et excludentem omnes alios, qui non sunt, nec Sacerdotes, nec Episcopi: sic Sess. 14. cap. 6. loquens de Sacramento Pœnitentiæ, ait: *Ad quosvis alios homines, præter Episcopos et Sacerdotes, ministerium clavium extendi non posse.*

Probatur secundo, ex facto S. Greg. I., qui cum (lib. 3. *Epistolarum*, Epist. 26. quæ est ad Januarium Caralitanum Episcopum) prohibuisset, ne Presbyteri ac simplices Sacerdotes Sardiniæ chrismarent in fronte: *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes, signare in frontibus Chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte;* audiens ex hac sua prohibitione grande scandalum in ea insula fuisse subortum, secundam ad eumdem scripsit Epistolam, quæ est num. 26. in qua præfatam prohibitionem revocat, et simplicibus Sacerdotibus confirmandi licentiam facit: *Pervenit quoque ad nos*, inquit, *quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus: et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*, etc. Hæc autem inhibitio facta, et scandalum ex ea ortum, supponit, consuetudinem contrariam viguisse in Sardinia; neque factum ut irritum annullat S. Gregorius, seu declarat nullum; alias ordinaret, ut iterum ab Episcopis signarentur in fronte baptizati. Præsumptio forte de nullitate Confirmationis sic factæ a Presbyteris, occasionem scandali dedit, aut certe consuetudo renovata, quæ fuit ab initio legitime introducta et continuata, et in aliis partibus in usu forte, ut in Hispania, sicut patet ex Canonibus Toletano, et Hispalensi supra citatis, ubi actum est de Chrismatis benedictione. — Accessit et necessitas illius insulæ, in qua rurales pene incolæ erant idololatræ, ut patet ex Epist. 23., 25. et hac ipsa 26. quibus paucitas Episcoporum non sufficiebat consignandis in Baptismate per chrismationem, quæ tum simul cum Baptismo fiebat ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, quæ ex Act. 8. et 19. significatur. In ea autem insula non videntur plures fuisse Episcopi, quam tres, Cyriacus, Felix, et Januarius. Vel ergo intermittenda erat hæc consuetudo baptizandi, et simul chrismandi infantes; vel certe differenda chrismatio contra consuetudinem: utrumque autem sine scandalo fieri nequivit in eo rerum statu,

et necessitate conversionis: scandali ergo causam dedit intermissa consuetudo, et forte dubium in populo ortum de Confirmatione alias facta a Presbyteris. Et forte hanc causam præoccupant illa Gregorii verba, *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus*, etc. scilicet particularis Romanæ. Neque obstant decreta antiqua, tamquam factum esse nullum declarantia. Ergo ejus verba explicari debent ita ut licet Episcopo, tamquam ex jure divino Ministro ordinario, conveniat chrismare; non tamen ita indispensabiliter, quin ex commissione idoneus ad hoc Minister sit Sacerdos; quam interpretationem, et facilitas dispensandi ad vitandum scandalum, et ipsa dispensatio facta confirmant; quin etiam probant, priorem usum fuisse ratum a S. Gregorio, quantum ad valorem Sacramenti; quippe cum confirmatos a Sacerdotibus non jusserit iterum confirmari. *Ita Hiquæus.*

Reponunt aliqui, in originali epistolarum S. Gregorii non haberi, *qui baptizati*, sed, *qui baptizandi*, ut habetur apud Gratianum, dist. 90. cap. 1. — Verum, hæc responsio nullius est momenti, quippe Ecclesia nusquam in praxi habuit, ungere baptizandum in fronte chrismate; sed oleo Catechumenorum in pectore, et humeris; neque ad hanc unctionem faciendam opus erat dispensatione Summi Pontificis, cum id munus a tempore S. Sylvestri perpetuo Ecclesiæ usu fuerit commissum. *Adde quod* posterior Epistola S. Gregorii sit revocatoria prioris, in qua prohibuerat Presbyteris confirmare, dicens: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant. Sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.*

Reponunt alii quatuor dicendi modos, quibus hanc S. Gregorii auctoritatem eludere ac elevare tentant, quorum duos primos rejicit Doctor, dist. 7. qu. 1. nu. 4., duos autem priores relinquit judicio prudentis lectoris: « Est autem *primus, inquit*, quod Papa consensit, « quod possent ungere in fronte oleo, sed non chrismate. Sed hoc est « contra textum litteræ, sicut patet ibidem. Item hoc concessit eo « quod pro ejus subtractione erant quidam scandalizati; et si concesse sisset illud fieri oleo solo, ostendens quasi fieret chrismate, esset « simulatio contra veritatem doctrinæ, sicut si concederetur panem « benedictum pro Eucharistia dari. *Secundus modus* dicendi est, quod « propter scandalum vitandum concessit illud ad tempus, vel magis « permisit. Sed istud nihil est: quia *utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Extra *De Reg. juris*, cap. 3. *Item* « in hac concessione peccasset Gregorius mortaliter, si concessisset « de facto, quod non potuisset de jure; et præbuisset Sacerdotibus « occasionem peccandi mortaliter, scilicet faciendi quod non licebat « eis facere ». — His duobus modis rejectis, ut nihilominus Pontifici sua maneat integra auctoritas, ac rectitudo facti, *inquit Doctor:* « Alii « possunt esse duo modi dicendi probabiles. Unus quod in primitiva « Ecclesia non erat differentia inter Sacerdotes, et Episcopos. Quam « probat duplici auctoritate S. Hieronymi: prima ponitur, dist. 95. « cap. 5. et intitulatur: Hieronymus ad cap. 1. Epistolæ ad Titum: « *Olim*, inquit, *idem erat Presbyter, qui et Episcopus, et antequam « diaboli instinctu studia in Religione fierent, et dicerentur in populis, « ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, communi Presby-*

« *terorum consilio Ecclesiæ gubernabantur*, etc. Secunda refertur, dist. 93. « cap. 24., ex Epist. ad Evagrium Presbyterum ubi scribit: *Cum Apo-* « *stolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos* ». Et infra: *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facit?* Quæ ultima verba Doctori dederunt occasionem recedendi, seu improbandi hunc modum. — « **Respondeo**, *inquit*, n. 6. si a prin- « cipio fuit aliquis actus proprius Episcopo, sicut dicit Hieronymus, « præter consecrationem, quid potest Episcopus, quod non potest Pre- « sbyter?... sequitur, quod a principio erat differentia Episcopi, et « Presbyteri. Tamen illæ auctoritates non concludunt oppositum, sed « sunt exponendæ sicut Glossa exponit, scilicet, quod forte nomina « erant synonima, et administratio, idest, gubernatio Ecclesiæ com- « munis fuit, sed tamen non dispensatio quæcumque Sacramenti. Quod « probatur dist. 21. *In novo*: in loco Apostolorum surrexerunt Epi- « scopi, sed septuaginta duorum Discipulorum vicem gerunt Presby- « teri: ergo a Christo fuit distinctio Episcopi, et simplicis Presbyteri ». *Ita Doctor.* « Sed Contra, *inquit*, nonne Philippus fuit de septuaginta « duobus, et Stephanus, et cæteri Diaconi, non Presbyteri? Item ad « Titum, cap. 1. *Propter hoc te reliqui Cretæ, ut constitueres Presby-* « *teros:* ergo non Episcopus hoc non potuit. Hoc etiam probatur per « cap. seq. 95. dist. quod super illud Pauli fundatur: *Noli negligere* « *gratiam, quæ in te est*, etc. Quoniam (ait) Presbyteri Episcopi nun- « cupantur, secundum quod scriptum est ad Episcopum: *Noli negli-* « *gere gratiam, quæ in te est*, etc. Et alibi ad *majores* natu, *Qui vos* « *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hæc Hieron. » *ex quibus infert Doctor:* « Non distinguit ergo Episcopum a Presbytero, qui non dicit, « quod Confirmatio fuerit data per Episcopum tantum, sed loquitur « de Presbytero. Nec etiam legitur in Actibus distinctio Sacerdotum « ab Apostolis, qui erant Episcopi ». *Hucusque Doctor*, immediate sub- jungens: « et si illud est verum *(non asserit esse verum)*, tunc Sa- « cerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut et Episcopo, « quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia. Tamen « propter necessitatem postea multiplicati sunt Sacerdotes, et restricta « est potestas ab eis quantum ad aliqua, quæ reservata sunt solis Sa- « cerdotibus majoribus, qui dicti sunt Episcopi. Et talis actus esset « confirmare. Quod si verum est, Gregorius bene potuit Sacerdotes « illos subjectos Januario Episcopo licentiare ad confirmandum; quia « in hoc non concessit potestatem eis non convenientem, sed revo- « cavit prohibitionem prius eis factam ». *Prosequitur:* « sed si contra « hoc objicias; quia secundum ista cum in primitiva Ecclesia non le- « gantur alii confirmasse, quam Apostoli, si tunc quicumque Sacerdotes « erant Episcopi, vel æquales, quantum ad istum actum: ergo solis Epi- « scopis debetur ex officio ». *Respondeo, inquit,* « quod vel nulli alii ab « Apostolis erant Sacerdotes, quia illi soli tunc potuerunt sufficere; « vel si alii erant, detulerunt Apostolis in isto actu propter manife- « stationem Spiritus sancti evidentem, quæ fiebat in collatione istius « Sacramenti, ut cum majori reverentia et devotione susciperetur « propter excellentiam Ministrorum ». *Hæc Doctor pro tertio modo.* Cæ- terum cum et ille modus minus placeret Doctori Subtili, utpote non *plene satisfaciens* argumentis in contrarium, apposuit *quartum*, dicens:

« Quartus modus dicendi est, quod si a principio non licuit Sacerdoti « simplici, Papa tamen potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis « facere Episcopum, quantum ad istum actum non conferendo tamen « sibi simpliciter gradum Episcopalem, nec quantum ad alios actus; « et tunc quilibet eorum vere confirmavit tamquam Episcopus, quan- « tum ad istum actum; et ratio conferendi istum gradum cuilibet Sa- « cerdoti, quantum ad istum actum, poterat esse scandalum vitandum ». Hic tandem quiescit Doctor non dubitans (ut perperam illum intelligit Pontius, cap. 3. n. 1.) de concessione Pontificis, aut ejus sufficientia (quam palam ubique supponit), sed post diligentem inquisitionem modi explicandi hujusmodi dispensationem, tacite innuens hunc quartum, cui nihil omnino opponit, fore amplectendum.

Probatur tertio Conclusio variis Auctorum testimoniis, qui asserunt facultatem confirmandi sæpe simplici Sacerdoti fuisse commissam. In primis enim hanc consuetudinem, ut Presbyteri confirmarent, viguisse in Ægypto, tradit Auctor coævus Ambrosio, et qui citatur nomine Ambrosii in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios; et Auctor *librorum veteris et novi Testamenti*, qui sub nomine S. Augustini communiter citatur; nam quæst. 101, sic ait: *In Alexandria, et per totum Ægyptum, si desit Episcopus consignat Presbyter.* ✻ " Denique apud Ægyptum, *inquit*, presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Et hanc Ægypti consuetudinem attendisse videtur S. Hieronymus, cum ait: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus quod non faciat presbyter?* Ubi cum solam ordinandi potestatem presbyteris adimit, confirmandi auctoritatem eis posse communicari non obscure significat; sed idipsum tradit clarius auctor. " ✻ —.Item in Ecclesia Græca, jampridem, et diu ante schisma inductum, morem fuisse, ut Presbyteri Græci darent communiter Confirmationem, ex concessione videlicet summi Pontificis tacita vel expressa, eaque de re non fuisse reprehensos in Concilio Florentino, scribit Arcudius, lib. 2. *De Sacramentis*, cap. 10. imo consuetudinem illam Ecclesiæ Græcæ tacite approbasse videntur Eugenius, et Concilium; nam Sess. 25. cum Eugenius undecim quæstiones Græcis proposuisset, inter quas sexta erat: *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant sacro Chrismate, cum hoc Pontificibus sit datum?* addit in fine Concilium: *Hæc a Latinis objecta, Mitylenensis Præsul, legitime, et secundum Canones, omnia dissolvit, præter quam duo, videlicet separationem Matrimonii quoad vinculum, et creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.* Igitur tacite Eugenius cum Patribus Concilii Florentini, qui ejus Decreto subscripserunt, approbavit ritum Græcorum confirmandi per simplices Sacerdotes.

Dices: Innocentius III hanc dispensationem revocavit, et eam consuetudinem irritam fecit; prohibuit enim Parochis Constantinopolitanis, ne amplius cuiquam conferrent Sacramentum Confirmationis, et collatum statuit nullum esse. Similiter Innocentius IV, Epist. ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, de Ritibus Græcorum consultus, quod attinet ad Confirmationem, ita rescribit: *Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum*

sanctum tribuisse leguntur. — **Respondet Arcudius** cap. 15. Innocentium III prohibuisse solum Latinis Presbyteris, qui eo tempore Constantinopoli degebant, dum videlicet Galli Imperatores ibi dominarentur, ne hanc facultatem confirmandi infantes sibi arrogarent; quod utique constat ex Epistola ejusdem Pontificis ad Lucium suum Vicarium, in qua ita scribit: *Mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris discrete prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant.* — Ad Innocentium IV respondet, quod cum non solum in regno Cypri, sed in toto ferme Oriente ille mos confirmandi per simplices Presbyteros invaluisset, forte legatus Pontificis, agnita difficultate, Decretum istud hac de re publicare prætermisit, nec executioni mandavit, quod commode fieri haud posset. Sed quidquid sit, verius dicendum arbitror, quod etsi aliqui Pontifices hanc praxim Græcorum revocaverint, tamen cum Eugenius IV, in Concilio Florentino approbaverit Decretum Græcorum, etiam tacite quoad hoc revocavit Constitutiones Innocentii III, et IV, qui per ducentos fere annos ipsum Eugenium IV præcesserant. Ex his itaque sufficienter et aperte constat, revera aliquando concessam fuisse facultatem administrandæ Confirmationis per simplices Sacerdotes, et Ecclesiam Latinam sic concessam Confirmationem tamquam verum ac validum Sacramentum approbasse. Quod insuper constabit apertius in objectionum solutione.

Objicies itaque primo varias summorum Pontificum et Conciliorum auctoritates, quibus significari videtur confirmandi potestatem ita proprium esse Episcoporum munus, ut nullo casu nullaque accedente dispensatione simplicibus Sacerdotibus committi possit. Prodit in primis Eusebius Papa Epist. 3. ad Episcopos Thusciæ et Campaniæ, declarans Confirmationis Sacramentum *ab aliis perfici non posse, nisi a summis Sacerdotibus; nam si aliter præsumptum fuit, irritum habeatur, et vacuum, nec inter Ecclesiastica umquam reputabitur Sacramenta.* Damasus etiam Epist. ad Episcopos Numidiæ: *Quod vis* (scilicet Chorepiscopis, inter simplices Sacerdotes præcipuis) *non licet Sacerdotes consecrare, nec Diaconos, aut Subdiaconos, nec Virgines, nec Altare erigere, nec ungere, aut sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare. Quod solis Apostolis, eorumque Successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber actuum Apostolorum docet, præsertim cum nullus ex septuaginta Discipulis, quorum isti* (Chorepiscopi) *in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. Hæc ergo, quia omni carent ratione, nullus deinceps usurpet, aut consentiat Sacerdotum, qui noluerit a nostro Sacerdotali collegio separari.* Et Innocentius I, Epist. 1. ad Decentium, cap. 3. loquens de Chrismatione frontis, ait: *Pontificibus solis debetur, ut vel consignent, vel Spiritum Paracletum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum et lectio Actuum Apostolorum. Nam Presbyteris Chrismate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Et Magnus Leo Epist. 88. *Nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare Presbyteris et Chorepiscopis liceat. Quæ omnia solis deberi summis Pontificibus auctoritate Canonum præcipitur.* Et Gelasius Epist. ad Episcopos Lucaniæ: *Presbyteros ultra*

modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem. Idem luculentius docet Joannes III, Epist. ad Episcopos Germaniæ et Galliæ, cap. 1. ubi cum probasset auctoritate Actuum Apostolorum 8. et SS. Damasi ac Leonis Magni, necnon Concilii Neocæsariensis Can. 13. solos Episcopos esse Ministros Confirmationis, quam ibi appellat manuum impositionem, et inde collegisset, quod Chorepiscopi, qui erant simplices Presbyteri, et referebant 70. Discipulos, quorum nullus per manus impositionem legitur tradidisse Spiritum sanctum, Confirmationis Sacramentum administare non possent, nec deberent, sic eos urget: *Si meliores sanctioresque cæteris Apostolis esse putatis, facite quæ illi non fecerunt, et superextollite vos illis. Si vero ejusdem Ordinis estis, et æquiparare vos vultis illis, nolite ea agere, quæ illi non egerunt: sed imitamini, prout melius potestis, exempla et vestigia eorum. Illi autem, præcipiente Domino, illisque denuntiante, ut illi, et Successores eorum tantummodo per manus impositionem traderent Spiritum sanctum, nulli umquam ex septuaginta tradere Spiritum sanctum per manus impositionem permiserunt eis (quorum typum, ut prædictum est, Chorepiscopi, antequam prohibiti essent, gerebant in Ecclesia) scientes illicitum fore, dantes exemplum, ne umquam talia præsumerent. Unde in Actibus Apostolorum scriptum est:* cum audissent Apostoli, etc. *Non ergo, ut jam dictum est, aliquem ex septuaginta, licet pauci essent Apostoli, ad hoc corpus perficiendum direxerunt; sed Petrum et Joannem Apostolos per manus impositionem tradere Spiritum sanctum miserunt, quorum vicem Episcopi in Ecclesia gerunt, et non Chorepiscopi, qui septuaginta Discipulorum formam, ante prohibitionem eorum, gerebant. Quod illi non fecerunt, vos facere nolite, ne dissimiles eis, et indigni eorum successione et ministerio esse videamini.* Idem pariter decernunt Concilia Hispalense II, cap. 7. Toletanum VIII, cap. 7. Meldense cap. 44. Vormatiense, cap. 8. Metense, cap. 5. Unde Ratramnus Corbejensis diluens Græcorum objecta, quæ Nicolaus Pontifex refellenda in Gallias miserat, ait: *Nunc ad illud veniamus, quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri non liniunt. Ut hoc fiat, et apud Romanos, et apud omnes Occidentales, tam ex Evangelio, quam ex Apostolorum Actis, constat esse assumptum; constat namque Spiritus sancti gratiam per unctionem frontis ex Chrismate ab Episcopis donari, quod nulli præter Episcopos esse concessum, Evangelica testatur auctoritas.* Igitur Ecclesia Romana non approbat facultatem concessam simplici Presbytero ad Confirmandum. — **Nego consequentiam,** et ad præfatas auctoritates dico, eas esse intelligendas de Ministro ordinario, quem constat solum esse Episcopum, qui propria auctoritate Sacramentum Confirmationis possit dispensare; non autem de Ministro extraordinario, et delegato, qualis potest esse simplex Sacerdos, qui ex commissione et dispensatione summi Pontificis rationabili de causa delegari potest in Ministrum hujus Sacramenti. *Nec obstat,* quod Joannes III dixerit, solos Apostolos, et Episcopos eorum *Successores tantummodo, præcipiente Domino, illisque denuntiante,* tradere posse Spiritum sanctum per manus impositionem. Hoc, inquam, non obstat: *tum* quia dubia est prorsus hujus Epistolæ au-

ctoritas, utpote quam Binius, necnon et Baronius supposititi am esse subodorantur: *tum* quia ibi Joannes agit de Chorepiscopis et simplicibus Presbyteris, qui propria auctoritate hoc munus sibi arrogabant.

INSTABIS: Eodem modo præfati Pontifices et laudata Concilia loquuntur de administratione Confirmationis, atque de confectione et consecratione Chrismatis, ut constat præcipue ex Damaso et Leone Magno, necnon et Conciliis Hispalensi et Toletano: sed Ecclesia nusquam concessit simplicibus Sacerdotibus facultatem consecrandi Chrismatis; imo ex continua ejus praxi, cui nec Græci schismatici obluctantur, solus Episcopus Chrisma conficere valide potest, nec idonea unquam habita est Confirmationis materia, nisi solum Chrisma ab Episcopo benedictum: igitur confirmandi facultas ita ordini episcopali est propria, ut nulli alteri possit delegari. — **Respondeo** *primo*, verum quidem esse, quod consecrandi Chrismatis, et ministrandæ Confirmationis ordinarius Minister sit solus Episcopus. Quod utique non obest, quin utriusque Minister possit esse simplex Sacerdos, ex delegatione et commissione summi Pontificis, ut diximus agendo de benedictione et consecratione Chrismatis. *Secundo* dico, non eamdem esse concedendæ facultatis ad consecrandum Chrisma, ac administrandam Confirmationem, necessitatem et rationem; quippe Chrisma semel ab Episcopo benedictum potest in varias orbis plagas, ubi nulli adessent Episcopi, deportari; et sic a simplici Sacerdote, in casu necessitatis, ministrari posset Confirmationis Sacramentum, quod utique fieri non posset, nisi concederetur hæc dispensatio.

URGEBIS: Si quæ esset rationabilis causa dispensandi, ut Confirmatio ministrari possit a simplici Sacerdote, maxime quando imminet mortis periculum, nec conveniri potest Episcopus: sed Innocentius tertius, cap. 4. *De Consuetudine*, decernit, ut potius fideles careant Sacramento Confirmationis, etiam in mortis discrimine, quam illud a simplici Sacerdote accipiant: igitur existimavit Innocentius, Confirmandi potestatem ita propriam esse Episcopis, ut simplici Sacerdoti nulla ratione posset delegari. — **Respondeo**, Pontificem hoc facto coërcere voluisse temeritatem ac præsumptionem quorumdam Presbyterorum, qui sine ulla speciali delegatione a summo Pontifice, sed ausu temerario confirmandi potestatem sibi arrogabant. Quam utique temeritatem ut conpesceret summus Pontifex, maluit, ut hoc Sacramento non absolute ad salutem necessario carerent fideles, quam ut illud ab hujusmodi Sacerdotibus peterent.

OBJICIES 2. Nec Ecclesia, nec summus Pontifex immutare potest ea, quæ sunt de jure divino, et quæ spectant ad essentiam Sacramentorum: sed Episcopus de jure divino et ex institutione Christi est designatus Minister Confirmationis; Minister autem non minus spectat ad essentiam et integritatem Sacramenti, quam materia et forma: igitur nec Ecclesia, nec summus Pontifex possunt hujusmodi potestatem simplici Sacerdoti delegare. — **Distinguo majorem**: Episcopus est institutus a Christo Minister Confirmationis, ordinarius, *concedo*: solus et cum exclusione cujusque alterius, etiam per delegationem, *nego*. Quamvis enim ex Christi institutione Episcopus sit designatus ordinarius Minister hujus Sacramenti, hoc tamen non officit, quominus ex eadem Christi voluntate gravi de causa summus Pontifex possit ad id simplicem Sa-

cerdotem delegare. Sicut ex Christi institutione Episcopus potestate ordinariæ a peccatis absolvere potest; Sacerdos vero peccata dumtaxat remittere potest, si ab Episcopo jurisdictionem obtineat. Neque in his alia ratio quærenda est, quam Christi Instituentis beneplacitum nobis ex Traditione et Ecclesiæ Catholicæ a Spiritu sancto gubernatæ usu notatum. Quamobrem in hujusmodi indulgentia Papa jus divinum non mutat; sed tantum declarat simplicem Sacerdotem in tali urgentis necessitatis casu, ex sua tamen commissione, confirmari, idque esse voluntati, et Christi Sacramentorum auctoris institutioni consentaneum.

URGEBIS: Potestas confirmandi fundatur in charactere Ordinis Episcopalis: igitur qui non habet eum characterem nulla ratione potest confirmare. *Probatur antecedens:* si hæc potestas præcise non fundetur in charactere episcopali, et potestate Ordinis, Episcopus eam sibi vindicare deberet ratione jurisdictionis quam in suam Diœcesim obtinet: sed ita non est: igitur in solo charactere episcopali fundatur. *Major constat,* duplex enim solum in Episcopo distinguitur auctoritas, nempe Ordinis, et characteri annexa, vel jurisdictionis, qua universæ Diœcesi principatur. *Minor etiam constat: tum* quia Episcopus exauctoratus, et censuris Ecclesiasticis irretitus, imo et in hæresim lapsus, tamesti illicite, tamen valide confirmat, licet omni jurisdictione sua sit orbatus: *tum* quia jurisdictionem suam potest Episcopus in alios derivare, et de facto eam Vicariis Generalibus impertit, subindeque posset aliis Sacerdotibus confirmandi, sicut a casibus reservatis absolvendi, facultatem concedere, quod in Ecclesia inusitatum et inauditum est: ergo non confirmat Episcopus, nisi ratione potestatis Ordinis, seu characteri suo divinitus alligatæ: ergo quicumque eo charactere episcopali carebit in vanum confirmabit. Quod usque adeo verum est, ut ipse Papa electus, et in Episcopum nondum consecratus, tametsi primam et maximam habeat in totam Christi Ecclesiam auctoritatem et jurisdictionem, ipse tamen confirmare alios non potest, defectu characteris episcopalis. Ergo confirmandi facultas est essentialiter characteri episcopali annexa. — **Respondeo,** hanc auctoritatem conferendæ Confirmationis, fundari proxime in potestate Ordinis Episcopalis, tamquam Ministri ordinarii; remote vero in charactere Sacerdotali, et quæ nonnisi per delegationem Summi Pontificis perfici possit; ita quod Episcopus ratione sui Ordinis, et characteris ex divina institutione jure ordinario independenter a quocumque vel permittente, vel prohibente, possit valide hoc Sacramentum administrare. Simplex autem Sacerdos, cum habeat tantum inchoatam hanc auctoritatem, eo quod ratione sui characteris sit capax excipiendi illam tamquam delegatam; idcirco remote dumtaxat hanc auctoritatem sibi vindicat, quæ nonnisi per delegationem reduci potest ad potentiam proximam; eo fere modo, quo potestas remota ad absolvendum, quam quilibet Sacerdos accipit in sua ordinatione, fit proxima per potestatem jurisdictionis ordinariam, vel delegatam, postmodum ab Ecclesia concessam. Itaque potestas confirmandi competit tam Episcopo, quam Presbytero, ratione Ordinis ac consecrationis; Episcopo quidem complete, proxime, et absolute; Presbytero vero tantum incomplete, remote, ac conditionate, si videlicet accedat dispensatio et commissio Summi Pontificis, per quam illa remota potestas fit proxima.

Instabis: Illa Sedis Apostolicæ concessio et commissio nihil reale tribuit simplici Sacerdoti: ergo per eam illius character Ordinis compleri non potest, neque perfici. — **Distinguo antecedens**: nihil confert reale physicum, *concedo:* morale, *nego.* Cum autem character non sit quid physice concurrens ad Sacramenti ministerium et effectum, sed tantum quid morale, et per modum signi operans; hinc non mirum videri debet, si per simplicem concessionem id obtineat, quod suapte natura non habebat. *Vel aliter distinguo:* nihil confert, quo Sacerdos fiat ordinarius Minister, *concedo:* quo fiat extraordinarius, *nego.* Plura namque ad ordinarium, quam ad extraordinarium ministrum desiderantur; quia primum concernit statum, et per modum permanentis; aliud vero solam deputationem, quæ potest auferri.

Conclusio tertia. — Solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, delegare potest simplici Sacerdoti auctoritatem conferendæ Confirmationis. Hæc est communior et verior,

Colligiturque ex Concilio Florentino; nam in decreto Eugenii, ut specialis prærogativa Sedis Apostolicæ protertur, quod per ejus dispensationem simplices Sacerdotes aliquando confirmaverint; quibus insinuat, id nec concessum ab aliis Episcopis, nec valere, si aliquando concederetur. *Insuper,* si Patres ejusdem Concilii non supposuissent tamquam certum, quod Presbyteri ex sola delegatione Episcopi confirmare non possent, haud dubie non proposuissent Sess. 25. hanc quæstionem Græcis, *cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant sacro Chrismate.* Suffragantur etiam rationes in prima Conclusione expressæ, necnon et continua Ecclesiæ praxis, qua constat a nullo umquam Episcopo hoc privilegium simplici Sacerdoti fuisse concessum; cum enim nullum extet decretum Summi Pontificis, prohibens Episcopis, ne privilegium hoc simplici Sacerdoti conferant, non esset cur illa potestate aliquando non fuissent usi. — Cum itaque nusquam legatur, Presbyteros ex Episcopi jussione confirmasse, sed tantum ex Sedis Apostolicæ delegatione, signum est, quod ex institutione Christi Domini solus Summus Pontifex, ob plenitudinem suæ potestatis, constituere possit simplicem Sacerdotem in Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti.

Dices 1: Quidquid Summus Pontifex potest in universa Ecclesia, idipsum potest Episcopus in sua Diœcesi: igitur sicut Summus Pontifex delegare potest simplici Sacerdoti facultatem confirmandi per universam Ecclesiam, idem potest Episcopus in sua Diœcesi. — **Distinguo antecedens**: quidquid potest ratione Ordinis, seu consecrationis Episcopalis, *concedo:* ratione jurisdictionis, *nego.* Porro delegare simplici Sacerdoti facultatem confirmandi spectat ad auctoritatem jurisdictionis, quam Summus Pontifex supremam in Ecclesia obtinet.

Dices 2: Sacerdotes Græci valide Confirmationis Sacramentum administrant: at id non præstant ex concessione Romani Pontificis, quippe cum hujus concessio seu privilegium nullibi appareat: igitur solum obtinuerunt ex delegatione suorum Episcoporum. — **Nego minorem**; nam, ut notat Arcudius, cap. 15. circa medium, *Tutissimum est dicere, Græcorum Presbyteros, per suos Patriarchas et Antistites ejusmodi facultatem a Summo Pontifice obtinuisse, a quo omnis jurisdictio, quasi a capite in alios, veluti membra, mediate, vel immediate derivatur, et*

diffunditur. Addit, id etiam forte ab initio fuisse concessum ab universali Ecclesia Orientali, non corrigente a principio, sed diu tolerante Romano Pontifice; cum enim Summus Pontifex, antequam Ecclesia Græca a Romana infenso schismate divulsa fuisset, annuatim Chrisma Constantinopolim mitteret, ut idem testatur Arcudius, c. 9. haud dubium est, quod rescierit Presbyteros Græcos solitos esse confirmare infantes; quare vel expresse consensit, vel tacite; si enim Constantinopolitani tantum deferrent Ecclesiæ Romanæ, ut ab ipsa peterent Sacrum Chrisma, quod ipsimet ex Ordinis potestate poterant consecrare, quanto magis eorum Presbyteri abstinuissent a conferendo Confirmationis Sacramento, si illud Romanus Pontifex improbasset?

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆ SIT NECESSITAS SUSCIPIENDI HUJUS SACRAMENTI, ET QUINAM SINT CAPACES ILLIUS SUSCEPTIONIS.

NOTANDUM 1. Seu potius revocandum ex jam pluries dictis, necessitatem recipiendi alicujus Sacramenti solito distingui duplicem, *medii* videlicet, et *præcepti*. Sacramentum illud dicitur necessarium *necessitate medii*, sine quo salus hominis ad illius susceptionem adstricti obtineri nequit; sic necessarius est Baptismus in re, vel in voto suscipiendus in nova Lege; necessarium pariter Pœnitentiæ Sacramentum ad eluendum peccatum mortale post Baptismum commissum. *Necessitas* vero *præcepti* ea est, qua Sacramenti susceptio necessaria est ex mandato, vel divino, vel Ecclesiastico; ita ut illi, ad quos præceptum istud dirigitur, salutem non possint obtinere absque susceptione hujusmodi Sacramenti, nisi forte infirmitas, aut aliqua alia necessitas ab illo præcepto servando illos eximat. Quæritur autem, an aliquo ex his modis Confirmationis Sacramentum sit ad salutem necessarium.

NOTANDUM 2. Necessitatem *medii* adhuc posse distingui duplicem; unam quidem *absolutam*, per quam aliquid ad salutem ita necessarium est, ut sine eo salus æterna non possit obtineri; alteram autem tantum *ad melius, et perfectius esse*, per quam aliquid non est ita ad salutem necessarium, quin sine eo salus æterna possit obtineri, sed comparari non posset cum tanta perfectione et facilitate. Similiter necessitas *præcepti* dupliciter potest attendi, nempe vel respectu totius communitatis, puta totius Ecclesiæ et cœtus omnium fidelium, vel tantum respectu cujuslibet fidelis in particulari; plura namque necessaria sunt respectu communitatis, quæ itidem non sunt necessaria respectu particularium.

NOTANDUM 3. Duplex distingui posse subjectum capax recipiendæ Confirmationis, nempe vel infantem, sed rationis capacem, vel adultum, qui sit sui juris. Unde movetur controversia inter Theologos, quænam ex parte utriusque dispositiones prærequirantur ad valide et fructuose suscipiendum Confirmationis Sacramentum. Quæ utique controversia, cum non sit gravis ponderis et momenti, etiam facili negotio discutietur in tribus Conclusionibus frequentibus.

Conclusio prima. — CONFIRMATIONIS SACRAMENTI SUSCEPTIO NON EST PRÆCISE ET PER SE NECESSARIA AD SALUTEM NECESSITATE

MEDII ABSOLUTA. Hæc Conclusio communis est apud Theologos, eamque tradit Alensis, 4. par. qu. 25. memb. 2., S. Bonaventura, dist. 7. art. 3. qu. 2., S. Thomas, qu. 3. art. 2. necnon et Subtilis Doctor, dist. 7. qu. 1., ubi de Sacramento Confirmationis scribit: *Respondeo, quod non est simpliciter necessarium ad salutem, juxta illud Marci ult. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Necnon et De Consecr.*, dist. 5., ubi habetur, quod *baptizatus per solum Baptismum salvatur.* Porro verba distinctionis illius desumpta sunt ex cap. 2. Epistolæ Melchiadis ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.... Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.*

Suffragatur etiam ratio: *tum* quia ad salutem instituendam sufficit innocentiæ status, necnon et quilibet gradus gratiæ sanctificantis: cum ergo hoc Sacramentum non sit institutum ad conferendam primam gratiam, sed dumtaxat ad ejus augmentum, inde consequens est, quod eo prætermisso salus possit obtineri: *tum* quia effectus hujus Sacramenti, videlicet animi robur et constantia ad tuendam et protestandam fidem coram tyrannis, aliis mediis ab adultis sperari et obtineri potest, puta per sacrificia, orationes, aliaque bona opera vitæ æternæ meritoria; multo magis obtineri possunt auxilia actualia ad fidem et religionem animo constanti profitendam. *Adde quod* maximæ parti adultorum numquam se offerat aliqua occasio defensionis fidei. *Tum denique*, quia si Sacramentum hoc esset absolute ad salutem necessarium, haud dubie Ecclesia summo studio curaret illud administrari statim post Baptismum, ne videlicet plures infantes antè rationis usum post susceptum Baptisma ex hac vita migrantes, propter defectum hujus Sacramenti de salute æterna periclitarentur: nihilominus ex assidua ejus praxi constat, hoc Sacramentum non ministrari solere parvulis ante septennium, ut dicemus infra: igitur, etc.

DICES: Nemo salvari potest, quin sit perfectus Christianus, et habeat in se Christi gratiam: sed sine hoc Sacramento nullus potest esse perfectus Christianus, nec habere in se Christi gratiam. *Probatur* auctoritate S. Cypriani, Epist. 70. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Chrismate, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Dei possit.* Et S. Clemens Romanus, Epist. 4. *Omnibus*, inquit, *festinandum est sine mora renasci Deo, et demum ab Episcopo consignari, idest, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere: cum alioqui perfectus Christianus nequaquam esse possit, is qui hoc Sacramentum prætermiserit, ut a B. Petro accepimus, et cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Et Urbanus Papa in Epist. sua, c. 7. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Quibus concinit Concilium Aurelianense, cap. 8. ubi ait: *Quia numquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.* Hinc Concilium Laodicenum, Can. 48. ait: *Oportet baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrisma percipere, et cœlestis regni participes fieri.* Igitur ex his omnibus liquet, Sacramentum Confirmationis esse necessarium ad salutem. Unde Hugo Victorinus, lib. 2. par. 7. cap. 3.

aperte pronuntiat, omnino periculosum esse sine manus impositione ex hac vita migrare: *Quia*, inquit, *sicut in Baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manus impositionem Spiritus Paracletus datur: illic gratia tribuitur ad remissionem peccatorum, hic datur ad Confirmationem. Quid autem prodest, si a lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris?* — **Distinguo minorem**: sine Confirmatione haberi non potest gratia Christi, nec quis esse plenus Christianus, quantum ad ipsius gratiæ augmenti plenitudinem, et completam nominis Christiani significationem, *concedo:* quantum ad consecutionem gratiæ sanctificantis ad salutem absolute sufficientis, necnon et quantum ad susceptionem characteris Christiani, quo quis vere inter Christi membra computetur, et ipsius corpori mystico, nempe Ecclesiæ, inseratur, *nego.* Per Baptismum enim imprimitur ille character, quo baptizatus revera censetur membrum Christi, et ipsius corpori mystico inseritur. Similiter per eum consequitur gratiam sanctificantem ad salutem æternam sufficientem; nam qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Verum Confirmatio non confert modicum ad ipsius gratiæ plenitudinem et perfectionem, siquidem per hoc Sacramentum tribuitur sancti Spiritus plenitudo, quantum ad augmentum gratiæ habitualis, ac virilem et cælestem animi constantiam, qua Christianus vegetatus et roboratus, fidem et religionem Christianam, etiam cum evidenti bonorum omnium jactura, ac vitæ dispendio tueatur. Confert pariter ad plenam et omnimodam Christiani nominis significationem; siquidem Christiani nomen, sicut et Christi, derivatum esse ab unctione Chrismatis, docet S. Augustinus, lib. 17. *De Civitate Dei*, cap. 16. *Quis enim*, inquit, *tam rudis est in hac Religione, vel tam surdus adversus ejus famam longe lateque diffusam, ut Christum a Chrismate, hoc est, ab unctione appellatum esse non noverit?* Et lib. 20. cap. 10. explicans illa verba Apocal. *Erunt Sacerdotes Dei, et Christi*, scribit: *Non utique de solis Episcopis, et Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum Chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis.* Ubi signanter dicit, nos dici Christianos propter mysticum Chrisma, nempe Sacramentum Confirmationis, cujus materia est unctio Chrismatis; ad quam haud dubie nominis etymologiam alludere voluerunt Pontifices, et Patres, et Concilia, dum negant eos esse Christianos, vel plene Christianos, qui hanc Chrismatis unctionem non acceperunt. *Vel aliter distinguo:* sine Confirmatione fideles non possunt esse pleni Christiani, plenitudine quoad abundantiam, *concedo:* quoad sufficientiam, *nego.* Duplex enim distingui potest gratiæ plenitudo respectu hominis baptizati: una quoad sufficientiam, quæ datur in Baptismate, et hominem complet ac perficit in iis, quæ sufficiunt ad salutem; alia vero quoad abundantiam, quæ in ipsa Confirmatione tribuitur, ut Christianus perfectus Christi miles evadat. Porro prior plenitudo sufficit ad salutem; posterior vero desideratur tantum ad melius esse. — Dum vero Patres et Concilia dicunt, hujus Chrismatis susceptionem necessariam esse ad salutem, intelligendi sunt de his, qui ex negligentia et contemptu hoc Sacramentum non susceperunt. Qualiter seipsum explicat Hugo Victorinus; nam post verba in objectione laudata statim subdit: *Propterea timen-*

dum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, et non suscipiunt manus impositionem, ne forte propterea damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt. Propter eos enim, qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa, qua Sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri Chrismatis unctio, ut in hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cum tam sollicite universis cavetur, ne forte sine ipso ab hac vita subtrahantur. Quibus verbis significat, eatenus hoc Sacramentum necessarium esse ad salutem, quatenus ejus contemptus perniciosus esset; quippe cum ipsum contemptorem fraudat amplissimo gratiæ augmento, quod facile sibi poterat comparare. Quæ utique solutio et explicatio est Doctoris loco laudato; nam respondens ad auctoritatem petitam ex Gratiano *De Consecratione*, dist. 5. his verbis: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum Spiritum suscipere debent, et pleni Christiani inveniantur*, ait: *Dico, quod loquitur de adulto, qui debet suscipere, idest, non contemnere, et pro tempore congruo suscipere in effectu; judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur.* Ex his aperte constat, qualiter intelligenda sint verba Melchiadis initio Conclusionis jam laudata: *Si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Non enim ait: *Necessaria est Confirmatio*, sed *necessaria sunt Confirmationis auxilia;* quæ utique, ut diximus, aliunde haberi possunt, quam per Confirmationem; quamvis valde congruum sit, imo necessarium necessitate ad melius esse, ea consequi infallibiliter, ratione operis operati, sicut obtinentur per Confirmationem, quam ex opere operantis, sicut comparari possunt per preces et orationes, et alia opera meritoria; idcirco idem Pontifex in eadem Epist. præmittit de Baptismo et Confirmatione: *Ita conjuncta sunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari;* potentia videlicet condecentiæ, et convenientiæ, quia nimirum Confirmationis gratia, et character est veluti complementum et perfectio characteris gratiæ Baptismalis.

Conclusio secunda. — Sacramentum Confirmationis est necessarium necessitate præcepti respective ad universam Ecclesiam, non autem ad singulos fideles in propria et privata persona spectatos.

Prima pars communis est, in Ecclesia namque necessario debent esse aliqui confirmati; siquidem Ecclesia est Respublica legitime ac rite a Deo et Christo instituta: igitur in ea debent aliqui destinari ex munere, qui Rempublicam illam tueantur, et sub Ducibus suis militent, ad ipsius defensionem: destinantur autem ad hoc militiæ genus Christiani per Confirmationis Sacramentum et Duces eis constituuntur Sacerdotes, et Clerici, per Ordinum susceptionem: igitur qua ratione necessario debent esse in Ecclesia Duces aliqui, qui cæteris præsint, pari ratione necessum est, quod aliqui destinentur in milites, sub ipsis Ducibus strenue pugnaturi; hoc autem fit per Confirmationem: igitur, etc. — *Deinde*, in Concilio Mediolanensi quarto præcipitur Episcopis et Parochis, ut omni vigilantia curent hoc Sacramentum *sibi subditis* fidelibus administrari; nam loquens de Sacramento Con-

firmationis, ait: *Videant* (Parochi) *ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Wormaciensis Canone sancitum est, ut quicumque intra Parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ea ætate sunt, qua Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.* Ne autem aliquis existimaret, verba illa solam admonitionem, non autem præceptum continere, statim addit: *Si quis vero neglexerit, canonicis subjaceat disciplinis.* Neminem autem pœnis Canonicis addicit Ecclesia propter omissionem solius consilii, sed propter præcepti transgressionem. Ex hoc Concilio liquet præceptum esse animarum Rectoribus, ut sibi subditis Sacramentum Confirmationis ministrent; ac subinde necessum est, quod in Ecclesia aliqui sint, qui hoc Sacramentum suscipiant.

Secunda pars non est contra Doctorem, ut ei perperam affingit Gonetus, disp. 6. art. 3. Doctor enim 4. dist. 17. q. 1. n. 11., ait: *Extrema Unctio est instituta a Christo, et Confirmationis Sacramentum, ut dictum est supra; et tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo.* Porro, quod nullum sit præceptum, quo fidelis quisque teneatur sub peccato ad suscipiendam Confirmationem per se et directe, probatur: præceptum enim, si quod esset, maxime vel naturale, vel divinum positivum, vel ecclesiasticum: sed neutrum ex illis apparet. *Non quidem naturale:* quodnam enim illud esset, nisi forte præceptum charitatis servandæ erga seipsum, quo unusquisque obligatur ad procuranda sibi media necessaria ad salutem? At ita non est, quippe, ut dictum est in Conclusione prima, Confirmatio non est per se medium necessarium ad salutem. *Non est etiam aliquod præceptum divinum positivum*, quippe cum nullibi in Scriptura sacra præscribatur obligatio suscipiendæ Confirmationis, sicut præscribitur de Baptismo, Eucharistia, et Pœnitentia suscipiendis; neque etiam id colligi potest ex Traditione; quippe cum nulla sufficiens Traditio habeatur in Conciliis, aut Patribus, quæ præceptum hoc divinum persuadeat; neque etiam id inferri potest ex effectu hujus Sacramenti, quippe cum sine eo salus possit obtineri; et insuper effectus ille, nempe gratia roborans et sanctificans, possit per alia media, quam per Confirmationem haberi. *Denique*, nullum apparet *præceptum ecclesiasticum: tum* quia Ecclesia non assolet imponere præceptum de aliquo Sacramento suscipiendo, nisi jam præsupponatur divinum aliquod præceptum; unde illa solum determinat tempus, et modum, quo divinum illud præceptum debeat impleri, ut constat de Eucharistia et Pœnitentia: unde cum nullum sit præceptum divinum de Confirmatione suscipienda, nullum pariter ecclesiasticum apparet. *Adde quod* nullis in Conciliis hujusmodi præceptum appareat; nam quod protulimus ex Concilio Mediolanensi obligat quidem Pastores ad hoc Sacramentum ministrandum, necnon ad invigilandum sedulo, ut a sibi commissis ovibus post septennium suscipiatur; non autem ipsis subditis distinctam obligationem præscribit hoc Sacramentum suscipiendi. *Adde quod* Concilium istud sit provinciale, nec subinde potuit obligare Ecclesiam universalem, nisi constet illud esse ubique receptum et probatum; hæc autem receptio et probatio nullibi legitur. Itaque licet Ecclesia præscribere potuerit, quod unusquisque

fidelium post septennium teneretur suscipere Confirmationis Sacramentum, sicut præscripsit et præcepit, ut singulis annis fideles adulti sua peccata confiterentur, et Eucharistiam sumerent; attamen id non præcepit, nec præscripsit.

Dices 1: Homo, ex præcepto charitatis erga seipsum, magis obligatur ad procurandum sibi bonum et complementum vitæ spiritalis, quam corporeæ: sed tenetur ad applicandum sibi media necessaria ad augmentum et fomentum vitæ corporeæ per nutritionem: igitur etiam in vita spiritali ex præcepto charitatis obligatur ad procurandum sibi medium, quo vita spiritalis foveri possit et augeri, quale est Sacramentum Confirmationis. — **Respondeo** *negando paritatem;* et ratio discriminis est, quod medium ordinatum ad augmentum vitæ corporeæ, unicum sit, nempe nutritio; secus autem est de vita spirituali, quæ, ut jam pluries diximus, aliis mediis, quam Sacramento Confirmationis augeri potest.

Dices 2: Eodem præcepto imperatur Confirmatio, quo imperatur fidei professio, et religionis ac sanctitatis propugnatio, non solum contra sensibiles, sed etiam contra spirituales adversarios; ubi enim præcipitur finis aliquis, etiam præcipiuntur media, quibus ille finis potest obtineri: sed præcepto divino tenemur ita fidem ac religionem propugnare: igitur pariter tenemur Confirmationis Sacramentum suscipere. — **Distinguo majorem:** si finis præceptus non possit obtineri, quam per certa et determinata media, hujusmodi media cum ipso fine censentur præcipi, *concedo:* secus, *nego.* Porro quamvis Deus specialiter Confirmationem ordinaverit, tamquam particulare ac proprium medium obtinendæ gratiæ, qua tentationibus et persecutionibus occurramus; attamen sunt alia media generalia, quibus spiritualis ille vigor et animi robur potest obtineri; nempe frequens Eucharistiæ perceptio, fervens oratio, et alia hujusmodi pia opera, quibus homo divinum sibi in necessitatibus auxilium conciliare potest.

Ex iis itaque sequitur, quod Confirmatio necessaria sit dumtaxat *ad melius esse;* quam utique necessitatem egregie explicat Gerson, Tom. 2. in *Compendio de Sacramentis,* col. 78. *Dici potest,* inquit, *quod uno modo loquendi Confirmatio necessaria est, alio modo non. Necessitas enim duplex invenitur; quædam absoluta, et quædam conditionata. Dicitur necessitas conditionata, idest, secundum quid, ut si homo non debeat debilitari, necesse est bene comedere; et isto modo dici potest, quod Confirmatio ad salutem est necessaria. Nam ad hoc, quod debeat vita spiritualis et salus in Baptismo adepta robuste contra hostes spirituales custodiri, necesse habet hoc Sacramento confirmari et custodiri. Unde dicit Hugo de S. Victore: quid prodest, si per Baptismum a lapsu erigeris, nisi etiam per Confirmationem ad standum confirmeris? Non quia sine Confirmatione non valet Baptismum ad salutem, quia hoc falsum est; sed quia frequenter in pugna spirituali accideret etiam facilitas cadendi, et proinde damnatio, nisi esset Confirmatio.* Non quidem *per se,* quasi carentia Confirmationis esset causa damnationis; sed per accidens, nempe vel quia homo propter contemptum suscipiendi hujus medii a Deo ordinati ad obtinenda media necessaria, quibus propugnare possit fidem, et adversus impugnantes *quoslibet hostes* Religionem tueri, indignus censeretur, qui hujusmodi

auxilia aliis mediis posset consequi; vel quia graviori urgente tentatione uberiori eget auxilio ad resistendum et vincendum, quod utique efficacius per Confirmationem, quam per quodlibet aliud medium obtineret; unde fit, ut Confirmatione neglecta, hujusmodi medio uberiori orbatus minores habeat vires ad resistendum. Quo fit ut plerumque succumbat, sicque damnationis periculum incurrat. — Igitur omnibus modis incumbere debent animarum Rectores, ut ad hujus Sacramenti susceptionem creditas sibi divinitus oves provocent et adhortentur: *tum*, ut abundantem gratiæ plenitudinem per hoc Sacramentum conferendam obtineant: *tum*, ut induantur virtute ex alto, qua validius et animosius adversus quoslibet infestantes et impugnantes salutis adversarios repugnare, et eis expugnatis, æternam gloriæ coronam promereri possint. Quod utique præclare docet Catech. Rom., n. 14. Docendum est, *inquit*, hoc Sacramentum hujusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit; quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen prætermitti debet; sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam longe impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctitatem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. Ac sanctus quidem Lucas, cum admirabilem illius Spiritus sancti effusionem describeret, ita inquit: *Et factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum.* Deinde paucis interjectis: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram et imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die dictum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius Sacramenti ratione facile colligitur; illi enim sacro Chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, et qui ad perfectæ Christianæ Religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maxime convenit; ut enim hoc spectat natura, ut, qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perveniant, etiamsi interdum quod vult minus assequatur, ita communis omnium mater Catholica Ecclesia vehementer optat, ut in eis, quos per Baptismum regeneravit, Christiani hominis forma perfecte absolvatur; id autem quoniam mysticæ unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles æque pertinere. *Ita Catechismus.*

Conclusio tertia. — Omnis et solus baptizatus est subjectum capax valide recipiendæ Confirmationis. Hæc est communior apud Theologos; quod enim solus baptizatus sit capax recipiendæ Confirmationis, aperte constat: *tum* quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum, per quam proinde in Ecclesiam intrare prius necesse est, quam aliorum Sacramentorum quis possit esse particeps: *tum* quia prius est hominem spiritualiter nasci, quam roborari et augeri; nascitur autem fidelis per Baptismum; roboratur vero per Confirmationem: igitur, etc.: *tum* denique quia character Confirmationis supponit characterem Baptismi; etenim character baptismalis respicit fidem nascentem et inchoantem; character vero Confirmationis respicit statum fidei, inquit Seraphicus Doctor, dist. 7. art. 3. q. 3.

igitur merito Urbanus Papa decrevit, sicut refertur dist. 5. de Consecrat. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere, ut plene Christiani inveniantur; quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.* Quibus verbis summus Pontifex duo significat: *primum*, quod solus baptizatus sit capax suscipiendi hoc Sacramentum: *secundum*, quod quilibet baptizatus, cujusvis sexus, status, conditionis, et ætatis, sit idoneum illius subjectum; siquidem generatim profert, *omnes fideles*, etc.

Dices: Actorum 1. Spiritus sanctus datus fuit Cornelio et sociis ejus, antequam baptizarentur; sic enim dicitur versu 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Et versu 47. *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Utique postquam accepissent Spiritum sanctum: igitur Confirmatio non necessario supponit Baptismum. — **Distinguo consequens:** non necessario supponit Baptismum in re vel in voto, *nego:* semper reipsa susceptum, *concedo.* Quamvis enim forte Cornelius et socii excepissent Confirmationis effectum, nempe plenitudinem Spiritus sancti, ante realem Baptismi susceptionem; tamen jam baptizati fuerant in voto, aut per contritionem, aut per dilectionem Dei super omnia. Vel aliter dico cum Subtili Doctore in 4. dist. 7. q. 1. n. 3. quod *Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis; et ideo sicut ipse sive in terris, sive post Ascensionem in cœlos potuit confirmare Apostolos sine materia, et forma*, quæ nunc in Ecclesia essentialiter requiruntur ad Sacramentum Confirmationis; ita per extraordinariam virtutem, potuit quos voluit, sive in cælis, sive in terris existens confirmare ante realem Baptismi susceptionem. An autem ita confirmaverit Cornelium et socios ejus, quis determinabit?

Cæterum nullus baptizatus arcendus est a Confirmatione; si enim aliqui baptizati arcendi esset a susceptione hujus Sacramenti, maxime parvuli et infantes ante rationis usum et adultam ætatem: sed ita non est; siquidem Actor. 8. et 19. legitur: Apostolos omnibus baptizatis, nemine excepto, manus imposuisse, ut reciperent Spiritum sanctum, idque haud dubie exemplo ipsius Spiritus sancti, qui Actor. 2. visibiliter descendit in die Pentecostes, non tantum supra Apostolos, sed etiam supra singulos eorum, qui in eodem loco erant congregati. Porro ibi non solum erant viri adulti, sed etiam mulieres et parvuli, juxta illud vaticinium Joëlis 2. *In novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt.* His accedit antiqua Ecclesiæ praxis, qua constat parvulis fuisse ministratum Confirmationis Sacramentum; cujus utique testis est Innocentius primus Epist. ad Decentium, cap. 3. *De consignandis infantibus*, inquit, *manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo, fieri licere.* Necnon et S. Augustinus, Tract. 6. in primam canonicam S. Joannis, ubi scribit: *Quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur.* Sed præcipue praxis ista confirmatur ex Ordine Romano, titul. de Sabbato sancto,

ubi refertur mos et ritus baptizandi et confirmandi infantes; ibi namque legimus, quod *Pontifex veniens ad infantes* (recens baptizatos) *tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis, et brachiis, ex panno lineo, elevata et imposita manu super capita eorum, det orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti: oratione expleta interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris*, etc. — *Nec obstat*, quod infantes non sint capaces actualis auxilii per Confirmationem conferendi ad fidem constanter et animose tuendam, maxime cum moriuntur ante adultam ætatem. Hoc, inquam, non obstat; sunt enim capaces augmenti gratiæ suscipiendi per hoc Sacramentum, ratione cujus majorem sunt consecuturi gloriam, si ante adultam ætatem ex hac vita migraverint.

Verum, quamquam valide, imo et fructuose pueris nondum ratione utentibus conferri possit hoc Sacramentum, nihilominus sapienter cautum est in Concilio Aurelianensi, cap. 3. *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis;* hoc est, inquit Glossa, non ante septennium; quod etiam decernit Catechismus Romanus n. 14. scribens: *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint: quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre, maxime convenit; neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est; sed ut ejus virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnæ genus pueros qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicarit.*

Adstipulantur etiam aliæ rationes: *primo*, quia major exhibetur reverentia Sacramento, dum aliquis sciens et volens debita cum veneratione ad illud accedit: *secundo*, major etiam utilitas et fructus advenit suscipienti, dum cum propria dispositione et animi fervore hujus Sacramenti effectum et fructum colligit: *tertio*, quia inde magis vitatur periculum iterationis hujus Sacramenti; quod utique contingere posset, si quis certo nesciret, se illud accepisse. — His tamen non obstantibus, sine ullo scrupulo possèt Episcopus Sacramentum Confirmationis infantibus nondum adultæ ætatis conferre eis in locis, ubi raro adsunt Episcopi, nec facilis ad eos patet recursus; præstat enim rationis usum prævenire, quam postea defectu occasionis hujus Sacramenti fructu perpetuo carere. Quod utique statuisse videtur Concilium Mediolanense quintum, parte 2. tit. de Confirmat. cum ait: *Si Episcopus ob aliquam causam justam, atque adeo necessariam, parvulo et infanti, qui non modo eam ætatem* (septennii) *expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum.* Porro justa illa causa apparet, vel cum in puero præmaturus est rationis usus, et malitia supplet ætatem: vel cum imminet mors, ita quod si diu differatur hujus Sacramenti collatio, infans sit frustrandus augmento gratiæ, quod per illud Sacramentum excepisset: vel cum, ut statim dictum est, occurrit occasio præsentiæ Episcopi, forte eum in locum non reversuri.

Ex his sequitur, non esse improbabile, quod Sacramentum Confirmationis conferri possit perpetuo amentibus jam baptizatis; siquidem

illi non minus sunt capaces augmenti gratiæ sanctificantis, necnon et auxiliorum actualium ad fidem pro tempore opportuno tuendam et profitendam, si videlicet naturaliter, aut certe per miraculum, rationis fiant compotes, quam parvuli, qui nondum adultam ætatem et plenum rationis usum sunt adepti; eadem enim utrobique apparet ratio.

PETES: *Quinam sint ritus, quæve cæremoniæ in ministrando Confirmationis Sacramento?*

Respondeo, imprimis desiderari Patrinum, qui confirmandum Episcopo præsentet, et se pro eo fidejussorem constituat. Ita imprimis decrevit Higinus Papa, ut refertur *De Consecrat.*, dist. 4. cap. 100. *In Catechismo, et in Baptismo,* inquit, *et in Confirmatione, unus Patrinus fieri potest si necessitas cogit; non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli recipiunt.* Ibidem etiam cap. 101. legimus hoc decretum Leonis Papæ: *Non plures,* inquit, *ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier, in Confirmatione quoque idipsum fiat.* Et cap. ult., *De cognatione spirituali* in 6. statuitur: *Quamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem... de Confirmatione insuper idem judicium est habendum.* — Licet autem hæc Decreta ex parte revocata sint per Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 2. quantum ad Baptismum, concedens quod unus et una baptizatum de fonte suscipiant; attamen nihil innovat circa Confirmationem; unde unicus ad eam patrinus, aut una dumtaxat matrina sufficere potest respectu confirmandi sui sexus, ut decernitur in Pontificali Romano, ubi cum decretum esset: *Adulti, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dextrum Patrini;* quo ritu significatur recens confirmatum sui Patrini sectari debere vestigia; et ad ejus exemplum in virtutis et salutis via procedere; statim subditur: *Ideo neque masculi fœminis Patrini, neque fœminæ masculis matrinæ esse debent; utpote quia illa superpositio pedis magis convenit adultis ejusdem sexus, quam diversi.* — Porro nullus assumi potest in confirmando Patrinum aut matrinam, qui non sit confirmatus, ut decretum est in Concilio Moguntino, de consecratione, dist. 4. his verbis: *In Baptismate, vel in Chrismate, non potest alium suscipere in filium, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Quod pariter decernit Pontificale Romanum his verbis: *Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus.* — Alias in hoc suscipiendo Sacramento cæremonias servari solitas sic explicat Catechismus Romanus, n. 20. Qui confirmantur sacro Chrismate, *inquit,* in fronte unguntur; nam hoc Sacramento Spiritus sanctus in animos fidelium sese infundit, in eisque robur, et fortitudinem auget, ut in spirituali certamine viriliter pugnare, et nequissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte solent apparere, a libera Christiani nominis confessione absterrendos esse. — *Præterea* nota illa, qua Christianus a cæteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in fronte ut illustriori corporis parte imprimenda erat. — Sed illud quoque solemni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipue hoc Sacramentum administraretur, quod hoc maxime die Apostoli Spiritus sancti virtute

roborati et confirmati sint; cujus divini facti recordatione fideles admonerentur, quæ, quantaque mysteria in sacra Unctione cogitanda essent. — *Deinde* vero qui unctus et confirmatus est, ut meminerit se tamquam fortem athletam paratum esse ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur. — *Postremo* autem pax ei datur, ut intelligat se gratiæ cælestis plenitudinem, et pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse. Atque hæc summa eorum sit, quæ de Chrismatis Sacramento a Pastoribus non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammato quodam pietatis studio explicanda sunt, ut ea in animis, intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur. *Ita Catechismus.* His adde quæ de hujusmodi ritibus diximus art. 1. quæst. 2. n. 23. ex Durando. Interim dignetur Deus confirmare quod operatus est in nobis. Amen.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Joseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

quæ in hoc undecimo Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Sacramentis ordinatis ad firmandam, et roborandam animæ sanitatem, ac sanctitatem 5

DISPUTATIO PRIMA.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento 7

ARTICULUS I. De Sacramento Eucharistiæ secundum se 10

SECTIO I. De existentia, essentia, et institutione Sacramenti Eucharistiæ . . 11

QUÆSTIO I. Utrum Eucharistia sit unum ex novæ Legis Sacramentis. . . . . ib.

QUÆSTIO II. In quo præcise, ac formaliter consistat ratio essentialis hujus Sacramenti 24

QUÆSTIO III. Utrum Sacramentum Eucharistiæ sit unum specie infima . . . 36

QUÆSTIO IV. Utrum Eucharistiæ Sacramentum convenienter institutum fuerit, et ante Incarnationem institui potuerit, etiam Adamo non peccante 45

SECTIO II. De materia ex qua confici debeat Sacramentum Eucharistiæ 54

QUÆSTIO I. Quisnam panis, et quale vinum legitima sit materia conficiendi Christi Domini Corporis et Sanguinis. 57

QUÆSTIO II. Utrum panis, ex quo conficitur Eucharistia, debeat esse azymus, aut fermentatus 69

QUÆSTIO III. Utrum, et quo jure aqua sit vino conse-

pag.

crando miscenda 96

SECTIO III. De forma, per quam consecratur Eucharistia 113

QUÆSTIO I. Utrum Christus Dominus aliquibus verbis usus fuerit in consecratione sui Corporis et Sanguinis . 115

QUÆSTIO II. Utrum Sacerdotes novæ Legis eisdem omnino verbis consecrent Corpus et Sanguinem Christi, quibus ipsemet consecravit. 119

QUÆSTIO III. Quænam verba sint de essentia formæ consecrationis Christi Corporis et Sanguinis 131

ARTICULUS II. De Existentia Christi Domini sub speciebus Eucharisticis . . . 147

SECTIO I. De vera, reali, ac substantiali Christi Domini præsentia sub speciebus Eucharisticis, necnon et de erroribus in eam pugnantibus 148

§ I. Probatur vera, realis, et substantialis Corporis et Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia ex verbis Christi Domini Eucharistiam promittentis . . . 164

§ II. Probatur eadem veritas ex verbis Christi Domini instituentis Eucharistiam . 170

§ III. Probatur hæc eadem veritas ex Traditione divina, et Apostolica . . . 178

§ IV. Probatur eadem veritas ex traditione, et constanti doctrina SS. Patrum. . . 183

§ V. Probatur eadem realis Christi Domini Corporis et Sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis. 214

pag.

SECTIO II. De Transubstantiatione panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi 221
QUÆSTIO I. Utrum tota substantia panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi convertatur. 222
QUÆSTIO II. Quænam sit actio transubstantiativa, an scilicet productiva, vel solum adductiva Corporis sub speciebus Eucharisticis. 240

APPENDIX.

De accidentibus Eucharisticis. 254
SECTIO III. De modo quo Christus Dominus est, et operatur in Eucharistia. . 258
QUÆSTIO I. Quomodo Christi Domini Corpus et Sanguis sub speciebus Eucharisticis constituantur, et existant . 260
QUÆSTIO II. Quid, et quomodo Christus Dominus agere possit in Eucharistia 277
QUÆSTIO III. Utrum, et quid Corpus Christi pati possit in Eucharistia 284
ARTICULUS III. De Ministris, Susceptoribus, et Effectibus Sacramenti Eucharistiæ 292
SECTIO I. De Ministro Eucharistiæ . . . . . ib.
QUÆSTIO I. Utrum consecratio hujus Sacramenti ita sit propria, ac peculiaris Sacerdotibus novæ Legis, ut a nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit. . . 293
QUÆSTIO II. Quis sit legitimus Minister dispensandæ Eucharistiæ 303
SECTIO II. De suscipientibus Eucharistiam 308
QUÆSTIO I. Quæ, et qualis sit necessitas Eucharistiæ suscipiendæ. . . . . ib.
QUÆSTIO II. Utrum Comunio sub utraque specie potuerit Laicis ab Ecclesia prohiberi, et justis de causis fuerit prohibita 321
QUÆSTIO III. Quænam requirantur dispositiones ad debitam receptionem hujus Sacramenti 337
SECTIO III. De variis, ac mirandis divinæ Eucharistiæ effectibus. 348
§ I. Primus effectus Eucharistiæ erga animam . . . . ib.
§ II. Secundus effectus Eucharistiæ respective ad animam. 350
§ III. Tertius effectus Eucharistiæ erga animam . . . 352
§ IV. De tribus effectibus Eucharistiæ erga Corpus sumentis. 354

APPENDIX.

De Missæ sacrificio 356
QUÆSTIO I. Utrum Missæ, seu Eucharistiæ celebratio, sit vere, ac proprie dictum sacrificium 359
QUÆSTIO II. Quale sit, et in quo formaliter consistat Missæ sacrificium 374
QUÆSTIO III. In quanam actione essentialiter consistat Missæ sacrificium 383
QUÆSTIO IV. Pro quibus possit offerri Missæ sacrificium. 392
QUÆSTIO V. Qualis sit valor, et effectus sacrificii, et quomodo possit applicari . . 401

DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramento Confirmationis 413
ARTICULUS I. De essentia Sacramenti Confirmationis. 414
QUÆSTIO I. Utrum Confirmatio sit verum, ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum, et quandonam a Christo fuerit institutum. . . 415
QUÆSTIO II. Quænam sit legitima materia Sacramenti Confirmationis 434
QUÆSTIO III. Quænam sit forma legitima, et valida Confirmationis 446
ARTICULUS II. De præcipuis, ac propriis Sacramenti Confirmationis effectibus . 452
QUÆSTIO I. Utrum, et quæ-

pag.

nam specialis gratia per Sacramentum Confirmationis conferatur 453
QUÆSTIO II. Utrum Confirmatio imprimat characterem, nec possit iterari 456
ARTICULUS III. De Ministro, et subjecto Sacramenti Confirmationis 462
QUÆSTIO I. Quisnam sit legitimus Minister Sacramenti Confirmationis 463
QUÆSTIO II. Quæ sit necessitas hujus Sacramenti, et quinam sint capaces illius susceptionis 479

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC UNDECIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Accidens.

Accidentia Eucharistica non sunt in statu violento . . 256
Respectiva habent alia Accidentia pro subjecto . . . ib.
Incertum est, utrum omnia Accidentia absoluta sint sine subjecto immediato . . . 257
Qualitas existere potest sine substantia, et quantitate . ib.
Accidentia vere post consecrationem eadem perseverant. 254
Et existunt sine subjecto substantiali 255

Actio.

Actio sumitur quinque modis. 240
Christus ut est in Eucharistia non potest habere ullam Actionem corpoream per se. 281
Christus potest habere Actionem spiritualem transeuntem, imo et loco motivam corpoream ex parte termini. ib.
Duplex est Actio; immanens, et transiens 277

Alimonia.

Non eadem est spiritualis, et corporeæ Alimoniæ indigentia 311

Aqua.

Aquam in calice esse miscendam vino; Probatur 1. exemplo Christi Domini; 2. ratione SS. Patrum; 3. quia hæc mixtio repræsentat Christi Passionem; 4. quia significat unionem Christi cum Ecclesia; 5. duarum naturarum in Christo; 6. transformationem nostræ mortalitatis in statum immortalem . . . 97
Aqua naturalis debet misceri in calice; et perinde est utrum frigida sit, aut calida, misceri debet in modica quantitate; quæ prius debet converti in vinum, quam in Sanguinem Christi Domini ut docet Innocentius III cui subscribunt Theologiæ Principes 104
Objiciuntur SS. Patres, qui videntur asserere Aquam immediate converti in Sanguinem Christi, sed solvuntur. 107
Explicatur Concilium Triburiense 108
Christus Dominus modicam Aquam calici infudit. . . ib.
Licet Aqua in calice consecrato remaneat, non committitur Idololatria; nec Sacerdos eum calicem sumendo solvit jejunium canonicum. 109
Quomodo converti possit in vinum 110
Conversio Aquæ in vinum, priusquam in Sanguinem Christi convertatur, dicitur novum commentum Scholasticorum . . . . . ib.
Sed immerito, nam Innocentius III eam ut communiorem approbat 111
Quo sensu S. Chrysostomus dixerit nobis non esse licitum uti Azymis, præclare explicat Arcudius. . . . 83

B

Benno.

Benno historicus parum certus 212

Berengarius.

Berengarii hæresis, et iterata sæpius perfidia declaratur. 157
Duplex fuit capitalis error Berengarii circa Eucharistiam. 236

pag.

Berengarius obiit in fide Ecclesiæ 162

Bonum.

Bonum spirituale communicari potest cum sui divisione 408

C

Consecratio.

Consecratio est duplex. . . 25
Consecratio non est pars essentialiter constituens Eucharistiam 26
Quomodo consecratio victimam producat, et simul perimat 390
Verba Consecrationis non sunt accipienda eo ordine quo dicuntur, non sunt promissoria, sed demonstrativa . 16
Verba metaphorica Consecrationis Calicis per se manifestantur 176
Uterque Panis, azymus, et fermentatus est sufficiens ad validam materiam Consecrationis 72
Quam pessime, et erronee de forma Consecrationis disserant hæretici 113
An, et quibus verbis Christus consecraverit 115
Non etiam consistit in oblatione post Consecrationem fieri solita, neque in divisione hostiæ, nec in sola sumptione; hæc tamen ad illius integritatem requiritur 385
Quomodo per Consecrationem victima mutetur 387
Græcorum error, quod Consecratio non fiat per verba Christi. 120
Quare Armeni nolebant aquam admiscere vino consecrando. Non conveniunt Theologi circa hujus mixtionis necessitatem 96
Christus in consecrando suo Corpore et Sanguine usus est verbis, ut docent SS. Patres. 117
Sacerdotes verbis Christi *consecrant, ut docent* SS. Patres Græci, et Latini; suadet etiam ratio Theologica. 121
Objiciuntur SS. Patres, qui videntur asserere Eucharistiam confici per orationem; sed explicantur, et solvuntur 123
Quo sensu S. Gregorius dixerit ad orationem Dominicam confici Corpus Christi 125
Explicantur verba Liturgiæ Græcorum 126
Quare a Patribus Græcis Eucharistia post Consecrationem dicatur antitypa Corporis Christi. 127
Utrum Græci revera consecrent 128
Verba formæ assertive, et recitative proferuntur . . . 129
Sacerdos Consecrans gerit personam Christi, et suam propriam 130
Duplex est partialis Consecratio, et una totalis. . . 131
Quænam sit forma Consecratoria Corporis et Sanguinis, quæ explicatur. . . . . ib.
Quatuor sunt verba de essentia formæ Consecratoriæ Corporis 133
Præcedentia verba Consecrationis videntur necessario præmittenda, ut indicat Doctor Subtilis, at oppositum est probabilius. . . . . ib.
Sacerdotis intentio sufficienter determinat verba consecrationis, ut admittit Doctor; cujus rationes in oppositum solvuntur: attamen ea significatio a sola Ministri intentione non pendet. 135
Quomodo verba Consecrationis dici possint proferri in persona Christi. 138
In quibus verbis præcise consistat forma Consecrationis Calicis. . . . . ib.
Verba hæc, *Hoc facite in meam commemorationem*, non sunt de essentia . . ib.
Neque alia antecedentia, aut consequentia hæc, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel

pag.

Hic est Sanguis meus; ut docent SS. Patres, et indicant Liturgiæ Græcorum, et Maronitarum; et suadet ratio Theologica 139
Quare, et quando Ecclesia jubeat formam Consecrationis repeti: explicatur Concilium Coloniense. . . . 141
Verba quæ spectant ad essentiam orationis non semper sunt de essentia formæ. . ib.
Quare verba, quæ necessaria sunt ad significandum effectum non sint de essentia. 142
Forma eadem, quæ pertinet ad Sacramentum, etiam confert ad sacrificium . . . ib.
Ecclesia universalis non censuit consecrandum esse in fermentato propter cavendam hæresim Ebionitarum, nec propter Quartodecimanos 92
Non est necesse, quod Consecrans sciat determinate quænam verba Consecrationis sint essentialia. 142
Verba Consecratoria vera sunt pro ultimo instanti Consecrationis, quia propositiones illæ sunt effectivæ . . . 143
Unde affirmat rem quæ fit, non quæ prius extitit . . . 144
Suum effectum producunt ut significativæ, non autem ut veræ, ut præclare docet Doctor. 145
Potuit institui Eucharistia in verbis non significativis . 147
Quænam sint, quæ impediunt a legitima Consecratione . 302
Ecclesia Latina semper Consecravit in azymis . . . 91

Communio.

Communio est facienda de jure divino, et Ecclesiastico 315
In primitiva Ecclesia quotidie fiebat sacra Communio . . 316
Deinde ter fiebat in anno, ac tandem præceptum est, ut saltem semel fiat. . . . 317
Quinam a sacra Communione sint arcendi. . . . . ib.
Peccatori autem occulto publice petenti non est deneganda 319
Quinam hæretici censuerint necessario Communicandum esse sub utraque specie. . 321
Quare Communio sub utraque specie olim fuerit non solum licita, sed etiam præcepta . ib.
Revera Ecclesia Laicis præcepit Communionem tantum sub specie panis . . 322
Communio sub utraque specie non est de jure divino . . ib.
Christus Communionem non præcepit 323
Res eadem dici potest manducari, et bibi 324
Verba Christi quibus suum manducandum Corpus, et bibendum Sanguinem jubet, sunt accipienda disjunctive. ib.
Quo sensu Apostolis dixerit Christus: *Bibite ex hoc omnes,* et, *Hoc facite,* etc. ib.
Christus Dominus suo exemplo Communionem sub utraque specie non suasit, quia non omnia, quæ fecit, facienda præcepit 325
Cur Eucharistia sit sumenda a jejunis cum primum fuerit post Cœnam instituta. ib.
Antiquitus etiam fiebat Communio sub unica specie . 326
Quanta mala accidant indigne Communicanti 356
Confessio præmittenda est Communioni non solum a Sacerdotibus, sed etiam a Laicis nisi forte urgens necessitas excuset 340
Tres requiruntur dispositiones ex parte Corporis ad dignam Eucharistiæ sumptionem 342
Communio potest certis in casibus sumi a non jejunis quando urget necessitas . 344
Qualiter viri, ac mulieres olim Eucharistiam susciperent. 326
Quanta cura cavebant SS. Patres ne aliquid Eucharistiæ in terram caderet. . . . 327
Quomodo infantibus Eucharistia dabatur. . . . . ib.

pag.

Abstemii quomodo Communicabant, et Sacerdotes recenter ordinati. 327
Communio non debet fieri sub duplici specie necessitate Sacramenti 328
Explicantur SS. Patres, qui Communionem sub duplici specie necessariam videntur asserere 329
Quare Ecclesia Communionem sub utraque specie Laicis interdixerit. . . . 330
Quare potius Ecclesia præsens interdixerit usum Calicis quam vetus. 331
Sanguis Christi est hæreditas legata fidelibus quantum ad realem sumptionem, non quantum ad modum sumptionis. . . . . ib.
Quodnam jus fideles habeant petendi Calicem . . . . ib.
Sumptio utriusque speciei relicta est dispositioni Ecclesiæ. ib.
Ecclesia potest de novo concedere sumptionem utriusque speciei. . . . . ib.
Plus gratiæ non confertur per sumptionem utriusque speciei quam unius . . . 332
Reges Galliæ possunt Communicari sub duplici specie in die suæ coronationis. . 333
Communio Laica non erat Communio Corporis Christi sub una specie tantum. . ib.
Sed erat exauctoratio Clerici, et ad statum Laicorum redacti 334
Quid sit Communio peregrina. 335
Quam necessaria sit præparatio ad Communionem, de qua pessime senserunt hæretici 337
Ipsi hæretici perperam, et erronee existimant Corpus Christi ab indignis non suscipi 338
Prærequiritur ad debitam Communionem status gratiæ, necnon et aliæ animi præparationes . . . . . ib.
Qui conscius est peccati mortalis debet præmittere confessionem Communioni . . 340

pag.

Confirmatio.

Quare inusitata methodo quinto tantum loco agamus de Confirmatione. . . . 413
Quare hoc Sacramentum appelletur 1. Confirmatio, 2. Consignatio 3. Unctio . . 414
Et manus impositio. . . . ib.
Varii hæretici hoc Sacramentum impugnarunt maxime vero Novatiani, Ariani, Donatistæ, Lutherani, et Calvinistæ 415
Quadruplex olim erat manuum impositio, 1. curativa, 2. ordinativa, 3. reconciliativa, 4. confirmativa. 416
Cur interdum Confirmatio cum Baptismo confundatur. ib.
Confirmatio est verum Sacramentum 417
Confirmatio fuit a Christo Domino instituta, idque in die Cœnæ 431
Non autem quando parvulis manus imposuit, neque Joan. 20. 432
Quare non potuit conferri statim, ac fuit institutum . . 433
Quid censeat Doctor de tempore institutionis Confirmationis . . . . . ib.
Qui nullum censebant Baptismum hæreticorum, etiam Confirmationem ab eis factam iterandam esse docebant 456
Quo sensu ii, qui Baptismum hæreticorum approbabant, Confirmationem improbarent . . . . . ib.
Erronea recentiorum Græcorum sententia de Confirmatione iteranda . . . . . ib.
Confirmatio imprimit characterem 457
Tres sunt sententiæ circa materiam remotam Confirmationis 434
Oleum olivarum, et balsamum sunt materia conficiendæ Confirmationis 435
Probabile est, quod Apostoli ex dispensatione confirmaverint per solam manus impositionem 436

pag.

Probabile pariter, quod chrisma adhibuerint 437
Cur salutetur Confirmatus, et percutiatur ab Episcopo. 446
Forma consistit in verbis. . ib.
Græci recentiores errant circa formam Confirmationis. . 447
Alia est forma a Latinis, et alia usurpata a Græcis. . ib.
Quænam sit forma legitima Confirmationis 448
Perinde est, quod sit indicativa, vel imperativa . . . ib.
Forte etiam posset esse deprecativa 449
Quænam sit forma a Græcis usurpata 450
Nec obstat, quod in ea simpliciter non sit verbum *Est*. 451
Quatuor præcipui Confirmationis effectus declarantur. 452
Certum est, quod gratia sanctificans per Confirmationem conferatur. 453
Non quidem prima nisi per accidens . . . . . ib.
Quot modis gratia Confirmativa cum baptismali possit conferri . . . . . ib.
Cur Confirmatus percutiatur alapa: quare pax ei detur. 489
Confirmatio confert robur ad fidem tuendam 454
Cur præter Baptismum, et Eucharistiam adhuc necessaria sit Confirmatio. 428
Quare olim sensibiliter daretur Spiritus sanctus, nunc autem insensibiliter. 429
In quibus fundetur facultas ministrandæ Confirmationis. 463
Solus Episcopus est ordinarius minister Confirmationis. . 464
Licet Sacerdos possit conferre Sacramenta perfectiora Confirmatione, non tamen potest confirmare 466
Licet Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis de institutione Christi, potest tamen ad id delegari simplex Sacerdos 476
Potestas Confirmandi proxime fundatur in potestate ordinis Episcopalis, non in potestate jurisdictionis . . . 477

pag.

Simplex Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis 469
Solus Summus Pontifex delegare potest auctoritatem Confirmandi. 478
Duplex est subjectum Confirmationis excipiendæ. . . . 479
Confirmatio non est necessaria necessitate medii absolute. . . . . ib.
Præceptum est de Confirmatione suscipienda respective ad universam Ecclesiam . 482
Non autem respective ad singulos fideles, quia ad id non obligantur ex aliquo præcepto naturali, aut divino positivo, aut Ecclesiastico. . 483
Confirmatio tantum necessaria est necessitate ad melius esse. 484
Quamquam per accidens ejus omissio voluntaria sit periculosa. . . . . ib.
Solus baptizatus est subjectum capax recipiendæ Confirmationis, et omnes etiam pueri. 485
Convenientius est tamen, ut nonnisi post septennium suscipiatur, nisi ad id quædam urgeat necessitas; conferri posset perpetuo amentibus 487
Debent adhiberi patrini, qui jam sint Confirmati . . . 488
Cur unctio fiat in fronte, et maxime die Pentecostes. . ib.
Qua ratione Concilia dixerint hoc Sacramentum esse necessarium ad salutem . . 481
Cur potius concedatur facultas Confirmandi, quam benedicendi Chrismatis 476

Calvinus.

Falso dicit Calvinus Ecclesiam primitus usam fuisse pane fermentato pro materia conficiendæ Eucharistiæ . 73
Cœna Calvinistica non potest esse ea, quam commendat Apostolus 216

Cœna.

Duplex apud Judæos die Paschatis fiebat Cœna; legalis, et vulgaris. 71

pag.

Christi Corpus.

Realitas Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia constat ex verbis institutionis. 170

Licet Christus non sit amplius in terra præsentia spectabili; est tamen præsens præsentia supernaturali, et sacramentali 177

Idem insinuat divina, et Apostolica traditio, quam egregie commendat Apostolus . 178

Idem confirmatur ex Liturgiis Apostolicis, quarum auctoritatem elevare tentant hæretici, sed frustra; quamquam enim illæ non essent ab Apostolis, nihilominus veritati Catholicæ suffragarentur 180

Acta Passionis S. Andreæ idem confirmant: proferuntur momenta, quibus hæretici ea acta impugnant, solvuntur. 182

Quare Sacramentum Corporis appelletur Corpus. . . . 202

Quomodo Christus Dominus dicatur tribus diebus, et noctibus fuisse in sepulchro. 85

Quomodo S. Augustinus dixerit homines non manducaturos Corpus Christi, quod videbant 203

Monita observanda in doctrina S. Augustini, 1. quod aliqui ejus scripta pessime erant interpretaturi, 2. quod dicta figurate sint ex aliis dictis explicanda, 3. quod mysterium Eucharistiæ non erat perspicue declarandum coram Catechumenis, et Paganis 204

Christus potuit habere verum esse sacramentaliter, antequam illud haberet naturaliter 51

Quomodo ea in hypothesi B. Virgo censeretur Mater Christi. 52

Christus aliter dicit se esse vitem, et aliter panem esse Corpus suum 226

Utrum Christi Corpus sit sub indivisibili, est incertum, tamen sententia affirmans est *probabilior* 271

pag.

Quid sit, videre Corpus Christi specificative, et reduplicative 285

Christi Domini Corpus non movetur in Eucharistia per se, neque per accidens . . ib.

Corpus Christi in Eucharistia non potest videri naturaliter. 290

Neque etiam potest videri divinitus ut ibi existens . . 291

Quod minus aperte ab uno Evangelista dicitur, explicatur ab alio 172

Exploditur ridicula quorumdam hæreticorum expositio: proferuntur momenta aliorum hæreticorum; verum eorum argutia retunditur, ac futilitas demonstratur . ib.

Quot modis Christi Corpus dici possit frangi in Eucharistia. 174

Vi verborum solum Corpus et Sanguis ponuntur sub speciebus 262

Illud Corpus non est materia, nec cum accidentibus . . ib.

Nec ut connotat animam . . ib.

Nec ut involvens formam substantialem in communi . . ib.

Corpus Christi non est unitum speciebus intrinsece, sed tantum extrinsece 274

Ipsis tamen ita est conjunctum, ut eis pereuntibus illud pereat 275

Corpus per concomitantiam ponitur sub specie vini et Sanguis sub specie panis . 264

Contrarium hujus rei non docet Doctor 265

Quomodo panis et Corpus Christi sint termini incompossibiles 246

Quomodo per verba consecrationis Corpus Christi fiat præsens Eucharistiæ. . . ib.

Illa præsentia non dicitur propria localis 247

Christi Corpus in Sacramento recipit novum respectum realem. 248

Non major requiritur virtus ad movendum Corpus Christi existens in Eucharistia, quam ad illud ibi constituendum 287

pag.

Intellectus viatoris non potest videre Corpus Christi in Eucharistia 287
Id vero potest intellectus separatus, aut beatus . . . ib.
Licet Corpus Christi sit loco substantiæ, non tamen movetur localiter sicut substantia . . . . . ib.
Quid significetur nomine Corporis, controvertitur . . . 260
Utrum Corpus Christi habeat suam quantitatem in Eucharistia, disceptatur 261
Præsentia realis Corporis Christi probatur rationibus Theologicis 214
Non repugnat, quod idem Corpus sit in diversis locis. . 217
Nec in loco minimo. . . . 218
Unum Corpus potest esse alicubi sacramentaliter priusquam sit alibi naturaliter . 52
Corpus Christi ad specierum corruptionem non corrumpitur 219
Egregia admonitio ad hæreticos 220

Chrisma.

Chrisma debet esse benedictum ab Episcopo. . . . 140
Quare potius simplex Sacerdos consecrare possit Corpus Christi quam Chrisma . . 441
Probabile tamen est id posse ex dispensatione Summi Pontificis. . . . . ib.
Sicut posset hoc Sacramentum ministrare 442

Christianus.

Quid requiratur ut quis perfectus Christianus censeatur 480
Christus, et Christianus dicuntur ab unctione Chrismatis 481

D

Deus.

Deus eo magis ab homine est honorandus, quanto propter eum indigna suscepit . . 219

Dæmon.

Dæmones possent cognoscere præsentiam Corporis Christi, si Deus permitteret. . 289

pag.

E

Ebionitæ.

Cur Ebionitæ notati sint hæresis 92

Episcopus.

Soli Episcopi proprie dici possunt Apostolorum successores 465
Quo sensu S. Hieronymus dixerit idem posse Presbyterum quod Episcopus. . . 468
Incertum est utrum Ananias non fuerit Episcopus, et Confirmationem Paulo tribuerit 466

Eucharistia.

Duplex est Eucharistiæ significatio, sacramentalis et mystica 97
Christus Dominus revera totus est sub qualibet specie consecrata 258
Aliquid continetur in Eucharistia duobus modis . . . 260
Quo sensu Eucharistia post consecrationem adhuc dicatur panis 225
Christus Dominus Eucharistiam instituendo quatuor simul fecit 115
Plura requiruntur ad dispensationem quam ad confectionem Eucharistiæ 303
Qua ratione tres Personæ divinæ sint præsentes Eucharistiæ 268
Quo sensu Eucharistia dicatur holocaustum 388
Cur species consecratæ corruptæ igni tradantur . . . 389
Christus est vere, et realiter in Eucharistia 164
Ut colligitur 1. ex verbis promissoriis Christi . . . . ib.
Probabile est Christum Dominum comedisse suum Corpus in Eucharistia . . 177
In Eucharistia simul est commemoratio, et rei præsentia. 176
Quomodo Eucharistia constet, aut perficiatur verbis. . . 28
Corpus et Sanguis Christi Domini non sunt partes essentiales hujus Sacramenti, quia

pag.

non sunt sensibilia, nec significant, sed significantur. 29
Quo sensu sint intelligendi SS. Patres contrarium insinuantes 30
Species habent formalem rationem Sacramenti, ut colligitur, 1. ex Innocentio III, 2. ex Hugone Victorino, 3. ex professione fidei Berengarii 31
Qua ratione panis et vinum sint materia specierum . . 33
Quo sensu Sacerdos species conficiat . . . . . ib.
Quomodo species Eucharisticæ debeant adorari. 34
Non vero tabernaculum, aut ciborium 35
Qualiter species Eucharisticæ sint animæ cibus . . . . ib.
Traditur Sacramenti Eucharistiæ definitio . . . . . ib.
Sacramentum Eucharistiæ est unum ratione signati, et finis 36
Eucharistia ratione diversarum specierum dici potest multiplex Sacramentum materialiter; formaliter vero est unicum 37
Idque unitate non indivisibilitatis, sed integritate essentialitatis 38
Species enim dici possunt concurrere partialiter ad constituendum integrum Sacramentum 39
Eucharistia servabatur olim a suscipientibus 17
Quod fieri prohibuit Concilium Toletanum primum . . . 18
Ministrabatur etiam defunctis. ib.
Parvuli reliquias Eucharistiæ solebant assumere. . . . 19
Servabatur in Altari, tum pro devotione fidelium, tum ut deferretur ad ægrotos . . ib.
Quo sensu S. Clemens dicat reliquias Sacramenti non esse servandas, et Origenes, et Hesichius, et Evagrius, et Humbertus 21
Quatuor sunt in Eucharistia. 24
Quadruplex Auctorum
ia de ejus ratione

pag.

formali 25
Eucharistia instituta est ad manifestationem Dei in nos amoris, sapientiæ, et potentiæ; necnon ad majorem Christi gloriam, et hominum salutem 45
Convenienter etiam instituta fuit Eucharistia ut implerentur Prophetarum oracula . 47
Et figuræ veteris Testamenti, maxime vero octo, 1. Oblatio Melchisedech, 2. Agnus Paschalis, 3. Manna, 4. Aqua fluens e petra, 5. Sacrificia Aaronica, 6. Oblatio Manue, 7. Mel a Jonatha gustatum, 8. Sanguis, et aqua e latere Christi; at omnium figurarum præcipua fuit Agnus Paschalis. 48
Potuit Eucharistia institui ante factam Incarnationem. 50
Species tamen secundum se sunt verum Sacramentum, sed non integrum essentialiter secundum omnem modum directe significandi, licet sit integrum secundum rem significatam 40
Unitas specifica Eucharistiæ præcipue colligitur ex unitate significati 41
Eucharistia est multiplex numero Sacramentum, non ex pluralitate numerica sumentium, sed specierum . . . 42
Fideles invicem præcise non sunt unum corpus, eo quod Eucharistiam sumant . . 43
Unitas significati Christi Corporis non efficit unitatem Eucharistiæ . . . . . ib.
Plures hostias accipiens non accipit plura Sacramenta formaliter, sed tantum materialiter 44
Unitas refectionis connotat unitatem Eucharistiæ . . ib.
Hoc Sacramentum ob diversa motiva fuit institutum . . 45
Eucharistia confici debet ex pane et vino, ut testantur Evangelistæ, Concilia docent, ratio congrua suadet. 58
Varia olim offerebantur ad

pag.

Altare, non ad consecrationis materiam 62
Materia conficiendi Corporis est panis triticeus; ex proprie dicto tritico confectus. 64
Aqua naturali coalescens, igne decoctus 65
Materia calicis est vinum vitigineum, non agreste, nec in botro 66
Proscribitur error Aquariorum 67
Olim fiebat sacrificium mane, et vespere in quibusdam Ecclesiis 68
Unde ortus Græcorum error circa azyma 69
Potuit institui Eucharistia etiamsi Adamus non peccasset 53
Circa Eucharistiæ materiam varii hæretici erraverunt, maxime Gnostici, Ophitæ, Artotyritæ, Aquarii, Armeni, Lutherus, Græci . . . 54
Eucharistia congrue conficitur ex pane et vino . . . 57
Eucharistia instituta fuit præsente Juda 89
Hæretica Novatianorum sententia de Eucharistia . . 11
Cur fuerit institutum hoc Sacramentum 12
Eucharistia habet omnes conditiones ad verum Sacramentum . . . . . ib.
Quam gratiam significet . . 13
An efficiat quod significat . ib.
Quomodo constare debeat materia, et forma. 14
Sacramentum Eucharistiæ est permanens, ut optime probat Concilium Tridentinum, et colligitur ex Scriptura, necnon ex doctrina ipsorum hæreticorum . . ib.
Quare variata methodo prius de Eucharistia, quam de aliis Sacramentis disputemus 5
Quam varia SS. Patres encomia congesserint in Eucharistiæ laudem 7
Quare appelletur 1. Eucharistia, 2. panis, 3. fractio panis . . . . . ib.

pag.

Corpus Christi, Sacramentum Corporis Christi, Sacramentum Altaris, Sacramentum fidelium, Sinaxis, Communio, Mensa Domini, quid fuerit Agape, Viaticum, Cœna Dominica 8
Referuntur primi Eucharistiæ impugnatores 148
Eucharistia instituta est in pane azimo 77
Impia Græcorum evasio præcluditur; etiam ex S. Joanne, et ex SS. PP. Latinis, ac Græcis, maxime S. Chrysostomo . . . . . ib.
Proferuntur fundamenta Græcorum ex Scriptura . . . 80
SS. Patres tuentur realem Christi Domini Corporis in Eucharistia præsentiam. 1. Quia figuræ rationem ab ea removent. 2. Id ipsum probant qui dixerunt Christi Corpus ore corporeo sumi, et nobis uniri, non fide tantum, sed reipsa . . . 183
3. Qui docent Christum ideo latitare sub speciebus panis et vini, ne horror esset sumentibus. 186
4. Quia maxime in hoc mysterio fidem exigunt . . . 187
5. Quia magnum in Eucharistia miraculum intervenire testantur ex eo quod Christus sit simul in cælo, et in terra. 6. Ex eo quod qui species contrectat, dicitur tangere Christi Corpus . . ib.
7. Quia ex hoc mysterio alia confirmant. 8. Quia Christus in Eucharistia adoratur. 9. Quia in Eucharistia fit conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi 188
Quod omnium præclarissime declarat Sanctus Ambrosius. 192
Proferuntur hæreticorum momenta contra libros S. Ambrosii de Sacramentis, sed diluuntur. 195
Quo sensu SS. Patres appellarint Eucharistiam figuram Corporis Christi 197

pag.

Quam variæ sint appellationes Eucharistiæ, ut est Sacrificium 356
Quæ fuerit panis benedictio a Christo Domino a nonnullis dicitur consecratio . 117
Quare potius Christus usus fuerit forma Eucharistiæ, quam aliorum Sacramentorum 118
Eucharistia considerari potest in fieri, aut in facto esse . 119
Per concomitantiam ponitur personalitas Verbi, et unio hypostatica, contrarium tamen docuit Aversa . . . 266
Quomodo pronomen possessivum, *meum*, usurpetur in forma Eucharistiæ . . . ib.
Unio etiam præterita sufficere potest ut anima Christi posset dicere, Hoc est corpus meum 267
Organizatio est forma intrinseca . . . . . ib.
Licet forte substantia panis per se sub illis indivisibilibus non existeret per se primo 272
Utrum per divisionem hostiæ nova indivisibilia producantur, incertum est. . . ib.
Christus habet suam quantitatem in Eucharistia, idque in ordine ad se, non in ordine ad locum. 273
Præsentia formalis Christi est aliquid reale, non aliquis modus substantialis, nec accidens absolutum, nec respectus intrinsecus adveniens, sed extrinsecus . . 275
Christo in Sacramento concomitanter inest omnis operatio, quæ primo inest ipsi in cælo 278
Christus habere potest operationes immanentes in Eucharistia, etiam sensationes saltem concomitanter, quamvis ejus organa non sint localiter extensa. . . 280
Christus ut est in Eucharistia non potest in se aliquid convertere, posset tamen *nutriri, et respirare* saltem concomitanter, et penes effectum, non vero penes actum 282
Quare Eucharistia posset adorari cultu latriæ quamvis in ea panis remaneret . . 238
Quare potius Christus dixerit *hoc*, quam *hic*, est Corpus. ib.
Quæ fuerit mens Doctoris Subtilis in explicandis verbis consecrationis 239
Beatus clare cognoscit in Eucharistia non esse substantiam panis 291
Duplex est Eucharistiæ minister. 292
Quinam errarint circa Eucharistiæ ministrum 293
Sacerdos quantumvis malus valide consecrat. . . . . ib.
De hæretico, et schismatico dubitat Magister sententiarum 293
Solus Sacerdos est minister Eucharistiæ conficiendæ . 294
Proponuntur fundamenta hæreticorum contra præcedentem conclusionem, sed exponuntur, et solvuntur. . . 296
Quomodo sumptio Eucharistiæ nobilior sit consecratione, et vice versa 300
Duplex est Eucharistiæ dispensatio 304
Solus Sacerdos habet jurisdictionem dispensandæ Eucharistiæ . . . . . ib.
Diaconi in necessitate possunt dispensare Eucharistiam . 306
Non tamen ex auctoritate principali, sed subsidiaria . . 307
Diaconus potest ministrare Viaticum absente Sacerdote, non vero Subdiaconus, aut Laicus, licet hoc factum fuerit antiquitus . . . . ib.
Triplex est modus suscipiendæ Eucharistiæ 309
Eucharistia non est necessaria ad salutem necessitate medii tam adultis, quam parvulis 310
Eucharistia non est ejusdem necessitatis, ac Baptismus, et utriusque discrimen optime declaratur 311

pag.

Quo sensu S. Augustinus vélit parem esse Eucharistiæ, ac Baptismi necessitatem . . 313
S. Augustinus non censet Eucharistiam esse absolute necessariam parvulis . . . 314
Proferuntur varii effectus Eucharistiæ in anima . . . 348
Proferuntur effectus Eucharistiæ erga Corpus 351
Si consecrata, aut confecta fuisset Eucharistia in triduo mortis, fuisset verum Christi Corpus sine Anima . . 263
Divinitas adest per concomitantiam 267
SS. Trinitas adest per concomitantiam . . . . . ib.

F

Facundus.

Facundus Hermianensis non favet Calvinistis 213

Fides.

Quomodo fides haberi possit de eo, quod non est visum, nec cognitum in se . . . 284

Figura.

Non omnis Figura rei figuram excludit 198
Aliqua possunt esse simul figura, et veritas 170
Qua mente Tertullianus dixerit Eucharistiam esse Figuram Corporis Christi. . . 198
Expenditur mens S. Augustini appellantis Eucharistiam esse Figuram Corporis Christi: solvitur posterior illius auctoritas, quare dixerit Christum fide manducari. 200

G

Gratia.

Gratia confirmativa non est simpliciter perfectior baptismali 454
Sed tantum secundum quid. 455

Gregorius.

Gregorius VII ante, et post mortem miraculis clarus . 212
Quam familiare sit hæreticis figuras, et umbras sectari. 177

pag.

H

Hostia.

Totus Christus est sub qualibet parte Hostiæ post divisionem, et etiam ante divisionem 268
Præsentia Corporis Christi in Hostia, est ad modum præsentiæ Angeli, nec propterea est infinitæ præsentiæ. 270
Corpus et Sanguis Christi sunt principalis Hostia, quæ offertur: panis autem, et vinum minus principalis. 392

I

Impositio.

Triplex erat manuum Impositio 429

Incarnatio.

Incarnatio concipi potest dupliciter 51
Adamo non peccante Verbum incarnatum fuisset . . . 45
Aliquid incipere potest vel simpliciter, vel secundum quid . . . . . ib.

Joannes.

Varii præter Erigenam, et Subtilem Doctorem videntur appellari nomine Joannis Scoti 150
Joannes Erigena erravit circa Eucharistiam, sed levi fundamento . . . . . ib.

Judæus.

Judæi suum Pascha celebrant die 14. primi mensis, a quo die per septem sequentes dies solis azymis vesci licebat; festivitates azymorum, et Paschæ eodem die celebrabantur, erant tamen distinctæ 70
Omnes Judæorum festivitates a vespera in vesperam celebrabantur 71

Impositio manus.

Manus Impositio ab Apostolis usurpata non erat nuda Baptismi cæremonia. . . . 418
Neque solum gratias gratis datas conferebat . . . . ib.
Neque sacer ritus ad illa-

pag.

strandam nascentem Ecclesiam, qui nunc desierit. . 420

M

Mysterium.

Mysteria novæ Legis non debent omnimode respondere figuris. 99

Mixtio.

Quare Sacra Scriptura improbet mixtionem aquæ vino. 100

Mixtio aquæ non est de essentia Sacramenti; neque a Christo Domino præcepta; cui assertioni non repugnant Concilia, nec S. Cyprianus . . . . . ib.

Missa.

Duplex est Missa: Catechumenorum scilicet, et Fidelium 358

Legitime potest recipi stipendium pro Missa absque labe simoniæ 409

Ex quo mensurandum. . . ib.

Sacerdos non potest plura modica stipendia accepta pro diversis Missis, ad unam restringere 410

Nec illius partem sibi arrogare dum Missam ipse non celebrat . . . . . ib.

Minister.

Duplex est Confirmationis Minister 463

Tres sunt sententiæ de Ministro extraordinario . . . ib.

Motus.

Explicatur quomodo movens aliquid per se moveat etiam per accidens quod est in motu per se. 286

Motio Corporis Christi ad motum specierum non est novum miraculum . . . ib.

P

Pascha.

Gravis controversia fuit inter Asianas, et alias Ecclesias pro die Paschatis. . . . 94

Pascha est necessario celebrandum die Dominico. . 85

Non differebatur Pascha Judæorum in sequentem diem Sabbati 86

A quo die computandi 50. dies a Pascha ad Pentecosten. 87

Christus manducavit Agnum Paschalem in secunda vespera diei 14. et prima diei 15. 88

Potestas.

Duplex in Christo Potestas, aut duplex ejusdem Potestatis usus 116

Duplex est Potestas jurisdictionis. 303

Quid præcise significent pronomina, *hoc*, et *hic* . . . 174

Q

Quantitas.

Duplex est Quantitatis positio, seu extensio 261

R

Ratramnus.

Ratramnus ejusdem erroris Joannis Erigenæ insimulatur; sed immerito; liber enim de Corpore Christi non ab eo, sed a Scoto Erigena videtur editus, et evulgatus sub ementito nomine Bertramni. 153

Rupertus.

Perperam hæretici fingunt Rupertum errori suo patrocinari, contrarium aperte docet pluribi, maxime in libris *De Divinis Officiis*. . 208

Rupertus aperte agnovit transubstantiationem 236

S

Sabatum.

Quid sit Sabatum secundo primum 87

Sacerdos.

Quare Sacerdos plures simul possit ex æquo baptizare, non vero ita pro multis offerre 408

Qua ratione omnes fideles dicantur Sacerdotes. . . . 296

Solvitur Tertulliani locus obscurus, expenditur factum Frumentii, et Sanctæ Pe-

pag.

tronillæ, necnon historia deprompta ex prato spirituali 297
Grande miraculum, quod accidit occasione puerorum Missam ludicre celebrantium 299
Quilibet Sacerdos valide consecrat 301
Sacerdos degradatus valide consecrat, etiam hæreticus. ib.

Sacramentum.

Quænam requirantur ad rationem Sacramenti . . . 11
Tria sunt in Sacramentis novæ Legis. 24
Sacramentum dici potest necessarium, vel necessitate medii, vel præcepti . . . 308
Duplex est Sacramentorum materia 434

Sacrificium.

Quot modis sumatur Sacrificium 359
Quid sit Sacrificium proprie dictum, et expenduntur illius definitionis particulæ. ib.
Ex quibus apparet quomodo Sacrificium distinguatur a cæteris rebus cultui divino deservientibus 361
Quam pessime de Missæ Sacrificio senserint Lutherus, Calvinus, et Bernardinus Ochin. ib.
De fide est Missam esse verum Sacrificium novæ Legis, quia in nova Lege debet esse aliquod Sacrificium. 362
Christus est Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech, qui vere fuit Sacerdos, et Sacrificium obtulit in pane et vino 365
Cur S. Apostolus hujus Sacrificii non meminerit, et quomodo illud explicent SS. Patres 367
Quo sensu aliqui negent esse altaria, et Sacrificia inter Christianos 369
S. August. clarissime Missæ Sacrificii virtutem declarat. 370
Sacrificium Missæ non officit Sacrificio Crucis 371
Immo necessum est ad applicandum illius meritum. . ib.

pag.

Quomodo Christus sit unus Sacerdos licet habeat Sacerdotes Vicarios 372
Eucharistiam ut Sacrificium Christus primum obtulit . 373
Sacrificia dividuntur ratione materiæ, et finis in victimas, immolationes, et libamenta; ratione vero finis in holocaustum, pacificum, Eucharisticum, impetratorium, et propitiatorium 374
Omnia sacrificia veteris Legis Sacrificium Crucis, et Eucharistiæ adumbrabant. . 375
Eucharistiæ Sacrificium vim habet impetrandi, et efficiendi ex quadruplici capite. 376
Sacrificium Missæ est Latreuticum, Eucharisticum, impetratorium, et propitiatorium 377
Ex hoc non fit injuria Passioni Christi 379
Quare vetera Sacrificia dicantur imperfecta ex eo, quod iterarentur, nec tamen Missa pluries iterata sit imperfecta . . . . . ib.
Quomodo in Missa fiat remissio per Sanguinis effusionem 380
Sacrificium Missæ non confert peccatorum remissionem immediate, sed tantum mediate. . . . . ib.
Quamvis Missæ Sacrificium tantum mediate remittat peccata, nihilominus efficacius, et præstantius est Sacramentis veteris Legis . . 381
Sacrificium Missæ producit suum effectum ex opere operato 382
Quod agit ex opere operato non semper producit suum effectum infallibiliter. . . 383
Sex præcipuæ distingui possunt actiones in Missa . . ib.
Sacrificii essentia non consistit in oblatione prævia ad consecrationem, nec in distributione, sed in sola consecratione 384
In omni Sacrificio etiam re-

pag.

præsentativo, requiritur immolatio Victimæ: non semper quæ fiat realiter, sed quæ fieret nisi aliud obesset. 389
Conservari posset essentialis ratio Sacrificii in unius tantum speciei consecratione. 390
Utraque tamen species requiritur ad Sacrificii integritatem. 391
Tres distingui possunt hominum ordines pro quibus cogitari posset, quod offerri deberet Missæ Sacrificium. 392
Non potest offerri pro damnatis 393
Quo sensu Ecclesia oret ut animæ defunctorum liberentur de pœnis inferni. . ib.
Duplex esse potest applicatio Sacrificii Missæ 394
Missæ Sacrificium offerri potest pro Beatis. . . . . ib.
Non ut est impetratorium. . ib.
Nisi forte ad gloriam accidentalem . . . . . ib.
Religiose offertur pro defunctis. 395
Ipsis enim prodest ex opere operato 396
Sunt enim membra invisibilia Ecclesiæ . . . . . ib.
Quæ sunt in statu satisfaciendi per alios 397
Etiam potest offerri pro omnibus vivis. . . . . ib.
Dummodo non sint Excommunicati, nominatim denuntiati 398
Etiam offerri potest pro infidelibus 399
Et Catechumenis vivis . . ib.
Non autem vita functis . . 400
Triplex est portio in Sacrificio Missæ 401
Generalis, specialissima, et specialis . . . . . ib.
Sacerdos potest applicare fructum, et valorem Sacrificii Missæ 402
Licet sit instrumentum quo Christus Dominus utitur in offerendo sacrificio . . . 403
Sacerdotis devotio non minuitur *propter* multitudinem *eorum pro quibus* offertur. ib.

pag.

Valor, et effectus Sacrificii Missæ non est infinitus. . 404
Valor Sacrificii Missæ non æquivalet Sacrificio Crucis. 405
Quo sensu S. Hieronymus censeatur dixisse unam Missam pluribus prodesse ex æquo 406

Sanguis.

Sanguis Christi proprie dicitur testamentum 176
Non omnis Sanguis, quem habuit Christus, ponitur sub speciebus. 264
Nec solus Sanguis, qui in Passione fusus fuit, ponitur sub speciebus, sed omnis, quem nunc habet. . . . ib.

Simoniacus.

Simoniacus non potest integrum proferre, *Gloria Patri*, etc. 212

Sumptio.

Sumptio potius repræsentat sepulturam, quam mortem Christi 388

T

Theodoretus.

Theodoretus tres scripsit adversus Eutychianum dogma dialogos 230
In primo probat Christum habuisse verum Corpus . . ib.
Quare Corpus Christi gratiam appellet 231
Theodoretus probat Corpus Christi verum fuisse etiam post Ascensionem. . . . 232
Aperitur mens Theodoreti de transsubstantiatione . . . 233
Cavillationem Eutychianorum optime retundit Theodoretus . . . . . ib.
Quid censuerit Theodoretus de Eucharistia 234
Quare præ cæteris SS. Patribus asseruerit Symbolorum immutationem . . . . . ib.

Transsubstantiatio.

Quid significet transsubstantiatio 221
De fide est debere admitti Transsubstantiationem in Eucharistia 222

pag.
Colligitur Transsubstantiatio ex verbis consecrationis. . 222
Quo sensu dixit Origenes Eucharistiæ materiam in secessum ire 227
Perperam objiciuntur SS. Patres. . . . . ib.
Proponitur gravis difficultas ex verbis Theodoreti. . . 228
Videtur ejus vulgatam versionem non esse genuinam. 229
Præcluditur effugium Eutychianorum 232
Duplex mutatio in Symbolis per Consecrationem . . . ib.
Possent verba Consecrationis esse vera in sensu speculativo, quamvis non fieret Transsubstantiatio . . . 237
Realitas Corporis non est idem articulus fidei cum Transsubstantiatione. . . . . ib.
Transsubstantiatio est vera conversio. 241
Transsubstantiatio fit per actionem adductivam . . . . ib.
Proponuntur auctoritates SS. Patrum 242
Et explicantur a Doctore Subtili 243
Quomodo Transsubstantiatio dicatur substantialis licet per eam nihil producatur. 244
Non est simplex Translocatio. 245
Transubstantiatio est actio . 240
Sed qualis, controvertitur. . ib.
Solus Deus est causa efficiens principalis Transsubstantiationis 248

pag.
Sacerdos tamen habet rationem causæ instrumentalis 249
Transsubstantiatio fit in instanti . . . . . ib.
Nihil remanet panis post Transsubstantiationem . 250
Nec forma, nec materia, etc. ib.
Quæ sit genuina Subtilis Doctoris sententia de desitione panis 252
Si Transsubstantiatio panis sit productiva, panis non annihilatur . . . . . ib.
Quomodo panis desinat, et Corpus Christi incipiat esse sub speciebus panis. . . ib.
Quam insulse, et stolide Doctor a nonnullis carpatur. 254

V

Vinum.
Duplex est vini species . . 57
Votum.
Duplex est Votum rei faciendæ, vel suscipiendæ 309
Unctio.
Triplex est Unctio in Ecclesia Baptismum suscipientis. . 468
Qualiter differat Unctio, quæ fit in fronte ab ea, quæ fit in vertice. 445
Fieri debet cum pollice . . ib.
Quo sensu SS. Patres, et Concilia decernant esse ungendos Hæreticos accedentes ad Ecclesiam 458
Unitas.
Unitas specifica est duplex. 36

D43 XII

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

---

Tomus duodecimus.

De Ordine et Matrimonio.

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1902.

TRACTATUS TERTIUS

DE DUOBUS POSTREMIS SACRAMENTIS ORDINE VIDELICET ET MATRIMONIO, QUIBUS HOMINUM SANCTITAS PROPAGATUR.

PRÆFATIO.

Tanta *est divinæ benignitatis et misericordiæ in humanum genus liberalitas et effusio, tantusque in hominem, cœlestibus licet mandatis obluctantem, divinus amor, ut nedum peculiaribus cujusque morbis et spiritualibus indigentiis Sacramentorum medicamine ac beneficio opitulari voluerit, quibus homo privatus cœlestem vitam et integram animæ sanitatem sibi restauraret; sed insuper* Ordinem *et* Matrimonium *ad Sacramenti dignitatem et efficacitatem voluit promovere, ut homines illam divinam ac cœlestem vitam in aliis Sacramentis acceptam ad suos posteros propagare possent et derivare. Nemo enim fidelium est, qui nesciat hisce maxime duobus Sacramentis Christianam Religionem et pietatem vegetari et sobolescere; per* Matrimonium *enim formamur ad imaginem Dei, ut in Baptismate recidiva quasi Nativitate in Dei filios consignemur; per* Ordines *autem ad ipsius sanctitatis similitudinem non solum consecramur, sed et cœlestis vitæ pignora per aliorum Sacramentorum administrationem in alios ubertim derivamus.— Porro quanta sit hujus utriusque Sacramenti dignitas et eminentia, facile deprehendet quisquis ad utriusque præcellentias mentis oculos tantillum admoverit; nemo namque nescit, plurima esse, et commendatione dignissima, quæ conjugium habet; maximum enim est naturæ bonum, et individua duorum societas, sine qua privata cujusque felicitas torpesceret, ut merito dixerit Deus in ipso mundi exordio:* non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi: *sed quod præcipuum est, ab eo pendet, velut a fonte, totius humani generis propagatio, unde Justinianus Imperator* Novella 2. *sapienter dixit,* Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam conciliare, et ex filiorum procreatione renovare genus humanum. *Cui non minus eleganter concinit Justinus,* Novella 2. *dicens:* Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi omnisque deinceps sobolis series existat, quod Regiones, atque civitates frequentes reddat; inde denique optima Reipublicæ coagmentatio fiat. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. *In Joann.*, cap. 2. *expendens motiva cur Christus Canæ nuptiis voluerit adesse, et ibi primum suæ divinæ potentiæ signare miraculum, præclare ait, istud nemini mirum videri debere.* Exigebat enim, *inquit,* ipsa carnis propagatione accepta infirmitas, eum,

qui totam naturam hominis in meliorem et feliciorem statum reparabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, et aditum illorum ad hanc mortalem vitam, et auctoritate miraculi, et suæ præsentia Majestatis consecrare. — *Hæc proculdubio præstantissima est conjugii commendatio, etiamsi dumtaxat spectes præclaras ipsius dotes intra naturæ cancellos, quatenus videlicet mortalitatis est subsidium, rerum publicarum salus, civitatum frequentia, et totius humanitatis ad posteros derivatio. Verum aliud est in ipso majori commendatione dignum, et ingens laudum illius materies, quod videlicet symbolum sit fœderis ac mystici conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam, proprio sui Sanguinis lavacro repurgatam et mundatam, gloriosam sibi sponsam conjunxit; unde Apostolus Matrimonium dixit esse magnum Sacramentum in Christo et in Ecclesia. Habet equidem id sibi cum aliis novæ Legis Sacramentis commune commercium, ut signum sit practicum et efficax gratiæ sanctificantis; sed in eo cætera Sacramenta superat et antecedit, quod mystica sua significatione præclarum sit symbolum connubii Christi cum Ecclesia, virtute cujus in Dei filios adoptamur, et ad cælestem ac divinam hæreditatem destinamur.*

Nec minora certe sunt Sacramenti Ordinis *encomia; enimvero si apud barbaras quasque gentes Sacerdotium in summo semper honore habitum fuerit, et eam dignitatem supra cæteros mortales ita extollerent, ut iisdem vestibus Sacerdotem induerent, quibus sua numina repræsentabant, quatenus Sacerdotes diis quam simillimi, omnium sibi amorem et reverentiam conciliarent, quanto magis faciendum est Sacerdotium Christianæ Religionis, quo non inanibus diis ac ementitis Numinibus litatur, sed ipsemet Dei Filius incruento Sacrificio æterno Patri diebus singulis tamquam Agnus innocens immolatur? Unde merito Justinus Martyr Epist. ad Smyrnenses,* Sacerdotium omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem *dixit; quamquam enim regia dignitas et Majestas plurimi fiat ab hominibus, ipsam longe antecedit Sacerdotalis dignitas et reverentia, ut præclare docet Sanctus Chrysostomus,* Hom. 5. in cap. 6. *Isaiæ:* Sacerdotium, *inquit,* principalius est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas; si vis videre discrimen, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multo sublimius Rege sedentem; quamquam enim nobis admirandus videatur regius thronus, ob gemmas; tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est; verum Sacerdotis thronus in cælis collocatus est, et de cœlestibus rebus judicandi habet potestatem. *Quam utique veritatem luculenter explicat Antonius Abbas in Melissa,* Serm. 3. *De bonis Episcopis;* tanto, *inquit,* est superius regno Sacerdotium, quantum est inter Spiritum et carnem intervallum. *Nec Sacerdotis dignitas regiam tantum excellit, sed etiam Dei omnipotentiam æmulatur, nam, ut egregie ait Theophilactus,* lib. *De Sacerdotio,* non erraverit quis, si Sacerdotium esse dixerit opificialem Dei potentiam. *Enimvero Sacerdotium substituit vicarias Dei vices dum perficit Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi Dei, dum remittit peccata quod solius Dei elogium est. Unde præclare scribit Petrus Damianus,* Sem. 26. *De Dignitate Sacerdotii:* consummatus honor hominem in terris positum cælis imperitare; præ-

cedit Petri sententia sententiam Redemptoris; quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus; judicat Petrus, et Petri judicia confirmat Omnipotens, et est in manu Petri manus Altissimi.

Quamquam autem Apostolus dixerit, non prius quod spiritale est, sed quod animale, *deinde* quod spiritale; *quibus admoneri videmur prius de Matrimonii, quam de Ordinis Sacramento sermonem esse faciendum, nihilominus quoniam, ut recte notat Catechismus Romanus* n. 10. alia Sacramenta ab Ordinis Sacramento ita pendent, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant; partim solemni cæremonia, et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur, *idcirco prius de Ordine, quam de Matrimonio hoc in Tractatu sumus acturi.*

DISPUTATIO PRIMA.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quanta sit Ordinis utilitas et excellentia, inter cæteros, præclarissime explicat S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 26. cum ait: *Ordo omnia constituit et colligavit, ordo cælestia et terrestria continet, ordo in his, quæ ratione, et animo intelliguntur, locum habet, ordo in anni partibus et temporibus apte et distincte, tum progredientibus, tum recedentibus, ordo in diei et noctis mensuris atque intervallis, ordo in elementis ex quibus corpora constant, ordo cælum in orbem duxit, aërem exporrexit, terram supposuit, ex ordine florente ac dominante hoc universum, κόσμος sive mundus, et ornatus, et invicta quædam stabilisque pulchritudo.* — Quoniam autem multiplex est, et prorsus ambigua vocabuli Ordinis significatio et usurpatio; æquivoca autem prius distingui debeant, quam definiri; idcirco, ut plenior ac planior hujus vocabuli habeatur intelligentia, observandum est, illud interdum significare respectum omnem et habitudinem unius ad alterum, quo sensu Philosophi dicere solent, in relativis esse respectum, essentialem ordinem subjecti ad terminum, potentiæ ad objectum, et causæ ad effectum. — Plerumque etiam usurpatur *Ordo* pro methodo tradendæ doctrinæ, procedendo videlicet, vel analytice, seu a toto ad partes, seu synthetice, puta a partibus ad totum. Unde S. Augustinus, lib. 2. *De Ordine*, cap. 5. præclare ait: *Si quis temere, ac sine ordine in disciplinarum et rerum cognitionem audet irruere, pro studioso illum curiosum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri.* Nonnumquam etiam Ordo sumitur pro more, et consuetudine; qua ratione Jurisperiti *extra ordinem* dicunt quidquid fit sine verbis et formulis solemnibus, præter morem et consuetudinem. — Verum omnes illæ et similes Ordinis acceptiones alienissimæ sunt a nostro instituto. Idcirco, ut propius in scopum collimemus, observandum est cum Subtili Doct., in 4. dist. 24. nu. 3. Ordinis vocabulum trifariam accipi; primo quidem latissime, pro rei cujuslibet congrua dispositione, et ordinatione; quo sensu S. Augustinus, lib. 19. *De Civ. Dei*, c. 13. ostendens omnia pace conservari, pacem vero ordine, ait: *Ordo est pariumdispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.* Hinc lib. 6. *Contra Faustum*, cap. 8. *Omnia*, inquit, *quæ naturaliter sunt in or-*

dine suo, bona sunt, et nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat. Secundo, strictius sumitur ordo, pro eminenti gradu, quem quisque inter cæteros occupat. Quo sensu olim apud Romanos Senatus appellari consueverat antiquissimus Ordo; quippe Senatores cæteris populis regendis et moderandis præficiebantur. Porro, inquit Doctor, *in Ecclesia, quæ est politia ordinata, congrue est ordo secundum istam duplicem acceptionem; nam secundum primam tota Ecclesia est ordinata illa congrua dispositione parium et imparium uniuscujusque in suo loco. Secundo modo persona habens gradum eminentem in Ecclesia dicitur habere ordinem. Et licet hæc duo signata ponant se mutuo, quia ubi est ordo primo modo in politia, ibi est gradus eminens, et ita ordo secundo modo, tamen hoc signum, et illud non idem, ut satis patet. Sicut ergo loquimur de Ordine, hic accipitur pro secundo significato, non pro primo.* Tertio denique Ordo strictissime, quantum ad propositum, usurpatur pro electione et consecratione Ministrorum Ecclesiæ ad actum aliquem exercendum circa Corpus Christi verum, aut mysticum, idque proxime vel remote. In qua utique acceptione Ordo tria complectitur: *primo* quidem, statum ipsum gradumque Clericorum supra cæteros in Ecclesia eminentem. *Secundo*, potestatem per quam illi constituuntur in statu expedito ad exercendos aliquos actus Ecclesiasticos, maxime circa administrationem Sacramentorum. *Tertio* denique, ipsam ordinationem, sive actionem sacram, per quam accipiant hujusmodi potestatem. Unde inquit Doctor: *Ordo*, de quo hic loquimur, dici potest *gradus præeminens in Ecclesia, disponens aliquem actum Ecclesiasticum eminentem.* Et quia, ut subdit, specialiter actus eminentes in Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest specialius dici, quod est *gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem.*

De Ordine itaque sic usurpato sermo erit tribus in sequentibus Articulis: quorum *primus* erit de ipso ordinis Sacramento secundum se: *secundus*, de singulis Ordinibus in particulari; *tertius*, de Ministro et Subjecto capaci ad conferendos et suscipiendos sacros Ordines.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN COMMUNI.

Cum recta et solita tradendæ doctrinæ methodus ac ratio postulet, ut ab universalioribus ad particularia procedatur, convenientissimum est, ut priusquam de singulis Ordinibus in particulari moveatur quæstio, nonnulla de Sacramento Ordinis in communi præmittamus, quibus videlicet hujus Sacramenti existentia, essentia, ac distributio, et partitio innotescat. Unde tria potissimum hoc in Articulo occurrunt determinanda: *primum*, utrum in Ecclesia sit aliquis status et ordo, per quem Clerici a Laicis secernantur: *secundum*, utrum Sacramenti novæ Legis dignitatem et efficacitatem obtineat: *tertium* denique, quot, et quæ sint Ordinum species.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM IN ECCLESIA SIT ALIQUIS ORDO, VIRTUTE ET RATIONE CUJUS CLERICI A LAICIS DISTINGUANTUR.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore, in 4. dist. 24. art. 2. qu. 1. constantissimum esse, quod in Ecclesia sit Ordo, seu ipsius membrorum inter se subordinatio. « Idque necessarium est, *inquit*, duplici « ratione, scilicet *propter plenitudinem*, et *propter rectitudinem*. Cum « enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset Ordo, manifesta « appareret confusio, et hæc est multitudinis fœdatio. Unde omnis sa- « piens, qui eo ipso quod sapiens est, pulchritudinis est amator, non « producit multa sine ordine; et inter hæc maxime apparet sapientia « Dei, quæ inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ec- « clesiæ. Necessarius est etiam ordo propter rectitudinem. Nam mul- « titudo, cum in statu est in quo deviare potest, errat si non habet « ducem, nec rectorem, sicut dicitur: *Vidi cunctum Israël dispersum « in montibus, sicut oves non habentes Pastorem.* Quoniam ergo mul- « titudo Ecclesiæ est in statu, in quo potest deviare, indiget capite « et regimine, cum unus non possit omnibus sufficere, nec ad omnia, « ideo oportet secundum plus et minus Ecclesiastica officia et pote- « states distribuere, ut Ecclesia regatur et dirigatur sine errore ». *Ita Seraphicus Doctor.* Porro hic non est sermo de hujusmodi Ecclesiæ membrorum ordinatione inter se invicem, sed de Ordine Clericorum, eorumque a Laicis distinctione, utrum videlicet in Ecclesia sit aliquis Ordo gradnum et ministeriorum, secundum quem Clerici Laicis sint superiores, habeantque jus et potestatem eis administrandi res divinas, præsertim Sacramenta, maxime vero Eucharistiam, quæ est Sacramentorum omnium præstantissimum et maximum.

Notandum 2. Ex Gratiano, dist. 21. Can. 1., generaliter Clericos nuncupari omnes, qui in Ecclesia Christi ex officio deserviunt, et divino cultui mancipantur: Clerici autem appellantur, quasi Domini sors, et hæreditas, Κλήρος enim Græce, *sors* Latine, vel *hæreditas* dicitur. *Propterea ergo*, inquit Rabanus, *De Institutione Clericorum*, lib. 1. cap. 2. *Ecclesiæ Ministri dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent.* Cui præluserat S. Hieronymus, Epistola ad Nepotianum, ubi scribit: *Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur, si enim κλήρος Græce, sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit: Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere potest; quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus, nec accepto partem inter cæteras Tribus, sed, quasi Levita, et Sacerdos, vivo de decimis, et al-*

tari serviens, altaris oblatione sustentor; habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Huic non absimile argumentum ab eadem quoque nominis etymologia repetit sanctus Ambros., lib. *De fuga sæculi*, cap. 2. his verbis: *Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur; hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam abneget, qui servire Deo gestit.* In idem conspirat B. Ivo Carnotensis, Serm. *De excellentia sacrorum Ordinum*, ubi ait: « Nemo enim ad « hoc debet fieri Clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, « militet ambitioni; nec aliud quærat, nisi ut Deum hæreditate pos- « sideat, quem elegit, et a quo electus est, quando in Clericum as- « sumptus est. Hoc enim in Græco nomen Clerici sonat, quod de « sorte sit Domini, quia et Deus sortitus sit eum. Bene dicitur in « Psalmo, in persona ipsius Clerici, cum stigmate Clericatus insigni- « tur; dicitur enim Deo: *Dominus pars hæreditatis meæ*, et in alio « Psalmo: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium fa- « ciem Dei Jacob.* Quod vero Dominus sortitus sit ipsum Clericum, « in ipsius Clerici tonsione dicitur ex superiori Psalmo in persona « Domini: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea « præclara est mihi.* Unde qui per Clericatus officium aliud quærit, « quam Deum, nec a Deo electus est, nec Deum elegit; qui in sorte « sua creaturam Creatori aut præposuit, aut æquiparavit ». Cur autem hæreditas, sive portio hæreditaria, sortis nomine appelletur, ratio inde peti potest, quod hæreditas in plures sortes dividi consueverit, juxta illud Psalm. 77. *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Quamvis autem Isidoro Hispalensi non displiceat præfata nominis Clerici etymologia, aliam tamen subministrat, lib. 7. *Originum, sive Etymologiarum*, cap. 12. ubi Ecclesiæ Ministros idcirco *Clericos* appellatos existimat, quod S. Matthias, qui primus ab Apostolis in Ecclesiasticum Ordinem adscitus est, sorte fuerit electus, ut refertur Actuum, cap. 1. Quam etiam interpretationem probat S. Augustinus, in Psalm. 62, ubi ait: *Clerus sors dicitur Græce; et sortes, ex promissione Dei, partes hæreditatis vocantur, quæ populo sunt distributæ: Unde Tribus Levi præcepta est non habere sortem inter fratres suos, quod ex eorum decimis sustentaretur; nam, et Cleros, et Clericos hic appellatos puto, qui sicut in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati: quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.*

Notandum 3. Quod etsi hujus sæculi Novatores, Lutherani videlicet et Calvinistæ, distincte affirmare non audeant, annunciationem Evangelii, et Sacramentorum administrationem ad omnes promiscue fideles ex æquo pertinere, quemadmodum diserte profitetur Kemnitius in examine Concilii Tridentini, ad cap. 2. et Can. 2. Sess. 23. ubi ait: *Neque se, neque suos, nempe Lutheranos damnare distributionem illorum graduum Ecclesiasticorum, qualis fuit in Apostolica lege; suosque hujusmodi distributione uti pro ratione necessitatis et ædificationis admittere.* Quod pariter aperte docet Calvinus, lib. 4, *Institut.*, cap. 3. n. 2. ubi ostendit hominum ministerium, quo Deus

in gubernanda Ecclesia utitur, præcipuum esse nervum, quo fideles in uno corpore cohæreant: *tum* vero etiam indicat, non aliter incolumem servari Ecclesiam posse, quam si his præsidiis fulciatur, in quibus salutem ejus reponere Domino placuit. Tandem colligit: *Ecclesiæ ergo diu passionem vel ruinam potius et exitium molitur quisquis ordinem hunc, de quo disputamus, et hoc genus regiminis, vel abolere studit, vel quasi minus necessarium elevat; neque enim vel Soli lumen ac calor, vel cibus ac potus tam sunt præsenti vitæ fovendæ ac sustinendæ necessaria, quam est conservandæ in terris Ecclesiæ Apostolicum ac Pastorale munus.* Tametsi, inquam, illi hæretici affirmare non audeant quibuslibet fidelibus licitum esse Sacramenta ministrare, et Dei verbum annuntiare; attamen quia eorum hæreses maxime ab odio Clericalis Ordinis, et nimia in Laicos, quorum favorem ambiebant, assentatione, exortæ sunt; hinc est, quod ita sibi temperare non potuerint, quin multa effutierint contra ejusmodi prærogativam et distinctionem Ecclesiæ Ministrorum a Laicis, quasi inter eos nihil esset discriminis; aut si quid sit, totum pendeat ab hominum nutu et arbitrio. Contendunt enim, omnes Christianos æqualiter Sacerdotes esse, vel certe potestatem Ordinis non aliter conferri, quam per legitimam ad tale ministerium et officium Ecclesiasticum deputationem, quæ per amotionem ab ejusmodi officio amittatur. Unde Lutherus, *de abroganda Missa privata,* expendens illud 1. Petri 5. *Non dominantes in Cleris,* significat, id non debere intelligi, sicut vertit vulgatus Scripturæ Interpres, de eis, *quos,* inquit, *nunc a Laicis discrevit impia hominum Traditio.* Et paulo post addit, Ecclesiasticam Hierarchiam (in qua constituuntur summus Sacerdos, deinde Episcopi, postmodum Sacerdotes, tandem inferiores Clerici) esse similem Gentilitiæ constitutioni de Sacerdotibus Jovis, Veneris et Saturni. Demum addit: *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla Secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat, sed tantum prædicantes.* Similiter Calvinus, cap. 4. n. 9. cum dixisset, omnes eos, qui ad debite obeundum munus Ecclesiasticum formabantur, generali nomine appellatos fuisse Clericos, statim subdit: *Vellem equidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse, hæc enim appellatio ex errore, vel certe prava affectione nata est: cum tota Ecclesia Clerus, idest, hæreditas Domini a Petro dicatur.* Itaque adversus hos omnes errores statuenda est et probanda sequens

Conclusio unica. — Necessario admittendus est, et revera existit in Ecclesia Ordo, sive ordinatio graduum et Ministeriorum Ecclesiasticorum, secundum quos Clerici Laicis sunt superiores, eisque administrare possunt ac debent res divinas, puta Dei verbum et Sacramenta. Hæc est de fide determinata in Concilio Trident., Sess. 23. cap. 4. his verbis: *Sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.* Hinc Can. 1. anathema dixit in eum, qui dixerit, *Non esse in*

novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi, et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, non esse Sacerdotes. Et Can. 2. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Probatur autem hæc Catholica veritas: primo quidem ex Scriptura sacra, quæ pluries meminit Ecclesiæ Ministrorum, quos Christi fidelibus regendis præfecit, et solemni ritu ordinavit ac consecravit. Sic Joann. 20. refertur, qualiter Christus insufflans in Apostolos contulerit eis Spiritum sanctum cum potestate remittendi, et retinendi peccata. Similiter Act. 13. et 1. ad Timoth. 4. fit mentio impositionis manuum, qua tum Paulus et Barnabas ab Apostolis, tum etiam Timotheus ipse a Paulo ordinati sunt in Evangelii Præcones et in Ecclesiæ Pastores et Præfectos. Idipsum luculenter significat Apostolus Actor. 20. ubi majores natu Ecclesiæ apud Ephesum sic alloquitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* idest, Sacramentorum, ut explicat Concilium Tridentinum, Sess. 21. cap. 2. et 2. ad Corinth. 3. *idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.* Quæ omnia luculenter significant ordinationem, et divinam institutionem, qua quidam Christianæ Religionis Antistites et Ministri populo Dei præficiuntur, ut ejus saluti procurandæ sedulo invigilent. — Id etiam confirmat, quod ipsemet Apostolus de seipso refert Rom. 1. cum ait, se Apostolum *segregatum in Evangelium Christi;* his enim verbis alludit ad ea, quæ Actor. 13. referuntur, nempe quod Spiritus sanctus Ecclesiæ Ministris, qui erant Antiochiæ, dixit: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos; tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Quibus utique verbis significatur, eos, qui solemni ritu per impositionem manuum ordinati sunt, non esse amplius inter Laicos computandos, sed ab eis segregatos; ut a civilibus et sæcularibus negotiis et officiis sepositi, divino cultui ac ministerio dumtaxat mancipentur, ut ipsemet Apostolus luculenter et diserte explicat, cum ait ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quid enim aliud est, Pontificem ab hominibus esse assumptum, nisi sejunctum a populi classe, ut videlicet cæteris de Christi grege fidelibus dignitate et officio præsit, eisque ad salutem necessaria conciliet? — Eamdem veritatem rursus indicat et confirmat Apostolus iis omnibus in locis, in quibus Ecclesiam assimilat corpori variis membris constanti, in quibus optima apparet distinctio et subordinatio. Sic ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Unde colligit: *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive Prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium*

in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine. Quibus significat, varia esse Ecclesiæ membrorum, sicut et corporis naturalis, munia, ita quod alia tamquam capita præsint, alia veluti linguæ doceant, alia tamquam manus ministrent. Quod egregie confirmat 1. ad Cor. 12. ubi cum dixisset: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus: sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi:* statim subdit: *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi est auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Ex quibus infert: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli?* etc. — Quibus consonat id, quod habet ad Eph. 4. ubi de Christo Domino sic loquitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, quosdam autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi,* etc. Ubi nomine Pastoris, Sacerdotes intelligit, qui Sacramentorum administratione et Evangelii prædicatione, tamquam cælesti pabulo cætera Ecclesiæ membra, quibus veluti capita præficiuntur, pascant et enutriant. Quamobrem signanter non dicit Apostolus: *Alios Pastores, alios Doctores, sed alios Pastores et Doctores;* quippe iidem debent esse Pastores et Doctores; nam, ut ait S. Hieron. *Nemo, quantumvis sanctus sit, Pastoris nomen sibi assumere præsumat, nisi docere possit, quos pascit.* Ex quibus Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. legitime infert: *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde, ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes sint Doctores.*

Probatur secundo eadem veritas ex receptissima apud quascumque nationes alicujus numinis cultrices constitutione ac consuetudine, apud quas vel ipso naturæ instinctu semper fuerunt aliqui a populo segreges, qui Sacerdotii munere fungerentur. Sic ante Legem Moysi consignatam in monte Sinai, ut communis fert Hebræorum sententia, quam approbat S. Hieronymus in *quæstionibus Hebraicis*, familiarum patres et capita Sacerdotum munere fungebantur; quamquam enim, ut notat Abulensis in cap. 13. Genes. q. 10, et in cap. 26. q. 6. quicumque ante Legem Mosaicam sacrificare posset, et Sacerdotium exercere; unde Abel, licet minor natu, sacrificasse legitur, sicut et Cain; nihilominus non omnes indiscriminatim hoc munere fungebantur, sed huic obeundo ministerio, vel majores natu destinabantur, vel si eo

propter scelera erant indigni, alii ex eadem familia ad id munus destinabantur: quemadmodum reprobato Caino, acceptum est et probatum Abelis Sacrificium. Unde etiam apud Ethnicos semper aliqui fuerunt a reliqua plebe secreti, qui Sacerdotii functionibus intenderent; quemadmodum observat Aristoteles, lib. 7. *Politicorum*, cap. 7. ubi Sacerdotes tamquam Reipublicæ membra a reliquis distincta et necessaria recenset. — Verum illa procurandæ et excolendæ Religionis avita sedulitas excrevit quam maxime per Legem Mosaicam, in qua Levitica Tribus ex omni Israëlitico populo destinata fuit a Deo, quæ sacris peragendis inserviret, ita ut nemo tunc temporis, nisi ex illa Tribu oriundus, idque per lineam paternam, inservire posset divinis ministeriis; imo nec incensum offerre Deo. Hinc, ut legimus 2. *Paralipomenon*, cap. 26. Rex Ozias repentina lepra percussus fuit, quod incensum adolere fuisset ausus, cum ex Tribu Levitica non esset oriundus. Qua ratione etiam Dathan et Abiron disrupta terra vivi sunt absorpti, ut refertur Num. 26. quod, cum non essent de Tribu Levitica, nihilominus ausu temerario incensum coram Domino adolere attentassent. Quæ cum ita sint, nemo est qui non videat potiori jure in Evangelica Lege, quæ omnium est præstantissima, admittendos esse sacros Ministros, a cæteris Ecclesiæ membris distinctos, qui divino cultui mancipentur. Nam, inquit Apost. 2. ad Cor. 3, *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* hoc est, si inferioris Legis Sacerdotes ac Ministri tantam in suo gradu ac dignitate stabilitatem sunt adepti, quanto magis qui melius ministerium sortiti sunt, potiori honoris privilegio sunt illustrandi, et a populi grege separandi, ut soli Deo famulentur. — Hinc est, quod Ecclesia semper statuerit Clericos a Laicis tum gradu, tum ordinatione et honore esse sejungendos, ut videre est tum in Canonibus Apostolorum, tum in Constitutionibus Apostolicis apud S. Clementem Romanum Pontificem, maxime lib. 2. necnon apud vetustissimos Ecclesiæ Patres, puta S. Dionysium, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, necnon et in Epistola ad Demophilum: sed præcipue apud Tertullianum, lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. ubi hæreticorum sui temporis mores referens, eos maxime culpat, quod sacra ministeria indiscriminatim Laicis, imo et mulieribus concedant: *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc Neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est: itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam et Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Eodem pertinent illa, quæ habet, lib. *De Exhortatione ad castitatem*, cap. 7. ubi scribit: *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consensum sanctificatus a Deo;* ubi significat, Ordinem esse divinæ institutionis, et Cleri a plebe differentiam a Deo sancitam, et Ecclesiastica Lege firmatam. — Ei præiverat S. Dionysius Areopagita, lib. *De Cœlesti Hierarchia*, cap. 5. dicens: *Quinimo divinus ille ac primus Ordinis nostri collator (hoc enim*

munus sibi Jesus benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semetipsum clarificavit, ut eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quapropter ipse dum ad Ordinem Sacerdotis discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis auctor existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem, et Spiritum Dei principalem præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipiens discipulis, ut eloquia sacra testantur, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia vos baptizabimini Spiritu sancto. *Quin et Princeps Apostolorum, una cum coæquali sibi ac Pontificali decade ad sacrum illum duodenarium Discipulorum numerum implendum congregatus, summæ divinitati electionis manus reverenter cessit, cum ait:* Ostende quem elegeris; *eumque quem divina sors designaverat sacro illi duodenario Hierarchico annumeravit, cum ait de divina illa sorte: quæ divinitus super Matthiam cecidit, alii ab aliis, meo quidem judicio, non recte diversa senserint, meam ipse sententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura sortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur choro Hierarchico, quisnam divino suffragio electus erat; siquidem divinus Pontifex nequaquam motu proprio sacros Ordines conferre debet, sed, ut decet Pontificem, eosdem instinctu Dei divinitus celebrare.*

Constat tandem hæc veritas, ac firmatur ipsa ratione Theologica; convenientissimum enim fuit, imo aliqua ratione necessarium, Ordinem in Ecclesia stabiliri, quo quidam Ministri constituerentur et præficerentur cultui Deo debito rite exhibendo; si enim Principes quique summi aliquos sibi adsciscunt Ministros, qui variis modis ipsis inserviant, quanto magis conveniens fuit aliquos esse in Ecclesia Dei institutos Ministos, quibus ex officio uni Deo servire incumbat? Cum enim Deo debeantur omnia, nec tamen unusquisque, propter varia hujus vitæ negotia et impedimenta, debitam ei gratitudinem et venerationem possit rependere, convenientissimum fuit, imo summe necessarium, aliquos e populo seligi ac destinari, qui ad impendendum debitum Deo cultum, ex sui status obligatione et institutione intenderent. — *Deinde,* ea est divinæ providentiæ institutio, ut infirma per suprema gubernentur et administrentur, quamobrem in omni Republica seu Politia necesse est, ut sit caput aliquod; sint etiam membra quædam digniora, quorum sapientia, et prudentia populus regatur; nam, ut dicitur Proverb. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Itaque conveniens erat, ut in Ecclesia quidam propter status dignitatem et sanctitatem Deo propinquiores et similiores, cæteris expurgandis, sanctificandis, ac ad Deum dirigendis invigilarent. Quam utique rationem præclare expendit S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 5. ubi cum dixisset, Hierarchiam tripliciter posse dividi: *primo,* in mysteria; *secundo,* in divinorum mysteriorum administros ac Sacerdotes; *tertio,* in eos qui ab his ad sacra promoventur; et insuper tres distinxisset Hierarchiæ Ecclesiasticæ functiones, quarum *prima* est expiatio; *secunda,* expiatorum illuminatio; *tertia,* utriusque completa perfectio; quarum *prima,* fit a Diaconis per Catechesim et Baptismum: *secunda,* a Sacerdotibus, per Eucharistiæ participationem: *tertia,* ab Episcopis per Sacramenti Confirmationis collationem;

hæc, inquam, cum dixisset, ostendit necessario admittendam esse subordinationem in Hierarchia, ita quod inferiores a superioribus ad Deum dirigantur: « Lex, *inquit* §. 4. hæc est sacro sancta summæ Dei-« tatis, ut per prima, quæ sequuntur ad divinissimam ejus lucem ad-« ducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cer-« nimus primum ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac « per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare? Merito igitur « omnis tum invisibilis, tum visibilis distinctionis initium ac sedes « ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit perve-« nire, atque per illos, utpote limpidiores spiritus, et ad participandum « traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum ca-« pacitate illucescit et apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum « cernunt, sequentibus sine inedia, pro modulo cujusque, sibi sacro-« sancte perfecta divina spectacula insinuare; docere etiam ea, quæ « Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cum perficiente scientia « divina, quæque sacri sui Ordinis mysteria probe sunt edocti, con-« sumatamque docendi alios virtutem acceperunt; Sacramenta vero « pro dignitate tradere illorum est, qui scite atque integre Sacerdo-« talis imitationis participes existunt ». *Hæc S. Dionysius.*

Objicies 1. Si aliqui censendi essent specialiter ad res sacras et divinas administrandas destinati, e fidelium grege sejuncti, maxime qui ab antiquis Patribus Clerici nominantur: sed hæc appellatio et nominis dignitas non aliquibus privatis, sed toti fidelium communitati convenit. *Probatur:* illis omnibus Clerici appellatio tribuitur, quibus præsunt Episcopi, ut constat ex illo 1. Petri 5. ubi S. Apostolus Episcopos alloquens, ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Igitur nomine *Cleri* S. Apostolus intelligit ipsam Dominici gregis portionem, quæ pascenda et regenda Episcopis committitur, quemadmodum etiam interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 10. in Isaiam, Orat. 3., necnon et venerabilis Beda, ac plurimi ex recentioribus cum Cajetano, Vatablo, Gagnæo; unde etiam Syrus Interpres pro *Cleris*, hoc loco *gregem* scripsit. Quod pariter satis ostendit adversativa particula, dum ait: *Sed forma facti gregis;* Episcopus enim probitate morum et sanctitate non solum Clericis, sed etiam toti fidelium gregi sibi commisso prælucere debet ad formam et exemplum. — **Respondeo cum S. Hieronymo**, Epist. ad Nepotianum, eo loco *Cleri* nomine universam Ecclesiam non significari, sed eos dumtaxat, qui *Clerici* proprie dicuntur; licet enim non solum Clericis, sed etiam Laicis Episcopi exemplo virtutis prælucere debeant, attamen quia erat periculum tanto majus, ne Clericis dominari velint Episcopi potius, quam Laicis, quanto Clerici ex sua professione et Ecclesiæ constitutione ac ordinatione Episcopis subjici debent, et obsequi magis, quam Laici; ideo S. Petrus Episcopos monet, ut sibi commissum gregem tanta vigilantia et pietate pascant verbo et exemplo, ut Laicis non sint in offendiculum per turpis lucri cupidinem, Clericis vero per dominationis appetitum. Quæ utique expositio genuina videtur, et omnino conveniens menti et intentioni Apostoli. *Respondeo secundo,* quod

etiamsi (ut volunt hæretici) Cleri nomine eo loco S. Petrus universam Ecclesiam intellexerit, et fidelium cœtum, qui cum sit populus acquisitionis, quem Christus Sanguine suo acquisivit et mundavit, etiam Clerus, seu sors et hæreditas Domini potest appellari; attamen negari non potest, quin ex omnibus Christianis Sacerdotes et Clerici, ratione magis convenienti et propria, hæreditas et sors Domini dicenda sit, utpote qui speciali ordinatione mancipentur ad res sacras, et divinum cultum exercendum, eo modo quo gens Judaica, licet comparata ad alias Nationes passim dicatur hæreditas Domini in libris Prophetarum, eo quod ipsam Jesus D. selegisset in peculiarem populum, et ab Ægypti captivitate liberasset; attamen sola tribus Levitica, quæ rebus sacris administrandis erat destinata, specialiter Domini hæreditas et sors appellatur, quemadmodum et ipse Dominus eorum hæreditas et portio, juxta illud Num. 8. ubi Dominus loquens ad Aaron, et filios ejus: *In terra filiorum Israël nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël.*

Objicies 2. Ubicumque est ordo, ibi est distinctio: sed in Ecclesia non est distinctio, nec discretio unius fidelis ad alio, juxta illud ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis, non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* igitur, etc. — **Distinguo minorem**: inter fideles non est distinctio coram Deo, quantum ad justificationem, et morum probitatem, quippe cum omnes in Christo per Baptismum renati, vitæ sanctitate Christum induere, et illum referre debeant, *concedo:* non est distinctio, quantum ad potestatem conficiendi et administrandi res sacras, ita quod hæc facultas ex æquo omnibus fidelibus convenire possit, *nego.* Nec aliud certe intendit Apostolus, non enim eo loco excludit distinctionem sexuum, nationum, et conditionum; sed tantum quod ista non conferant ad sanctitatem et adoptionem filiorum Dei, quæ maxime fit per fidem vivam et charitate formatam. Quod utique perspicuum fit ex serie contextus Apostoli; ibi namque demonstrat in negotio justificationis, seu justitiæ per Christum comparandæ, nullam haberi rationem, utrum aliquis sit Judæus, aut Græcus, servus, aut liber, masculus, aut fœmina, ita quod ad adoptionem filiorum Dei non obsit servitus, nec prosit libertas, nec ulla conditio, nullusve sexus ad id quidquam conducit, sed solum fides, quæ per dilectionem operatur.

Objicies 3. Ubi est ordo, debet esse subordinatio inferioris ad superiorem: sed in Ecclesia nulla est talis subordinatio, nec dominatio unius in alium; omnis enim prælatio et superioritas Apostolis et fidelibus prohibetur a Christo his verbis Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit Minister vester.* Et Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator.* Igitur in Ecclesia non debet esse dominatio, nec subjecto; ac subinde nec Ordo, quo aliqui cæteris præficiantur. — **Nego minorem**, et ejus probationem distinguo: illis Christi verbis interdicitur omnis prælatio et subjectio apud fideles, quantum

ad exercitium et usum imperii in alios, *nego*: quantum ad abusum et animi elationem ac dominandi cupidinem, *concedo*. Nec aliud certe voluit Christus Dominus, quemadmodum facile colligitur ex ipso textu, et motivo cur hæc verba protulerit; siquidem hæc dixit ad refrænandam Apostolorum elationem et contentionem; nam cum inter Apostolos facta esset *contentio, quis eorum videretur esse major*, ut eam animi superbiam radicitus evelleret, statim reposuit Christus Dominus: *Reges gentium*, etc. Quibus utique verbis non prohibet prælationem et superioritatem; imo etiam eam supponit; ait enim: *Qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator*: igitur revera supponit inter discipulos et fideles aliquos esse præpositos, alios vero subditos. Itaque vult quod qui revera major est, atque aliis præficitur, debet non ficta animi demissione minor fieri; imo et aliis se Ministrum exhibere omni charitatis et pietatis officio. Non damnat itaque in suis prælationem; quippe cum Ecclesiæ suæ præfecerit quosdam quidem Apostolos, alios Pastores, et Doctores in opus ministerii; sed prælationis ostentationem, et omnem dominandi affectum; qui enim in Ecclesia præsunt, non debent cæteris dominari, tamquam Domini servis, et principes subditis, ad propriam utilitatem et ad imperii ostentationem, sed tamquam ovibus Pastores, ac Ministri subditis; neque enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum totius Reipublicæ Christianæ.

Objicies 4. Si aliqua esset in Ecclesia subordinatio inferioris ad superiorem, auctoritate divina esset constituta; omnis enim potestas a Deo est; sed illa quæcumque sit inter fideles ad res sacras obeundas destinatio, non est divinitus constituta; nam, ut supra dicebat Tertullian. cap. 7. lib. *De Exhortatione ad castitatem: Differentiam inter Ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas*, etc.: igitur, etc. — **Respondeo** *negando minorem;* et ad Tertullianum dico, quod etsi eo loco videatur significare, lege dumtaxat humana et jure tantum ecclesiastico constitutam fuisse Ordinis a plebe, et Clericorum a Laicis distinctionem atque differentiam; attamen ea quæ ibidem immediate subjungit, nempe, *et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo*, Clericalis Ordinis a Laicis differentiam a Deo factam fuisse; quæ differentia insuper lege humana et ecclesiastica, variis Ecclesiæ canonibus et sanctionibus stabilita est, et distinctius explicata.

Instabis: Tertullianus ibid. non obscure significat, nullam lege divina esse differentiam inter Clerum et plebem; quippe cum in casu necessitatis omnia Laicus præstare potest, quæ Sacerdos; nam post laudata verba statim subjungit: *Ubi Ecclesiastici Ordinis est consessus, et offert, et tingit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed, et ubi tres, Ecclesia est, licet laici; unusquisque enim de sua fide vivit. Nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores Legis justificantur a Deo, sed factores, secundum quod et Apostolus dicit: Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habeas, oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tingis, digamus offers; quanto magis laico dicat, quod ad salutem erit agere pro Sacerdote, quam ipsi Sacerdoti dicitur, qui eo facto communicatur actione Sacerdotis? Sed necessitati, inquit, indulserit. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse necessitas.* Igitur ex mente

Tertulliani nulla est inter Clerum et plebem differentia ex institutione divina. — **Nego consequentiam,** et ad *antecedens* dico *primo,* ea quæ habet in libris *de Exhortatione* non esse magnæ auctoritatis; cum enim hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia, et infectus erat errore Montani, qui docebat Christi Sacerdotium ad omnes fideles ex æquo pertinere, ut observat S. Epiphan. Hæresi 59. agens de Sectatoribus Montani, qui se *catharos,* idest, *puros* nominabant. Nil igitur mirum, si Tertullianus postquam eorum hæreticorum erroribus adhæsit, quædam effutierit, quæ contra veritatem Catholicam non modo pugnant, sed etiam contra ea, quæ tam diserte scripserat lib. *De Præscriptionibus,* cap. 41. adversus eos, qui Hierarchiam et differentiam Cleri a Laicis insectabantur. — *Dico secundo.* Quod cum Tertullianus eo loco, necnon et alibi Laicos etiam esse Sacerdotes ait, non loquatur ex propria mente, et sententia, sed ex sententia eorum, contra quos agebat, argumento videlicet ad hominem; dato nimirum, sed non concesso, quod ab aliis vulgo jactabatur, ut inde probaret laicos omnes teneri ad eamdem cum veris et proprie dictis Sacerdotibus Monogamiæ legem atque disciplinam. Quod utique evidenter colligitur ex cap. 12. lib. *De Monogamia,* ubi idem tractans argumentum, ait: *Audi et subtilissimam e contrario argumentationem. Adeo, inquiunt, permisit Apostolus iterare connubium, ut solos qui sunt de Clero Monogamiæ jugo adstrinxerit. Quod enim quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit.* Cui objectioni sic respondet: *Numquid ergo, et quod omnibus præcipit, solis Episcopis non præscribit; si quod Episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? An ideo omnibus, quia et Episcopis? Et ideo Episcopis, quia et omnibus? Unde enim Episcopi, et Clerus, nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? Ordo aliquis seorsum debebit institui Monogamorum, de quo allectio fiat in Clerum. Sed cum extollimur et inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes; quia Sacerdotes nos Deo, et Patri fecit,* etc. Quibus verbis, ut apparet, Tertullianus non existimat omnes omnino fideles esse vere ac proprie dictos Sacerdotes, sed tantum analogice, quatenus videlicet omnes destinantur ad offerenda Deo sacrificia spiritualia in sincera precum oblatione, corporis mortificatione, et humiliati cordis gemitu; et insuper Sacerdotes, et Clerici fiunt ex Laicis. Vide quæ jam diximus Vol. XI, pag. 296 explicando eumdem Tertulliani locum.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM ORDO SIT UNUM EX SEPTEM SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

Notandum 1. Ex Subtili Doctore, Ordinem considerari posse duobus modis: *primo,* pro ipso gradu, seu potestate, qua quis constituitur in officio et dignitate Ecclesiæ Ministri; et non solum a Laicis, sed etiam a cæteris Clericis, ac Ecclesiasticis Ministris distinguitur: *secundo,* pro ordinatione, seu collatione hujus gradus, seu pro actione, qua quis dignitatem ac auctoritatem obtinet sibi commissum sacrum ministerium exequendi. Priori modo, inquit Doctor, dist. 24. n. 8. *Ordo non*

est Sacramentum, quia omne Sacramentum est signum sensibile: Ordo autem quidam gradus est spiritualis. Tamen accipiendo Sacramentum pro signo invisibili, sicut aliquid dicitur res, et Sacramentum, hoc modo potest dici Sacramentum; quia est signum convenientis gradus executionis actus debiti illi gradui; et etiam signum illius actus convenientis tali gradui. Quibus verbis Doctor significat, Ordinem sumptum pro gradu seu charactere, non esse Sacramentum proprie dictum, sed potius rem, seu effectum Sacramenti. Unde hic potissimum sermo erit de Sacramento, juxta posteriorem acceptionem, videlicet pro actione sacra, qua quis a Superiore constituitur in gradu Ecclesiastico ad sacra ministeria obeunda. Nec obstat quod Sotus dist. 24. art. 1. asserat distinctionem illam inter *Ordinem*, et *Ordinationem* esse gratis inventam. Licet enim *(inquit Hiquæus in Commentario ad* dist. 24. n. 83.) Ordo juxta consuetudinem præsentem sumatur pro ipsa Ordinatione, appellatione causæ per effectum, tamen in propria locutione Ordo designat potestatem traditam per Sacramentum, et gradum, quo constituitur quis in gradu eminenti in Ecclesia, ad ministerium Sacramentale. Ordinatio vero significat collationem illius dignitatis per Sacramentum sensibile, seu ipsum Sacramentum in usu; et sic vocant antiqui Patres collationem gradus, Ordinationem, non Ordinem. Ita Zephyrinus Papa Epist. 2; Auctor Comment. in Epist. *Ad Timoth.*, cap. 4. inter opera Ambrosii, Hieronymi, et Augustini. Innocentius, Leo Magnus, Gelasius, Braccharense II, citati. Primasius in 1. *Ad Timoth.*, cap. 5. Et insuper appellatio, quæ Græcis etiam est in usu, *manuum impositionis*, quæ ex Scriptura est, eamdem proportionem servat, appellando mysterium ab actione per quam potestas datur. Non gratis ergo distinctio præmissa adducitur, quam vel ratio ipsius Soti comprobat; nam si in materia et forma sensibili consistit significatio et efficacia Sacramentalis, effectus vero seu res collata in potestate et gratia, debent propriis appellationibus discerni. *Ita Hiquæus.*

Notandum 2. Nobis in hac Quæstione sermonem esse, ac litem et controversiam institui adversus hæreticos, utrum videlicet Ordo, seu Ordinatio in universum, sit unum ex septem novæ Legis Sacramentis; cum enim in Ecclesia Dei sint multæ Ordinationes, et plurimi Ordines, ut constabit ex dicendis Articulo sequenti, de omnibus istis singillatim cum hæreticis non contendimus; siquidem de plurimis illorum utrum dignitatem et rationem Sacramenti obtineant, adhuc controvertitur apud Theologos, nec quidquam hactenus circa hujus difficultatis eliquationem ab Ecclesia distincte statutum ac definitum est. Est igitur de Ordinatione generatim cum hæreticis instituenda disceptatio, utrum sit novæ Legis Sacramentum a Christo institutum, ita ut aliqua ordinatio, seu ordo Sacramenti dignitatem et rationem obtineat.

Notandum 3. Quod etsi ex antiquioribus hæreticis pauci videantur, qui Sacramentum Ordinis fuerint insectati, nihilominus Megaliani, ut refert S. Damascenus, lib. *De hæresibus*, asserebant in Ordinatione Clericorum non dari Spiritum Sanctum. Hæretico etiam Wicleffus de Ordinis Sacramento sensit; nam, ut refert Villelmus Widesordus in libr. *Contra ipsum*, recensens errores ejus damnatos in Concilio Constantiensi, sub titulo, *Contra Sacramentum Ordinis*, octavus illius error erat: *Christus ordinat quemcumque, et quandocumque voluerit; ita ut*

sequens Christum in moribus secure possit de seipso confidere, quod deficiente Prælato Cæsareo, sit a Christo legitime ordinatus. Nonus autem error ab eodem Auctore sic refertur: *Conjectura probabilis est, quod talis, qui recte vivit, est Diaconus, vel Sacerdos; sicut enim conjicio, quod iste est Joannes, sic probabili conjectura cognosco, quod iste sancte vivendo constitutus est in tali officio.* Ex quo videtur, omnem ordinationem Ecclesiæ, non ad cæremoniam a Christo institutam, sed ad gratiam invisibilem recte vivendi reducere, ac proinde verum Sacramentum Ordinis negare. — Verum recentiores hæretici aperte Ordinem e numero Sacramentorum respuunt; nam Lutherus, lib. *De Captivit. Babylonica*, cap. de Ordine: *Sacramentum*, inquit, *Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ*, etc. Et adversus Articulos Lovanienses: *Ordo non est sacramentum, sed officium, aut vocatio Ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.* Sic Melancton in *Locis*, et Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 19. n. 22. ubi ridet Catholicos, quod Ordinem pro Sacramento admittant: *Quantum*, inquit, *locum in eorum Catalogo tenet Sacramentum Ordinis, sed adeo fœcundum, ut septem ex se sacramentalia pariat.* Et postea fuse in Ordines Minores invehitur. Idem tamen Calvinus, hoc cap. n. 28. vocat *Ordinem Presbyterii fidele spiritualis gratiæ symbolum.* Et cap. 14. num. 22. loquens de impositione manuum, hæc habet: *Nam impositio manuum, etc. ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Quod ideo se dixisse asserit c. 19. n. 28. cit. quia hoc Sacramentum non est commune omnibus fidelibus. Hinc Novatores, Ordines Catholicæ Ecclesiæ nullos plane, et mera ludibria pronuntiant. Sic Calvinus, lib. 4. *Institut.*, cap. 5. n. 3. Beza, apud Saravium in defensione, Tract. p. 66. *Papisticam Ordinationem nihil aliud reputat, quam fœdissimas* (sic turpis ille nebulo loquitur) *Romani prostibuli nundinationes.* Fulcus, Minister Anglus in Betentia, pag. 67. *Ex toto*, inquit, *corde detestamur, et conspuimus antichristianos vestros, olidos et squalidos ordines.* Porro veritatem Catholicam contra hos omnes errones propugnabit ac declarabit

Conclusio unica. — ORDINATIO, QUA MINISTRI ECCLESIÆ INITIANTUR, EST VERUM AC PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM. Hæc est de fide, definita in Concilio Chalcedonensi, Act. 15. Can. 2. *Si quis Episcoporum, accepta pecunia, Ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam*, etc. Quibus verbis Concilium supponit gratiam conferri in Ordinatione, ac proinde Sacramentum esse; siquidem in ea est signum, seu ritus exterior; tum etiam divina institutio, sine qua gratia conferri non posset. Idem statuit *Braccharense secundum*, Can. 2. his verbis: *Placuit, ut de Ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent: non aliquo pretio gratia Dei, et impositio manuum venundetur; quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis Ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti et accipienti*, etc. — Sed omissis aliis plurimis Conciliis eamdem veritatem attestantibus, illam aperte tradunt et definiunt Florentinum in Decreto Eugenii: *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, etc.

Necnon et Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 1. ubi agens de septem Sacramentis, inter quæ Ordinem numerat, ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.... aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Et Sess. 23. hanc doctrinam expresse tradit, maxime cap. 3. ubi ait: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica Traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis.*

Probatur autem hæc Catholica veritas hac evidenti ratione: ad rationem Sacramenti novæ Legis tria tantum desiderantur, nempe quod sit cæremonia sensibilis divinitus ac permanenter instituta, in cujus usu et exercitio gratia infallibiliter conferatur: sed ordinatio qua Ecclesiæ Ministri initiantur hæc tria sibi vindicat: igitur est verum ac proprie dictum Sacramentum. *Major constat* ex jam pluries dictis. *Minor etiam* est evidens quantum ad *primam* et *secundam partem*, siquidem, ut apparebit in sequenti Quæstione, Ordo semper in Ecclesia collatus fuit per signum aliquod sensibile et externum, puta vel per impositionem manuum, vel per porrectionem et traditionem alicujus rei deservientis ad sacrum ministerium. Similiter ritus ille initiandi Ecclesiæ Ministros divinitus ac permanenter institutus apparet ex perpetua et constanti Ecclesiæ Traditione ac praxi. Solum itaque superest demonstrandum, huic cæremoniæ ac sacro ritui infallibilem gratiæ promissionem et collationem esse annexam.

Primo quidem id colligitur ex 1. ad Timoth. 4. ubi Apostolus Timotheum admonet: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ubi Apostolus significat, per impositionem manuum tam suarum, quam Presbyterii, seu cœtus Presbyterorum, qui cum Episcopo manus imponunt supra caput illius, qui in Presbyterum ordinatur, Timotheum una cum Ordine Presbyterali, necnon et Episcopali, gratiam excepisse non tantum gratis datam, ut fingit Kemnitius, sed gratum facientem et sanctificantem, quæ una cum charitate infunditur. Quod utique non obscure declarat Apostolus, quippe statim subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis.* Nec obstat, quod in priori testimonio mentionem faciat Apostolus de Prophetia, quæ est gratia gratis data, etenim per Prophetiam non intelligit donum illud gratis datum, quo quis vel futura prænuntiat, vel detegit abscondita; sed intelligit vel revelationem sibi factam, qua Timotheum in Episcopum delegit, et consecravit per impositionem manuum suarum, necnon et sibi assistentium Episcoporum; vel potius divinam et supernaturalem operationem, qua in ordinatione fuit sanctificatus; simili modo loquendi, quo Scriptura miraculosam operationem vocat Prophetiam Eccles. 48. ubi mortuum corpus Elisæi dicitur prophetasse, idest suscitasse hominem mortuum, prout refertur 4. *Reg.*, 13. Vel Prophetiæ nomine significare voluit formam Sacramenti, seu mysticum sermonem, qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim S. Paulus omnem divinitus traditum

sermonem, aut divinorum mysteriorum explicationem, appellare Prophetiam, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 3. 24. et 29.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, qui constanter affirmant, per Ordinationem et manus impositionem conferri gratiam sanctificantem, et eam verum esse Sacramentum. Prodit imprimis S. Dionysius Areopagita, lib. *De Eccles. Hierarchia,* cap. 5. ubi sermonem faciens de Ordinatione, et de ritu ordinandorum, sic illius efficacitatem explicat, ut per eam conferri gratiam non deneget: ait enim: *Antistitum, seu Episcoporum Ordinem esse per se sufficientem; Sacerdotum vero illuminantem; inferiorum vero Ministrorum purgantem et discernentem.* Qui utique effectus gratiam sanctificantem et internam connotant. — Similiter S. Ignatius, Epist. ad Smyrnenses, ait: *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, et Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos revereamini, ut ex Dei præcepto ministrantes.* — Similiter S. Cyprianus, vel quisquis est auctor Sermonis *De ablutione pedum: Docetur ergo,* inquit, *quæ sit Baptismi, et aliorum Sacramentorum stabilitas, et quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, et pia humilitas, et quomodo omni tempore prosequenda et repetenda sit ablutio pedum, per quam rite cognitam et intellectam adhærentes, animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur. Nam Baptisma repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, et semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, nemo sacros Ordines datos iterum renovat.* Numerat igitur inter Sacramenta, quæ iterari non possunt, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, eaque distinguit ab ablutione pedum, quæ repeti recte potest. — Idem habet S. Ambrosius, *De Dignitate Sacerdotii,* cap. 4. *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus, homo imponit simplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.* Et in 1. ad Timoth. cap. 4. *Gratiam tamen dari ordinatoris, significat per Prophetiam, et manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus; manûs vero impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia, ut audeat vice Dei Domini Sacrificium Deo offerre.* — Hieronymus, in cap. 4. Isaiæ: *Plerique nostrum* Χειροτονίαν, *idest, ordinationem Clericorum,* etc. Auctor libri quæstionum novi et veteris Testamenti (sive sit Augustinus, sive, quod verius est, alius Auctor, antiquus saltem est, et ut colligi videtur ex q. 44. antiquior Augustino, et Hieronymo) q. 93. explicans illa verba: *Accipite Spiritum sanctum, quod insufflasse,* inquit, *in Discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ, et dixisse, Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica ea potestas collata intelligitur esse.* Et addit, hanc potestatem esse potestatem illam, de qua Joann. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt, etc. et inspirationem,* ait, *gratiam quamdam esse, quæ infunditur ordinatis.* — Ipsis concinit S. Augustinus, lib. 2. *Contra Parmenianum,* cap. 13. ubi sic ait: *Nulla ostenditur causa, cur qui Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit; utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Et paulo post: *Sacramentum Ordinationis* appellat, vel in plurali *Sacramenta.*

Et inferius: *Ipsi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti; si enim utrumque Sacramentum est (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur, et istud amittitur?* Idem lib. 1. *De Baptismo*, contra Donatistas, cap. 1. *Sacramentum Baptismi est quod habet qui baptizatur, et Sacramentum dandi Baptismi, est quod habet qui ordinatur.* Et lib. *De bono conjugali*, cap. 24. Ordinationem, *Sacramentum Ordinationis, et Sacramentum Domini* vocat. — Et S. Leo, Epist. 81. quam Dioscoro scribit cap. 1. *De Ordinatione*, loquens: *Intelligamus*, inquit, *quanta devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Et Epist. 87. ad Episcopos Africanos, cap. 1. contra illegitime ordinatos sic invehitur: *Quis audeat dissimulare, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* — Demum Gregorius Magnus, lib. 4. in libros *Regum*, cap. 4. explicans illud ex libro primo *Regum*: *Tulit Samuel lenticulam olei*, hæc habet: *In hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur; quia in culmine ponitur, qui Sacramenta suscipit unctionis; quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* His addere placet, quæ habet S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*: *Sacerdotium*, inquit, *in terra peragitur; sed in rerum cœlestium classem et ordinem referendum est, atque id perquam merito; quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata persona, sed ipse Paracletus ejusmodi Ordinem disposuit; atque adhuc manentes in carne ministerio præstitit Angelorum fungi, propter quod oportet Pontificem, quasi, qui in ipso constat cælo, illisque virtutibus misceatur, ita vitæ splendore irradiatum esse*, etc.

Suaderi etiam potest hæc Catholica veritas ratione congruenti; *primo* quidem: non minoris dignitatis et sanctitatis debet esse Sacerdotium in nova et Evangelica Lege, quam in Mosaica: sed in hac Sacerdotium erat verum Sacramentum: ergo et in illa. *Major constat*; nam, ut ait S. Paulus ad Hebr. 10. Lex Mosaica, ejusque sacrificia et sacramenta erant figuræ eorum, quæ sunt in novo Testamento: *Umbram enim*, inquit, *habens lex futurorum bonorum*, etc. *Minor vero probatur*: Ordinatio Sacerdotum Legis veteris erat cæremonia externa divinitus et permanenter instituta, conferens homini sanctitatem quamdam legalem, necnon et inaugurationem ad sacrum ministerium peragendum: sed ista sufficiunt ad veram et proprie dictam rationem Sacramenti: igitur, etc. — *Deinde*, per Ordinationem homines fiunt sacrorum mysteriorum tractatores et administratores; igitur convenientissimum fuit, ut una cum potestate ad illa sacra mysteria peragenda gratiam reciperent, qua fierent idonei executores et Ministri; nam, inquit Ennodius Ticinensis, *Deus aut illustres ad fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat*; ita quod, dum creaturam destinat ad aliquod opus, non solum id exequitur per extrinsecam dumtaxat ordinationem, sed etiam intrinsecam ei virtutem largitur, ut constat in ordine naturali, in quo Deus per intrinsecas virtutes et inclinationes res naturales deducit ad fines, ad quos illas destinaverat. Quod utique non solum verum est in naturalibus, sed etiam in iis, quæ ad finem supernaturalem spectant; non enim minoris curæ Deo esse debet

providere de mediis necessariis ad finem supernaturalem consequendum, quam ad naturalem. — *Deinde*, quia in Baptismo conceditur facultas suscipiendi Eucharistiam, et alia Sacramenta, etiam confertur gratia ad illa debite recipienda, necnon ad Christianam Religionem et vitam rite sectandam: igitur a simili, cum in Ordinatione conferatur potestas ad conferenda Sacramenta, debet pariter in ea concedi gratia ad illa rite administranda, necnon ad sectandam illam vitæ sanctimoniam, quæ decet Dei Ministrum, et dispensatorem mysteriorum ejus. Quod utique confirmatur a simili; nam Christus Dominus, Joan. 20. concedens Apostolis potestatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, simul eis infudit Spiritus sancti gratiam, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Igitur pari ratione dum Christus Dominus suos Apostolos in Sacerdotes, et Episcopos inauguravit, tum ut sacrum suum Corpus conficerent in Missæ Sacrificio, tum ut Corpus mysticum, nempe Ecclesiam regerent et sanctificarent, concedere debuit gratiam una cum illa potestate, ut eam qua par erat pietate administrarent.

Objicies 1. Idem est judicium ferendum de cæteris inaugurationibus et institutionibus Ministrorum Ecclesiæ, ac de institutione Apostolorum in Sacerdotes et Episcopos: sed Christus Dominus sine ullo ritu externo, ac subinde sine ullo Sacramento suos Apostolos in Sacerdotes et Episcopos instituit: igitur, etc. — **Respondeo** *primo, negari posse majorem:* cum enim Christi Domini potestas et auctoritas non esset Sacramentis alligata, nec ministerialis, sed principalis, idcirco poterat suos Apostolos sine Sacramento ordinare; quemadmodum non improbabile est eos sine ullo Sacramento confirmasse; sicut etiam Magdalenæ remisit peccata sine ulla forma absolutionis Sacramentalis. *Respondeo secundo.* forte Christum Dominum usum esse impositione manuum, vel alia externa cæremonia, dum in ultima Cœna Apostolos in Sacerdotes instituit. Saltem certum est, quod eis non sine verbis dederit potestatem consecrandi; dixit enim Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter pro signo externo eis porrexit panem et calicem consecratum. *His adde*, quod ille ritus initiandi Ecclesiæ Ministros non adeo constanter et permanenter constitutus esset, ut apparet ex continua Ecclesiæ praxi, nisi fuisset a Christo præscriptus et ordinatus.

Objicies 2. Omne Sacramentum per se ordinatur ad sanctificationem suscipientium: sed ordinatio per se non ordinatur ad sanctificationem ordinatorum, sed potius ad sanctificationem aliorum: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, vel per se primo, vel per se secundo, *concedo:* per se primo tantum, *nego. Et similiter distincta minore, nego consequentiam.* Licet enim ordinatio per se primo tendat in aliorum sanctificationem per Sacramenta conferendam; attamen cum secundario saltem tendat in dignam administrationem Sacramentorum, quæ fieri non potest absque gratia sanctificante ipsum Ministrum, hinc est, quod per se saltem secundario ordinetur ad sanctificationem ipsius suscipientis.

Objicies 3. Ordinatio apud Græcos vocatur Χειροτονία, vel Χειροθεσία; idest, *manuum impositio*, vel *manuum extensio:* sed vocabulum istud solum electionem per suffragium et elevationem manus significat, non

hæc, inquam, cum dixisset, ostendit necessario admittendam esse subordinationem in Hierarchia, ita quod inferiores a superioribus ad Deum dirigantur: « Lex, *inquit* §. 4. hæc est sacro sancta summæ Dei-« tatis, ut per prima, quæ sequuntur ad divinissimam ejus lucem ad-« ducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cer-« nimus primum ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac « per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare? Merito igitur « omnis tum invisibilis, tum visibilis distinctionis initium ac sedes « ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit perve-« nire, atque per illos, utpote limpidiores spiritus, et ad participandum « traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum ca-« pacitate illucescit et apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum « cernunt, sequentibus sine inedia, pro modulo cujusque, sibi sacro-« sancte perfecta divina spectacula insinuare; docere etiam ea, quæ « Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cum perficiente scientia « divina, quæque sacri sui Ordinis mysteria probe sunt edocti, con-« sumatamque docendi alios virtutem acceperunt; Sacramenta vero « pro dignitate tradere illorum est, qui scite atque integre Sacerdo-« talis imitationis participes existunt ». *Hæc S. Dionysius.*

Objicies 1. Si aliqui censendi essent specialiter ad res sacras et divinas administrandas destinati, e fidelium grege sejuncti, maxime qui ab antiquis Patribus Clerici nominantur: sed hæc appellatio et nominis dignitas non aliquibus privatis, sed toti fidelium communitati convenit. *Probatur:* illis omnibus Clerici appellatio tribuitur, quibus præsunt Episcopi, ut constat ex illo 1. Petri 5. ubi S. Apostolus Episcopos alloquens, ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Igitur nomine *Cleri* S. Apostolus intelligit ipsam Dominici gregis portionem, quæ pascenda et regenda Episcopis committitur, quemadmodum etiam interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 10. in Isaiam, Orat. 3., necnon et venerabilis Beda, ac plurimi ex recentioribus cum Cajetano, Vatablo, Gagnæo; unde etiam Syrus Interpres pro *Cleris*, hoc loco *gregem* scripsit. Quod pariter satis ostendit adversativa particula, dum ait: *Sed forma facti gregis;* Episcopus enim probitate morum et sanctitate non solum Clericis, sed etiam toti fidelium gregi sibi commisso prælucere debet ad formam et exemplum. — **Respondeo cum S. Hieronymo**, Epist. ad Nepotianum, eo loco *Cleri* nomine universam Ecclesiam non significari, sed eos dumtaxat, qui *Clerici* proprie dicuntur; licet enim non solum Clericis, sed etiam Laicis Episcopi exemplo virtutis prælucere debeant, attamen quia erat periculum tanto majus, ne Clericis dominari velint Episcopi potius, quam Laicis, quanto Clerici ex sua professione et Ecclesiæ constitutione ac ordinatione Episcopis subjici debent, et obsequi magis, quam Laici; ideo S. Petrus Episcopos monet, ut sibi commissum gregem tanta vigilantia et pietate pascant verbo et exemplo, ut Laicis non sint in offendiculum per turpis lucri cupidinem, Clericis vero per dominationis appetitum. Quæ utique expositio genuina videtur, et omnino conveniens menti et intentioni Apostoli. *Respondeo secundo,* quod

etiamsi (ut volunt hæretici) Cleri nomine eo loco S. Petrus universam Ecclesiam intellexerit, et fidelium cœtum, qui cum sit populus acquisitionis, quem Christus Sanguine suo acquisivit et mundavit, etiam Clerus, seu sors et hæreditas Domini potest appellari; attamen negari non potest, quin ex omnibus Christianis Sacerdotes et Clerici, ratione magis convenienti et propria, hæreditas et sors Domini dicenda sit, utpote qui speciali ordinatione mancipentur ad res sacras, et divinum cultum exercendum, eo modo quo gens Judaica, licet comparata ad alias Nationes passim dicatur hæreditas Domini in libris Prophetarum, eo quod ipsam Jesus D. selegisset in peculiarem populum, et ab Ægypti captivitate liberasset; attamen sola tribus Levitica, quæ rebus sacris administrandis erat destinata, specialiter Domini hæreditas et sors appellatur, quemadmodum et ipse Dominus eorum hæreditas et portio, juxta illud Num. 8. ubi Dominus loquens ad Aaron, et filios ejus: *In terra filiorum Israël nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël.*

Objicies 2. Ubicumque est ordo, ibi est distinctio: sed in Ecclesia non est distinctio, nec discretio unius fidelis ad alio, juxta illud ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis, non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* igitur, etc. — **Distinguo minorem**: inter fideles non est distinctio coram Deo, quantum ad justificationem, et morum probitatem, quippe cum omnes in Christo per Baptismum renati, vitæ sanctitate Christum induere, et illum referre debeant, *concedo:* non est distinctio, quantum ad potestatem conficiendi et administrandi res sacras, ita quod hæc facultas ex æquo omnibus fidelibus convenire possit, *nego.* Nec aliud certe intendit Apostolus, non enim eo loco excludit distinctionem sexuum, nationum, et conditionum; sed tantum quod ista non conferant ad sanctitatem et adoptionem filiorum Dei, quæ maxime fit per fidem vivam et charitate formatam. Quod utique perspicuum fit ex serie contextus Apostoli; ibi namque demonstrat in negotio justificationis, seu justitiæ per Christum comparandæ, nullam haberi rationem, utrum aliquis sit Judæus, aut Græcus, servus, aut liber, masculus, aut fœmina, ita quod ad adoptionem filiorum Dei non obsit servitus, nec prosit libertas, nec ulla conditio, nullusve sexus ad id quidquam conducit, sed solum fides, quæ per dilectionem operatur.

Objicies 3. Ubi est ordo, debet esse subordinatio inferioris ad superiorem: sed in Ecclesia nulla est talis subordinatio, nec dominatio unius in alium; omnis enim prælatio et superioritas Apostolis et fidelibus prohibetur a Christo his verbis Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit Minister vester.* Et Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator.* Igitur in Ecclesia non debet esse dominatio, nec subjecto; ac subinde nec Ordo, quo aliqui cæteris præficiantur. — **Nego minorem**, et ejus probationem distinguo: illis Christi verbis interdicitur omnis prælatio et subjectio apud fideles, quantum

ad exercitium et usum imperii in alios, *nego:* quantum ad abusum et animi elationem ac dominandi cupidinem, *concedo.* Nec aliud certe voluit Christus Dominus, quemadmodum facile colligitur ex ipso textu, et motivo cur hæc verba protulerit; siquidem hæc dixit ad refrænandam Apostolorum elationem et contentionem; nam cum inter Apostolos facta esset *contentio, quis eorum videretur esse major,* ut eam animi superbiam radicitus evelleret, statim reposuit Christus Dominus: *Reges gentium,* etc. Quibus utique verbis non prohibet prælationem et superioritatem, imo etiam eam supponit; ait enim: *Qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator:* igitur revera supponit inter discipulos et fideles aliquos esse præpositos, alios vero subditos. Itaque vult quod qui revera major est, atque aliis præficitur, debet non ficta animi demissione minor fieri; imo et aliis se Ministrum exhibere omni charitatis et pietatis officio. Non damnat itaque in suis prælationem; quippe cum Ecclesiæ suæ præfecerit quosdam quidem Apostolos, alios Pastores, et Doctores in opus ministerii; sed prælationis ostentationem, et omnem dominandi affectum; qui enim in Ecclesia præsunt, non debent cæteris dominari, tamquam Domini servis, et principes subditis, ad propriam utilitatem et ad imperii ostentationem, sed tamquam ovibus Pastores, ac Ministri subditis; neque enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum totius Reipublicæ Christianæ.

Objicies 4. Si aliqua esset in Ecclesia subordinatio inferioris ad superiorem, auctoritate divina esset constituta; omnis enim potestas a Deo est; sed illa quæcumque sit inter fideles ad res sacras obeundas destinatio, non est divinitus constituta; nam, ut supra dicebat Tertullian. cap. 7. lib. *De Exhortatione ad castitatem: Differentiam inter Ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas,* etc.: igitur, etc. — **Respondeo** *negando minorem;* et ad Tertullianum dico, quod etsi eo loco videatur significare, lege dumtaxat humana et jure tantum ecclesiastico constitutam fuisse Ordinis a plebe, et Clericorum a Laicis distinctionem atque differentiam; attamen ea quæ ibidem immediate subjungit, nempe, *et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo,* Clericalis Ordinis a Laicis differentiam a Deo factam fuisse; quæ differentia insuper lege humana et ecclesiastica, variis Ecclesiæ canonibus et sanctionibus stabilita est, et distinctius explicata.

Instabis: Tertullianus ibid. non obscure significat, nullam lege divina esse differentiam inter Clerum et plebem; quippe cum in casu necessitatis omnia Laicus præstare potest, quæ Sacerdos; nam post laudata verba statim subjungit: *Ubi Ecclesiastici Ordinis est consessus, et offert, et tingit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed, et ubi tres, Ecclesia est, licet laici; unusquisque enim de sua fide vivit. Nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores Legis justificabuntur a Deo, sed factores, secundum quod et Apostolus dicit: Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habeas, oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tingis, digamus offers; quanto magis laico dicat, quod ad salutem erit agere pro Sacerdote, quam ipsi Sacerdoti dicitur, qui eo facto communicatur actione Sacerdotis? Sed necessitati, inquit, indulserit. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse necessitas.* Igitur ex mente

Tertulliani nulla est inter Clerum et plebem differentia ex institutione divina. — **Nego consequentiam,** et ad *antecedens* dico *primo*, ea quæ habet in libris *de Exhortatione* non esse magnæ auctoritatis; cum enim hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia, et infectus erat errore Montani, qui docebat Christi Sacerdotium ad omnes fideles ex æquo pertinere, ut observat S. Epiphan. Hæresi 59. agens de Sectatoribus Montani, qui se *catharos*, idest, *puros* nominabant. Nil igitur mirum, si Tertullianus postquam eorum hæreticorum erroribus adhæsit, quædam effutierit, quæ contra veritatem Catholicam non modo pugnant, sed etiam contra ea, quæ tam diserte scripserat lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. adversus eos, qui Hierarchiam et differentiam Cleri a Laicis insectabantur. — *Dico secundo.* Quod cum Tertullianus eo loco, necnon et alibi Laicos etiam esse Sacerdotes ait, non loquatur ex propria mente, et sententia, sed ex sententia eorum, contra quos agebat, argumento videlicet ad hominem; dato nimirum, sed non concesso, quod ab aliis vulgo jactabatur, ut inde probaret laicos omnes teneri ad eamdem cum veris et proprie dictis Sacerdotibus Monogamiæ legem atque disciplinam. Quod utique evidenter colligitur ex cap. 12. lib. *De Monogamia*, ubi idem tractans argumentum, ait: *Audi et subtilissimam e contrario argumentationem. Adeo, inquiunt, permisit Apostolus iterare connubium, ut solos qui sunt de Clero Monogamiæ jugo adstrinxerit. Quod enim quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit.* Cui objectioni sic respondet: *Numquid ergo, et quod omnibus præcipit, solis Episcopis non præscribit; si quod Episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? An ideo omnibus, quia et Episcopis? Et ideo Episcopis, quia et omnibus? Unde enim Episcopi, et Clerus, nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? Ordo aliquis seorsum debebit institui Monogamorum, de quo allectio fiat in Clerum. Sed cum extollimur et inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes; quia Sacerdotes nos Deo, et Patri fecit*, etc. Quibus verbis, ut apparet, Tertullianus non existimat omnes omnino fideles esse vere ac proprie dictos Sacerdotes, sed tantum analogice, quatenus videlicet omnes destinantur ad offerenda Deo sacrificia spiritualia in sincera precum oblatione, corporis mortificatione, et humiliati cordis gemitu; et insuper Sacerdotes, et Clerici fiunt ex Laicis. Vide quæ jam diximus Vol. XI, pag. 296 explicando eumdem Tertulliani locum.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM ORDO SIT UNUM EX SEPTEM SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

Notandum 1. Ex Subtili Doctore, Ordinem considerari posse duobus modis: *primo*, pro ipso gradu, seu potestate, qua quis constituitur in officio et dignitate Ecclesiæ Ministri; et non solum a Laicis, sed etiam a cæteris Clericis, ac Ecclesiasticis Ministris distinguitur: *secundo*, pro ordinatione, seu collatione hujus gradus, seu pro actione, qua quis dignitatem ac auctoritatem obtinet sibi commissum sacrum ministerium exequendi. Priori modo, inquit Doctor, dist. 24. n. 8. *Ordo non*

est Sacramentum, quia omne Sacramentum est signum sensibile: Ordo autem quidam gradus est spiritualis. Tamen accipiendo Sacramentum pro signo invisibili, sicut aliquid dicitur res, et Sacramentum, hoc modo potest dici Sacramentum; quia est signum convenientis gradus executionis actus debiti illi gradui; et etiam signum illius actus convenientis tali gradui. Quibus verbis Doctor significat, Ordinem sumptum pro gradu seu charactere, non esse Sacramentum proprie dictum, sed potius rem, seu effectum Sacramenti. Unde hic potissimum sermo erit de Sacramento, juxta posteriorem acceptionem, videlicet pro actione sacra, qua quis a Superiore constituitur in gradu Ecclesiastico ad sacra ministeria obeunda. Nec obstat quod Sotus dist. 24. art. 1. asserat distinctionem illam inter *Ordinem*, et *Ordinationem* esse gratis inventam. Licet enim *(inquit Hiquæus in Commentario ad* dist. 24. n. 83.) Ordo juxta consuetudinem præsentem sumatur pro ipsa Ordinatione, appellatione causæ per effectum, tamen in propria locutione Ordo designat potestatem traditam per Sacramentum, et gradum, quo constituitur quis in gradu eminenti in Ecclesia, ad ministerium Sacramentale. Ordinatio vero significat collationem illius dignitatis per Sacramentum sensibile, seu ipsum Sacramentum in usu; et sic vocant antiqui Patres collationem gradus, Ordinationem, non Ordinem. Ita Zephyrinus Papa Epist. 2; Auctor Comment. in Epist. *Ad Timoth.*, cap. 4. inter opera Ambrosii, Hieronymi, et Augustini. Innocentius, Leo Magnus, Gelasius, Braccharense II, citati. Primasius in 1. *Ad Timoth.*, cap. 5. Et insuper appellatio, quæ Græcis etiam est in usu, *manuum impositionis*, quæ ex Scriptura est, eamdem proportionem servat, appellando mysterium ab actione per quam potestas datur. Non gratis ergo distinctio præmissa adducitur, quam vel ratio ipsius Soti comprobat; nam si in materia et forma sensibili consistit significatio et efficacia Sacramentalis, effectus vero seu res collata in potestate et gratia, debent propriis appellationibus discerni. *Ita Hiquæus.*

NOTANDUM 2. Nobis in hac Quæstione sermonem esse, ac litem et controversiam institui adversus hæreticos, utrum videlicet Ordo, seu Ordinatio in universum, sit unum ex septem novæ Legis Sacramentis; cum enim in Ecclesia Dei sint multæ Ordinationes, et plurimi Ordines, ut constabit ex dicendis Articulo sequenti, de omnibus istis singillatim cum hæreticis non contendimus; siquidem de plurimis illorum utrum dignitatem et rationem Sacramenti obtineant, adhuc controvertitur apud Theologos, nec quidquam hactenus circa hujus difficultatis eliquationem ab Ecclesia distincte statutum ac definitum est. Est igitur de Ordinatione generatim cum hæreticis instituenda disceptatio, utrum sit novæ Legis Sacramentum a Christo institutum, ita ut aliqua ordinatio, seu ordo Sacramenti dignitatem et rationem obtineat.

NOTANDUM 3. Quod etsi ex antiquioribus hæreticis pauci videantur, qui Sacramentum Ordinis fuerint insectati, nihilominus Megaliani, ut refert S. Damascenus, lib. *De hæresibus*, asserebant in Ordinatione Clericorum non dari Spiritum Sanctum. Hæretice etiam Wicleffus de Ordinis Sacramento sensit; nam, ut refert Villelmus Widesordus in libr. *Contra ipsum*, recensens errores ejus damnatos in Concilio Constantiensi, sub titulo, *Contra Sacramentum Ordinis*, octavus illius error erat: *Christus ordinat quemcumque, et quandocumque voluerit; ita ut*

sequens Christum in moribus secure possit de seipso confidere, quod deficiente Prælato Cæsareo, sit a Christo legitime ordinatus. Nonus autem error ab eodem Auctore sic refertur: *Conjectura probabilis est, quod talis, qui recte vivit, est Diaconus, vel Sacerdos; sicut enim conjicio, quod iste est Joannes, sic probabili conjectura cognosco, quod iste sancte vivendo constitutus est in tali officio.* Ex quo videtur, omnem ordinationem Ecclesiæ, non ad cæremoniam a Christo institutam, sed ad gratiam invisibilem recte vivendi reducere, ac proinde verum Sacramentum Ordinis negare. — Verum recentiores hæretici aperte Ordinem e numero Sacramentorum respuunt; nam Lutherus, lib. *De Captivit. Babylonica*, cap. de Ordine: *Sacramentum*, inquit, *Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ*, etc. Et adversus Articulos Lovanienses: *Ordo non est Sacramentum, sed officium, aut vocatio Ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.* Sic Melancton in *Locis*, et Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 19. n. 22. ubi ridet Catholicos, quod Ordinem pro Sacramento admittant: *Quantum*, inquit, *locum in eorum Catalogo tenet Sacramentum Ordinis, sed adeo fœcundum, ut septem ex se sacramentalia pariat.* Et postea fuse in Ordines Minores invehitur. Idem tamen Calvinus, hoc cap. n. 28. vocat *Ordinem Presbyterii fidele spiritualis gratiæ symbolum.* Et cap. 14. num. 22. loquens de impositione manuum, hæc habet: *Nam impositio manuum, etc. ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Quod ideo se dixisse asserit c. 19. n. 28. cit. quia hoc Sacramentum non est commune omnibus fidelibus. Hinc Novatores, Ordines Catholicæ Ecclesiæ nullos plane, et mera ludibria pronuntiant. Sic Calvinus, lib. 4. *Institut.*, cap. 5. n. 3. Beza, apud Saravium in defensione, Tract. p. 66. *Papisticam Ordinationem nihil aliud reputat, quam fœdissimas* (sic turpis ille nebulo loquitur) *Romani prostibuli nundinationes.* Fulcus, Minister Anglus in Betentia, pag. 67. *Ex toto*, inquit, *corde detestamur, et conspuimus antichristianos vestros, olidos et squalidos ordines.* Porro veritatem Catholicam contra hos omnes errores propugnabit ac declarabit

Conclusio unica. — Ordinatio, qua Ministri Ecclesiæ initiantur, est verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum. Hæc est de fide, definita in Concilio Chalcedonensi, Act. 15. Can. 2. *Si quis Episcoporum, accepta pecunia, Ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam*, etc. Quibus verbis Concilium supponit gratiam conferri in Ordinatione, ac proinde Sacramentum esse; siquidem in ea est signum, seu ritus exterior; tum etiam divina institutio, sine qua gratia conferri non posset. Idem statuit *Braccharense secundum*, Can. 2. his verbis: *Placuit, ut de Ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent: non aliquo pretio gratia Dei, et impositio manuum venundetur; quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis Ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti et accipienti*, etc. — Sed omissis aliis plurimis Conciliis eamdem veritatem attestantibus, illam aperte tradunt et definiunt Florentinum in Decreto Eugenii: *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, etc.

Necnon et Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 1. ubi agens de septem Sacramentis, inter quæ Ordinem numerat, ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.... aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Et Sess. 23. hanc doctrinam expresse tradit, maxime cap. 3. ubi ait: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica Traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis.*

Probatur autem hæc Catholica veritas hac evidenti ratione: ad rationem Sacramenti novæ Legis tria tantum desiderantur, nempe quod sit cæremonia sensibilis divinitus ac permanenter instituta, in cujus usu et exercitio gratia infallibiliter conferatur: sed ordinatio qua Ecclesiæ Ministri initiantur hæc tria sibi vindicat: igitur est verum ac proprie dictum Sacramentum. *Major constat* ex jam pluries dictis. *Minor etiam* est evidens quantum ad *primam* et *secundam partem*, siquidem, ut apparebit in sequenti Quæstione, Ordo semper in Ecclesia collatus fuit per signum aliquod sensibile et externum, puta vel per impositionem manuum, vel per porrectionem et traditionem alicujus rei deservientis ad sacrum ministerium. Similiter ritus ille initiandi Ecclesiæ Ministros divinitus ac permanenter institutus apparet ex perpetua et constanti Ecclesiæ Traditione ac praxi. Solum itaque superest demonstrandum, huic cæremoniæ ac sacro ritui infallibilem gratiæ promissionem et collationem esse annexam.

Primo quidem id colligitur ex 1. ad Timoth. 4. ubi Apostolus Timotheum admonet: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ubi Apostolus significat, per impositionem manuum tam suarum, quam Presbyterii, seu cœtus Presbyterorum, qui cum Episcopo manus imponunt supra caput illius, qui in Presbyterum ordinatur, Timotheum una cum Ordine Presbyterali, necnon et Episcopali, gratiam excepisse non tantum gratis datam, ut fingit Kemnitius, sed gratum facientem et sanctificantem, quæ una cum charitate infunditur. Quod utique non obscure declarat Apostolus, quippe statim subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis.* Nec obstat, quod in priori testimonio mentionem faciat Apostolus de Prophetia, quæ est gratia gratis data, etenim per Prophetiam non intelligit donum illud gratis datum, quo quis vel futura prænunţiat, vel detegit abscondita; sed intelligit vel revelationem sibi factam, qua Timotheum in Episcopum delegit, et consecravit per impositionem manuum suarum, necnon et sibi assistentium Episcoporum; vel potius divinam et supernaturalem operationem, qua in ordinatione fuit sanctificatus; simili modo loquendi, quo Scriptura miraculosam operationem vocat Prophetiam Eccles. 48. ubi mortuum corpus Elisæi dicitur prophetasse, idest suscitasse hominem mortuum, prout refertur 4. *Reg.*, 13. Vel Prophetiæ nomine significare voluit formam Sacramenti, seu mysticum sermonem, qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim S. Paulus omnem divinitus traditum

sermonem, aut divinorum mysteriorum explicationem, appellare Prophetiam, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 3. 24. et 29.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, qui constanter affirmant, per Ordinationem et manus impositionem conferri gratiam sanctificantem, et eam verum esse Sacramentum. Prodit imprimis S. Dionysius Areopagita, lib. *De Eccles. Hierarchia*, cap. 5. ubi sermonem faciens de Ordinatione, et de ritu ordinandorum, sic illius efficacitatem explicat, ut per eam conferri gratiam non deneget: ait enim: *Antistitum, seu Episcoporum Ordinem esse per se sufficientem; Sacerdotum vero illuminantem; inferiorum vero Ministrorum purgantem et discernentem.* Qui utique effectus gratiam sanctificantem et internam connotant. — Similiter S. Ignatius, Epist. ad Smyrnenses, ait: *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, et Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos revereamini, ut ex Dei præcepto ministrantes.* — Similiter S. Cyprianus, vel quisquis est auctor Sermonis *De ablutione pedum: Docetur ergo,* inquit, *quæ sit Baptismi, et aliorum Sacramentorum stabilitas, et quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, et pia humilitas, et quomodo omni tempore prosequenda et repetenda sit ablutio pedum, per quam rite cognitam et intellectam adhærentes, animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur. Nam Baptisma repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, et semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, nemo sacros Ordines datos iterum renovat.* Numerat igitur inter Sacramenta, quæ iterari non possunt, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, eaque distinguit ab ablutione pedum, quæ repeti recte potest. — Idem habet S. Ambrosius, *De Dignitate Sacerdotii*, cap. 4. *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus, homo imponit simplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.* Et in 1. ad Timoth. cap. 4. *Gratiam tamen dari ordinatoris, significat per Prophetiam, et manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus; manûs vero impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia, ut audeat vice Dei Domini Sacrificium Deo offerre.* — Hieronymus, in cap. 4. Isaiæ: *Plerique nostrum* Χειροτονίαν, *idest, ordinationem Clericorum,* etc. Auctor libri quæstionum novi et veteris Testamenti (sive sit Augustinus, sive, quod verius est, alius Auctor, antiquus saltem est, et ut colligi videtur ex q. 44. antiquior Augustino, et Hieronymo) q. 93. explicans illa verba: *Accipite Spiritum sanctum, quod insufflasse,* inquit, *in Discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ, et dixisse, Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica ea potestas collata intelligitur esse.* Et addit, hanc potestatem esse potestatem illam, de qua Joann. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt, etc. et inspirationem,* ait, *gratiam quamdam esse, quæ infunditur ordinatis.* — Ipsis concinit S. Augustinus, lib. 2. *Contra Parmenianum,* cap. 13. ubi sic ait: *Nulla ostenditur causa, cur qui Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit; utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Et paulo post: *Sacramentum Ordinationis* appellat, vel in plurali *Sacramenta.*

possit efficere, ut aliqua res, necnon et verba, quæ alicubi necessaria non essent ad ordinationem, v. g. porrectio instrumentorum, quæ non sunt in usu apud Græcos, evadant alibi, nimirum apud Latinos, materia essentialis et necessaria, non solum ad licite, sed etiam ad valide conferendos Ordines, ita ut absque hujusmodi materia Ordinatio sit omnino irrita.

Respondeo, affirmativam sententiam mihi videri probabiliorem, idque colligitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, ubi de Sacramento Ordinis, sic legitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum donationem; Forma autem Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis. In nomine Patris,* etc. Ex quibus sic argumentari licet: id, quod in Sacramentis habet rationem materiæ et formæ simpliciter et absolute, illud censeri debet essentiale et necessarium ad substantiam Sacramenti, ita quod absque eo Sacramentum nec confici, nec ministrari possit: sed instrumentorum porrectio, necnon et præfata verborum formula, *Accipe potestatem,* etc. rationem materiæ et formæ simpliciter apud Latinos habent; sic enim Concilium utrumque appellat: igitur illa instrumentorum porrectio, et verborum formula, censeri debent essentialia, et tantæ necessitatis ad Sacramentum Ordinis apud Latinos, ut absque illis valide apud eos conferri non possit Ordinis Sacramentum.

Confirmatur ex eo, quod Ordinatio sit quædam actio moralis, qua confertur homini potestas ad exercendum ministerium aliquod sacrum, et per quam homo constituitur in tali vel tali statu, ac Ecclesiastico gradu et Ordine: sed ejusmodi actio moralis et institutio potest ex Ecclesiæ legibus ita pendere, ut necesse sit eam sub certis conditionibus et solemnitatibus fieri, sine quibus et aliter facta non valeret, sicut contingit in omnibus fere contractibus. Quod maxime etiam constat ex Sacramento Matrimonii, qualiter fuit a Christo institutum, ut ad ejus materiam ex parte contrahentium nihil aliud requisierit, quam legitimum eorum consensum, non determinando in particulari, quænam ad ejusmodi consensum conditiones essent necessariæ, sed relinquendo penes Ecclesiæ judicium, ut præscriberet quascumque vellet conditiones et solemnitates ad validitatem talis contractus, et Sacramenti. Unde factum est, ut Concilium Trid., ad Matrimonii valorem requisierit tamquam quid necessarium et essentiale, ut fieret publice et coram testibus, ut decernit cap. 3. *De reformatione Matrimonii,* his verbis: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsente Decreto irritos facit, et annullat.*

Sicut ergo Ecclesia potuit has conditiones tamquam essentiales et necessarias ad validitatem Sacramenti præscribere, ita quod sine eis Matrimonium omnino sit irritum, similiter efficere potuit, ut aliqui

ritus essent essentiales sacris Ordinibus conferendis. Non quod Ecclesia possit propria auctoritate materiam et formam Sacramentorum instituere ac præscribere, sed quia Christus Dominus qui tantum hujusmodi materiam et formam Sacramenti Ordinis universim et in genere instituit, non determinando ullum ritum in particulari, statuerit ut quicumque ritus ab Ecclesia determinarentur, ad hunc finem essent convenientes et proportionati, iidem sufficientes et essentiales essent, et omnino necessarii ad Ordinationem valide conficiendam, et conferendum Ordinis Sacramentum. Ex his omnibus colligere licet, Ecclesiam revera, pro auctoritate sibi divinitus a Christo concessa, varios ac diversos potuisse ritus instituere, necnon et varias verborum formulas pro materiis et formis specificis Ordinationum sacrarum, quemadmodum factum est apud Græcos et Latinos, imo etiam potuisse successu temporum ejusmodi ritus et verborum formulas variare et immutare, sicuti variare potuit, et revera mutavit conditiones ad validum Matrimonium necessarias.

Ex his itaque colligere licet, quod nullus Episcopus apud Latinos valide conferret sacros Ordines, absque instrumentorum porrectione, et expressione verborum formulæ; quippe cum hæc necessaria sunt et essentialia juxta ritum Ecclesiæ Latinæ. An autem Episcopus Græcus ritu Latino Clericum suæ Ecclesiæ valide consecraret, controvertitur apud Theologos. Nihilominus affirmativa sententia videtur probabilior, *tum* quia talis apparet esse doctrina et intentio Ecclesiæ universalis; quemadmodum colligi potest ex Decreto Eugenii in Concilio Florent. ubi absolute hujusmodi ritus præscribitur, tamquam ab universali Ecclesia servandus: *tum* quia ritus ille Latinus complectitur quantum ad essentialia quidquid in ritu Græco continetur, nempe manuum impositionem, et traditæ potestatis ac Ordinationis per verba designationem. Et insuper iis addit instrumentorum porrectionem, ad evidentiorem verborum expressionem. Unde quemadmodum non valeret Matrimonium clandestino more contractum in illis regionibus, ubi promulgatum est et receptum Concilium Trident. licet validum sit in iis locis, ubi nondum illud decretum promulgatum est et acceptatum, idem a simili videtur esse dicendum de ritu Latino, comparative ad Græcum, ita quod valeat ordinatio Latino ritu facta etiam a Græcis Episcopis, licet non valeret Græca Græco ritu celebrata a Latinis Episcopis.

Dices: Capite *Cum secundum*, etc. *extrav. de temporibus Ordinationum*, prohibetur Ordinum reciproca receptio Latinorum a Græcis Episcopis, et Græcorum a Latinis; quæ utique sanctio desumitur ex Epistola Cœlestini III, rescribentis ad Archiepiscopum Hydruntinum, ubi hæc habet: *Quia vero, sicut dicitur, in partibus Calabriæ, Latini a Græcis, et Græci a Latinis, secundum alterutrius institutionis observantiam ordinantur, nolumus de cætero commutationes, et consuetudines Rituum in Ordinibus observari.* Cui utique sanctioni concordat id, quod legitur in duabus bullis, seu constitutionibus Leonis X, et Clementis VII, quas ex Leone Allatio exscribit et refert Morinus, 1. parte sui libri *De sacris Ordinationibus*, cap. 4. in quibus inter cætera hæc ordinantur: *Quod nullus Archiepiscopus et Episcopus Græcus Clericos Latinos, nec Latinus Archiepiscopus et Episcopus,*

etiam ordinarius, Clericos Græcos ad Sacerdotium promovere valeant. — **Respondeo,** has sanctiones non obstare; enimvero facile responderi potest, prædictas Ordinum receptiones et commixtiones ex utraque parte ex æquo prohiberi, quantum ad licitam dumtaxat, non autem quantum ad validam Ordinum collationem, seu susceptionem; quamvis enim nec Latini a Græcis, nec Græci a Latinis licite possint ordinari, attamen quantum ad validitatem inter utrosque longe dispar est ratio; nam, ut mox dictum est, Græcorum ritus in conferendis Ordinibus, involvitur in ritu Latinorum, quantum ad id quod essentiale est; unde valide Clericus Græcus ordinari potest ab Episcopo Latino; secus autem videtur de ordinatione Clerici Latini ab Episcopo Græco; quia ritus Ecclesiæ Latinæ servandus in Ordinationibus non involvitur in ritu celebrari solito ab Ecclesia Græca. Nec aliud certe in suis diplomatibus et sanctionibus intendunt summi Pontifices laudati; siquidem quæstio et controversia non movebatur de valido, sed dumtaxat de licito usu Rituum et Ordinum, ad stabiliendam ac fovendam pacem et concordiam inter utriusque Ecclesiæ, Græcæ nimirum et Latinæ, fideles.

Instat Morinus, ibid. cap. 3. dicens, Cœlestinum aliquid amplius statuere; interrogatus quippe ab Episcopo Hydruntino, quid agendum esset de nonnullis Presbyteris Latinis, qui contra consuetudinem Ecclesiasticam fuerant ab Episcopis Græcis alio tempore, quam quatuor temporum ad Ordines promoti, ita respondet, ut decreto suo supponat Ordinationum Græcarum validitatem. Idem etiam facit Episcopus Hydruntinus; nam in dubium non vocat Ordinis accepti validitatem, sed tantum, an sic ordinatus ab Ordine suscepto secundum Latinorum Canones suspendi debeat. Pontifex autem, quia ignota sibi erat consuetudo illius regionis, nihil de suspensione decernit, sed vices suas eidem Episcopo hac in parte committit, ut in eum, de quo ibi agebatur, juxta consuetudinem statueret; interim prohibet, ne in posterum Rituum commixtiones fierent, hoc est, ne Clericus Latinus a Græco Episcopo consecretur, neve Græcus a Latino. Ita Morinus, quibus significat, idem ferendum esse judicium de Latinorum Ordinationibus ab Episcopis Græcis, quod de Græcorum Ordinationibus ab Episcopis Latinis; ac subinde, si Græcorum Ordinationes a Latinis validæ sint, validæ etiam censeri debent Latinorum Ordinationes ab Episcopis Græcis. — **Respondeo,** revera quidem Archiepiscopum Hydruntinum supposuisse, validas esse Latinorum Ordinationes factas a Græcis, et idcirco Pontificem consuluit tantum quoad circumstantiam temporis, quo facta fuerat ordinatio, de qua tunc agebatur, videlicet citra tempus a jure præscriptum apud Latinos. At vero Sum. Pontifex Cœlestinus istud tamquam certum et ratum non supposuit; idcirco non respondit solum ad quæstionem sibi propositam ab Archiepisc. Hydruntino quantum ad solam circumstantiam temporis, quo facta fuerat illa ordinatio, videlicet extra tempus ab Ecclesia præscriptum; sed occasione casus sibi a præfato Archiepiscopo propositi, plus aliquid fecit; cum enim ex eo deprehenderet, Latinos passim in Calabriæ partibus ordinari ab Episcopis Græcis, ejusmodi commixtionem ritus, et ordinationem, quamvis de isto capite tunc non consuluerit, sicut et consuetudinem *ordinandi* extra tempora a jure præscripta improbavit et prohibuit;

ne de cætero imposterum id fieret. Cum autem Græci in favorem ejusmodi Ordinationum obtenderent consuetudinem bona fide fundatam, ut cuique jus suum servaret Pontifex, cum illam consuetudinem exploratam non haberet, in re tanti momenti id solum edixit quod æquitas et prudentia postulabant, videlicet, ut inquireretur de ejusmodi consuetudine, antequam quidquam de illis ordinationibus certo judicio pronuntiaret; quippe fieri poterat, quod talis consuetudo fundata esset in consensu Ecclesiæ Latinæ, et concessione ac approbatione summorum Pontificum; unde prius de hac consuetudine informari voluit Pontifex, quam judicium ferret: igitur ex illo Cœlestini decreto nihil haberi aut erui potest, quod valeat ad adstruendam legitimam et validam esse Latinorum ordinationem a Græcis.

Dices: Latinus valide posset baptizare ritu Græcorum; similiter valida est a Latino Sacerdote consecratio facta in fermentato pane, quemadmodum Græci consecrare solent. — **Respondeo**, quod non eadem sit paritas de ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ac de Baptismate et Eucharistia; siquidem Christus Dominus determinavit materiam Baptismatis et Eucharistiæ in specie, designando videlicet aquam naturalem pro materia Baptismatis, et quemlibet panem triticeum pro materia Eucharistiæ conficiendæ; unde perinde est ad validum Baptismum, quod aqua sit frigida et calida, pura aut turbida; similiter quod panis sit vel azymus vel fermentatus, magnus aut parvus, rotundus aut quadratus, dummodo sit ex triticea farina confectus. Secus autem est de materia sacrorum Ordinum; cum enim ipsam Christus Dominus in specie non designaverit, sed tantum in genere; inde Ecclesia Romana potuit certas præscribere conditiones, certosque ritus administrandis ordinationibus, quibus omissis irrita prorsus et cassa foret Latinorum ordinatio; quemadmodum irritum fit Matrimonium clandestine contractum, post promulgationem acceptatam Concilii Trident. quia videlicet Christus Dominus tantum eas res pro legitima materia Sacramentorum Ordinis et Matrimonii in particulari et in specie ratas habuit, quas Ecclesia (cui commiserat auctoritatem eas res in specie designandi) instituisset et approbasset.

QUÆSTIO QUARTA.

QUOT, ET QUI SINT ORDINES ECCLESIASTICI PROPRIE DICTI.

Notandum 1. Seu potius revocandum ex dictis, Ordinis nomen maxime tribus modis usurpari posse: *primo* quidem latissime, et in amplissima significatione, prout videlicet significat quemlibet statum personarum, quæ speciali quodam titulo Deo consecrantur, et addictæ sunt divinis Officiis, absque tamen aliqua jurisdictione spiritali, et etiam sine potestate conficiendi Sacramenta, vel saltem obligatione illa specialiter ex officio administrandi; quo sensu status tam Religiosorum quam Monialium in Ecclesia dicuntur Ordines, in quantum peculiarem et distinctum habent in Ecclesia vivendi modum, per subordinationem inferiorum ad superiores, secundum quam omnes Deo famulantur. *Secundo*, Ordinis nomen sumitur strictius, prout includit aliquam jurisdictionem et auctoritatem, et importat subordinationem

inter ipsos Ecclesiæ Ministros; quo sensu Diaconatus, Archidiaconatus, Episcopatus, Patriarchatus, Papatus, dicuntur Ordines Ecclesiastici. *Tertio* strictissime usurpatur pro illa potestate conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, aut ejus confectioni et celebrationi ac dispensationi specialiter inserviendi ex officio et ministerio suæ ordinationis; quo dumtaxat sensu hic erit sermo de Ordine, quatenus videlicet significat actionem et ritum solemnem, quo ejusmodi potestas confertur Ecclesiæ Ministris. Quæritur ergo *primo*, utrum revera plures in Ecclesia admitti debeant ejusmodi Ordines: *secundo*, quot et quinam illi sint.

Notandum 2. Hæreticos hujus temporis invicem non consentire circa Ecclesiasticorum Ordinum distinctionem et pluralitatem; nam, ut observat Bellar. lib. *De Clericis*, cap. 12. *aliqui* tantum admittunt tres Ordines, scilicet Episcoporum (quos fere Pastores, et Superintendentes vocant), et Presbyterorum (quos Seniores, aut verbi Ministros vocant), et Diaconorum; reliqua vero Ordinum officia, excepto Exorcistæ, admittunt quidem; negant tamen habere rationem Ordinis Ecclesiastici, aut certo numero posse definiri; ajuntque ea initio in Ecclesia fuisse, vel plura vel pauciora, prout singulæ Ecclesiæ pluribus, vel paucioribus Ministris indigebant, quos Pastores singuli pro suo judicio modo assumebant, modo dimittebant. Ita maxime Calvinus, lib. 3. *Instit.*, cap. 4. et Kemnitius in examine Concilii Tridentini, ad Sess. 23. *Alii* vero Ordinum distinctionem et pluralitatem rejiciunt et explodunt, tamquam novitium aliquod humanæ præsumptionis inventum, ut Anabaptistæ, et alii ejusmodi Religionis pestes, contra quos omnes Catholici Doctores contendunt, varios esse in Ecclesia admittendos Ordines proprie dictos, qui nempe certo ritu sacro, et solemni celebritate conferuntur ab Episcopo, ad certum ministerium circa Eucharistiam ministrandam et conficiendam. — Verum inter eos controvertitur, quisnam, quantusque sit ejusmodi Ordinum numerus; quadruplex enim circa id statuendum apparet capitalis sententia: *prima*, quæ communis est et receptissima apud Theologos, est, septem dumtaxat esse Ordines proprie dictos, nec plures, nec pauciores, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri, seu Sacerdotis. Ita maxime principes Theologiæ Doctores, Alensis, Albertus Magnus, S. Th. *Secunda sententia* eorum est, quibus placet octonarius Ordinum numerus, qui videlicet præter numeratos septem, adjiciunt Episcopatum tamquam a Sacerdotio adæquate distinctum; in quam utique sententiam propendere videtur Doctor Subtilis, dist. 14. n. 6. eamque expresse docent Durandus, dist. 24. q. 6. Cajetanus Tom. 1. Opusc. Tr. 11. Navarrus in Manuali, cap. 22. n. 18. Petrus Soto in sua *institutione Sacerdotali* lectione 1. *De Sacramento Ordinis*, et plures alii Recentiores. *Tertia sententia* est Canonistarum, qui novem Ordines numerandos affirmant, addentes non solum septem vulgo receptis Episcopatum, sed etiam primam Tonsuram. *Quarta denique sententia* ipsorum est, qui decem Ordines statuunt, adjicientes novem mox numeratis Ordinem Psalmistarum, seu Cantorum. Quid vero hac in controversia certius tenendum et affirmandum sit, hic est determinandum.

Notandum 3. Ordines Ecclesiasticos universim dividi posse tribus modis: scilicet *primo* ratione prælationis, seu principatus sacri, et potestatis ac auctoritatis, quam eorum aliqui exercent in alios: *secundo*

ratione materiæ, circa quam versantur: *tertio* ratione gradus, in quo ministrant per ordinem et respectum ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam; secundum quam triplicem considerationem triplex apud Theologos celebris est Ordinum Ecclesiasticorum divisio: *primo* namque ratione prælationis et principatus dividuntur in Hierarchicos, et non Hierarchicos. *Hierarchici* dicuntur, qui aliquam in populum Christianum præcellentiam et prælationem important, ratione videlicet actionum hierarchicarum, quæ tres vulgo numerantur a S. Dionysio in libris *De Cœlesti et Ecclesiastica Hierarchia*, nimirum purgare, illuminare et perficere; juxta quam triplicem actionem tres in Ecclesia ab eodem S. Dionysio numerantur Ordines Hierarchici, nempe Episcoporum, quibus convenit actio perfectiva, quatenus per Sacramenta Confirmationis et Ordinis conferunt plenitudinem gratiæ et Spiritus sancti. *Secundus* est Sacerdotum, quibus tribuitur vis illuminativa, eo quod per Baptismum illuminent; nam effectus gratiæ Baptismatis est mentem lumine fidei illustrare; unde apud Græcos appellatur Sacramentum illuminationis. *Tertius* denique est Diaconorum, quibus convenit officium purgandi, quatenus eorum est fideles per Evangelii prædicationem ad Eucharistiæ et aliorum Sacramentorum susceptionem disponere; quod utique quoddam genus purgandi est. Quæ tamen actionum Hierarchicarum distributio non sic accipienda est, quasi unica dumtaxat singulis conveniat; Diaconi quidem dumtaxat actum purgandi habent; Presbyteri autem, cum sint eis superiores, non solum illuminandi, sed et purgandi virtutem obtinent; Episcopi vero triplicem hunc actum, ratione suæ in cæteros præeminentiæ, exercere possunt. *Non Hierarchici* dicuntur Ordines illi, quibus nulla competit in populum Christianum prælatio, sive præfectura, qualis omnino requiritur in Hierarchis, seu Principibus sacris; tales censeri debent quotquot sunt Ordinum Ecclesiasticorum gradus Diacono inferiores.

Ratione autem *materiæ*, circa quam Ordines versantur, dividuntur in sacros, et non sacros; licet enim quilibet Ordo secundum se sit sacer, cum nullus sit, qui non sit signaculum quoddam sacrum, attamen ratione materiæ, circa quam quilibet Ordo habet aliquem actum, *Ordo sacer* et *major* ille dicitur, qui proximius ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam accedit; et hoc sensu tres sunt Ordines sacri, nempe Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus; etenim Presbyteratus occupatur circa Corpus et Sanguinem Christi conficiendum et offerendum, Diaconatus circa Sanguinem populo dispensandum, et Subdiaconatus circa sacra vasa tenenda; unde etiam his tribus Ordinibus continentia injuncta est, ut videlicet illi Ministri sancti et puri Deo famulari, et sancta sancte tractare valeant. Cæteri autem Ordines, quibus hoc Continentiæ votum non est annexum, nec conferunt facultatem contingendi, dicuntur *non sacri*.

Tertio ratione *gradus*, Ordines Ecclesiastici distribuuntur in Majores, et Minores. *Majores* sunt Sacerdotium, Diaconatus, et Subdiaconatus. Sacerdotium quidem, quia per illud destinatur ordinatus ad officium, quo nullum majus esse potest atque divinius, videlicet ad Corpus Christi conficiendum in Eucharistia, et illud offerendum Deo in Sacrificium; Diaconatus vero et Subdiaconatus, quia Diaconi et Subdiaconi Sacerdoti consecranti et offerenti proxime assistunt, et

ministrant ad Altare. Cæteri autem inferiores Ordines dicuntur *Minores*, eo quod in minori gradu consistant, nec cum Sacerdote altari assistant.

His ita prælibatis, duo hac in Quæstione sunt determinanda: *primum*, utrum in Ecclesia plures admittendi sint Ordines sacri: *secundum*, quot, et quinam illi sint.

Conclusio prima. — Revera in Ecclesia sunt plures Ordines Ecclesiastici. Hæc est de fide determinata in Concilio Trid., et constat ex decreto Eugenii, necnon ex Trident., Sess. 23. Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Suadetur autem hæc Conclusio eo, quod Ecclesia sit Corpus Christi mysticum, cujus utique membrorum diversa sunt officia, quemadmodum diversa sunt munera membrorum corporis naturalis, ut egregie colligit Apostolus ad Romanos, cap. 12. *Sicut*, inquit, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo: habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differenter, sive Prophetiam ratione fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, sive qui exhortatur in exhortando.* Quibus verbis Apostolus significat, varia esse in Ecclesia ipsius Ministrorum officia; quod pariter docet 1. ad Cor. 12., et ad Ephes. 4. Igitur pariter plures sunt ejusmodi Ministrorum Ordines. — *Deinde*, cum ministerium sacrum novi Testamenti longe dignius sit ac præstantius, quam Testamenti veteris, etiam majori ac nobiliori Ministrorum apparatu hoc ministerium debet impleri: sed in veteri Testamento non solum Sacerdotes, verum etiam eorum Ministri, nempe Levitæ per ordinationem consecrabantur: igitur et in novo Testamento non solum Sacerdotes, sed etiam eorum Ministri, per ordinationem initiari debent et consecrari. *Denique*, ut ait Concilium Trid., Sess. 24. cap. 2. *Non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, nempe Actor.* 11. *et* 1. *ad Timoth.* 3., *et quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docet: et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque propria eorum ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii in usu fuisse cognoscunt, quamvis non pari gradu: nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.*

Probatur insuper Conclusio triplici ratione congruitatis: *primo* quidem, convenientissimum erat, ut plures in Ecclesia essent sacri Ministri ad majorem Sacerdotii dignitatem, et Sacrificii commendationem ac reverentiam: *Cum enim*, inquit ibidem Conc. Trid. mox laudatum, *divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascen-*

derent. Secundo, id maxime conducebat ad divinæ sapientiæ commendationem; hæc enim in ordinata rerum distinctione et dispositione præsertim elucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus; enimvero si Regina Saba videns ordinem ministrantium in domo Salomonis non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiæ illius; quanto magis divinam sapientiam commendasset, si compertum habuisset admirandum illum ordinem Sacerdotum, et Levitarum, qui in templo Deo famulabantur, et rebus sacris, atque Sacrificiis intererant? *Tertio denique,* id exigebat opportune conferendum humanæ infirmitati subsidium; dum enim plures ad divini cultus ministeria et officia mancipantur, ut omnes sint Dei cooperatores ad omnium salutem; inde plurima hominibus suppetunt divina subsidia, quibus facilius saluti invigilare queant.

Dices 1: Quanto virtus aliqua est major, tanto minus videtur multiplicanda: sed Sacramentum Ordinis ea ratione, qua constituit homines in altiori gradu, quam sint reliqui fideles, dignius est aliis Sacramentis, ac subinde cum alia Sacramenta non multiplicentur secundum speciem, non enim plura sunt specie distincta Baptismi Sacramenta: igitur multo minus Sacramentum Ordinis distribui potest in alios Ordines specie diversos. — **Distinguo majorem**: si cætera sint paria, *concedo:* secus, *nego.* Porro omnia non sunt paria in illa comparatione, quæ instituitur inter Ordinem et alia Sacramenta; licet enim Ordo sit dignior Baptismate, secundum considerationem præfatam; attamen inde non est consequens, quod Ordo non debeat magis in plures ordines distingui, quam Baptismus in plures specie Baptismos. Ratio autem disparitatis est, quod Baptismus, et alia ejusmodi Sacramenta ordinentur ad aliquos effectus percipiendos: at Ordo conceditur potissimum ad actus exercendos; unde juxta diversitatem actuum distingui debent diversi Ordines, per quos conceditur potestas ad agendum; nam juxta diversitatem actuum distingui debent potentiæ.

Dices 2: Si plures sint Ordines: igitur plura etiam erunt Sacramenta, quam septem: sed *consequens* est absurdum, et contra communem Ecclesiæ sententiam: igitur, etc. — **Respondet Doctor,** dist. 24. num. 11. *Quod in divisione illa primaria Sacramenti in septem, Ordo, vel magis Ordinatio, est ibi tantum unum membrorum, licet possit ulterius dividi in quædam specialia contenta sub ipso; quia illa prima divisio non est in species specialissimas, sed in quædam propinquius contenta sub ipso.* Quibus verbis significat, quod etsi plures sint ordines, id tamen non solvit primariam divisionem Sacramentorum in septenarium numerum; quamvis enim omnes ordines essent Sacramenta proprie dicta, inde tamen non solveretur ille septenarius Sacramentorum numerus; quippe cum omnes illi ordines, ad unum communem conceptum ordinis, tamquam ad suum genus, revocentur.

Instabis: Si omnes Ordines ad unicum conceptum revocari possent, tamquam ad genus, sequeretur quod ille conceptus generice prædicari posset de singulis Ordinibus, ac subinde cum Ordo secundum se sit Sacramentum, consequens esset, quod singuli Ordines, non solum majores, sed etiam minores, haberent veram et perfectam rationem Sacramenti; sicque plura essent Ordinis Sacramenta. — **Respondeo ad majorem,** quod etsi omnes Ordines conveniant in conceptu

Ordinis tamquam in conceptu generico; attamen conceptus ille non habet perfectam et completam rationem generis metaphysici, seu logici, sed tantum analogicam; cum enim Ordo sit dumtaxat aliquid morale, etiam habet dumtaxat similitudinariam et analogicam convenientiam cum rebus naturalibus; non autem univocam et omnimodam. Unde licet Ordo secundum se proprie dici possit Sacramentum; attamen ea ratio non tribuitur eodem modo singulis Ordinibus; nam plenitudo Sacramenti Ordinis est in Sacerdotio; in cæteris autem Ordinibus est aliqua dumtaxat participatio, quatenus videlicet omnes Ordines ad Sacerdotium tamquam subsidiaria ministeria ad capitale revocantur; omnes siquidem Ordines immediate vel mediate ordinantur ad Eucharistiam, cujus conficiendæ Minister est Sacerdos. *Insuper* dico, inde non sequi, quod plura sint Ordinis Sacramenta; sicut enim in Eucharistia tam calix, quam panis consecratus, licet seorsim ab invicem veram et essentialem rationem Sacramenti obtineant; non tamen propterea multiplex dicitur Eucharistiæ Sacramentum, eo quod utraque species ad unionem ac perfectam spiritualem animæ refectionem ordinetur; ita licet omnes et singuli Ordines in esse physico videantur prorsus diversa esse Sacramenta, utpote quæ diversis constent materiis et formis; non tamen distincta efficiunt Sacramenta Ordinis; quia omnes ordinantur ad unum finem, videlicet ad solemnem Eucharistiæ confectionem, quæ, ut fiat debito et congruenti apparatu, hanc Ordinum diversitatem exigit.

Conclusio secunda. — Septem dumtaxat in Ecclesia sunt admittendi Ecclesiastici Ordines proprie dicti, videlicet: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcista, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Sacerdotium. Ita Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 2. verbis supra laudatis; cui præiverat Concilium Romanum sub sancto Sylvestro, ubi omnes illi gradus Ecclesiastici eodem ordine recensentur, ac a Patribus Concilii Tridentini, nam cap. 7, 8. et 9, ita legimus: *Sylvester voce clara dicebat ad Coepiscopos, ut a Subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentantes eidem: Pontifici vero Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, in omni loco repræsentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ. Nullus autem Subdiaconorum ad nuptias transire, ne aliqua prævaricatione præsumpserit, præcipimus. Nullus Lector, vel Ostiarius, vasa sacrata audeat contingere; nullus Acolythorum rem sacratam a Presbytero jam alii porrigere; quia aliud est Minister, aliud assistens est, nisi tantum supportet, quod ei Sacerdos imposuerit, suo ore benedictum.* — Idem habent Concilia Carthaginense quartum, Can. 3. et sequentibus, *Aquisgranense* celebratum tempore Stephani IV summi Pontificis, ubi a cap. 5. usque ad octavum, non solum præfati septem Ordines referuntur, sed et traduntur ea, quæ spectant ad eorum institutionem.

Suffragantur pariter summi Pontifices, nam apud Eusebium, lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 43. refertur fragmentum Epistolæ S. Cornelii summi Pontificis ad Fabium, Episcopum Antiochenum, in qua

inter cætera testatur suo tempore in Ecclesia Romana, *Presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta, Exorcistas et Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis et egentibus plusquam mille et quingentas. Quibus universis gratia, et benignitas Dei alimenta suppeditat.* Similiter S. Cajus Papa et Martyr, ut refert S. Damasus in suo Pontificali, *constituit, uti omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderent, si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, et exinde Episcopus ordinaretur.* Idem statuit Gelasius Pontifex, Epistola ad Episcopos Lucaniæ; et idipsum expresse habetur in Pontificali Romano jussu Clementis VIII, et Urbani VIII recognito et edito. Idem firmatur auctoritate SS. Patrum, maxime S. Cypriani, qui pluribi meminit Presbyterorum et Diaconorum, maxime in Epistolis scriptis ad Clerum Romanum, quas inscribere solet, *Presbyteris, et Diaconibus Romæ consistentibus.* Similiter Epist. 24. meminit Subdiaconatus, et Diaconatus, scribens enim ad Clerum Romanum, ait: *Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, et Hyppodiaconum Optatum Confessorem, quos jam pridem commune consilio Clero proximos feceramus.* Et Epist. 55. meminit Feliciani Acolythi a Cornelio ad ipsum missi, per quem ad eumdem rescripserat. Licet autem apud ipsum S. Cyprianum non occurrat mentio Ostiariorum, tamen tunc temporis officium istud viguisse, aperte constat ex iis, quæ scribit S. Gregorius, Orat. 18 quæ est de laudibus S. Cypriani (quem ex errore apud Græcos satis vulgari, confundit cum alio Cypriano, qui ex Mago factus est Martyr suasione S. Justinæ Martyris, quam dæmonum ope ad turpia sollicitare nisus fuerat). De eo, inquam, narrat S. Gregorius, ipsum antequam fieret Episcopus, factum fuisse Ædituum; hoc est, ut explicat Jacobus Bilius in suis ad præfatam orationem Nazianzeni notis, Ministrum, cui templum expurgare, et mundare, ac claudere incumberet; quod utique munus est Ostiariorum. Quod insuper confirmatur auctoritate Aldhelmi Saxonum Orientalium in Anglia Episcopi; capite enim 25. lib. *De Laudibus Virginitatis* diserte scribit S. Cyprianum per cæteros Ecclesiæ gradus paulatim proficientem ad summum Pontificatus apicem feliciter pervenisse. — Idem quoque testatur S. Hieronymus; nam in *Commentario*, cap. 2. Epist. ad Titum meminit omnium Ordinum, præter quam Subdiaconorum, Acolythorum; sed Subdiaconorum mentionem facit Epist. 91. quæ est ad S. Augustinum, et Acolythorum Epist. 2. quæ est ad Nepotianum.

Favent pariter omnes rerum Ecclesiasticarum Scriptores, maxime sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. 7. *Etymologiarum*, cap. 12. et Venerabilis Beda in Collectaneis, cap. 10. *De septem Ordinibus;* Alcuinus, lib. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. 9. et sequentibus; Ivo Carnotensis, parte 2. sui decreti, cap. 5. et sequentibus; Hugo a sancto Victore, lib. 2. *De Sacramentis*, parte 3. cap. 5. qui omnes septem Ordines Ecclesiasticos numerant. Idem constanter propugnant omnes Theologiæ Principes, quibus præivit Magister Sentent., dist. 24. ubi distincte singulorum Ordinum munus et dignitatem explicat.

Hunc autem septenarium Ordinum numerum sic colligit et probat Seraphicus Doctor, dist. 24. par. 2. art. 2. q. 4. ex parte finis, in quem Ordines collimant, et propter quem fuerunt instituti, nempe

ad Christi Corpus solemniter consecrandum, et dispensandum, necnon ad instituendam et fovendam sanctitatem Corporis mystici: « Nam in « Sacerdotio, *inquit,* est status, in quo est consummatio potestatis, et « utraque potestas in ipso concurrit, scilicet conficiendi Corpus Christi « verum, et absolvendi mysticum. Hic autem Ordo nobilissimus debet « habere Ordines sibi subministrantes secundum exigentiam hujus « duplicis potentiæ. Unde quidam ministrant quantum ad Corpus « Christi verum; et hi sunt Ordines ipsi Sacerdotio propinquiores. « Nam dupliciter est ministrare: aut accipiendo hostias a plebe, et « hoc est Subdiaconi; aut offerendo Sacerdoti, et hoc est Diaconi; et « illud est principale eorum officium, sicut expresse innuit S. Isi- « dorus; et hoc est quod sic denominatur, scilicet Diaconus, quasi « Minister; aut Subdiaconus, quasi subminister. Alii vero inferiores « subministrant, sive subserviunt præparando Corpus Christi mysticum « ad hoc, quod possit perduci ad verum digne percipiendum; et ad « hoc sunt quatuor Ordines, secundum quod quadrupliciter potest ad « hoc præparari. *Primo modo,* admittendo ad locum sacrum; et hoc « est Ostiariorum. *Secundo,* præbendo documentum; et hoc est Le- « ctorum. *Tertio,* præstando auxilium; et hoc est Exorcistarum. *Quarto,* « monstrando bonum exemplum; et hoc est Ceroferariorum, sive Aco- « lythorum, ad quos pertinet, ut luceat lux eorum coram hominibus, « ut videant, etc. Sic patet, quod miro modo procedit Ordo a multitu- « dine in unitatem. Nam principalis gradus est unus, cui et subser- « vientes debent esse duo; quia enim a primo deficiunt, cadunt in « dualitatem; et rursus subservientes duobus sunt quatuor; quia defi- « ciunt etiam ab illis; et sic patet perfectio, et consummatio Ordinum, « et distinctio in numero septenario secundum gradus potestatum, « quæ sunt essentiales Ordini, quarum numerus et sufficientia sumitur « penes id, ad quod directæ sunt ».

Simili pene ratiocinandi modo S. Thomas 1. in Supplemento, q. 37. art. 2. hunc septenarium Ordinum numerum colligit ex ordine et respectu ad sacrosanctam Eucharistiam, quam constat esse Sacramentorum maximum, sicut ait S. Dionysius, cap. 3. *De Hierarchia Ecclesiastica:* quemadmodum enim templum et Altare, vasa et vestes, ita et Ministri, qui ad Eucharistiam ordinant, consecratione indigent, propter dignitatem ac reverentiam tanti Sacramenti, et ejusmodi consecratio in Ministris est id quod Ordinis nomine significatur: sicut Ordinum distinctio colligenda est secundum habitudinem et respectum ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis, aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium pertinens ad Eucharistiæ Sacramentum. Quo igitur quisque prædictorum Ordinum propius ad Eucharistiam accedit, eo præstantior est atque sublimior. Quamobrem Sacerdotum Ordo, quorum munus est Eucharistiam istam conficere, est omnium dignissimum; reliqui vero Ordines ejusmodi potestatem ac vim non habent, sed omnes sunt in subsidium et ministerium Sacerdotis, cui cooperantur et famulantur. Porro eorum cooperatio seu ministerium duobus modis spectari potest: vel in ordine ad Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes; sive in ordine ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem, vel ad ejus dispensationem. Juxta priorem considerationem et habitudinem triplex distinguendus

est Ordo ministrantium Sacerdoti in ipsa Sacramenti confectione: *primus* est Diaconorum, qui Sacerdoti Eucharistiam conficienti proxime ministrant; in ipsius enim manibus deponunt materiam sacrandam, videlicet panem et vinum; unde per antonomasiam dicuntur Diaconi, idest, Ministri; id enim sonat ipsum Diaconi vocabulum, quod origine græcum est. *Secundus* est Subdiaconorum, qui etiam Hyppodiaconi dicuntur, idest, Subministri, eo quod ipsis Diaconis ministrent materiam consecrandam, necnon deponant in vasis sacris, in quibus conficitur Sacramentum; unde Diaconi assimilantur Levitis, qui in Lege veteri proxime ministrabant victimas, et famulabantur Sacerdotibus offerentibus; Subdiaconi vero, inquit Hugo Victorinus, sunt similes Nathinæis, qui, sicut legitur lib. 1. *Esdræ*, cap. 8. erant Levitarum Ministri. *Tertius* est Acolythorum, ad quo, pertinet materiam in calice consecrandam, videlicet vinum et aquam in urceolis præparare; proinde et in ordinatione sua urceolum vacuum accipit Acolythus, et postmodum subministrat Diacono, cui debet urceolos, sive ampullas cum vino et aqua offerre. — Juxta *posteriorem* considerationem, videlicet per respectum ad suscipientes, et legitimam Eucharistiæ dispensationem, quæ fieri non potest, nisi præparatis, et ad eam suscipiendam recte dispositis, tres etiam distingui debent Ministrorum Ecclesiasticorum Ordines; quia ministerium ad legitimam præparationem eorum, qui Eucharistiam suscepturi sunt, non potest esse, nisi super immundos; qui enim mundi sunt, jam sunt ad legitimam Sacramentorum susceptionem idonei. Triplex autem hoc loco distingui debet genus mundationis, juxta doctrinam a S. Dionysio traditam, cap. 3. lib. *De Hierarchia Eccles.*, par. 3: *primum* est infidelium, qui omnino credere nolunt, qui proinde a cœtu fidelium arcendi sunt, utpote indigni qui sacris intersint mysteriis, et hoc pertinet ad Ostiarios, quorum officium est aperire Ecclesiam, ejusque ingressum prohibere notorie indignis, et infidelibus. *Secundum* est eorum, qui fidem suscipere volunt, sed in fide nondum satis sunt instructi, quales sunt Catechumeni, ad quorum instructionem ordinantur Lectores, quorum proinde est, prima fidei rudimenta tradere, præsertim ex veteri Testamento, Scripturisque Propheticis, quæ scilicet veluti est quædam introductio ad Legem novam, quarum idcirco lectio iis committitur. *Tertium denique* genus mundationis est eorum, qui tametsi fideles et instructi sint in fide, impedimentum tamen habent ex dæmonii potestate; tales sunt energumeni, sive arreptitii, ad quorum emundationem instituti sunt Exorcistæ. Sic ergo patet, quod ii debeant esse Ordines Ecclesiastici, non plures, neque pauciores, neque etiam alii, quam qui a nobis sunt enumerati.

Objicies 1: Tres tantum sunt Ordines: igitur non est septennarius eorum numerus. *Probatur antecedens: primo* quidem quia Scriptura trium dumtaxat Ordinum meminit, nempe Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum; aliorum autem Ordinum ne levis quidem apud ipsam est mentio. *Secundo*, ex S. Dionysio, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. ubi trium etiam eorumdem Ordinum munera et nomina exprimit; ac subinde non censet septem esse Ordines. *Tertio*, ex S. Hieronymo in cap. 19. Isaiæ, ubi recenset dumtaxat quinque diversos status, videlicet Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium,

et Catechumenorum : igitur existimat alios Ecclesiæ Ministros, Diacono inferiores, non distingui a fidelium vulgo; ac subinde illos non esse aliquo ordine consecratos et initiatos; sicque tantum tres Ordines admittit. *Quarto* denique, idipsum suadet ratio theologica: Ordines namque Ecclesiæ referuntur ad actus Hierarchicos: sed tres solum sunt Ordines Hierarchici, nempe purgare, illuminare, et perficere, quorum primus Diaconis, secundus Presbyteris, tertius solis Episcopis congruit, ut jam semel et iterum diximus: igitur revera non est septenarius Ordinum numerus. — **Ad primum respondet Doctor** dist. 24. n. 12. « Quod in primitiva Ecclesia erant pauci credentes, et ideo pauci « Ministri sufficiebant ad dispensandum eis Eucharistiam; et ideo non « oportuit tunc Ministros in singulis gradibus institui. Post autem « multiplicata est fides, et etiam concomitabatur devotio ad commu- « nicandum quotidie, et tunc fuit necessitas habendi multos Ministros « ad singula ministeria ad Eucharistiam pertinentia; et ideo tunc Ec- « clesia multos Ministros in singulis gradibus instituit. Nec tamen « tunc de novo instituti sunt illi Ordines; imo Magister in littera dicit, « quod Christus actus singulorum Ordinum in seipso exercuit; et etiam « quod antiquitus præfigurabantur in quibusdam gradibus correspon- « dentibus eis in Lege Mosaica. Sed Ordines ab antiquo instituti, tunc « quando multiplicatus est numerus fidelium, collati sunt Ministris, « quos prius non oportuit conferri alicui; quia non fuit prius neces- « sarium ejus ministerium. Hæc est etiam ratio, quare modo in Ecclesia « non sunt in singulis Ordinibus determinati Ministri; quia etsi modo « sit multiplicata multitudo fidelium, tamen est immutata lætitia de- « votione. Unde multi vix semel in anno volunt communicare; et ideo « circa Eucharistiam dispensandam non oportet modo tot Ministros « assistere. Et propter hoc quatuor Ordines non sacri simul confe- « runtur; ita quod nullus est deputatus ad ministrandum in gradu « inferiori, quasi ille sibi proprius, et alius alii ». *Hæc Doctor*. Quibus verbis significat, quod idcirco Scriptura sacra trium illorum Ordinum dumtaxat expresse meminerit, quia propter paucitatem fidelium omnia inferiorum Ordinum ministeria Diaconis committebantur; successu vero temporis cum in dies multiplicaretur fidelium numerus, nec jam commissa sibi inferiorum Ordinum ministeria Diaconi per seipsos debite possent implere, ea ministeria, quæ ab invicem erant separabilia, sunt separata, et in diversos Ministros distributa. Unde in Ecclesiæ officiorum apparatu et multiplicatione idem ferme contigit, quod contingere solet iis, qui ex pauperibus divites fiunt; quemadmodum enim qui in tenui fortuna victitant sibi ipsis famulantur, ac necessaria sibi parant et ministrant; fortuna autem pinguiore facta servulum sibi comparant, atque eo solo contenti per ipsum viliora et humiliora administrant: fœcundiorem vero postea, ac opulentiorem nacti fortunam, familiam amplificant, eoque magis, quo felicius ac prosperius res illis succedunt, adeo ut si spectabiles et illustres evaserint, multitudine servorum comparata singula singulis suæ domus ministeria cum subordinatione distribuunt; idem pene in Ecclesia contigit; initio namque solos habuit Apostolos, qui omnium Ordinum ministeria implerent; crescente vero fidelium multitudine judicarunt Apostoli, bonum et æquum non esse relinquere verbum Dei, et ministrare mensis; qua-

propter, ut legitur Actor. 6. selegerunt septem Diaconos, qui sibi famulabantur in Ecclesiæ administratione; unde mos inolevit, ut Sacerdotes in Officiis publicis vix quidquam sine Diaconis agerent. Evadente vero postmodum Ecclesia in numerosam plebem, et auctis ex fidelium oblationibus ejus divitiis, unde sacri Ministri sustentari valerent, Diaconis adjecti sunt Subdiaconi. Verum postquam in universum pene orbem propagata est, his sacrorum Officiorum Ministris non contenta, inferiorum Ordinum ministeria, quæ per Subdiaconos implebantur, cœperunt singulis ac distinctis personis distribui, quo majori cum apparatu et pompa divinum Officium persolveretur, et celebraretur augustissimum Ecclesiæ Sacrificium; quemadmodum nunc fit in majoribus Ecclesiis, quamquam in Ecclesiis inferioribus et pauperibus, quales sunt ut plurimum rurales, omnia ejusmodi ministeria sacra per solum Curatum et Pastorem impleantur. — *Ad secundum* dico, idcirco S. Dionysium eo loco trium dumtaxat Ordinum illorum meminisse, quod ibi ipsius propositum non erat, quoscumque Ordines Ecclesiasticos recensere, sed eos dumtaxat, qui proprie sunt Hierarchici, per quos nimirum Ecclesiæ Ministri aliquo modo præsunt populo Christiano; tales vero sunt Episcopi, Sacerdotes, et Diaconi; licet enim Diaconi dicantur Ministri respective ad Sacerdotes, quibus in sacris faciendis et dispensandis famulantur; attamen dici possunt etiam Præsules comparative ad plebem, quippe præsunt ministeriis verbi et doctrinæ. Unde S. Ignatius, Epist. ad Trallianos scribit: *Subjecti estote Episcopo, similiter et Presbyteris, atque Diaconis.* Et S. Hieronymus, in cap. 2. Epist. ad Titum: *Non solum,* inquit, *Episcopi, Presbyteri, et Diaconi debent magnopere prævidere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, et scientia præcedant; verum et inferiores gradus Exorcistæ, Lectoris, et omnes omnino, qui domui Dei serviunt.* Porro, quod S. Dionysius etiam inferiorum Ordinum meminerit, patet ex cap. 3. ejusdem libri, dum ait, Ecclesiæ Ministros alios in Ecclesia Scripturas legere, alios Ecclesiæ fores custodire, et energumenos, Catechumenos, ac pœnitentes ab ea ejicere tempore divini Sacrificii; scribit enim juxta Corderii versionem: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit Chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens sacrum incipit Psalmorum melos, omni Ordine Ecclesiastico sacram ipsi Psalmodiam succinente. Per Ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur; qua finita, sacro ambitu arcentur Catechumeni, et cum iis energumeni, ac pœnitentes, illis, qui divinorum aspectu, et Communione digni sunt, remanentibus. Porro Ministrorum quidem alii clausis templi foribus assistunt, alii vero aliud quidpiam, quod sit Ordinis sui, agunt. Qui autem in Ministrorum Ordine primas tenent, una cum Sacerdotibus divino more panem sacrum, calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine Ecclesiæ communi hymnologia præmissa.* Nec obstat, quod S. Maximus Martyr, et Pachimeres S. Dionysii Interpretes, nomine Ministrorum, quos hic a selectis distinguunt, intelligant Hyppodiaconos; hoc, inquam non obstat, quippe latius usurpato Hyppodiaconi vocabulo, eos omnes Diacono inferiores Ministros comprehendunt; quippe cum omnes Diacono subsint; qua ratione dici possunt Subdiaconi, idest, subjacentes Diacono. — *Ad*

tertium dico, S. Hironymum eo loco non tam loqui de Ordinibus Clericorum, quam Christianorum generatim, ut videlicet ex quinario illo fidelium numero, Ecclesiæ adaptaret illud vaticinium Isaiæ 19. his verbis expressum: « In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, « loquentes terra Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum: *Ci-* « *vitas Solis vocabitur una,* etc. » Quod utique oraculum ut facilius de Ecclesia interpretaretur, fideles omnes ad quinque Ordines reducit, nempe Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, qui inter Clericos primas obtinent, quibus adjicit duos fidelium Ordines, nempe Baptizatorum, et Catechumenorum, ut videlicet universam Ecclesiam quinario illo civitatum numero expressam fuisse demonstraret. — *Ad quartum, distinguo antecedens:* Ecclesiæ Ordines referuntur ad actus Hierarchicos, consequenter et secundario, *concedo:* directe et primario, *nego.* Omnes enim Ordines directe et primario referuntur ad Eucharistiam et Corpus Christi verum conficiendum, aut ministrandum. Quamobrem eorum distinctio et multiplicatio repeti debet ex habitudine diversa, et multiplicitate ministerii, circa ipsius Eucharistiæ confectionem et dispensationem; ex qua utique potestate in Corpus Christi verum, sequitur potestas in Corpus Christi mysticum, nempe Ecclesiam; circa quam ordinate exercent actus Hierarchicos, fideles perficiendo, illuminando et purgando. Porro S. Dionysius, cum distinguit Ordines secundum actus Hierarchicos, non attendit ad eorum primam habitudinem, sed tantum ad secundariam; unde eo loco tantum meminit Ecclesiæ Ministrorum, qui aliquam in Ecclesiam circa Corpus Christi mysticum auctoritatem exercent, quales tantum sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi.

Objicies 2. Tot sunt, et non plures distincti Ordines, quot ab utraque Ecclesia Orientali, et Occidentali admittuntur: sed quatuor dumtaxat ab utraque Ecclesia admittuntur: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur;* siquidem, ut notat Arcudius, lib. 6. cap. 6, Ecclesia Græca ex cunctis Ordinibus minoribus, solum Lectoris Ordinem retinuit; nam Exorcistæ Ordo penitus sublatus est, illiusque munere Sacerdos solus fungitur; ut etiam fit apud Latinos; Janitoris autem officium exercetur a Subdiacono, qui pariter implet munus Acolythi; vel hoc officium exercetur a Lectore, ut testatur Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus, lib. *De Sacris Ordinationibus,* cap. 1. et 2. Cujus utique observantiæ et praxis non levia extant argumenta et monumenta; siquidem in Ecclesia Orientali usitatum fuit, ut per solos Lectoris et Subdiaconi gradus ad Diaconatum et Presbyteratum et Episcopatum ascenderetur; ita enim testatur Nicetas in vita S. Ignatii Constantinopolitani Patriarchæ, dum ait ipsum primo Lectorem, sacrarumque litterarum præconem; deinde Hyppodiaconum, tum Diaconum, ac deinceps Sacerdotem ordine, ac Lege Ecclesiasticorum graduum fuisse consecratum. Similiter S. Joannes Damascenus, in Dialog. *Contra Manichæos,* loquens de Lectoris gradu, ut demonstraret *principii* vocabulum esse æquivocum, variis ad id prolatis exemplis, ait: *Principium insuper quoque de Ordine dicitur, ut prima dignitas Lector est, deinde Subdiaconus, post Presbyter; atque demum Episcopus.* Similiter habet Elias Cretensis in commentario ad Orationem 93. S. Gregorii Nazianzeni. — Idem pariter apparet ex Ritibus Græcis a Cle-

mente VIII, Romano Pontifice probatis, ubi traditur cæremonia et praxis qua consecrandi sint Episcopi, Presbyteri, Hyppodiaconi, et Lectores, ubi nulla fit mentio aliorum minorum Ordinum; quamobrem Joannes VIII, pace cum Photio inita, rescribens ad Græcorum Imperatores, non adstringit Græcos ad alios Ordines suscipiendos, quam Lectoratus, Subdiaconatus, et alios usque ad Episcopatum consequentes, testaturque se id secundum Canones præcipere; sic enim in præfata Epistola, quæ apud illum est n. 99. *Volumus autem*, inquit, *ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus, postea Diaconus, tum Presbyter... Hoc modo decet vestros Patriarchas promoveri, non repente percipere singulos gradus, ut in domo Dei nihil inveniatur incompositum, aut inordinatum*, etc.; ubi nomine Acolythi Subdiaconum intelligit, quippe Græci tribuunt ea omnia officia Subdiaconis, quæ Latini suis Acolythis committere solent. Idipsum pariter constat ex lib. *De Jure*, qui est Imperatorum Basilii, Constantini, et Leonis, cap. 1. ubi sic habetur: *Episcopus est observator et curator omnium ad Ecclesiam pertinentium animarum, qui in ejus provincia sunt, habens potestatem initiandi Presbyterum, Hyppodiaconum, Lectorem, Cantorem, et Monachum;* quod utique refertur in fine libri quinti *Juris Orientalis*. — **Nego minorem**, et ad omnes illius probationes dico, antiquitus omnes eos Ordines in usu fuisse apud Græcos, ac proinde recentiorem et nuperam esse prædictam Græcorum consuetudinem, qua ex quatuor Minoribus solum retinent Lectoris Ordinem, tribus aliis omissis et neglectis; quæ utique recentior consuetudo emendari debet per veterem illam ab utraque Ecclesia receptam Ordinum distinctionem, etiam ab ipsis SS. Patribus Græcis commendatam, ut constat ex S. Dionysio locis citatis, necnon et ex S. Ignatio Martyre, vel quovis alio antiquissimo Scriptore Græco Epist. ad Antiochenos, ubi cum ad Martyrium raperetur, inter cætera scribit: *Saluto sanctum Presbyterium, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores*. Similiter S. Epiphanius, in compendiaria vera doctrina, quæ est post hæresim 80. aliquantulum ante finem, varios recenset Ordines, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, et addit: *Post Sacerdotium reliquus est Ordo Lectorum, qui possunt esse Virgines, solitarii, continentes, vidui, uxorati, et si opus fuerit, mortua prima uxore, bigami. Deinceps, inquit, post hos, Exorcista, et Interpres linguarum*, etc. *Consequenter Laboratores, qui corpora dormientium componunt, Janitores, totaque boni ordinis disciplina. Concilium Laodicenum*, Can. 24. *Non oportet sacris officiis deditos a Presbyteris usque ad Diaconos, ac deinceps Ecclesiastici Ordinis usque ad Ministros, seu Lectores, seu Cantores, aut Ostiarios, seu etiam eos, qui sunt ordinis ascetarum, hoc est, Monachorum in rerum divinarum meditatione se exercentium, cauponam ingredi*. His addi potest Eusebius, cap. 21. supplementi secundi ad librum octavum historiæ suæ, quod est de Martyribus Palestinis, ubi legimus, Romanum Martyrem dici Diaconum, et Exorcistam Ecclesiæ Cæsariensis. Et lib. 3. *De vita Constantini*, cap. 8. scribit vix recenseri posse numerum Presbyterorum qui Nicenæ Synodo interfuerunt, Episcopos comitati. Similiter et Diaconorum, Acolythorum, aliorumque

complurium. Idem habet Socrates, lib. 10. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 8. ubi iisdem pene quibus Eusebius verbis testatur, tantam fuisse Presbyterorum, Diaconorum, et Acolythorum multitudinem, qui Episcopos comitati sunt in Concilio Nicæno, ut illi vix numerari potuerint. Acolythos quoque diserte nominant Nicephorus, lib. 8. *Ecclesiasticæ Hist.*, cap. 14. ubi idem quod præfati recenset; et Justinianus Imperator novella 3. cap. 1. et 2. Ostiarios inter alios Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos et Ministros numerat. Ostiariorum quoque meminit Heraclius Imperator, et quidem tamquam Ordinis ab Ordine Subdiaconorum, aliisque Clericorum Ordinibus distincti, in novella constitutionis suæ, qua statuit, quod determinatus esse debeat numerus Clericorum, sanctissimæ matricis Ecclesiæ, quæ est Constantinopoli, necnon et S. Mariæ, quæ in Blachernis colitur. — Tandem Concilium Quinisextum, seu Trullanum, celebratum anno Christi 692. Ostiarios cæteris Ecclesiæ Ordinibus adjungit Can. 6. ubi sic fatetur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Cantor, vel Lector, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Sponsæ Christi vitium attulerit; sin autem Laicus, segregetur.* Quibus verbis diserte ostendit, Ostiarios a Laicis distingui; ac proinde eos ad Clerum pertinere; id quod etiam demonstrat pœna depositionis, qua plecti debent; cum enim Laici non sint in Ordine Ecclesiastico, ab eo etiam non possunt excidere, aut deponi, sed a fidelium cœtu per excommunicationem dumtaxat segregari et removeri. Falsum est ergo, quod affirmat Morinus, part. 3. *de sacris Ordinationibus*, exercit. 14. cap. 1. ab annis mille supra centum nullam fuisse apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam, nempe Ostiariorum, Exorcistarum, et Acolythorum; quippe cum contrarium revincant omnia momenta, quæ mox protulimus, maxime vero ex Concilio Trullano.

Reponit Morinus, ibidem num. 14. Patres Trullanos meminisse tantum *Ostiariorum*, ut Officialium Ecclesiæ, non vero ut Clericorum aliquo Ordine initiatorum, alioquin contradicerent Justiniano Imperatori, qui annis 150. eos præcessit, quique Ostiarios Clericis Ecclesiæ Ministris dumtaxat adjunxit ut Officiales, non ut initiatos aliquo Ordine. Quod utique confirmat ex Can. 6. ejusdem Concilii, ubi sic legimus: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores, et Cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hyppodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem, conjugium contrahere liceat.* Ex mente igitur Concilii, inquit, Ostiarii non sunt Clero adhibendi. Nam Ostiarii possunt uxores ducere: sed soli Lectores, et Cantores ex Clericis possunt uxores ducere; Ostiarii igitur, qui idem possunt, ex mente Patrum ad Clerum non pertinent. Ita Morinus. — Verum, si quæ sit in sexto isto Canone obscuritas, elevare non debet auctoritatem Canonis quarti ejusdem Concilii, in quo disertis verbis, ut constat, Ostiarii a Laicis secernuntur, quippe cum eidem pœnæ, qua Clerici, subjacere debeant; absurdum enim est evidentia exponere per obscura, cum obscura potius et ambigua debeant explicari per ea, quæ certa sunt et evidentia.

Facile autem duo illi Canones conciliari possunt, dicendo, id quod

prædicto Can. 6., dicitur de Lectoribus et Cantoribus, debere a fortiori intelligi de Ostiariis, et pari jure de aliis Ordinibus, qui sunt infra Subdiaconatum. Unde quando dicit eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, nomine *Lectorum* non sunt intelligendi soli Lectores, quatenus distinguuntur ab Ostiariis, et aliis minorum Ordinum Clericis, sed prout opponuntur Subdiaconis; quemadmodum colligi potest ex postremis ejusdem Canonis verbis a Morino prætermissis, quæ hæc sunt: *Si quis autem eorum velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Ubi signanter notanda sunt verba: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt,* quæ generalia sunt, et Clericos omnes comprehendunt, quæ tamen hoc loco significant eos, qui Lectorum nomine designantur in priori parte præfati Canonis. Porro, quod etiam Græci recentiores, præter Lectorum Ordinem, agnoscant etiam inferiorum Ordinum gradus, pluribus testimoniis suadebimus Art. seq. ubi sermo erit de singulis Ordinibus in specie, et solvemus pariter omnia momenta, quibus ipse Morinus suam sententiam tueri nititur, ut videlicet ostendat, tres præfatos inferiores Ordines in Orientali Ecclesia ab ipsis pene Apostolorum temporibus non fuisse memoratos, et in praxi.

Objicies 3. SS. Patres multo plures Ordines numerant, quam septem a nobis supra numeratos: ergo revera non est septenarius Ordinum numerus. *Probatur antecedens: primo* quidem auctoritate eorum, qui præter septem recensitos Ordines, adhuc Ordinem *Laborantium* assignant; sic S. Ignatius Martyr, vel quisquis est auctor Epistolæ ad Antiochenos, et S. Epiphanius in fine *panarii*, sive operis contra hæreses. *Secundo*, ex sententia eorum, qui cæteris Clericorum Ordinibus annumerant Ordinem *Fossariorum*; eorum videlicet, qui sepeliendis fidelium corporibus suam operam impendunt; quemadmodum habetur ex S. Epiphanio loco mox laudato, ubi Laborantes una cum Fossoribus computat: *Sequuntur*, inquit, *Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Eos pariter S. Basilius, et S. Chrysostomus in suis Liturgiis a reliqua plebe non tantum distinguunt, sed etiam ante Cantores constituunt. *Tertio* probatur ex iis, qui Clericorum Ordinibus accensent *Confessores.* Ita S. Ignatius loco mox laudato, et S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 23., ubi pariter asserit, magno honore dignum esse Confessorem, ut qui coram Gentibus et Regibus confessus sit nomen Dei, et Christi ejus; additque, *Quod si opus eo fuerit, in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ordinetur. Quarto*, S. Sylvester Summus Pontifex Clericorum Ordinibus assignat *Martyrum Custodes*, ut videre est in epilogo Synodi Romanæ, necnon in Pontificali Damasi, ubi *circa eos, qui in Ecclesia militare, ac proficere desiderant, statuisse dicitur, ut non solum in singulis gradibus aliquo temporum intervallo morarentur, sed etiam ut per quinque annos Martyrum Custodes existant, antequam ad sacros Diaconatus, et Presbyteratus Ordines ascendant.* Per Custodes Martyrum autem illi videntur intelligi, quibus demandata erat custodia Martyrii, seu Ecclesiæ Sanctuarii, in quo subtus altare, veluti sacellum erat, ubi Martyrum Corpora erant recondita, in quem locum descendebatur per aliquot gradus; qui pariter locus apud Latinos dicebatur Confessio Sic etiam nunc

complurium. Idem habet Socrates, lib. 10. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 8, ubi iisdem pene quibus Eusebius verbis testatur, tantam fuisse Presbyterorum, Diaconorum, et Acolythorum multitudinem, qui Episcopos comitati sunt in Concilio Nicæno, ut illi vix numerari potuerint. Acolythos quoque diserte nominant Nicephorus, lib. 8. *Ecclesiasticæ Hist.*, cap. 14. ubi idem quod præfati recenset; et Justinianus Imperator novella 3. cap. 1. et 2. Ostiarios inter alios Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos et Ministros numerat. Ostiariorum quoque meminit Heraclius Imperator, et quidem tamquam Ordinis ab Ordine Subdiaconorum, aliisque Clericorum Ordinibus distincti, in novella constitutionis suæ, qua statuit, quod determinatus esse debeat numerus Clericorum, sanctissimæ matricis Ecclesiæ, quæ est Constantinopoli, necnon et S. Mariæ, quæ in Blachernis colitur. — Tandem Concilium Quinisextum, seu Trullanum, celebratum anno Christi 692. Ostiarios cæteris Ecclesiæ Ordinibus adjungit Can. 6. ubi sic fatetur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Cantor, vel Lector, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Sponsæ Christi vitium attulerit; sin autem Laicus, segregetur.* Quibus verbis diserte ostendit, Ostiarios a Laicis distingui; ac proinde eos ad Clerum pertinere; id quod etiam demonstrat pœna depositionis, qua plecti debent; cum enim Laici non sint in Ordine Ecclesiastico, ab eo etiam non possunt excidere, aut deponi, sed a fidelium cœtu per excommunicationem dumtaxat segregari et removeri. Falsum est ergo, quod affirmat Morinus, part. 3. *de sacris Ordinationibus*, exercit. 14. cap. 1. ab annis mille supra centum nullam fuisse apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam, nempe Ostiariorum, Exorcistarum, et Acolythorum; quippe cum contrarium revincant omnia momenta, quæ mox protulimus, maxime vero ex Concilio Trullano.

Reponit Morinus, ibidem num. 14. Patres Trullanos meminisse tantum *Ostiariorum*, ut Officialium Ecclesiæ, non vero ut Clericorum aliquo Ordine initiatorum, alioquin contradicerent Justiniano Imperatori, qui annis 150. eos præcessit, quique Ostiarios Clericis Ecclesiæ Ministris dumtaxat adjunxit ut Officiales, non ut initiatos aliquo Ordine. Quod utique confirmat ex Can. 6. ejusdem Concilii, ubi sic legimus: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores, et Cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hyppodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem, conjugium contrahere liceat.* Ex mente igitur Concilii, inquit, Ostiarii non sunt Clero adhibendi. Nam Ostiarii possunt uxores ducere: sed soli Lectores, et Cantores ex Clericis possunt uxores ducere; Ostiarii igitur, qui idem possunt, ex mente Patrum ad Clerum non pertinent. Ita Morinus. — Verum, si quæ sit in sexto isto Canone obscuritas, elevare non debet auctoritatem Canonis quarti ejusdem Concilii, in quo disertis verbis, ut constat, Ostiarii a Laicis secernuntur, quippe cum eidem pœnæ, qua Clerici, subjacere debeant; absurdum enim est evidentia exponere per obscura, cum obscura potius et ambigua debeant explicari per ea, quæ certa sunt et evidentia.

Facile autem duo illi Canones conciliari possunt, dicendo, id quod

prædicto Can. 6., dicitur de Lectoribus et Cantoribus, debere a fortiori intelligi de Ostiariis, et pari jure de aliis Ordinibus, qui sunt infra Subdiaconatum. Unde quando dicit eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, nomine *Lectorum* non sunt intelligendi soli Lectores, quatenus distinguuntur ab Ostiariis, et aliis minorum Ordinum Clericis, sed prout opponuntur Subdiaconis; quemadmodum colligi potest ex postremis ejusdem Canonis verbis a Morino prætermissis, quæ hæc sunt: *Si quis autem eorum velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Ubi signanter notanda sunt verba: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt,* quæ generalia sunt, et Clericos omnes comprehendunt, quæ tamen hoc loco significant eos, qui Lectorum nomine designantur in priori parte præfati Canonis. Porro, quod etiam Græci recentiores, præter Lectorum Ordinem, agnoscant etiam inferiorum Ordinum gradus, pluribus testimoniis suadebimus Art. seq. ubi sermo erit de singulis Ordinibus in specie, et solvemus pariter omnia momenta, quibus ipse Morinus suam sententiam tueri nititur, ut videlicet ostendat, tres præfatos inferiores Ordines in Orientali Ecclesia ab ipsis pene Apostolorum temporibus non fuisse memoratos, et in praxi.

Objicies 3. SS. Patres multo plures Ordines numerant, quam septem a nobis supra numeratos: ergo revera non est septenarius Ordinum numerus. *Probatur antecedens: primo* quidem auctoritate eorum, qui præter septem recensitos Ordines, adhuc Ordinem *Laborantium* assignant; sic S. Ignatius Martyr, vel quisquis est auctor Epistolæ ad Antiochenos, et S. Epiphanius in fine *panarii*, sive operis contra hæreses. *Secundo*, ex sententia eorum, qui cæteris Clericorum Ordinibus annumerant Ordinem *Fossariorum;* eorum videlicet, qui sepeliendis fidelium corporibus suam operam impendunt; quemadmodum habetur ex S. Epiphanio loco mox laudato, ubi Laborantes una cum Fossoribus computat: *Sequuntur*, inquit, *Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Eos pariter S. Basilius, et S. Chrysostomus in suis Liturgiis a reliqua plebe non tantum distinguunt, sed etiam ante Cantores constituunt. *Tertio* probatur ex iis, qui Clericorum Ordinibus accensent *Confessores.* Ita S. Ignatius loco mox laudato, et S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 23., ubi pariter asserit, magno honore dignum esse Confessorem, ut qui coram Gentibus et Regibus confessus sit nomen Dei, et Christi ejus; additque, *Quod si opus eo fuerit, in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ordinetur. Quarto*, S. Sylvester Summus Pontifex Clericorum Ordinibus assignat *Martyrum Custodes*, ut videre est in epilogo Synodi Romanæ, necnon in Pontificali Damasi, ubi *circa eos, qui in Ecclesia militare, ac proficere desiderant, statuisse dicitur, ut non solum in singulis gradibus aliquo temporum intervallo morarentur, sed etiam ut per quinque annos Martyrum Custodes existant, antequam ad sacros Diaconatus, et Presbyteratus Ordines ascendant.* Per Custodes Martyrum autem illi videntur intelligi, quibus demandata erat custodia Martyrii, seu Ecclesiæ Sanctuarii, in quo subtus altare, veluti sacellum erat, ubi Martyrum Corpora erant recondita, in quem locum descendebatur per aliquot gradus; qui pariter locus apud Latinos dicebatur Confessio Sic etiam nunc

Romæ *Confessio S. Petri* dicitur Sanctuarium sub Altare, ubi Corpus S. Petri prius fuit sepultum. Custos igitur illius Sanctuarii dicebatur custos Martyrii. *Quinto,* præfatis Ordinibus annumerari videntur Notarii, seu Scriptores rerum Ecclesiasticarum, præsertim vero passionum SS. Martyrum; nam Gelasius Summus Pontifex, in Epist. ad Episcopos Lucaniæ, vult Monachum ex ejusmodi Ordine, aut alio simili institui. Quod utique etiam firmat Ennodius Episcopus Ticinensis in vita S. Antonii Monachi Lyrinensis, quem refert a Constantino Episcopo inter Ecclesiasticos Exceptores, seu Notarios, cælestem militiam jussum ordiri. Favet etiam Pontificale, seu liber, in quo describuntur vitæ Pontificum Romanorum, in Adriano I, ubi recenset prædictum Adrianum initio Notarium regionalium, deinde Subdiaconum, postea Diaconum, tandem ad Summi Pontificatus apicem pervenisse. Eorum pariter munus erat Psalmos, et alios Scripturæ sacræ libros, vel in Ecclesia, vel coram Episcopo legere, ut insinuat Simeon Metaphrastes in actis SS. Martyrum Martialis et Martini, quæ referuntur apud Surium die 25. Octobris. Spectabat etiam ad Officium hujusmodi Notariorum, ut pedum pastorale coram Episcopo deferrent; sicut legitur lib. 2. *De Vita, et Miraculis S. Cæsarii Arelatensis Episcopi,* ubi inter cætera hæc habentur: *Cum vir Dei Cæsarius per eadem loca ad eamdem pergeret Ecclesiam, Clericus, cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat, oblitus est,* etc. *Denique,* his omnibus Gelasius Pontifex laudata Epist. ad Episcopos Lucaniæ, cap. 2. annumerat *Defensores,* qui ex officio tenebantur patrocinari viduis, pauperibus, aliisque afflictis, qui Ecclesiæ protectionem implorabant. Igitur plures sunt Ordines, quam septem. — **Nego antecedens**: et ad omnes ejus probationes generatim respondeo: *primo,* illa omnia munia sive officia non spectare ad aliquem ex Ordinibus Ecclesiasticis proprie dictis, quibus Clerici a Laicis distinguuntur; illi enim omnes dictis officiis fungendis addicti, erant dumtaxat Ecclesiæ Officiales, non autem Clerici; siquidem omnes Clericorum Ordines proprie dicti per se referri debent ad Eucharistiam, sive conficiendam, sive dispensandam: prædicta autem Laborantium, Fossariorum, Custodum Martyrum, Notariorum, et Defensorum officia per se non referuntur ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam, sed ad aliqua charitatis, vel disciplinæ Ecclesiasticæ, vel Religionis officia. Charitatis quidem, ut Laborantium, et Defensorum, ac Fossariorum; disciplinæ vero, ut Notariorum; religionis denique, ut Custodum Martyrum. Quod autem illi omnes specialem Clericorum Ordinem non constituerent, patet, quia absque ullo novæ ordinationis ritu solebant seligi ab Episcopis e numero Clericorum, vel certe eorum, qui constituti erant in aliquo ex septem Ordinibus, ut videlicet præfata Officia exercerent. Etenim de simplicibus Clericis ut plurimum seligebantur Laborantes, ex Ordine Lectorum Notarii; unde commune utrorumque erat officium legendi Scripturam sacram; ex Ostiariis, et Subdiaconis, Custodes Martyrum; ex omnibus autem Ordinibus afflictorum Defensores. *Nec obstat,* quod SS. Patres interdum eos, qui hujusmodi officia exercent, Clericorum Ordinibus annumerent, et eos in ejusmodi gradibus ordinatos esse dicant. Hoc, inquam, non obstat; siquidem non loquuntur de Ordinibus stricte et proprie dictis; sed in laxiori significatione, prout Ordinis,

et Ordinationis nomen extendi potest ad quæcumque officia ecclesiastica Clericis ordinatis ut plurimum assignari solita. *Adde quod* ita forte loquantur SS. Patres, non quod ejusmodi officia secundum se spectata censeant esse veros Clericorum Ordines; sed quia ut plurimum committebantur Clericis jam ordinatis; sic officium Notarii consignari solebat Lectoribus, quapropter ubi quis ordinabatur Lector, etiam Notarii munus et officium accipiebat. — Quod spectat autem ad *Confessores*, certum est, nomen illud non esse nomen Ordinis et officii; sed dignitatis et honoris, ac cujusdam prærogativæ tribui solitæ viris sanctissimis, propter eximiam fidei professionem coram Christianæ Religionis et fidei persecutoribus et adversariis. Quod utique evidenter significat S. Clemens, loco in objectione laudato, dum ait: *Confessor non fit Ordinatione: res enim voluntatis est ac tolerantiæ: magno autem honore dignus est, ut qui coram Gentibus et Regibus confessus sit nomen Dei, et Christi ejus.* Dum vero subjicit S. Clemens, quod si opus eo Confessore fuerit in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum possit ordinari, id non debet aliter intelligi, quam servatis servandis, idest, susceptis inferioribus Ordinibus, quibus tamquam per gradus ad majores Ordines, et ad omnium eorum apicem ac fastigium, videlicet Episcopatum ascenditur.

Quoniam autem gravis apud Theologos difficultas est de Psalmistarum, seu Cantorum Officio, necnon et de prima Tonsura, ac de Episcopatu; idcirco, ut verior ac certior de his ferenda sententia luculentius et evidentius appareat; placet singula capita sub distinctis paragraphis discutere.

§ I. — Utrum Cantorum et Psalmistarum institutio sit verus Ordo Ecclesiasticus? — *Respondeo*, non esse: *primo*, quia a Concilio Tridentino non numeratur inter septem Ordines, Sess. 23. c. 2. ac subinde inter Ordines Ecclesiasticos non debet reputari; *secundo*, quia ejusmodi officium non convenit quibusdam solum Clericis, sed toti fidelium cœtui; unde Cantores seligi poterant et institui, non solum ex Christianis, sed etiam ex Catechumenis. Refert enim Socrates, lib. 9. *Tripartitæ Historiæ*, cap. 48. circa finem, Alexandriæ eo tempore in more positum fuisse, ut Lectores et Psalmi pronuntiatores indiscriminatim ex Christianis et Catechumenis fierent: Catechumeni autem cum nondum essent Baptismo initiati, nulla ratione deputari poterant inter Clericos, qui gradu cæteros fideles præcellunt. *Tertio*, omnis Ordo Ecclesiasticus proprie dictus specialem habere debet respectum et habitudinem ad Eucharistiam, sive conficiendam, sive dispensandam, ut jam pluries diximus: sed psallendi sive cantandi officium, secundum se, non habet ullam specialem habitudinem ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam: igitur, etc. *Nec obstat* quod ipsi Cantores suum officium impleant, etiam tempore solemnioris Missæ; ad hoc enim non sunt specialiter Cantores instituti, sed dumtaxat ad laudes Deo persolvendas, eique cultum religionis debitum exhibendum; ac subinde per accidens est, quod divinæ laudes a Cantoribus tempore Sacrificii Missæ persolvantur. *Quarto*, inter Ordines proprie dictos est aliqua subordinatio; omnes enim Ordines sunt veluti gradus quidam, per quos in Sacerdotium tenditur: sed Cantoratus non habet istam

cum Lectoratu subordinationem, ut fatetur etiam Morinus, exercit. 14. pat. 3. cap. 6. num. 6., ubi scribit: « discrimen notandum est inter Can- « toratum et cæteros Ordines, quod cæteri Ordines subordinati sint, et « ideo inferior suscipiendus, ut Superior legitime suscipiatur. Verum « Lectoratus et Cantoratus sese disparate habent, et sunt collaterales, « non inferiores, ac unus alterius susceptionem non postulat ». Ita Morinus; ac subinde hac ratione concludere debuisset, Cantoratum non esse Ordinem proprie dictum; cujus tamen contrarium ibidem asserit. *Denique,* omnes Ordines conferri debent ab Episcopis, ut patet ex dicendis infra: sed Cantores institui possunt etiam a simplici Presbytero, ut definit Concil. Carthaginense IV, Can. 16. his verbis: Psal- « mista, idest, Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione « Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: *Vide,* « *ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus com-* « *probes* ». Nec obstat, quod ex collectione Canonum Græcorum per Martinum Braccharensem Episcopum, cap. 40. habeatur: *Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati.* Quod etiam docet Sanctus Clemens Romanus, lib. 3. *Constitutionum Apostolicarum,* c. 11. ubi de Cantoribus velut in Ordine speciali, et a cæteris distincto constitutis, ait: *Non permittimus Presbyteris ordinare Diaconos, vel Diaconistas, vel Lectores, vel Ministros, vel Cantores, vel Janitores, sed Episcopis solis; hic est enim Ecclesiasticus Ordo, et concentus.* Favere etiam videtur Concilium Carthaginense tertium, Can. 21. ubi statuitur: *Ut Clericum alienum, nisi concedente eis Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita: Clericorum nomen etiam Lectores, et Psalmistæ, et Ostiarii retineant.* Hæc, inquam, non obstant; his enim omnibus et similibus momentis sufficit opponere præfatum Canonem Concilii Carthaginensis, quo diserte Presbytero fit potestas constituendi Psalmistam; eodem enim loco Episcopus declaratur solus Ordinum Ecclesiasticorum Minister, ut constat a Canone tertio usque ad decimum, ubi expresse traditur ritus, quo singuli Ordines debeant ab Episcopo conferri. Unde ad præfata momenta responderi potest, Constitutiones illas de Cantorum institutione a solo Episcopo facienda, non esse intelligendas de Cantoratu secundum se præcise, sed ratione sibi adjuncti Ordinis, videlicet Lectoratus; ita quod soli Episcopo concessum sit, aliquem Lectorem efficere Psalmistam; quia videlicet officium psallendi in Ecclesiæ suggestu annexum sit Clericatui, in quem solus Episcopus, utpote supremus Hierarcha, potest, quos judicaverit idoneos, seligere et coaptare. Unde præfatus Martinus Braccharensis ibidem observat, solitum fuisse psallendi officium solis Lectoribus attribui; id enim significant ipsius Martini verba; ait enim: « non licet in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati ». Quibus verbis non Psalmistæ ordinationem ab Episcopo fieri, sed solis Sacerdotibus ordinatis officium istud tribui debere, significatur. Unde merito Concilium Carthaginense tertium vetat, ne Cantores et alii Clerici in aliena Diœcesi ad superiores Ordines promoveantur absque licentia proprii Episcopi, quippe jam illi Cantores et Psalmistæ initiati erant Clerici, et Lectores ordinati.

Dices: S. Clemens, lib. 3. *Constitut. Apostolicarum,* diserte pro-

nuntiat, Cantores in numerum Clericorum esse computandos: *tum* quia eos cæteris Clericis, nempe Diaconis et Presbyteris adjungit: *tum* quia postquam declaravit omnes a solis Episcopis ordinandos, subdit: hic est enim Ecclesiasticus Ordo, et concentus. *Deinde,* in Canone 26. Apostolorum, hominibus, qui ad Clerum accesserunt, negatur facultas post ordinationem ducendi uxorem; conceditur tamen nominatim Lectoribus, atque Cantoribus; sed si Cantores non pertinebant ad Clerum, non erat opus eos inter Ordines Ecclesiasticos numerare, neque concedere facultatem, quam Laici sine ulla dispensatione et venia passim habent. *Insuper,* Concilium Laodicenum Cantores una cum aliis Clericis recenset, eosque Ecclesiasticæ disciplinæ ac Canonibus pro Clericorum institutione subjicit, ut constat ex Can. 15. et 23. maxime vero 24., ubi decernitur: *Quod non oporteat sacro ministerio deditos a Presbyteris usque ad Diaconos, et reliquum Ecclesiasticum Ordinem, idest, usque ad Subdiaconos, Lectores, et Cantores, Exorcistas, et Ostiarios, et ex numero Continentium, et Monachorum, ingredi tabernas.* Idem pariter docent S. Ambrosius, lib. 1. *De Officiis,* cap. 44. et S. Isidorus, lib. 7. *Etymologiarum,* cap. 12. et Justinianus Imperator, novella 3. cap. 2. aliique plurimi passim Græci Scriptores: igitur revera Cantoratus tunc temporis erat Ordo Ecclesiasticus. — **Nego consequentiam,** *et ad antecedens* dico, quod cum sive Concilia, sive SS. Patres Psalmistarum seu Cantorum officium Ordinibus Clericorum accensent, ibi Ordinum nomen stricte non usurpant, et in propria significatione, sed latius, et prout vocabulum istud extenditur ad officia et ministeria quædam Ecclesiastica, quibus Clerici inter se, et ab invicem distinguuntur; vel certe Ordinis appellationem Cantoratui attribuunt, non ratione sui præcise, sed ratione adjuncti Ordinis Lectoratus, cui ex antiqua Ecclesiæ disciplina solebat adjungi, quemadmodum ex Martino Braccharensi supra observavimus. *Nec obstat,* quod in Græcis Euchologiis describatur ritus, quo conferri debeat Cantoratus, quemadmodum et cæteri Ordines, sicut et in Concilio quarto Carthaginensi, Can. supra laudato. Enimvero non solum ibi describuntur ritus, quibus conferri debeant Ecclesiastici Ordines, sed etiam quibus traditur potestas ad exercenda quædam officia, seu ministeria Ecclesiastica, ut constat ex ipsis Græcorum Euchologiis, ubi referuntur ritus instituendi Abbates, Archidiaconos, Protopresbyteros, Œconomos, et alia ejusmodi Ecclesiastica munia, quæ veram Ecclesiastici Ordinis proprie dicti rationem et dignitatem non habent. Idem dicendum de Can. 10. Concil. Carthagin. IV; nam Can. 11. immediate sequenti tradit etiam ritum instituendi Sanctimoniales Virgines: *Sanctimonialis Virgo,* inquit, *cum ad consecrationem sui Episcopo confertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniæ aptis.*

Ex his itaque apparet Cantoratum non esse Ordinem Ecclesiasticum proprie dictum, nisi forte quatenus usurpatur pro Lectoris officio, quippe Cantoris et Lectoris officia summe affinia sunt; nam Lector etiam legit Psalmos, et solum ministerio differt a Cantore, quoad modum pronuntiandi, quod videlicet Lector Psalmos recitet legendo, Psalmista vero cantando et modulando. Quod insuper confirmatur ex eo, quod status Ordinis Ecclesiastici sit quid permanens: at Cantoratus

officium non est permanens ac stabile, tamdiu namque solum durare debet, quamdiu quis pollet voce canora, ut asserit S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 12. Cui concinit Guillelmus Parisiensis, lib. *De Sacramento Ordinis*, cap. 3. ubi addit, quod Ecclesia primitiva cantus non habuit, neque Psalmodiam, sed simplicem solam prosaicæ pronuntiationis lectionem: Psalmodia autem et Cantus postmodum, causa solemnitatis et excitandæ devotionis, ampliato decore divini cultus, superaddita sunt. Et quia eadem erant, quæ in primitiva Ecclesia legebantur, et ejusdem pœnitus sanctitatis cum his, quæ modo psalmantur et cantantur, idem Ordo, eademque sanctitas necessario permansit in Ministris, cum psallentium cantus nec rerum sanctitatem mutaverint, nec Ordinem mutare nullatenus debuerint.

§ II. — UTRUM TONSURA CLERICALIS SIT ORDINIBUS ECCLESIASTICIS ACCENSENDA? — Clericalis Tonsura nihil est, quam ritus quidam peculiaris, quo quis Ecclesiasticæ veluti militiæ adscribitur, et a Laicorum ordine ad Clericorum statum et dignitatem promovetur. Qui utique ritus idcirco Tonsura dicitur, quia fit a tonsione capillorum, qui ab Episcopo resecantur, in signum veluti sacri status, quo Deo homines consecrati a profanis secernuntur. Hic autem ritus ab Apostolis videtur institutus, ut asseritur in Conc. Aquisgranensi cap. 1. Unde Apostolus 1. Cor. 11. asserit ignominiam esse viro, *si comam nutriat*, gloriam vero mulieri, *si nutriat;* quod ideo dixit (ut notat Baronius tomo primo *Annalium* an. 14. Petri) quia Gentiles comam crispabant, idcirco Christianos ab eo abusu dissuadere voluit, et consequenter multo magis Ecclesiæ Ministros. Hinc Anicetus Papa, Epist. ad Episcopos Galliæ, et Concilium Carthaginense quartum, Can. 44. prohibent Clericis comam nutrire. Gregorius IX, cap. *Si quis*, de vita, et honestate Clericorum: *Si quis ex Clericis comam nutriat, anathema sit.* Et Alexander III, Cantuariensi Episcopo scribens, ut refertur cap. *Clericis* eodem titulo: *Clerici qui comam nutriunt, et barbam, etiam invitî a suis Archidiaconis tondeantur.* Et S. Isidorus, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 1. fuse explicat significationem hujus coronæ Clericalis, et originem illius ducit ab Apostolis. Venerabilis Beda, lib. 5. *Histor. Angl.* cap. 22. refert Epistolam quam Geolfridus Abbas scripsit ad Regem Naitanum, ubi refert originem Tonsuræ Clericalis ad S. Petrum, ut et Amalarius, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 5. refert ad eumdem, aut aliquem ex ejus Successoribus. Germanus Episcopus Constantinopolitanus in Theor. rerum Ecclesiast. asserit hanc coronam Clericalem *referre imaginem venerandi capitis Apostoli Petri, qui cum missus esset ad prædicationem Domini, et Magistri, ei tonsa est cæsaries ab his, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, et infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit*, etc. Gregorius Turonen. in vita SS. Patrum, cap. 17. refert, S. Nicetum Episcopum natum cum corona Clericali, in signum, quod Deus illum in Clericum et Episcopum designasset.

Tonsura autem hæc, ut patet ex Beda, Amalario, et aliis, significat Clericos debere habere animos elatos ad Deum; non debere cor apponere ad superflua hujus mundi bona; debere lugere sua, et populi peccata; debere agnoscere se designatos ad servitium divinum;

se esse specialiter gentem sanctam, regale Sacerdotium; debere sæpius in memoriam revocare passionem Christi, ejusque spineam coronam, et paratos esse debere ad ludibrium, et quævis alia mala pro Christi amore patienda.

De hoc autem ritu sacro quæritur, utrum sit Ordo proprie dictus, et a septem supra recensitis distinctus. *Affirmant* pene omnes Canonistæ, ut refert Vazquez, disp. 236, quemadmodum deprehendi potest ex eorum scholiis et annotationibus ad caput, *Cum contingat*, de ætate et qualitate ordinandorum; imo ex Theologis Scholasticis eamdem sententiam tuentur Joannes *Major* in 4. dist. 14. q. 1. Joannes Ekius in Homilia de Ordinibus, necnon et Angelus in sua *Summa*, verbo Ordo, n. 1. ubi docet primam Tonsuram esse Ordinem, et ita illis septem, quos enumeravimus, octavum esse addendum. Quam utique sententiam confirmat ex præfato capite, ubi sic legitur: *Cum contingat interdum, quod laici ad Monasteria convolantes a suis Abbatibus tonsurentur, requisisti an Clericatus Ordo in Tonsura hujusmodi conferatur.* Nam cum ibi, et iterum in fine capitis primam Tonsuram Pontifex appellet Ordinem Clericatus, in numerum Ordinum Ecclesiæ videtur redigenda.

Verum reclamant omnes alii Theologi una cum Seraphico Doctore in 4. part. 1. dist. 24. q. 2, et Angelico q. 3. art. 1. eaque sententia probatur primo ex Concil. Trid. Sess. 23. cap. 2. ubi postquam dixit plures esse in ordinatissima Ecclesiæ dispositione Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio deserviunt, statim ita subjungit: *Ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Qui utique dicendi modus aperte significat, Tonsuram non esse cum Ordinibus minoribus aut majoribus computandam; sed tantum esse dispositionem et præparationem aliquam ad Ordines rite et debite suscipiendos, ut explicat Catech. Rom. *De Sacramento Ordinis*, n. 27. *Incipiendum est*, inquit, *a prima Tonsura, quam quidem docere oportet, quamdam præparationem esse ad Ordines accipiendos; ut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonia sponsalibus præparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur; declaratur enim, qualis esse debeat, qui sacris imbui cupit.*

Deinde, ad rationem Ordinis Ecclesiastici proprie dicti requiritur, ut per eum conferatur aliqua potestas activa, per quam quis fiat idoneus ad exercendum aliquod ministerium circa Eucharistiam conficiendam, vel dispensandam: sed per Clericalem Tonsuram non confertur ejusmodi potestas ad ullam functionem sacram specialem, et determinatam, quam etiam laicus non possit exercere, quippe illa nihil aliud est, quam simplex Clericorum designatio, ad probationem doctrinæ, et morum, ut si postmodum judicati fuerint idonei, functionum Ecclesiasticarum potestas eis tradatur. Unde merito Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Ordine*, cap. 3. ait, *Clericatum non esse Ordinem, sed tantum veluti militiæ simplicem titulum;* ita quod quemadmodum, cum aliquis miles efficitur præcise et simpliciter, nullum ei singulare vel speciale officium committitur, sed tantum deputatur ad militandum, sic per primam Tonsuram militiæ Clericali adscriptus, non ex hoc alicujus Clericalis officii specialem dignitatem adipiscitur.

« Dicendum ergo, *inquit Seraphicus Doctor*, quod sicut in tran-

« seuntibus de uno statu ad alium, præmittitur aliquod præparatorium, « quod non ponit in statu, sed disponit, sic in proposito intelligendum « est. Nam suscipientes Ordinis Sacramentum, in quodam speciali statu « inter fideles collocantur; unde quemadmodum inter statum sæcu- « larem et Religiosum medius est Novitiatus, in quo nec sæcularis, « nec religiosus est proprie, cum non noverit ea, quæ sunt Religionis, « servare; et sicut inter fideles et infideles medii sunt Catechumeni, « qui tamen non sunt inter fideles computandi; imo hora Commu- « nionis de Ecclesia consueverunt emitti, sicut novit jus de capitulo; « sic Clerici medii sunt, in quantum habent Tonsuram, inter Laicos « et Ordinatos; quia tamen signum istud omnibus est commune; ideo « omnes Clerici nuncupantur, et confunditur nomen. Sicut ergo no- « vitiatus non est religio, sed ad Religionem disponit; et catechume- « natio, sive catechizatio non est Baptismus, sed dispositio et præ- « paratio; sic commune signaculum non est Sacramentum, nec Ordo, « sed tantum dispositio ».

Objicies 1. Ordo Ecclesiasticus ille est, quo Clerici secernuntur a Laicis, et ad ministeria sacra deputantur: sed talis est Tonsura Clericalis. *Primo* namque per eam Clerici initiantur, et a Laicis distinguuntur. Et insuper per Tonsuram eis confertur potestas officium psallendi, seu decantandi laudes divinas. *Secundo*, Innocentius III, cap. *Cum contingat*, distincte primam Tonsuram, Ordinem appellat; quod pariter præstat Alcuinus, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 85. *Tertio*, Tonsura initiati gaudent Clericorum privilegiis; sunt enim capaces beneficiorum possidendorum, quorum incapaces sunt Laici: igitur illa revera accensenda est cum Ordinibus Ecclesiasticis. — **Respondeo** *primo*, negari posse *majorem:* siquidem ratio Ordinis Ecclesiastici proprie dicti non refertur solum ad quodlibet officium Ecclesiasticum exercendum; alioquin omnia prorsus Ecclesiæ munia et officia, quibus officiales Ecclesiastici a fidelium plebe distinguuntur, censerentur veri Ordines Ecclesiastici; cujus utique contrarium apparet ex jam pluries dictis. Hinc, ut diximus, Ordo Ecclesiasticus proprie dictus significat aliquem gradum potestatis in Ecclesia respective ad Sacramentum Eucharistiæ. Quod utique Clericis solum tonsuratis non competit. *Respondeo secundo, distinguendo minorem:* Tonsurati distinguuntur a Laicis, ratione status Clerici, quo initiantur, *concedo:* ratione alicujus Ordinis proprie dicti, *nego*. Unde *ad primam probationem* dico, officium psallendi, seu decantandi laudes divinas, non esse aliquod munus speciale solis Tonsuratis proprium; vel enim illa decantatio fit communiter, et absque solemni ritu, vel cum aliquo speciali ritu et solemnitate in choro. Si primum, hoc officium psallendi convenit omnibus omnino fidelibus. Si secundum, omnibus quibuscumque Clericis competit; omnes enim in Ecclesia laudes Deo psallendi et cantandi facultatem habent. Et si hoc officium alicui specialiter attribuendum esset, potius Lectorum Ordini, quam simplicibus Tonsuratis esset committendum. *Ad secundum dico*, Innocentium, et Alcuinum, Tonsuram appellare Ordinem, laxius sumpto Ordinis nomine, videlicet pro quocumque gradu Ecclesiastico, quo Clerici distinguuntur a Laicis; non autem proprie pro gradu, quo quis constituitur in aliqua potestate activa, circa Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam. Porro Ordo

Ecclesiasticus proprie dictus non significat tantum aliquem gradum eminentem in Ecclesia, respective ad omnes fideles; nam hac ratione insigniti prima Tonsura dicerentur esse in gradu eminente supra cæteros fideles Laicos, a quibus per suum statum distinguuntur; sed ita dicitur comparative ad congregationem ministrantium in templo in Ordine ad Eucharistiam, quo sensu prima Tonsura non est Ordo; quia primus gradus, per quem ascenditur in templo ad Sacerdotium, inquit Vazquez n. 11, et per quem ii, qui ministrant in templo, ascendere incipiunt, est Ostiariatus, sicut primus gradus in scala non est pavimentum, sed ille per quem, et ad quem ex pavimento ascenditur.

Nec obstat, quod Sixtus V, in *motu proprio*, edito anno 1588. nonis Januarii contra male promotos ad Ordines, primam Tonsuram appellet *Clericalem characterem;* nam ibi *characteris* nomine non significat aliquam qualitatem indelebilem animæ impressam, qualis censetur character per majores Ordines impressus; sed characterem accipit pro destinatione perpetua ad statum Clericalem. *Ad tertium* dico, quod etsi Tonsurati gaudeant privilegiis Clericorum, inde non est consequens Tonsuram esse Ordinem; siquidem mulieres, et laici, qui solemnem professionem emiserunt in aliqua religione approbata, gaudent quoque immunitatibus et privilegiis Clericorum; nec tamen illa professio solemnis dici potest Ordo Ecclesiasticus proprie dictus.

Objicies 2. Concilium Trident., Sess. 14. cap. 2. decreti *De reformatione,* decernit eum fore suspensum, qui absque proprii Episcopi licentia et expresso consensu ab alieno Episcopo Tonsura Clericali fuerit initiatus. Et Sess. 23. cap. 4. et 6. *De reformatione,* eadem prohibitione ligat Tonsuratos, qua et minoribus Ordinibus initiatos: igitur cum Concilium Tonsuratos pares faciat aliis Ordinatis, pariter significat primam Tonsuram esse Ordinem. — **Nego consequentiam**; imo contrarium ex ipsismet locis evincitur; siquidem Concilium ibi aperte distinguit primam Tonsuram a minoribus Ordinibus; ac subinde censet illam Ecclesiasticis Ordinibus proprie dictis non esse accensendam; si enim locum aliquem haberet inter Ordines Ecclesiasticos, maxime inter minores, a quibus cum ex Concilio distinguatur, consequens est, quod a numero Ordinum sit arcenda. *Nec obstat,* quod Concilium Tonsuratos eadem prohibitione coarctet, qua Ordinibus initiatos. Id enim præstat, non ut significet Tonsuram esse Ordinem, sed tantum aliquem statum, ex quo quis ad Sacerdotium per Minores Ordines gradum facere non possit, si hujusmodi statutis et legibus contraierit.

§ III. — Utrum Episcopatus sit Ordo, isque distinctus a Sacerdotio? — Ut evidentior et facilior sit hujusce propositæ quæstiunculæ responsio, *observandum est* in primis cum Doctore in 4. dist. 24. n. 5. Episcopatum posse comparari cum Sacerdotio duobus modis: vel ratione potestatis jurisdictionis, vel ratione potestatis Ordinis; seu respective ad Corpus Christi mysticum regendum, necnon ad actiones sacras et hierarchicas exercendas; vel ad Corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum et dispensandum. Priori modo certum est, quod Episcopatui conveniat quædam potestas specialis, quæ non competit Sacerdoti. « Unde, *inquit Doctor,* Episcopatus « potest dici eminens gradus, vel propter universalitatem actuum,

« quos respicit; vel propter nobilitatem actus, quem respicit. Quæ « utique distinctio patet in aliis politiis, ubi alicui competunt plures « actus, et alicui pauciores; tamen nobilior potest sibi competere, ut « Judex potest sententiare, qui est actus nobilior, quam multi alii. « Sed cui competit universalitas ad actus, ei competit etiam actus « nobilior; et ex hoc videtur, quod gradus ille, qui respicit univer- « salitatem actuum, sit simpliciter superior, quam ille, qui respicit « præcise actum nobilissimum; et sic diceretur Episcopatus simpliciter « superior Ordo; quia habet ordinem ad omnes actus Ecclesiasticos. « Sacerdos autem non habet ad omnes, licet habeat ad nobilissimum ». *Ita Doctor*, quibus verbis in Episcopo distinguit duplicem potestatem: unam quidem jurisdictionis, in Ordine ad Corpus Christi mysticum, circa quod plures actiones Hierarchicas exercet, quas exercere non potest simplex Sacerdos: aliam vero Ordinis circa Corpus Christi verum in Eucharistia. Potestas jurisdictionis improprie tantum dicitur *Ordo:* potestas vero Ordinis seu consecrationis Sacramentum Ordinis proprie constituit. De priori non est controversia, siquidem apud omnes constat Episcopatum hoc sensu esse Ordinem ab aliis distinctum; sed quæstio est de posteriori potestate, utrum revera Episcopatus, respective ad Corpus Christi verum, sit Ordo distinctus a Sacerdotio.

Observandum secundo ex eodem Doctore, ibidem n. 7. « Quod actus « nobilissimus in Ecclesia simpliciter est consecratio Eucharistiæ; et « ita supremus gradus, sive nobilissimus propter nobilitatem actus, « ad quem disponit, est Sacerdotium. Et per consequens isto modo « accipiendo descriptionem Ordinis, juxta primam descriptionem po- « sitam in primo Articulo, et distinctionem Ordinis in Ecclesia, tantum « sunt septem Ordines: quorum *primus* est gradus disponens ad con- « secrationem Eucharistiæ, et est *Sacerdotium*. *Secundus* gradus est « disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem Sanguinis, et est « *Diaconatus*. *Tertius* est disponens ad oblationem materiæ Euchari- « stiæ consecrandæ, et est *Subdiaconatus*. Et patet ratio, quare tres « isti gradus Sacramenti dicantur Ordines, quia immediate disponunt « ad actum aliquem vel ministerium circa Eucharistiam, vel ejus « materiam. Ulterius, aliqui alii gradus disponunt ad actus remote se « habentes ad Eucharistiam. Vel ergo ad convenientem dispositionem « in populo ad adorandum, et suscipiendum; vel removendum impedi- « mentum, seu dispositionem inconvenientem. *Primo* modo dispositio « conveniens pertinens ad affectum est devotio; et ad hanc devotionem « attendit *Acolythus* illuminando cereos. Alia dispositio est pertinens « ad intellectum, scilicet cognitio; et ad hanc agit *Lector*. Removere « prohibens, est arcere indignos, ne approximent: vel ergo indignos « homines, et hoc pertinet ad officium *Ostiarii:* vel dæmones, et hoc « pertinet ad officium *Exorcistæ*. Ex dictis apparet, quod non est pro- « prius actus Diaconi legere Evangelium, et Subdiaconi Epistolam; « sed isti sunt remoti, et minus perfecti actus eorum; perfectissimi « autem et proprii illorum Ordinum sunt, quos habet unus immediate « circa Eucharistiam dispensandam; alius circa materiam ejus offe- « rendam ». *Ita Doctor*. Quibus, ut apparet, singulos Ordines recenset, et eorum distinctos gradus colligit ex diverso ordine et ministerio, quod habent respective ad Eucharistiam.

Quantum autem ad Episcopatum, utrum sit Ordo proprie dictus, multiplex est Auctorum sententia. *Quidam* enim aperte negant, Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem; ita *Magister sententiarum*, dist. 24. et eam insinuare videntur Alensis 4. part. q. 20. memb. 8. art. 1. et q. 21. memb. 1. ad. 4. ubi negat Episcopatum esse Ordinem novum, sed per eum ampliari potestatem clavis, quæ sequitur ad Ordinem Sacerdotii, per consecrationem Episcopalem. In eam pariter sententiam descendit S. Thomas, dist. 24. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2. et S. Bonaventura, in 2. part. ejusdem distinctionis, art. 2. q. 3. ubi ait: Episcopatus, præcise loquendo, non est Ordo, sed Ordinis eminentia vel dignitas; et Albertus Magnus, eadem dist. art. 39. necnon et plures alii tam veteres, quam recentiores. *Secunda sententia*, præcedenti e diametro opposita, est, Episcopatum ut sic, prout præscindit a Sacerdotio, esse ordinem proprie dictum, et distinctum e septem assignatis. Ita docet Altissiodorensis, lib. 4. summæ Tract. 8. q. 1. et omnes Canonistæ in caput, *Cleros*, dist. 21. Cui pariter subscribit Durandus, dist. 24. q. 5. Paludanus, q. 6. Bassolius, quæst. unica, et ex recentioribus Bellarminus, lib. *De Ordine*, cap. 5. et Vazquez, 3. part. disp. 224. cap. 4. *Tertia denique sententia*, veluti medians inter duas priores extreme oppositas, eorum est, qui contendunt Episcopatum quidem esse verum et proprie dictum Ordinem, non tamen adæquate distinctum a Sacerdotio, sicut alii Ordines inter se distinguuntur. Quam utique sententiam indicat Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Ordine*, eamque tuetur Gabriel in Supplemento. Quibus ita præmissis,

Respondeo primo, revera Episcopatum esse Ordinem proprie dictum; id enim docet Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. ubi ait: *Docet insuper sacrosancta Synodus in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio.* Quibus verbis Concilium appellat Episcoporum Ordinationem, non minus, quam Sacerdotum, et cæterorum Ordinum proprie dictorum.

Probatur autem hæc assertio: *primo* quidem ex Scriptura sacra, nam 1. ad Timoth. 4. monet eum Apostolus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Quibus verbis Apostolus significat Ordinationem Timothei in Episcopum, qui est gradus Ordinis Sacerdotalis, per quem confertur gratia.

Idem docent Concilia, quæ eodem modo loquuntur de Episcopatu, quo de Sacerdotio, et eum expresse Ordinem appellant, et Episcopi institutionem nominant ordinationem, quemadmodum et initiationem aliorum Ordinatorum, ut videre est apud Concilium quartum Carthaginense, Can. 2. ubi de Episcopi consecratione, sicut et de Presbyteri, aliorumque ordinatorum, dicitur: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, et teneant Evangeliorum codicem super caput, et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis super caput ejus tangant.* Pari autem vocabulo *Ordinationis* non utitur, dum agit Can. 10. *De institutione Psalmistæ*, eo quod Cantoris officium non sit Ordo proprie dictus.

Idem pariter docent SS. Patres, qui quoties mentionem de Epi-

scopatu faciunt, toties expresse Ordinem appellant; quod utique non facerent, nisi apud eos Episcopatus esset Ordo proprie dictus. Sic in primis S. Dionysius, cap. 5. lib. *De Hierarchia Ecclesiastica*, ubi tres distincte numerat Ordines Ecclesiasticos, nempe Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum. Et S. Epiphanius, Hæresi 75. ubi Episcopatum appellat Ordinem; scribit enim: *Dicere Episcopum, et Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile; Episcoporum enim Ordo Patrum generator est: Patres enim generat Ecclesia: Presbyterorum vero Ordo non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesia, non tamen Patres.* Idem habet Justinianus Imperator, novella 123, cap. 26. ubi Episcopatus dicitur *Episcopalis Ordo.* — Similiter Anacletus, summus Pontifex, Epist. 3. cap. 1. dicit, Sacerdotum Ordinem bipartitum esse, in Episcopos nempe, qui succedunt Apostolis, et Presbyteros, qui septuaginta duorum Domini discipulorum locum tenent; unde concludit: *Amplius, quam illi duo Ordines, nec nobis a Deo collati sunt, nec Discipuli docuerunt.* — Idem habet Eusebius, Epist. 4. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum, cap. 3. Joannes III, in Epist. ad Episcopos per Germaniam, et Galliam constitutos. Cæteri quoque summi Pontifices, qui de Episcopatu expresse meminerunt, non solum illum appellarunt dignitatem, sed etiam Ordinem Ecclesiasticum, et Episcopos Presbyteris non solum officio, aut dignitate, sed etiam Ordine; nec sola jurisdictionis potestate, sed etiam Ordinis superiores esse atque eminentiores affirmant. Hinc est, quod apud eos Presbyteri dicuntur constituti in secundo Ordine Ecclesiastico, Diaconi in tertio, Subdiaconi in quarto. Sic S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua dum suam ad Presbyteratum promotionem refert, ait se a proprio parente, qui erat Episcopus Ecclesiæ Nazianzenæ, *constitutum esse in secundo Ordine, et secunda dignitate*, idest factum Presbyterum, quemadmodum interpretatur S. Gregorius Presbyter in ejus vita. — Similiter Optatus Milevitanus, lib. 5. *Contra Parmenianum*, dicit, Diaconos in tertio, Presbyteros vero in secundo Sacerdotio constitutos esse; Episcopos vero *omnium Principes et apices* appellat. Quibus subscribit S. Leo, Epist. 184. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 4. ubi Subdiaconatus Ordinem quartum ab Episcopo nuncupat, Episcopatum vero primum, Presbyteratum autem secundum, Diaconatum denique tertium Ordinem esse dicit. Idem habet Sydonius Apollinaris, lib. 4. Epist. 11. et 25. necnon et Synodus Romana sub Symmacho Pontifice, Can. 6. ubi Presbyter homo secundi in Ecclesia Ordinis esse dicitur, et Episcopatus ac Presbyteratus Ordines appellantur.

Idipsum etiam suadet ratio: Ordo enim proprie dictus est ritus, seu cæremonia sacra, qua confertur potestas, seu gradus, secundum quem aliquis est alio superior, vel inferior, in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut dispensandum: sed Episcopatus talis est; licet enim secundum se, et quatenus præscindit ac condistinguitur a Presbyteratu, non ordinetur primo et per se ad conficiendum Corpus Christi in Eucharistia, sed illius conficiendi potestatem præsupponat; ad id tamen ordinatur, in quantum per Episcopalem gradum Episcopus possit aliis dare potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem Christi in Eucharistia; siquidem Episcoporum est Sacerdotes conse-

crare, necnon et templa, altaria, et sacras vestes, quæ ad Eucharistiæ consecrationem spectant et ordinantur: igitur revera Episcopatus habet rationem Ordinis proprie dicti.

Suaderi etiam potest ratione Doctoris, n. 7. vel potestas spiritualis Episcopi, quatenus præscindit a Sacerdotio, est potestas Ordinis, vel jurisdictionis: at non est potestas simplex jurisdictionis; alioqui hæc auferri posset per Superiorem, quod videtur inconveniens: igitur est potestas Ordinis; ac subinde Episcopatus secundum se est revera Ordo Ecclesiasticus. Porro quod potestas Episcopalis secundum se non sit simplex potestas jurisdictionis, aperte tradunt antiqui Canones, quibus præcipitur, hæreticos in suo gradu admitti ad Ecclesiam, abjecta hæresi, et id potissimum de Episcopis sancivit VII Synodus, *actione* 1. At hujus decreti nulla esset ratio, si dignitas Episcopalis fundaretur in sola jurisdictione amissibili et separabili a persona, quia certum est extra Ecclesiam, nullam dari jurisdictionem in aliqua hæresi; ac proinde Ordinatio Episcoporum ab hæreticis esset nulla, si consisteret in jurisdictione mera, quæ non esset potestas; quamobrem receptio Episcoporum in suo gradu supponit priorem ordinationem validam fuisse, neque posse innovari; ac proinde potestatem Ordinis; numquam enim solita est Ecclesia recipere aliquem in eo gradu, quem invalide recepit. Unde sanctus Augustinus perinde asserit contra Donatistas, Ordinem acceptum in hæresi valere, sicut et Baptismum, lib. 2. *Contra Parmenianum,* cap. 13. et cap. 11. lib. 1. *De Baptismo,* cap. 1. Epist. 50, et *De bono conjugii,* cap. 18, et 24. et alias sæpe. Hinc etiam Tridentinum, Sess. 7. docet Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem, ex quo habent esse initerabiles. Recipiendo ergo Episcopos ordinatos ab hæreticis, et non per novam Ordinationem, supponitur fuisse priorem validam, et non iterabilem, ac proinde impressisse characterem hujus Ordinis. Unde idem Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. *Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut in Baptismo et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, Laicos effici posse,* etc. Postea subdit, id esse *Ecclesiasticam Hierarchiam* confundere: *Proinde sacrosancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere.* Hæc verba ex causali referunt doctrinam in initio capitis datam, de impressione characteris, et ejus indelebilitate. Ergo supponit in Ordinatione Episcopi imprimi characterem; et potestatem, quam habet, ordinandi cæteros, et confirmandi, in qua eminet Sacerdoti, esse potestatem Ordinis, et non jurisdictionis.

Dices 1: Ordo proprie dictus referri debet ad sanctam Eucharistiam conficiendam, vel dispensandam, et per respectum et habitudinem ad eam a cæteris distinguit: sed Episcopatus secundum se præcise, et prout præscindit a Presbyteratu, nullam importat habitudinem ad Eucharistiæ Sacramentum; neque enim Sacerdoti Eucharistiam conficienti, sive dispensanti ministrat, quippe simplici Sacerdote Episcopus altior est, atque sublimior: neque etiam præstantiorem quam simplex Sacerdos habet consecrandi potestatem, quia unusquisque Sa-

cerdotum æqualem potestatem habet, et quantum ad confectionem Sacramenti Eucharistiæ, independentem ab Episcopo, ubi semel ab eo fuit collata: simplex enim Sacerdos, etiam reluctante Episcopo, valide posset consecrare: igitur Episcopatus, quatenus a Sacerdotio distinguitur, non est specialis Ordo. — **Distinguo minorem**: non habet specialem respectum et habitudinem proximam, et immediatam, ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum, et ministrandum, *concedo:* remotam, et mediatam, *nego*. Episcopi namque, ut sic præcise, est ordinare Sacerdotes, consecrare templa, altaria, vasa, et vestimenta sacra, quæ omnia per se, et immediate referuntur ad Eucharistiæ confectionem, et Missæ Sacrificium, sicque Episcopatus, in quantum præscindit a Presbyteratu, habet aliquam habitudinem, tametsi remotam et mediatam ad Eucharistiæ Sacramentum. Porro hæc diversa habitudo mediata sufficit ad rationem Ordinis proprie dicti; etenim Diaconatus, et Subdiaconatus, multo minus inferiores Ordines, non habent proximam et immediatam habitudinem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, sed mediatam dumtaxat et remotam, in quantum videlicet assistunt et ministrant conficienti.

Dices 2: Si Episcopatus esset Ordo, haberet tempus præfixum, quo conferri deberet; siquidem conferendorum Ordinum tempus aliquod certum ab Ecclesia præfigitur; in pluribus enim Canonibus sancitum est, quod majores Ordines non conferantur, nisi in sabbatis quatuor temporum, et duobus aliis Sabbatis, videlicet ante Dominicam Passionis, et Pascha: sed Episcopatus non habet tempus præfixum et determinatum, in quo conferri debeat; siquidem conferri potest quovis die Dominico et festivo: igitur, etc. — **Respondeo**, *negando minorem:* siquidem Episcopatus conferri tantum debet die Dominico et festivo, ut inde appareat, quod sit eminentior simplici Sacerdotio, quod dumtaxat die *feriali* conferri solet. *Adde quod*, si quid concluderet hoc argumentum, sequeretur, quod quatuor Minores non essent Ordines proprie dicti; siquidem ex jure licitum est Episcopis eos conferre Dominicis, et aliis diebus, ut habetur expresse capite, *de eo, extra de temporibus Ordinationum.*

Dices 3: Episcopatus, quatenus a Sacerdotio præscindit, solum importat quamdam dignitatem Episcopi, tamquam superioris Sacerdotis in alios Ecclesiæ Ministros: igitur non est specialis Ordo Ecclesiasticus. *Probatur antecedens* auctoritate S. Hieronymi, Tom. 6. in *Commentariis* Epistolæ ad Titum, cap. 1. ubi exponens illa verba: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi*, hæc habet: *Idem est ergo Presbyter, qui et Episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur; postquam autem unusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus Presbyter electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur*, etc. Item Epist. ad Evagrium, quæst. 35. et 1. ad eumdem ait: *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexan-*

driæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium Episcopum, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent: igitur ex mente S. Hieronymi Episcopatus jure divino a Sacerdotio non distinguitur, ac subinde non potest esse Ordo a Sacerdotio distinctus. — **Respondent aliqui** cum nostro a Castro, verbo *Episcopus*, et Vazquezio, disp. 240. c. 1. revera S. Hieronymum existimasse jure divino Episcopum non esse superiorem Presbytero, at jure Ecclesiastico recte collocatum esse supra illum ad vitanda schismata, et in hoc S. Hieronymum ab Aërio discrepasse, quod Aërius dixit, jure etiam Ecclesiastico male fuisse Episcopos collocatos supra Presbyteros. — *Verum respondeo,* eam non fuisse S. Hieronymi sententiam, quod Episcopi dumtaxat jure Ecclesiastico simplicibus Sacerdotibus superiores sint; contrarium enim aperte docet etiam ipse in Epistola ad Evagrium, ubi scribit: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non facit Presbyter?* et in dialogo contra Luciferianos respondens quæstioni, qua quærebatur, *quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in Baptismate tribui? Disce* (inquit) *hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensionem Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Quibus verbis insinuat, Episcopos dare Spiritum sanctum, quia Apostolis succedunt. Insuper Epist. ad Heliodorum, Diaconatum tertium gradum constituit inter Ordines Ecclesiasticos; in Isaiæ, cap. 19. super illud: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti*, etc. intelligit quinque ordines Ecclesiæ, tres Ministrorum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, reliquos alios plebis, nempe fidelium baptizatorum, et Catechumenorum; in Jeremiæ, c. 13. vocat Episcopos primum Ordinem, Reges Ecclesiæ, et filios de stirpe David; Sacerdotes vero secundum gradum in honore Ecclesiastico. Item in Matth. 25. asserit, Apostolos constituisse Presbyteros, et Episcopos per singulas civitates. Contra Jovinianum, c. 19. docet Episcopos potiori jure teneri ad cœlibatum, sicut et Presbyteros, et Diaconos. *Quod confirmari potest*, quia hanc differentiam constituit S. Hieronymus inductam esse ex occasione schismatis, de quo agit S. Paulus in 1. ad Corinth. c. 3. Sed eodem anno, nempe Christi 57. scipsit etiam S. Paulus primam ad Timoth. in qua de ordinatione Episcopali agitur, ut supra visum est: ergo distinctio utriusque Ordinis præcessit illud schisma. Accedit ex Simeone Metaphraste in Itinerario S. Petri, antequam Romam veniret (de qua re Baronius anno 44). plures ab eo constitutas Ecclesias fuisse, et ordinatos Episcopos, quod contigit ante schisma. Præcessit etiam ordinationem tam S. Jacobi, quam S. Pauli, et Barnabæ. Ergo a sancto Hieronymo Scripturarum et historiarum peritissimo, qui etiam *de scriptoribus Ecclesiasticis* illam ordinationem S. Jacobi in Episcopum Hierosolymorum docet, nequit, inquam, differentiam Episcopatus ex causa schismatis inventam esse, aut etiam prælationem. Quoniam in Epistola ad Evagrium, et Nepotianum docet, sicut ab Aaron summo Sacerdote cæteri differebant Sacerdotes, ita etiam ab Episcopo differre Presbyteros. — Ex his itaque constat, S. Hieronymum idcirco extollere Presbyteros,

ut reprimeret Diaconos, qui, ut colligitur ex Ep. 85. cit. sese insolenter efferebant super Presbyteros, eo quod penes illos erat administratio rerum Ecclesiasticarum, et distributio eleemosynarum; et ut etiam Episcopos nonnullos humiliaret, qui videbantur minus facere Presbyteros; quod ut faceret, asserit tempore Apostolorum Episcopos et Presbyteros eodem nomine *Presbyteri* vocatos fuisse, et in ordine Sacerdotali non discrepare; et tunc temporis communi Presbyterorum et Episcoporum consilio et consensu Ecclesiastica negotia gesta fuisse; non semper tamen communi potestate et auctoritate; nam ex 1. Tim. 5. constat Timotheum habuisse potestatem judicis in Presbyterum. Asserit etiam, inter Episcopum et Presbyterum differentiam tunc non fuisse, vel quoad praxim; quia communi consilio tunc omnia gerebantur; vel quia vi ordinationis nihil potest Episcopus quoad jurisdictionem plus quam Presbyter; quia, ut dixi, vel totam habet jurisdictionem ab Ecclesia, vel complementum illius, sine quo non potest valide exercere ullum actum jurisdictionis; ac subinde vi solius ordinationis non habet jurisdictionem. Postea tamen crescente numero Presbyterorum, decretum est, ut is, qui ordinatione erat Episcopus, esset superior Presbyteris, non solum in praxi potestatis Ordinis, verum etiam jurisdictionis.

Dices deinde: Si Episcopatus esset Ordo proprie dictus, sequeretur plures esse Ordines quam septem: sed hoc est falsum, ut constat ex dictis supra: igitur, etc. — **Distinguo minorem**: essent plures Ordines, quam septem adæquate sumpti, *nego:* inadæquate, *concedo.* Quamvis enim Episcopatus sit distinctus a Sacerdotio; attamen ab eo adæquate non distinguitur, quemadmodum cæteri Ordines sunt inter se distincti, et mutuo separabiles; licet enim Sacerdotium possit existere separatim ab Episcopatu, cum plures sint Sacerdotes, qui non sunt Episcopi; attamen Episcopatus consistere nequit absque Sacerdotio, cum nulli quoad potestatem Ordinis possint esse Episcopi, qui non sint Sacerdotes. Unde ex institutione Christi Episcopatus Presbyteratum essentialiter includit, ita quod sine eo perfecte concipi non possit, et irrita sit Episcopalis ordinatio, quam Presbyteralis non præcesserit. Secus autem est de cæteris Ordinibus; quamvis enim inter eos aliqua sit subordinatio et connexio, ratione cujus unus nonnisi post alium suscipi debeat, nec Presbyteratus debeat conferri nisi post Diaconatum, et Diaconatus post Subdiaconatum; attamen, quantum ad substantiam unus alium Ordinem essentialiter non involvit, nec ita necessario præsupponit, ut irrita foret Presbyteri ordinatio v. g. qui prius non fuisset in Diaconum ordinatus. Non eadem est itaque Episcopatus cum Sacerdotio comparatio, qualis est ipsius Sacerdotii cum aliis Ordinibus.

Cujus utique discriminis ratio non aliunde repetenda est, quam ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis aperte constat ex traditione Ecclesiæ; in his enim, quæ sunt juris positivi et institutionis divinæ, tota ratio facti est voluntas facientis. Nihilominus nonnullæ proferri possunt rationes, quibus appareat, conveniens fuisse Episcopatum ita a Christo institui, ut Presbyteratum essentialiter includeret nec posset absque eo consistere: *primo,* quia Episcopatus est summum, et completum Sacerdotium: *Quid enim est Episcopus* (inquit S. Augustinus,

vel alius quivis Auctor *Quæstionum in vetus et novum Testamentum*) *nisi prius Presbyter, hoc est Summus Sacerdos? Quid Episcopatus, nisi populum fidelem pascendi, et Sacramenta conficiendi, atque ministrandi suprema quædam potestas?*

Conveniens fuit ergo, quod Episcopatus in sua ratione formali, et adæquato conceptu, Sacerdotium essentialiter includeret. *Deinde,* Episcopatus ex se, et ex institutione Christi, est potestas Sacerdotio superior: sed revera talis non esset, si Sacerdotium ipsum essentialiter non includeret; etenim actus consecrandi Corpus Christi, quod proprium est Sacerdotis ministerium et officium, longe nobilior est ordinatione Ministrorum altaris, quæ spectat ad officium Episcopi. *Tertio denique,* Episcopatus convenit cum ordine Sacerdotali in plurium Sacramentorum confectione et administratione; siquidem uterque confert potestatem conficiendi valide quædam Sacramenta, quæ aliter non possent valide confici; etenim Sacerdotium tribuit potestatem conficiendi Eucharistiam, absolvendi a peccatis, et ungendi infirmos in articulo mortis. Episcopatus vero, secundum id quod addit simplici Sacerdotio, dat per se potestatem conficiendi Sacramenta Confirmationis et Ordinis: igitur Presbyteratus, et Episcopatus in aliquo conveniunt, in quo non conveniunt cæteri Ordines, utpote qui non præbent potestatem ad conficiendum aliquod Sacramentum, nec ad efficiendum aliquod opus sacrum, quod sine ipsis impleri non posset.

Hinc est, quod ipsum *Sacerdotii* vocabulum in Scriptura sacra ita usurpatur, ut non solum simplicem Sacerdotem, sed etiam Episcopum significet; nam, ut notat S. Hieronymus, Epist. ad Titum, cap. 1., cum ait Apostolus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros,* per *Presbyteros* intelligit *Episcopos,* ut colligitur ex illis verbis: *Ut constituas per civitates Presbyteros;* nam ad civitates ordinabantur Episcopi, et unus tantum in una civitate; at Presbyteri (inquit Anacletus, Epist. 3.) *per castella, aut modicas civitates, atque villas, debent ab Episcopis constitui, et poni, ne vilescat nomen Episcopi.* Et hoc etiam ex eo colligi potest, quod Apostolus statim subjungit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Et quando Paulus, et Barnabas, Actor. 14. constituebant *per singulas Ecclesias Presbyteros, constituebant Episcopos.* Sic 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ est in te,* etc. *per impositionem manuum Presbyterii;* per Presbyterium, ex Chrysost. Œcum. et Theophil. in illum locum intelligitur cœtus Episcoporum. Sic 1. Petri 5. quando Petrus ait; Seniores, qui in vobis sunt (πρεσβύτεροι) intelligit Episcopos. Unde et subjungit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes,* etc. Græce enim pro *providentes,* habetur ἐπισκοποῦντες, idest, *Episcoporum* munus et ministerium implentes.

Nec obstat, quod Episcopatus materia et forma distinguatur a materiis et formis aliorum Ordinum; hoc, inquam, non obstat, quia ad distinctionem formæ et materiæ non sequitur adæquata distinctio unius Ordinis ab alio, quando aliunde unus consistere non potest absque alio. Porro Episcopatus consistere non potest absque Sacerdotio, ut mox dictum est, ac subinde non est consequens, quod invicem adæquate non distinguantur.

Ex his itaque sequitur, *Episcopatum* non aliter a *Sacerdotio* di-

stingui, quam veluti Ordinem perfectissimum a minus perfecto, ita ut *Episcopatus* secundum se formaliter nihil sit aliud, quam consummata perfectio et ultimum Sacerdotii complementum, ratione cujus is, qui consecratur in Episcopum, fit Sacerdos perfectus, quippe Sacerdotium ab Episcopatu habet, quod alios Sacerdotes creare possit et gignere. Hinc etiam Concilium Trid., Sess. 23. cap. 2. recensens septem Ordines, incipit a Sacerdotio, tamquam supremo, nulla Episcopatus facta mentione: at si Episcopatus esset Ordo adæquate, et omnino distinctus a Sacerdotio, haud dubie Concilium recensendo Ordines, ipsum non prætermisisset; ac subinde censet, Episcopatum a Presbyteratu omnimode et adæquate non distingui, sed tantum veluti gradum perfectissimum a minus perfecto.

Licet autem Subtilis Doctor a nonnullis suis Sectatoribus, maxime vero a Cavello Scholiaste, proferatur in oppositam sententiam, quasi revera existimaverit, Episcopatum nullatenus esse ordinem proprie dictum; nihilominus, ut optime notat Hiquæus, in *Commentario*, dist. 24. num. 6. certum est, quod si penitus mens ipsius Doctoris discutiatur, ipsum revera in affirmativam sententiam ivisse facile quis deprehendet: « quamvis enim *(inquit Hiquæus)* non exprimat « conclusionem propter reverentiam antiquorum Theologorum, et com- « munem sententiam, ut dicit S. Bonaventura, primus tamen ex Theo- « logis posterioribus eam vocavit in dubium, quam in neutram partem « resolvit; sed abstinet ab ipsa controversia, eam relinquens in pro- « priis fundamentis, et transit ad illud, quod erat certum in scholis « de numero Ordinum. *Alii contradicunt*, inquit, *conclusioni, quam « tenent istæ duæ viæ, quia negant Episcopatum esse Ordinem proprie « dictum; sed an sit delebilis propter consecrationem, cum qua con- « fertur, altercantur inter se; sed vana videtur altercatio negando Epi- « scopatum esse ordinem, quæcumque enim jurisdictio in Ecclesia, vel « per Superiorem suspendi potest, ita quod si tempore suspensionis at- « tentet aliquid facere, nihil faciat, vel potest omnino pro omni tem- « pore tolli.*

« Quibus verbis insinuat, se manere in ratione adducta pro opi- « nione affirmativa, et quam hic non putat solvi, et postea subdit « excusando se a controversia: *saltem quidquid de ista controversia « de Episcopatu*, etc.; et in responsione ad quartum; quod est ex aucto- « ritate S. Dionysii, Isidori, etc. *Patet*, inquit, *ex secundo articulo; qui « enim negant Episcopatum esse Ordinem, exponunt eos accipere Or- « dinem pro sacramentali*, etc. ubi tantum adducit responsionem Theo- « logorum antiquorum, non propriam. *Deinde*, si ex consequentia do- « ctrinæ argumentari libet, infra ait: *Sed in Sacerdotio videtur probabile*, « inquit, *quod ibi sunt duæ formæ partiales, in quarum altera confertur « potestas conficiendi Eucharistiam; in reliqua potestas absolvendi in « Pœnitentia*, etc. Quod et supra fusius docuit, dist. 19. qu. 1. art. 3. « admittens etiam duos characteres partiales, qui integrant unum to- « talem. In hac autem littera, ideo docet in Sacerdotio duas Ordina- « tiones partiales, quia etiam correspondet singulis sua propria materia, « et sua propria forma: sed in Episcopatu idem etiam patet habere ma- « teriam et formam, diversam a materia et forma Sacerdotii: ergo « sequendo hæc principia idem diceret, si propriam sententiam expo-

« neret, quia in hac conclusione de particulari charactere Sacerdotii « recedit a fundamento Theologorum, quo negat Episcopatum esse « Ordinem, quia est officii et dignitatis tantum, in quo confertur po- « testas, et non character; quæ est ratio Magistri, et ordinarie fun- « datur in quibusdam auctoritatibus S. Hieronymi, quas ita explicant « Theologi antiqui, ut potestas hæc, sive absolvendi in Sacerdote, sive « Episcopalis collata in consecratione, non sit character, sed illa con- « sequatur ad characterem Sacerdotalem immediate, ut dicit Alensis; « hæc autem mediate, vel certe, ut sit actus characteris, ut alii dicunt, « prima potestas; secunda vero, quæ est Episcopalis, supponat chara- « cterem Sacerdotii tantum, et sit potestas officii et dignitatis seu « jurisdictionis faciendi actus hierarchicos. *Præterea,* supra assignans « definitionem Ordinis in articulo primo hujus quæstionis, in secunda « definitione comprehendit Episcopatum. Et doctrina ejus, qua ex- « plicat varias acceptiones Ordinis, in ultima particulari acceptione « ejus omnia, quæ ibidem exprimit conveniunt Episcopatui, quia « *est gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem Eccle-* « *siasticum eminentem, et quia specialiter,* inquit, *actus eminentes in* « *Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest specialius* « *dici, quod est gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem,* etc. « quæ omnia conveniunt Episcopatui. Quod si objiciatur, definitionem, « quam ipse propriam assignat in 3. art. excludere Episcopatum per « illam particulam, *cui convenit aliquod ministerium circam Euchari-* « *stiam exhibendam,* etc. respondetur in art. 2. jam se excusasse a « resolutione ipsius controversiæ, et tantum definire Ordinem in 3. art. « ut comprehendit quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, et « Presbyteratum, et prout consequenter præcise ad Eucharistiam or- « dinatur. Cæterum præmissam assertive tenet in Reportatis ». *Ita Hiquæus,* quibus aperte demonstrat, Doctorem revera magis propendere in sententiam affirmantem, quod Episcopatus sit Ordo a cæteris distinctus, etiam a Sacerdotio; non quidem adæquate, sed inadæquate.

Nec obstat, quod supra diximus, nempe SS. Patres asserere, maxime S. Leonem, Epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 4. Subdiaconatum esse Ordinem quartum a capite, hoc est, Episcopatum. *Hoc,* inquam, *non obstat,* nec ex eo inferre licet Episcopatum non esse solum verum Sacerdotii complementum, sed Ordinem adæquate, et omnino distinctum a Sacerdotio; siquidem SS. Patres, maxime S. Leo, dum asserunt Subdiaconatum esse quartum Ordinem ab Episcopatu, tantum numerant personas, quæ ratione Ordinis Ecclesiastici concurrunt ad instituendam Hierarchiam; cum autem ejusmodi personæ distribui possint in quatuor classes diversas, videlicet Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum, hinc fit, ut a Subdiaconatu ad Episcopatum quatuor numerentur Ecclesiastici Ordines. Ad prædictam autem personarum, sive Ministrorum Ecclesiasticorum distinctionem, parum refert, quod inter Ordines, quibus insigniuntur ejusmodi personæ distinctio sit adæquata, vel inadæquata; essentialis et specifica, aut minime essentialis, nam Presbyterorum ab Episcopis personæ non sunt minus realiter distinctæ, quam Subdiaconorum a Diaconis, quamvis Ordinis Episcopalis a Sacerdotali distinctio sit solum inadæquata; Ordinis vero Subdiaconatus a Diaconatu sit

adæquata. Idcirco autem Sanctus Leo recenset Episcopatum, tamquam primum Ordinem, et caput aliorum, quia vult ostendere, quod si inferioribus Ordinibus insigniti teneantur ad servandum cœlibatum, multo magis ad id tenentur Episcopi; scribit enim præfato cap. 4. *Cum extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur; ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares: Quod si in Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico Ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria nedum frænasse detegitur?* Ita S. Leo, quibus (ut apparet) hos Ordinum gradus magis distinguit ratione personarum, quæ ipsis Ordinibus insigniuntur, quam ratione ipsorum Ordinum adæquate sumptorum.

PETES: *Quid sentiendum sit de Chorepiscopis, de quibus Canones et antiqua Ecclesiæ monumenta tam sæpe loquuntur.*

RESPONDEO, Chorepiscopi nomen idem significare, ac oppidi, seu pagi Episcopum, vel Vicarium, aut oppidanum Episcopum, qui videlicet extra urbem in pagis, vicis et oppidulis Episcopi vices agit; unde antiqui Canonum Interpretes Chorepiscopos nonnumquam Latine Episcoporum vicarios interpretantur. Ita Ferrandus Diaconus, in *Breviario*, cap. 79. *Chorepiscopi*, inquit, *idest, Vicarii Episcoporum.* Et S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 6., ubi scribit: *Chorepiscopi, idest, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituta sunt ad exemplum* 70. *Seniorum, tamquam Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis et villis instituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presbyteros autem et Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscentur. Hi autem a solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinentur.* Hanc amplissimam potestatem Chorepiscopis attribuit Sanctus Isidorus, secundum Canones Græcos, nempe Can. 13. Concilii Ancyrani, 14. Neocæsariensis, et 10. Antiocheni. Verum hoc forte eis Chorepiscopis concedebant prætati Canones, quod essent veri Episcopi, sed absque Diœcesi, et subditi Diœcesanis Episcopis, a quibus eorum auctoritas limitari poterat.

Duplex namque genus erat Chorepiscoporum; aliqui enim revera erant Episcopi consecrati, sed absque plebe, ut constat ex Concilio Reghiensi, anno 439. celebrato, in quo Armentarius in Episcopum a duobus Episcopis sine conscientia Metropolitani ordinatus, Chorepiscopatus officio fungi permittitur. *Similiter constat* ex Can. 8. Concilii Nicæni, quo statuitur quod cum duo erant in urbe Episcopi, unus Catholicus, alter hæreticus, si Hæreticus ad Catholicam fidem converteretur, tum Catholicus pacis causa poterat illi permittere, ut in aliqua parte Diœcesis Chorepiscopum ageret. Alii vero Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes instituti ad formam 70. Discipulorum, non autem duodecim Apostolorum, ut præclare docet S. Damasus, Epist. 4.

vel. 5., ubi inter cætera scribit de Chorepiscopis: *Quod enim Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi, si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quidquid enim inter Episcopos, aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est, ut superius jam prælibatum est, ut irritum fiat. Quia quod non habent dare non possunt.* Et in eadem Epistola post aliquot periodos: *Quis hominum, licet more humano loquamur, dare potest quod non habet? Præsertim cum Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant, cum ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quidquid ex supradictis ministeriis Pontificalibus præsumebant irritum erat, et nihil factis proficiebat. Sed magis juxta Prophetam, maledictionem pro benedictione, si ratum est dicere, conferebant. Quapropter per illam illicitam manus impositionem, ut paulo superius prælibavimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula, idest, reiterari necessum est quod legitime actum non est, aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestate dare legitime non habuit, invenire non possum,* etc.

Similia decernit S. Leo, Epist. 86., et Joannes III, Epistola unica, his verbis: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus. Ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est. Quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt habere? Si ergo Episcopi non sunt, et Presbyteri, quorum vicem gerunt, quia ad exemplum septuaginta olim fiebant, esse despiciunt, quid erunt?* Sæpius (ut observat Morinus *Exercit.* 14. cap. 2. num. 8.) ea Epistola repetit argumentum a septuaginta Discipulis, quibus successerunt Chorepiscopi, deductum, hocque, et alia quæ profert, auctoritate Pontificum Damasi, et Leonis confirmat. Similiter Concilium Hispalense secundum, cap. 7., severe increpat Agapium quemdam Cordubensem Episcopum, qui Chorepiscopos delegare solebat ad Episcopalia munera administranda, Confirmationis Sacramentum conferendum, Altaria erigenda, Ecclesias consecrandas, virgines benedicendas, etc. Hocque imposterum fieri prohibet, nec plus licere vult Chorepiscopis quam Presbyteris; quia, inquit, *Juxta Canones unum sunt, Pontificatus apicem non habent.*

Sed nihil evidentius desiderari potest, imo fingi, quam Leonis III ad Episcopos Galliæ responsum. Cum enim tempore Caroli Magni gravissimæ querelæ adversus Chorepiscopos a Galliæ et Germaniæ plurimis Episcopis excitatæ essent, quarum potissima causa erat, quod plurimi negarent, *eos esse Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos, qui a Chorepiscopis videbantur quasi sacrati, nec Sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent a canonice ordinatis Episcopis consummati; affirmabant quoque a Chorepiscopis ordinatos vulneratum potius, quam Episcopaliter sanctificatum, per illam manus impositionem habere caput.* Ideo, inquit Morinus, plurimi Laici eorum Missas fugie-

bant, eorumque liberos ab iis confirmari nolebant, *ne magis vulnus, quam benedictionem acciperent.* Cum hæc, inquam, quæstio in Gallia et Germania varie et nutantibus sententiis agitaretur, statuerunt Episcopi Archiepiscopum e suis Romam ad Leon. III mittere, qui ab eo ancipitis istius quæstionis decisionem referat. Quid vero respondit Pontifex Archiepiscopo ad eum misso? Quæstionem a Prædecessoribus suis jam definitam esse, nec alia definitione opus esse: *Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum; nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum; neque quicquam, quod de Episcopali ministerio præsumpsere, esse peractum. Sed quidquid ex his ab iis illicite erat præsumptum, omnia a canonice ordinatis Episcopis debere rite peragere, et in meliorem statum reformare, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Hoc Arno Archiepiscopus, a Collegis suis Romam missus, responsum a Sede Apostolica tulit. Quo accepto, Galliæ et Germaniæ Episcopi Synodum Ratisbonæ habuerunt, in qua Apostolicæ Sedis decretum promulgarunt, et observare statuerunt, videlicet: *Quidquid a Chorepiscopis Episcopaliter præsumptum est, a canonice ordinatis Episcopis peragi debere, nec ullum usque de Episcopali ministerio a Chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset, quoniam quod non habuit quis eorum dare non potuit.* Quibus vero potissimum rationibus freti ita decernunt? Nam Episcopi non erant, quia nec canonice a tribus Episcopis ordinati. Ideo de Episcopali ministerio nihil agere potuerunt; et idcirco non ostendit gestum, quod præfixi agere putaverant, quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo namque nulla causa permitti, ut videatur iteratum, quod de causis memoratis a canonice ordinatis Episcopis cognoscitur regulariter peractum. Hæc leguntur Tom. 2. Conciliorum Galliæ ad annum 800. selectorum capitulorum, lib. 4. cap. 1. Multa quoque in eamdem sententiam sequentibus capitibus, quæ brevitatis causa prætermitto. Deprehenduntur etiam capitulari, lib. 7. cap. 187. et cap. 329., et lib. 6. cap. 116., consentit Isaacus Lingonensis, Tit. 11. cap. 30. *Si quis non ab Episcopo, sed a Chorepiscopo, qui non est Episcopus, sed Vicarius Episcopi*, etc. Refertur quoque Capitular., lib. 7. cap. 313. Concilium Metense quod est postremum eorum, quæ de ipsis mentionem faciunt, Can. 7. adversus eos, eorumque statum decernit. *Ut Basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est. Quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii, et Leonis, vacuum est et inane, quidquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio. Et quod et ipsi iidem sint, qui et Presbyteri sufficienter inveniuntur.* Est igitur non modo certissimum, sed etiam manifestissimum, Chorepiscopos illos, de quibus antiqua Ecclesiæ monumenta mentionem faciunt tam frequentem, Episcopos non fuisse, sed tantum Presbyteros dignitate cæteris Presbyteris præeuntes, Diœcesis partem aliquam sub Episcopi proprii auctoritate regentes, quibus ideo nonnulla munera Episcopalia in oppidis et pagis exercenda committebantur, pro Episcopi arbitrio, in quibusdam Provinciis plura, in aliis pauciora.

Unde Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, in statuto de Ministris Ec-

clesiæ Rhemensis, de Chorepiscoporum officio sancivit: *Chorepiscopi ministerium est omnem Sacerdotem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere, atque dirigere, idest, conficiendis divinis Sacramentis, et baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, Pœnitentiam cum discretione, caute imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis et benedictionis, et sanctæ unctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri, populos assidua Communione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, et orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere, pro vivis etiam, ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcumque intra Ecclesiam, et extra Ecclesiam, in claustro, et in omnibus habitationibus a maximo usque ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, et omnem veram Religionem prior ipse faciendo, omnes facere doceat.* Hæc in appendice ad Flodoardum in hist. *Ecclesiæ Rhemensis. Ita Morinus.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SINGULIS ORDINIBUS SIGILLATIM ET IN SPECIE.

Jam satis superque constat ex dictis, Ecclesiasticos Ordines esse numero septem, et eorum quoslibet materia et forma constare. Restat autem de singulis inquirendum et determinandum, quæ sit eorum natura, materia, et forma, ac distinctum munerum exercitium; quod ut fiat planius et brevius, singulos Ordines sub distinctis titulis in hoc Articulo expendemus, procedendo ab inferioribus ad superiores, juxta ritum quo conferri solent.

§ I. — De Ostiariis. — Inter quatuor minores Ordines primus et omnium infimus est *Ostiariorum*, qui et *Janitores*, et *Æditui* dicti sunt, de quibus ita scribit sententiarum Magister: *Ostiarii*, inquit, *idem et Janitores sunt, qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem Ostiarii, eo quod præsint foribus templi. Ipsi enim tenentes clavem omnia intus et extra custodiunt, atque inter bonos et malos habentes judicium, et dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde et eis, cum ordinantur, claves Ecclesiæ dantur ab Episcopo, et dicitur eis: Sic agite, tamquam rationem Deo reddituri de rebus, quæ clavibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes et ementes ejecit de templo. Ipse enim se Ostiarium significans, dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Ita sententiarum Magister,* quibus complectitur omnia, quæ spectant ad Ordinem Ostiariatus, nimirum illius antiquitatem, munia seu officia, necnon et materiam et formam. Porro hujus Ordinis dignitas adumbrata fuit in veteri Testamento; nam 1. *Paralip.*, cap. 9. numerantur 4000. ejusmodi Janitorum, qui secundum vices suas custodiebant ostia domus Domini, seu templi Salomonis. Ad eorum autem similitudinem instituti sunt in novo Testamento Janitores, seu Ostiarii, qui januis Ec-

clesiæ præsunt, et earum curam habent, et omnia ejus interiora atque exteriora custodiunt, sicut observat S. Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 14. et constat ex Concilio Aquisgranensi sub Stephano IV cap. 4.

Porro Ostiariorum in Ecclesia antiquitatem et existentiam aperte demonstrant SS. Patres utriusque Ecclesiæ, Orientalis videlicet et Occidentalis; illius enim meminerunt S. Dionysius, cap. 3. lib. *De Eccleziast. Hierarch.*, et Epist. ad Demophilum, quæ est octava; Ignatius Martyr, seu quisquis est auctor Epistolæ ad Antiochenos; Clemens Romanus, lib. 2. *Constitutionum*, c. 25. Concilium Laodicenum, Can. 24. S. Epiphanius, Hæresi 80. et Eusebius Cæsariensis, lib. 6. cap. 43. Similiter e Latinis Patribus plurimi idem testantur, maxime Cornelius Papa in fragmento Epistolæ, quod refert Eusebius mox laudatus, Concilium Romanum sub Sylvestro, cap. 2. Concilium Carthaginense quartum, cui præsens aderat et subscripsit S. Augustinus; Concilium Toletanum primum sub Innocentio primo celebratum; S. Paulinus Episcopus Nolanus, Epist. 6. ubi ab hoc Æditui sive Ostiarii gradu, ait se militiam Ecclesiasticam voluisse exordiri; Imperatores, Valentinianus, Valens, et Gratianus, lege *Presbyteros* cod. *De Episcopis, et Clericis;* Gelasius Papa, in Epist. ad Episcopos Lucaniæ; S. Gregorius, lib. 1. *Dialog.*, cap. 3. et lib. 3. cap. 15. ac 17. ubi refert Constantinum quemdam Theodorum, et Evandium Sacerdotio auctos, Mansuenariosque dictos Ecclesiarum S. Stephani, et Petri Romæ, Ostiariorum functiones obivisse; et alii passim, maxime omnes Theologiæ principes cum Concilio Florentino et Tridentino.

Quantum autem ad materiam et formam, seu ritum conferendi illius Ordinis, conveniunt omnes Theologi, *materiam remotam* Ostiariatus esse claves Ecclesiæ; *proximam* vero traditionem earumdem clavium, quas Episcopus ordinans porrigit ordinando; *formam* vero consistere in his verbis: *sic agite, quasi redditurí Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Quæ utique forma etiam traditur in Concilio Carthaginensi quarto.

Sunt tamen qui existimant, etiam pulsationem campanæ, aut traditionem funis campanalis, spectare ad materiam hujus Ordinis; antiquitus enim, inquit Morinus, exercitatione 13. num. 2. sola traditio clavium erat in usu, ut constat ex Can. 9. Concil. Carthaginensis IV, ex Ordine Romano, et ex antiquissimo Gelasiano. Sed funis traditio et campanarum pulsatio ab antiquis exemplaribus non commemorantur. Sicut tamen Ecclesia priorem materiam instituit, sic potuit et secundam. Secundam autem primum non instituit, eo quod primis illis sæculis consuetum non erat fideles ad Ecclesiam per campanarum pulsationem convocare; sed invalescente illa consuetudine, adjunctum est antiquæ materiæ istud pulsationis genus. Insuper admonitio, quæ Ostiariis ordinandis nunc fit ab Episcopo, antiquitus ab Archidiacono fieri solebat, ut in Can. 9. Concilii Carthaginensis IV, et in antiquis, plerisque Ritualibus edicitur.

Verum reclamant cæteri Theologi: *primo*, quia eam solam materiam diserte exprimunt verba formæ. *Sic agite*, etc. *Secundo*, qui ejusmodi verba eo tempore pronuntiantur ab Episcopo, quo ab eodem traduntur claves Ecclesiæ; non autem eo tempore, quo traditur campana,

aut funis ad eam pulsandam: at materiæ in Sacramentis et Ordinibus applicatio fieri debet eo tempore, quo pronuntiantur verba formæ. *Tertio*, quia materiam Ordinis tradere et applicare solius est Episcopi ordinantis, cum ad solum Episcopum de jure pertineat Ordinum collatio: at campana aut funis campanæ non traditur ab Episcopo, sive ab Ordinante, sed ab Archidiacono. *Quarto* denique, quia ejusmodi materiæ recentioris et superadditæ ad primævam nulla plane fit mentio in sacris Canonibus, et antiquis Ritualibus, aut apud SS. Patres; imo nec Stephanus Eduensis, nec Ivo Carnotensis, nec Hugo a S. Victore hujus ritus meminerunt.

Munia autem et *Officia Ostiariorum* sunt: *primum*, claudere et aperire januas Ecclesiæ, certis quidem horis, necnon eas obserare infidelibus, et reserare Fidelibus, sicut monet Episcopus in exhortatione, quam ad eos habere debet in ipso Ordinationis ingressu, quæ legitur in Pontificali Romano; ubi etiam eosdem hortatur, ut, quemadmodum clavibus materialibus Ecclesiam visibilem aperiunt, et claudunt, ita etiam invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium dictis et exemplis claudant diabolo, et aperiant Deo. Nec solum claudere Ecclesiæ januas infidelibus, sed etiam iis, qui inter fideles indigni sunt, quales maxime censentur excommunicati, energumeni, peccatores publici, et scandalosi denuntiati, Christianæ Religionis et veritatis derisores et impugnatores, ac notorii Clericorum percussores, ut docet S. Ambrosius, Epist. 23. S. Chrysostomus, Homil. 41., et aliqua ex parte Martinus V, in sua Constitutione edita in Concilio Constantiensi. — *Secundum Ostiariorum munus* est curare ne quis laicorum propius ad Altare accedat, dum sacra mysteria celebrantur, ut observat Catechismus Romanus, num. 33. *Tertium* munus est pulsare campanas et populum fidelem ad templum convocare, ut divinis mysteriis et Officiis intersit. Hinc est, quod in Pontificali Romano Episcopus ordinans, Deum orans pro iis, quos in Officium Ostiariorum eligere dignatus est, postulat, ut sit fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini fideles convocare; unde hæc pulsatio tantam apud veteres Christianos venerationem obtinuerat, ut campanas pulsaturi super pelliceis induerent, ut insinuat Concilium Coloniense sub Adulpho Archiepiscopo in suis Decretis, Can. 13. — *Quartum* et ultimum ex præcipuis Ostiarii muneribus est esse Ecclesiæ Thesaurarium, ut indicat Catechismus Tridentinus, num. 33. unde colligit magnam in antiqua Ecclesia hujus Ordinis dignitatem fuisse. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem Sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur.

Has omnes Ostiariorum functiones luculenter explicat Pontificale Romanum in exhortatione, quam ad hoc Ordine initiandos habere debet Episcopus his verbis: *Suscepturi, filii charissimi, Officium Ostiariorum, videte quid in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et sacrarium, et librum ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem ape-*

ritis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, aperiatis Deo, ut divina verba quæ audierint corde retineant, et opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

§ II. — De Lectoribus. — Secundus Ordinum Ecclesiasticorum gradus est Lectorum: « Lectores autem, *inquit sententiarum Magi-* « *ster*, a legendo, sicut Psalmistæ a Psalmis canendis, vocati sunt; « illi enim prædicant populis, quid sequantur; isti cantant, et exci- « tant ad compunctionem audientes; licet quidam Lectores ita mi- « serabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum et lamentationem « compellant. Iidem etiam Pronuntiatores vocantur, qui populo ante « nuntiant, quia tam erit claram eorum vox, ut etiam longe posito- « rum aures adimpleat.

« Ad Lectorem autem pertinet Lectiones pronuntiare, et ea, quæ « Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio in « Ecclesia legat Prophetias et Lectiones. Unde et ei, vidente populo, « traditur ab Episcopo codex divinarum Lectionum, et dicitur: ac- « cipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris offi- « cium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverunt. Qui « ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instru- « ctus, ut sensus verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte « legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. At- « tendat quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in « oratione facienda distinctio; hæc enim male servata intellectum tur- « bant, et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet « vox Lectoris. Hoc officium implevit Christus, cum in medio senio- « rum librum Isaiæ aperiens distincte ad intelligendum legit: *Spiri-* « *tus Domini super me*, etc. Ex quo Lectoribus datur intelligi, qua « gratia spirituali clarere debent qui alii verbum Dei annuntiant. Hic « Ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus di- « citur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* ». Hæc sententiarum Magister.

Quibus omnia paucis explicat, quæ spectant ad Ordinem Lectorum: *primo* quidem hujus Ordinis dignitatem et antiquitatem in veteri Testamento adumbratam, et ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio celebrem; hujus namque Ordinis et officii meminit Tertullianus, lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. ubi reprehendens hæreticos, quod Ordinationes eorum temerariæ sint, leves et inconstantes, ut id probet, statim addit: *Alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui erat Lector*, etc. Idem quoque S. Cyprianus significat Epist. 24. ubi ait se fecisse Saturum, qui antea Confessor fuerat, Lectorem. Meminit pariter S. Gregorius Nazianz., Orat. 3. quæ est prima in Julianum Apostatam, ubi observat eum ante suam apostasiam fuisse Lectorem in Ecclesia, et post apostasiam instituisse, ut in templis Gentilium essent Lectores, ad instar eorum, qui sunt in Ecclesia Catholica.

Secundo, designantur munia Lectorum quorum *primum* est legere, non solum Scripturam Sacram veteris Testamenti, sed et omnes novi Testamenti libros, necnon et eos omnes, qui possunt conferre ad fidelium eruditionem et pietatem. Non enim Lectoribus permissum est

solum legere Propheticas et Apostolicas scripturas, ut contendit Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, p. 3. cap. 7. sed etiam omnes utriusque Testamenti libros, ut aperte tradit Concilium Laodicenum, Can. 59. ubi expresse habetur, *quod non oportet privatos et vulgares aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos Canonicos veteris et novi Testamenti;* et Concilium Carthaginense tertium, Can. 46. ubi statuitur, ut præter Scripturas canonicas in Ecclesia nihil legatur sub nomine divinarum Scripturarum.

Quod autem præter Scripturam sacram, etiam legi possint in Ecclesia omnes piæ et probatæ instructiones, colligitur ex eodem Concilio, Can. 23. ubi diserte præscribitur, *ut quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit;* quod explicatius sanxit Concilium Milevitanum secundum, Can. 12. his verbis: *Placuit, ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive recommendationes, sive manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, et comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* Et citato mox Canone 47. Concilii Carthaginensis III, legi etiam permittuntur Martyrum Passiones, dum anniversarii dies illorum celebrantur. Ex Concilo autem Toletano IV, licitum est Doctorum orthodoxorum scripta in Ecclesia publice legi.

Secundum munus Lectorum est, ut observat Catechismus Romanus, n. 34. prima Religionis Christianæ rudimenta, sive Catechumenis et baptizandis, sive etiam fidelibus baptizatis adhuc rudioribus tradere: ita ut Lectoris proprium munus sit, non solum legere sacras utriusque Testamenti Scripturas, sed etiam id, quod legit, rudioribus et Neophytis exponere per modum instructionis familiaris; quod utique significare videntur verba, quæ proferuntur ab Episcopo ordinante; nam in Pontificali Romano habetur: *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat;* nam *prædicandi* verbum plus aliquid significat, quam *legere,* quippe prædicator exponere debet quæ pronuntiat.

Tertium munus Lectorum erat legere coram Episcopo eam divinarum Scripturarum partem, quam deinde Episcopus populo exponebat; quod utique munus et officium notissimum ex Sermonibus et Homiliis veterum Doctorum, seu Patrum, præsertim vero S. Augustini, qui passim ubi ex Psalmis vel altera quacumque Scripturæ parte ad populum verba fecit, hujus officii Lectoris meminit; unde S. Cyprianus, Epist. 33. et 34. docet officium Lectorum esse legere Evangelium, non quidem in Missa, sed extra Missam; quippe Lectori licitum erat olim in publicis fidelium et Ecclesiæ Conventibus Evangelium legere; non quidem e pulpito, seu majori suggestu, et tempore divini Officii, id enim solum Presbyteris et Diaconis licitum est; sed tantum extra divinum officium, et ad jussionem Episcopi mox concionem ad populum habituri.

Quartum ipsius munus est, non solum sacros et pios libros in Ecclesia coram fidelibus legere, sed etiam Cantoris et Psalmistæ officium implere; jam enim diximus, Cantorum et Psalmistarum officium esse veluti Lectoratus appendicem, et Lectoribus Cantores et

Psalmistas veluti coadjutores fuisse adjunctos, ut vel eo præcinente, cæteri succinerent, vel ad ejus imperium Cantores Psalmos et Hymnos intonarent.

Lectorum officium et munus egregie explicat Ivo Carnotensis, Serm. *de excellentia sacrorum Ordinum*, his verbis: *Hic quidem, qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut et sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione pronuntiationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicative legendum, quid sit interrogative; ubi sit in oratione subdistinctio, media distinctio; quia et hæc male servata intellectum perturbant, et Grammaticorum typum ad risum provocant. Auribus enim et cordi consulere debet Lector.* Cui subscribit Concilium Aquisgranense, Can. 3. ubi ait: *Vox Lectoris simplex erit et clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem et subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta, non tenera, nihilque femineum sonans, neque commotu corporis, sed tantum cum gravitatis specie, auribus enim et cordi consulere debet Lector, non autem oculis*, etc.

§ III. — De Exorcistis. — Oxorcistarum Ordo tertius est inter Minores, qui idcirco dicti sunt Exorcistæ, quod Exorcismis, idest, adjurationibus sacris, quasi totidem verborum tormentis et spiritalibus flagris, dæmones ab obsessis corporibus egredi compellant, *voce quidem humana, sed potestate divina*, ut loquitur S. Cyprianus, Epist. 66.

In primitiva autem Ecclesia Exorcistæ erant in duplici differentia: quidam enim vim habebant dæmones ejiciendi ex gratia gratis data, et absque ulla ordinatione, de quibus intelligendus est S. Clemens, lib. 8. *Constitutionum*, cap. 26. dum ait, *Exorcistam non ordinari*. Alii vero erant Exorcistæ per Ordinationem, qui videlicet suæ Ordinationis virtute potestatem habebant dæmones ab energumenorum corporibus ejiciendi, quales sunt de quibus agimus. Hujus autem Ordinis aperte meminerunt utriusque Ecclesiæ, tum Orientalis et Græcæ, tum Ecclesiæ Latinæ Patres atque Scriptores antiquissimi, ut videre est apud Baronium, Tom. 1. *Annalium, ad annum Christi*, 59.

Præcipuum Exorcistarum munus est, invocare nomen Domini, atque etiam manus imponere super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur; unde Episcopus in admonitione, quam præmittere debet eorum ordinationi, eos sic alloquitur: *Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum, gratiam Spiritus sancti, ut verbis Exorcismi pellantur spiritus immundi a corporibus obsessis.* Et in oratione, quæ finem imponit huic ordinationi, Deum precatur Episcopus, ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant, qui sic ordinantur, spiritus immundos coërcendi.

Quod utique officium et alia ad hunc Ordinem spectantia præclare explicat sententiarum Magister, *his verbis:* « Ad Exorcistam pertinet « Exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, et « Catechumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spi- « ritum mundum, qui spiritibus immundis imperet, et malignum « expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medi-

« cina, quam alii facit, sibi non prosit, et dicatur ei: Medice, cura « teipsum. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum « Exorcismorum, et dicitur eis: Accipite, et habete potestatem impo- « nendi manus super energumenos, et Catechumenos. Hoc officio usus « est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et « muti, dicens: Epheta, quod est, adaperire: per hoc docens, nos « spiritualiter habere et aperire aures præcordiorum hominum ad « intelligendum, et ora ad confitendum, ut pulso dæmone, Spiritus « sanctus vas suum recipiat. Hoc officio usus est Christus, cum dæ- « moniacos multos sanavit. Hic Ordo a Salomone videtur descendisse, « qui quemdam modum exorcizandi invenit, quo dæmones adjurati « ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati Exorcistæ « vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio: *Si ego in Belzebub « ejicio dæmonia, filii vestri,* scilicet Exorcistæ, *in quo ejiciunt?* »

Idcirco autem Christus Dominus hanc dæmones expellendi potestatem inferioris Ordinis Ministris committere voluit, ut facilius et efficacius protereretur ipsorum dæmonum superbia: nimirum ut eos, quibus nihil elatius est, magisque superbum, tanto magis deprimeret, subjiciendo eos non solum præstantioribus, sed etiam inferioribus Ecclesiæ Ministris. Ne quis tamen dedignaretur hoc subire munus exorcizandi, Christus ipse et Apostoli exemplo nobis præiverunt, exorcizando energumenos, et dæmones ejiciendo.

Tanta porro in ipsis Ecclesiæ primordiis erat energumenorum multitudo, ut undique etiam a Gentibus et Paganis ad Ecclesiam adducerentur, suis Exorcismis, et precibus, invocato Christi nomine, liberandi; quemadmodum intelligi potest ex Justino Martyre, et Tertulliano, qui passim testantur exorcizandi munus fuisse commune omnibus Christi fidelibus, etiam non ordinatis, eo quod omnes tunc ex gratia gratis data pollerent dono abigendi dæmones e corporibus arreptitiorum, per invocationem nominis Christi; tunc enim ad ædificationem Ecclesiæ, debitamque fidei propagationem longe frequentior erat et omnino conveniens miraculorum et ejusmodi curationum usus.

Jam vero munus exorcizandi dæmones, maxime juxta formam ab Ecclesia præscriptam, non convenit omnibus Christi fidelibus, sed solum Ministris ad id specialiter ordinatis; ita enim statuitur in Concilio Laodiceno, Can. 26. ubi legimus, quod *hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint.* Vel ut Gratianus, dist. 69. cap. 2. ait: *Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in domibus.*

Nec obstat, quod Christus Dominus dixerit universim de omnibus fidelibus in eum credituris: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Hoc, inquam, non obstat; nam eodem modo a Christo dictum est: *In nomine meo dæmonia ejicient,* quo ibidem additur: *Linguis loquentur novis, serpentes tollent:* at non omnes Christi fideles linguis loquuntur novis, aut serpentes tollunt: sic ergo necesse non est, ut omnes dæmonia ejiciant. Prædicta igitur Christi Domini promissio ita debet intelligi, ut fidelibus promissa sit potestas expellendi dæmones e corporibus energumenorum; non quidem pro omnibus et singulis, sed pro aliquibus

tantum; idque non semper, sed positis dumtaxat certis quibusdam conditionibus, videlicet urgente necessitate, ubi nimirum ipsa res ita postulaverit ad majorem Dei gloriam, juxta divinæ voluntatis et providentiæ leges, posito nempe quod ejusmodi potestatem quis acceperit, vel immediate a Deo, per aliquod gratiæ gratis datæ donum; vel per ministerium hominum, et ab Ecclesia per ordinationem, de qua hic agitur; supposito etiam quod in iis, quæ pertinent ad executionem hujus Ordinis, exorcizans non recedat a regulis, quæ ab eo servari debent, ut muneri suo non desit, et eo recte defungatur.

Quarum *prima* est, ut exorcizans non utatur ullis ritibus novis, aut diversis ab iis, quos Ecclesia præscribit, ac servare solet, nec adhibeat ignota quædam vocabula, ut Hebraica vel Syriaca, neque etiam ad aures energumeni tacite loquatur; quia hæc omnia superstitionem redolent, et pactum aliquod sancitum cum dæmone.

Secunda est, ut nihil fiat, nisi invocato Christi nomine; verissimum quippe est id, quod de dæmonibus observat Lactantius, lib. 2. *Institutionum divinarum*, cap. 16. *Justos*, inquit, idest, cultores Dei, *metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus abscedunt, quorum verbis tamquam flagris verberati, non modo dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt: quia nec Deo, per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, et ardere, jamjamque exire proclamant.*

Tertia regula est, ut cum dæmone, nonnisi verbis imperativis, comminatoriis, et coactivis utatur exorcizans; namque, ut ait S. Augustinus, lib. 10. *De Civitate Dei*, cap. 22. *Vera pietate homines omnem potestatem inimicorum, contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando;* hinc est, quod, sicuti observat Joannes Michrologus, lib. *De Observationibus Ecclesiasticis*, cap. 7. Exorcismi non concludantur hac vulgari formula, *Per Christum Dominum nostrum*, sicut aliæ preces, et orationes Ecclesiasticæ, sed his verbis: *Per eum, qui venturus est judicare sæculum per ignem;* quia ejusmodi clausula comminationem importat ultimi judicii, cujus adventum dæmones maxime pertimescunt.

Quamvis autem Exorcistarum potestas, ex Exorcismorum Ecclesiæ virtus sit maxima, nihilominus fatendum est, adjuratos per eam dæmones non semper abigi, aut saltem non statim; Deo interdum ita permittente occultis de causis, sive ad aliorum terrorem et instructionem, ut miraculi veritas postmodum clarius appareat, sive ad punitionem, majoremque energumenorum probationem, sive propter infirmam fidem Ministri, et indignitatem patientis, aut circumstantium.

§ IV. — De Acolythis. — Quartus Ecclesiasticorum Ordinum gradus, isque inter Ordines, qui Minores dicuntur, ultimus et supremus, est Acolythorum; vel, ut volunt, Acoluthorum: putat enim Dominicus Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. esse duplex nomen hujus Ordinis, nempe Acolythus, et Acoluthus, et utrumque græcum esse, prius autem significare idem, quod *non prohibitum*, eo quod non prohibeatur ignem accendere, et alia hujusmodi ministrare; posterius autem idem denotare, quod *famulum*, et ministrantem, qualis est pedissequus. Nam licet Acoluthus cum cereo accenso non subsequatur, sed antecedat

Presbyterum, postea tamen subministrat Subdiacono urceolos cum vino et aqua, et tunc videtur ipsum, quasi pedissequus, sequi.

Verum, (inquit Vazquez, disp. 236. n. 29.) manifeste fallitur Sotus; neque enim est duplex illud nomen græcum pro hoc Ordine sub duplici illa significatione, sed unum tantum, nempe Acolutheos, corrupto autem ν, et mutato in υ, passim dicitur Acolythus, a verbo græco ἀκολουθέω Acolutheo, quod significat, *sequor, sector, obsequor, famulor, sum proximus*, ut notant periti linguæ Græcæ; quamvis autem sit nomen græcum ἀκόλουθος Acolythus, latine, *solutus, liber, nullus imperio parens:* tamen in hunc Ordinem non recte convenit. Et ita Lindanus, lib. 4. *Panopliæ Evangelicæ*, cap. 78. sub finem, recte notavit, quosdam minus perite existimasse, Ecclesiæ Acolythos dictos fuisse, quasi non prohibitos. Parum autem refert, quod ille, qui dicitur Acolythus, subsequatur, aut præcedat; nam hoc ipso, quod comitatur, ut famulus, a prædicto verbo græco recte deducitur Acoluthus, cum ex famulis quidam dominum præcedant, quidam autem subsequantur.

Dicitur autem Acoluthus, alio nomine Ceroferarius; quod nomen, tamquam magicum, pro sua solita dicendi licentia, irridet Calvinus, lib. 4. *Institut.*, cap. 19. § 23. cum tamen eo utatur Concilium quartum Carthaginense, cap. 6. ubi tamquam Ordinem Ecclesiasticum numerat; ac proinde non est credendum Acolythos, nullos alios fuisse, nisi cubicularios Episcoporum, ut falso contendit Calvinus. *Hæc Vazquez.*

Tria autem sunt distincta Acolythorum officia, ut observatur in Pontificali Romano, ubi Pontifex in admonitione ad Acolythos ordinandos, ait: *Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, et aquam ad Eucharistiam administrare.* Primum itaque Acolythi munus est, Ceroferarium ferre, idest, candelabrum, quo defertur cereus, et ideirco a quibusdam Acolythi appellantur *luminis et cerei gestatores.* Porro de hac luminis gestatione in Ecclesia, præsertim quando legendum est Evangelium, meminit S. Hieronymus, lib. *Adversus Vigilantium*, ubi sic habet: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur lumina jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Addit Concilium Aquisgranense: et ad significandam spiritualem fidei lucem, quæ per Evangelium nobis affulget, adversus erroris tenebras. Deferuntur autem a duobus Acolythis duo luminaria, propter geminam dilectionem Dei, et proximi, vel propter duo Testamenta, quibus genus humanum illuminatur; vel, sicut habet Amalarius Fortunatus, lib. 3. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 18. *Duo cerei, qui ante Evangelium deferuntur, designant legem, et Prophetas præcessisse Evangelicam doctrinam. Revocare debet in memoriam hæc luminum gestatio, id quod a Christo Domino dictum est: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; unde Pontifex in admonitione, ordinandos sic alloquitur: Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentibus, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis.*

Secundum Acolythi munus est, luminaria Ecclesiæ accendere; ideirco enim, cum ordinatur, accipit candelabrum cum cereo non ac-

censo, *ut sciat se* (inquit Concilium Carthaginense quartum, Can. 6.) *ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.* Tertium officium est, vinum et aquam in urceolis, sive ampullis ministrare, ad conficiendum Christi Sanguinem; unde idem Concilium statim subdit: *Accipiat, et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Aliud antiquitus etiam erat Acolythorum munus et officium, nempe transmittendi ac deportandi Episcoporum et Ecclesiarum Epistolas, et eleemosynas ad eos, ad quos dirigebantur, ut videre est apud S. Cyprianum. Aliud etiam nunc observatur in Ecclesia officium, nempe gestare thuribulum cum igne, et incenso, seu thure. Cujus etiam officii meminit Honorius Augustodunensis in libro, qui inscribitur *Gemma animæ*, cap. 4. ubi etiam observat, quod dum Acolythus thuribulum versat in omnem partem, eo ipso designat S. Joseph, qui Christum Dominum hinc, et inde deportavit; aut etiam S. Paulum, qui prædicando, Christi odorem portavit per totum mundum.

Dignitas hujus Ordinis supra cæteros Minores et non sacros intelligi potest ex eo, quod omnibus ejusmodi Ordinum inferiorum Ministris, ad altare propius accedat, et quod iis etiam immediatius, ac directe magis inserviat Eucharistiæ conficiendæ, præparando nempe materiam consecrando calici necessariam in vasis non sacris. Hunc Ordinem vulgo comparant rerum Ecclesiasticarum tractatores cum iis, qui in templo Salomonis, et in tabernaculo lucernas quotidie accendebant.

Idem docet sententiarum Magister, dist. 24. scribens: *Hoc officium Dominus se habere testatur, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Hujus officii formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelasve componebant igne cœlesti, ad illuminandas tenebras Aquilonares.*

Movetur autem controversia apud Theologos circa materiam hujus Ordinis; nam S. Bonaventura in explicatione, dist. 24. part. 2. dub. 2. et alii cum ipso, contendunt materiam essentialem hujus Ordinis consistere in sola traditione Ceroferarii cum cereo: *tum* quia illud videtur esse præcipuum hujus Ordinis officium, cereos in Ecclesia accendere, et deferre, ex quo videtur desumptum Acolythi, et Ceroferarii nomen; ac subinde essentialis hujus Ordinis materia potius videtur constituenda in traditione candelabri, quam urceoli. Imo neutrius traditio videtur spectare ad essentiam hujus Sacramenti; quippe solus Episcopus conferre potest Ordinis Sacramentum, ac subinde ipsius solius est porrigere materiam, et proferre verba cujusque Ordinis: at Episcopus non tradit ordinando Ceroferarium, seu candelabrum, et urceolum; siquidem in Concilio Carthaginensi quarto, Can. 6. statuitur: *Acolythus non ordinatus, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.*

Verum cæteri Theologi cum nostro Aureolo existimant, hujus Ordinis materiam essentialem et necessariam per se et adæquate consistere simul in utraque traditione ceroferarii, et urceoli: inde tamen non sequitur, quod hujus Ordinis sit duplex materia, nisi dumtaxat partialis, quod alienum non est a ratione, et natura Ordinis, et Sacra-

menti, quemadmodum constat ex Sacramento Eucharistiæ, quod per se et adæquate constituitur ex consecratione panis et calicis, quæ sunt omnino distinctæ, quippe cum diversam habeant materiam et formam. Idem quoque patet in ordinatione Sacerdotis, cujus duæ partes sunt essentiales omnino diversæ, quoad materiam et formam: una nimirum, qua potestatem accipit in Corpus Christi verum ad conficiendam Eucharistiam; altera vero, qua potestatem accipit ad absolvendos fideles a suis peccatis.

Nec obstat, quod utramque materiam Acolythus olim acciperet ab Archidiacono; nam post accepta hæc instrumenta sui Ordinis, se conferebant ad Episcopum, qui iterum utramque materiam ipsi porrigebat, proferendo ad cujusque porrectionem verba formæ convenientis, quæ habetur in Pontificali Romano, his verbis concepta: *Accipite Cerofera-rium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos esse.* Similiter et hanc: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

§ V. — De Subdiaconis. — Subdiaconus Græce dicitur ὑποδιάκονος quasi Subminister; quia nimirum debet inservire Diacono, et ei obedire. Apud sanctum autem Dionysium, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 3. dicitur λειτουργος, quo nomine S. Maximus Martyr et Pachimeres in *Commentario* ad hunc locum, Subdiaconum volunt intelligi; sumpto tamen latius Hyppodiaconi, seu Subdiaconi vocabulo, pro his omnibus Ecclesiasticorum Ordinum gradibus Diaconatu inferioribus; quo sensu Ostiarii, Exorcistæ, Lectores, et Acolythi, dici possunt Subdiaconi, quia Diaconis subjiciuntur. Verum hæc nominis Subdiaconi generica acceptio non officit, quin etiam specifice usurpetur, ad significandum peculiarem Ordinem ab aliis distinctum, Diaconatu quidem inferiorem, sed quatuor minoribus Ordinibus superiorem.

Subdiaconi autem gradum et Ordinem ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio cognitum fuisse constat, non solum ex Auctoribus jam pluries laudatis, sed etiam ex Can. 42. Apostolorum, et pluribus aliis veterum monumentis. In cujus utique veritatis confirmationem laudare possemus SS. Januarium, Magnum, Innocentium, et Stephanum, qui cum essent S. Sixti Papæ Subdiaconi, cum ipso ejusque Diaconis, Felicissimo et Agapito, passi sunt in persecutione Valeriani, et S. Romulum Ecclesiæ Diospolitanæ Subdiaconum, qui anno secundo persecutionis a Diocletiano excitatæ cum Præsidi in Christianos sævienti, se Christianum esse professus esset, securi percussus est. Subdiaconi institutionem declarat Concilium Carthaginense quartum, tit. 5. his verbis, *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium.*

Idem docet S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis,* cap. 10. ubi scribit: « Subdiaconi, qui apud Græcos Hyppodiaconi vocantur, « in Esdra inveniuntur, et appellantur ibi Nathinæi, idest, in humi- « litate Deo servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanaël, qui in « Evangelio Joannis divina admonitione commonitus, Salvatorem me- « ruit confiteri, quique etiam ad primum Divinitatis indicium fidelis « enituit, protestante Domino, ac dicente: *Ecce vere Israëlita, in quo*

« *dolus non est.* Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt « a populis, isti obediunt officiis Levitarum, isti quoque vasa Corporis « et Sanguinis Christi Diaconibus ad altare offerunt. De quibus qui- « dem placuit Patribus, ut, qui sacra mysteria contrectant, casti sint, « et continentes ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia sint liberi, « juxta quod illis, Propheta dicente, jubetur : *Mundamini, qui fertis* « *vasa Domini.* Hi igitur, cum ordinantur, sicut Sacerdotes, et Levitæ, « manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum, et calicem « de manu Episcopi, et ab Archidiacono scyphum aquæ cum aqua- « manili, et manutergium accipiunt ».

Idem docent Rabanus Maurus, lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. 8. Ivo Carnotensis Serm. *De excellentia Sacrorum Ordinum*, et Auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem. Ex quibus apparent varia Subdiaconorum officia, quorum

Primum est, aquam ad ministerium Altaris præparare; quod utique non debet intelligi solum de aqua, quæ vino miscenda est in calice consecrando, sed de ea, quæ necessaria est ad abluendos extremos Sacerdotis digitos, unde etiam manutergium una cum urceolo in sua ordinatione accipit.

Secundum officium est ministrare Diacono: hac enim ratione Subdiaconi dicuntur, idest, Diacono subjecti et famulantes, maxime in iis, quæ ad Eucharistiæ confectionem et celebrationem necessaria sunt; quapropter a præfatis Auctoribus assimilantur Nathinæis, qui, ut notavit Lyranus in cap. 1. lib. 1. *Esdræ*, serviebant ad deferendam aquam, ligna, et alia necessaria pro ministerio Levitarum in Ordine ad sacrificia celebranda.

Tertium officium est, pallas altaris et corporalia abluere; nomine autem pallarum significatur quodlibet genus linteaminis, quo altare operitur, et quod præparatur ad celebrationem sacrificii, qualia sunt mappa, purificatoria, et corporalia, ex quibus mappa præcipue dicitur palla, eo quod, inquit Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, lib. 4. *De rationali divinorum officiorum*, cap. 29. Altare operiens illud palliet, sive abscondat; vel, ut volunt alii, eo quod ipsa palam, et foris apparere debeat. Horum ergo linteaminum mundatio spectat ad officium Subdiaconi.

Quartum officium Subdiaconi est, calicem et patenam Diacono subministrare, ut illa subinde una cum pane et vino Diaconus Sacerdoti porrigat; quo utique munere propius accedit Subdiaconus ad Sacerdotis officium. Hinc est, quod in ejus Ordinatione ipsi tradatur ab Episcopo calix vacuus cum patena similiter vacua. Ex quibus colligitur, Subdiacono semper concessam fuisse facultatem sacra vasa tangendi, quemadmodum diserte significat S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum*, c. 21. ubi refertur constitutio S. Thomæ Apostoli de Ordinatione Subdiaconi, in qua peragenda Episcopus sic Deum precatur: *Domine Deus, qui in tabernaculo testimonii Ædituos fecisti SS. vasorum custodes, et ipse nunc respice in hunc famulum tuum, qui ad ministerium Subdiaconi electus est, et tribue ei Spiritum sanctum, ut vasa administrando tibi facta digne attrectet*, etc. Quod etiam constat ex præfato Canone Concilii Carthaginensis, necnon et Scriptoribus sacris supra laudatis.

Nec obstat, quod scribit Bellarminus, lib. *De Sacramento Ordinis*, cap. 1. videlicet, antiquitus non fuisse permissum Subdiaconis sacra vasa tangere. Hoc, inquam, non obstat; quippe cum illius sententia nullo legitimo fundamento nitatur; nam quod profert ex Conc. Laodiceno, Can. 21. his verbis expresso: *Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconio* (idest, secretario) *et dominica vasa contingere*, ipsius sententiæ non multum patrocinatur; nam (ut observat Morinus, Exercit. 12. cap. 3. n. 7.) respondet Balsamon hoc Canone Subdiaconis prohiberi vasa sacra contingere, cum Corpus et Sanguinem Christi continent, hoc enim est Diaconorum proprium; non autem cum sunt Christi Corpore et Sanguine vacua. Aliter occurrit Zonaras, ita ut Græci moris imperitus Balsamoni videri possit contrarius. Respondet igitur Zonaras: *Quod ita intelligendum est, ut Diaconorum munera obire, ac panem et vinum, quæ in sacrificium offeruntur, contingere non liceat; non enim permittitur ipsis ea deferre.* Quibus alludit ad Græcorum morem, qui magna cum pompa deferre solent sacra symbola a sancta propositionis mensa ad divinum Altare, ut sacrificentur. Diaconus enim præcedentibus lampadibus, et subsequentibus Clericis super humeros sanctum panem defert, Sacerdos vero calicem manibus, et hoc apparatu gyro per Ecclesiam facto, omnibusque interim ante sancta symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos, et Diaconus, eaque super Altare reponunt. Hanc pompam vocare solent Græci *magnum introitum*, ut a parvo distinguant, qui fit cum sancta Evangelia legenda deferuntur. Hic ritus apud eos antiquissimus est, fitque quoties Missa celebratur.

Prohibent igitur Laodiceni Patres, secundum Zonaræ sententiam, Subdiaconum ingredi Diaconium, in quo est mensa propositionis, et sancta antitypa ad sacrificium præparantur, et in illo magno introitu ea cum Sacerdote deferre; quem ritum in hunc usque diem diligentissime observant. Hanc interpretationem confirmat Aristænus in brevissima sua canonum interpretatione: *Non tangant*, inquit, *vasa dominica Ecclesiæ Ministri*, ἀλλὰ παρ'ἱερεων ἢ διακόνων τῃ ἱερᾷ τραπέζῃ τἆυτα σπμοσάγοντα, *sed a Sacerdotibus et Diaconis ad sacram mensam deferantur.* Non igitur contradicit Zonaras Balsamoni, sed aliquid insuper addit. Nec etiam contradicit perpetuæ Subdiaconorum in vasa sacra prærogativæ. Quamvis enim patenam antitypis onustam illis non liceat in ista solemnitate deferre, non inde consequitur, eos sacra vasa tangendi licentiam non habere. Græcos videmus in hunc usque diem utrumque præstare: solus Diaconus sacra vasa in ea solemnitate defert, et Subdiaconi sacra vasa tangunt et contrectant.

Nec etiam magis urget id, quod Bellarminus addit, Ordinem Subdiaconatus olim non fuisse inter Ordines sacros; namque si quando Subdiaconorum Ordo non fuit habitus inter Ordines sacros, id repetendum non est ex defectu facultatis ad tangenda vasa sacra, sed ex defectu obligationis ad cœlibatum, seu ad continentiam perpetuo servandam; namque Subdiaconis numquam prohibitum fuit sacra vasa tangere, sed his aliquando licitum fuit uxorem ducere, aut saltem ducta uti. Licet ergo tunc Subdiaconis licitus non esset sacrorum vasorum contactus, quia tamen eorum Ordini nondum erat annexum continentiæ votum, idcirco neque tunc habebatur eorum Ordo inter Or-

dines sacros, sicut alias a nobis explicatum est. Quod autem addit Bellarminus, Subdiaconis postea fuisse concessum tangere vasa sacra, ut patet, inquit, ex Canone *non liceat*, dist. 23. falsum est, quia ejusmodi Canon desumptus est ex Concil. Braccharensi; ante istud autem tempus Subdiaconi gaudebant facultate tangendi vasa sacra, sicuti constat ex Clemente Romano citato supra, c. 2. Concilii Carthaginensis IV. Prædictus ergo Canon, *non liceat*, nihil arguit, quam possessionem prædictæ facultatis in Subdiaconis ad tangenda vasa sacra, non autem primam ejus possessionem, sicuti supponit Bellarminus. Secundo, si quid probaret ejusmodi Canon, eo etiam probaretur, istam facultatem pertinere ad Acolythos; id quod nequidem ipse Bellarminus admiserit.

Conveniunt tamen Theologi, idque confirmat Ecclesiæ consuetudo, per summi Pontificis concessionem, facultatem tangendi sacra vasa posse concedi initiatis inferioribus Ordinibus, ubi id necessitas postulat et exigit; nam, ut observat Morinus, exercit. 12. n. 9. antiquitus non modo licebat Subdiaconis sacra vasa tangere, sed etiam Acolythis. Id licebat in Ecclesia Braccharensi, ut ex collectione Martini Braccharensis deducitur Can. 41. *Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolytho in secretario tangere vasa sacra.* Eadem erat Romanæ Ecclesiæ et aliarum consuetudo, antiquis Ritualibus hoc testantibus. Id potissimum de patena demonstratur. In antiquo Ordine Romano de officio Missæ, coll. 6. editionis Parisiensis anno 1624. *Calicem autem Subdiaconus accipit sequens, et dat Acolytho, et ille revocat in paratorium.* Idem reperitur coll. 14. et 21. *Calix autem ille est vino plenus mixto cum Sanguine Christi.* Col. 75. in fine Ordinis Officii Parasceves: *Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter Subdiaconus patenam cum Corpore Domini.* De patena vero sæpius ab Acolytho contrectata, coll. 10. *Cumque Episcopus* Pater noster *finierit, accipiens Archisubdiaconus patenam ab Acolytho, offerat eam Archidiacono.* Et coll. 15. *Venit Acolythus sub humero habens syndonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque ad medium canonem*, etc. Item coll. 20. et alibi non semel. Itaque ea, quæ de vasis sacris, atque etiam de aliis instrumentis edicuntur, non sunt ita stricte intelligenda, ut ex usu celebrium Ecclesiarum aliis etiam Ordinibus convenire non possint, sed ut principaliter, et ex officio huic Ordini conveniant; nonnumquam tamen, et ex causa per alium Ordinem exerceantur. *Ita Morinus.*

Exinde tamen inferre non licet, quod aliquando vel Acolythis, vel aliis minoribus Ordinibus initiatis licitum fuerit ex officio sacra vasa tangere. Neque enim id evincunt, quæ a Morino proferuntur auctoritates. Non quidem ea, quæ petitur ex collectione Martini Braccharensis; *primo*, quia universim loquitur de vasis Ministerii, quæ ibidem appellantur vasa dominica, quorum alia sunt sacra, alia non sacra; quemadmodum constat ex veteri Ordine Romano citato supra, capite, qualiter celebrandum sit Officium Missæ, ubi sacri ministerii vasa dicuntur et recensentur, aquamanile, idest, vas manuale, patenæ, calices, et scyphi, atque pugillares sive aurei, sive argentei, annulæ *argenteæ, ad* vina fundenda paratæ, collatorium aureum, sive argen-

teum, et conlatorium; nam ex illis vasis ministerii sacra non sunt, aquamanile, scyphi, annulæ, et conlatorium; eorum vero omnium contrectationem et dispositionem omnimodam in secretario vult esse penes Subdiaconum, aut Acolythum, id quod intelligi debet proportione servata, et convenienter ad utriusque ordinem, seu potestatem; videlicet de Acolytho quantum ad non sacra, de Subdiacono autem quantum ad omnia, etiam sacra. Id enim statuitur exclusive ad Lectores, et inferioris gradus Ministros, quemadmodum patet ex Can. 28. Concilii Bracharensis primi, sive secundi, ubi dicitur, quod non liceat quemlibet ex Lectoribus sacra Altaris vasa portare. Et Can. 66. Concilii Agathensis, ubi sic legitur: non oportet insacratos Ministros licentiam habere Sacrarium ingredi, et contingere vasa dominica. Uterque Canon refertur apud Gratianum, prædicta dist. 25. *Deinde*, calix iste, quem ibi tenere dicitur Acolythus, appellatur scyphus, et calix major, atque distinguitur a calice sancto, quo utitur Pontifex ad Altare; et calix ille, seu scyphus, nihil aliud esse videtur, quam vas non sacrum, in quo ponebatur vinum commune, et non consecratum, cui admiscebatur aliqua pars sanguinis transfusa ex sacro vase; seu calice sancto, quo usus fuerat Pontifex ad consecrationem, in illum scyphum, seu calicem majorem, et non consecratum, quem tenebat Acolythus.

Quartum Subdiaconi munus est, oblationes populi suscipere, et super Altare ponere, ut colligitur ex admonitione Episcopi ad ordinandos, in qua eos sic alloquitur: *Oblationes, quæ veniunt ad Altare, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet in Altari poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat.* Porro inter multa, quæ antiquitus offerebantur ad Altare, solebant fideles offerre panem et vinum in usum Sacrificii, et sacræ Communionis; quapropter Subdiaconi munus erat de ipsis panibus tantum ad Altare deferre, quantum populo sufficere posset ad Communionem, ne si plures panis partes consecratæ remaneant, putrefactioni subjaceant, ut constat ex mox dictis.

Quintum munus est, Epistolam in Missa solemniter recitare, et decantare; quod utique officium Subdiacono committitur in ejus ordinatione, dum ei traditur ab Episcopo liber Epistolarum. Cujus utique officii tamquam ad Subdiaconum pertinentis meminit Martinus Bacchărensis in sua collectione canonum, his verbis: *Si Subdiaconus secundam duxerit uxorem, inter Lectores vel Officiarios habeatur, ita ut Apostolum non legat;* quo loco, legere Apostolum, perinde est, ac legere Epistolam; quia lectio ut plurimum in Officio Missæ peti solet ex Epist. S. Pauli, qui per antonomasiam appellatur Apostolus; et solus plures rescripsit Epistolas canonicas, quam ullus Apostolorum. Quæ sanctio desumpta videtur ex Can. 3. Concilii Toletani primi, cujus sunt hæc verba: *Subdiaconus autem, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, et habeatur inter Ostiarios vel Lectores; ita ut Evangelium, vel Apostolum, seu Epistolam non legat.* Ubi signanter Concilium dicit lectionem Epistolæ spectare ad officium Subdiaconi, et esse unum ex muneribus, quæ Subdiacono conveniunt vi suæ ordinationis.

Nec obstat, quod in Mychrologo, c. 8. legatur: *Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus*

induti Epistolam legant ad Missam; quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex Ecclesiastica concessione meruerunt obtinere. Hoc, inquam, non officit; siquidem Mycnrologus nihil aliud intendit, quam quod Ecclesia Romana Subdiaconis concesserit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam; non autem simpliciter, quod Epistolam legant: hanc enim facultatem Subdiaconos habere vi suæ Ordinationis, ibidem satis aperte significat, nam statim subdit: *Unde et rationabile esse videtur, ut ipse Sacerdos sibi Epistolam legat, quam ut aliquem nondum ordinatum sibi adsciscat ad legendum; nam B. Hormisda a S. Petro quinquagesimus tertius Papa, cap. 3. illum deponit, quicumque non ordinatus, officium ordinati usurpavit.* Censet ergo lectionem Epistolæ spectare ad officium Subdiaconi vi suæ ordinationis, nec ab alio posse legitime usurpari.

Nec pariter officit quod scribit Amalarius Fortunatus, lib. 3. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. 11. *Miror qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat Lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex Ministerio sibi in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo. Subdiaconus, ut monstratum est, dicitur, quia sub Diacono est positus. In quibus rebus illi subditus sit, consecratio ejus et canonica institutio monstrant; idest, ut in his ministret Diacono, quæ aguntur circa Altaris officia. Nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod non erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut Subdiaconus legeret Epistolam, sive Lectionem.* Hoc, inquam, non obstat, nec inde concludere licet, publicam Epistolæ lectionem in Ecclesia non spectare ad Subdiaconi officium: *tum* quia Amalarius non negat id suo tempore fuisse in praxi, sed tantum miratur, unde praxis illa originem duxerit: *tum* quia dum ait, Subdiacono non fuisse commissum legere Epistolam, dum fuit consecratus, non videtur loqui de consecratione, quæ fiebat suo tempore, sed de ea, quæ fiebat tempore Apostolorum, quemadmodum intelligi potest ex ratione, qua ibi utitur ad confirmandam suam propositionem; nam, inquit, primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum, hoc est, eo tempore, quo Diaconi primum fuerint instituti ab Apostolis; hæc enim ratio, qua a Diaconis concludit ad Subdiaconos, satis aperte demonstrat, eum loqui de institutione ipsorum Subdiaconorum facta ab ipsis Apostolis, antequam scriptæ essent Apostolicæ Epistolæ. Nec certe negari potest, quin ante Amalarii tempora spectaverit ad Subdiaconi officium Epistolas in Missa legere, ut perspicue colligitur ex præfato Canone 4. Concilii Toletani, quod ante Amalarium annis 400. et amplius celebratum est.

Sextum Subdiaconi *officium* est, custodire portas, et obserare fores Ecclesiæ, non quidem priores, quibus fideles omnes in templum debent ingredi, hoc enim Ostiariorum munus erat, sed fores, vel portas Sanctuarii, seu Sacrarii, in quo divina celebrantur mysteria. Quod utique munus colligitur ex S. Maximo, qui in *Commentario*, ad c. 5. *Ecclesiasticæ Hierarch.*, S. Dionysii, ait: *Non quod Diaconi fores tunc custodierint, nunc vero Subdiaconi.* Similiter Pachimeres in eumdem locum, ait: *Discernit, et separat sacros a profanis, observat portas.*

Diaconi enim tunc portas obtinebant, nunc vero Hyppodiaconi. Hanc autem sacrarii portarum custodiam unum ex præcipuis Subdiaconorum muneribus fuisse, apparet ex Euchologio Græcorum, in quo Episcopus Subdiaconum ordinans, ita precatur: *Inde illi amorem honestatis, vel decoris domus tuæ, ut adstet portis sanctis templi tui.* Quod pariter indicat Concilium Laodicen., Can. 22., his verbis: *Quod non oportet Ministros, vel brevi tempore fores relinquere, et orationi vacare.* Ministri autem nomine Subdiaconos interpretantur Balsamon, Harmenopulus, et Zonaras, qui pariter notat, hunc morem desuevisse. *Quod si,* inquit, *hoc tempore nequaquam ad fores Ecclesiæ assident Subdiaconi, non est cur miremur;* multi enim alii Ecclesiæ mores nunc quidem omnino immutati sunt.

Ut autem facilius innotescat, quale fuerit antiquitus hoc Subdiaconorum officium, observandum est ex Morino, exercit. 11. cap. 4. num. 4., quod antiquissima Ecclesiarum Christianarum divisio bipartita fuit: Sanctuarium erat, deinde navis Ecclesiæ, seu atrium. In Sanctuarii medio erat Altare, et in eo considebant Episcopi, et Presbyteri, stabant Diaconi. Alii Clerici illud non ingrediebantur, dum Officia Ecclesiastica celebrabantur, nisi in transitu, propter aliquod ministerium præstandum. A duobus sanctuarii lateribus duo erant Conclavia; S. Clemens ea vocat Pastophoria, S. Paulinus Conchas, nos ea vocaremus Capellas. Utrumque Conclave erat quasi pars sanctuarii; et in utraque porta erat, qua de navi Ecclesiæ ingressus erat in Conclave, et de Conclavi regressus in navim. Ideo una porta dicebatur situs Borealis, altera Australis. Ita conspiciuntur adhuc Romæ in omnibus antiquis Ecclesiis, quæ non sunt ab annis ducentis a fundamentis refectæ. Græcarum Ecclesiarum sanctuaria hanc figuram non obscure exprimunt; omniaque saltem habent, et necessario aliquid Conclavis Borealis vicarium. Pars illa sanctuarii primaria, in qua erectum erat Altare, cancellis erat ab atrio laicorum divisa, et insuper magno velo; quo quæcumque in Sanctuario peragebantur, ab oculis Laicorum occultabantur, donec contracto velo, et expulsis profanis, oculis fidelium paterent. In istis cancellis sanctuarii erat porta lateralibus longe major, quæ velo prædicto extenso occludebatur, et contracto aperiebatur. Hæc Major porta vocabatur, atque etiam nunc vocatur Porta sancta.

Ut Sanctuarii erant portæ, sic et Ecclesiæ, quibus universi, laici, sive Clerici in Ecclesiam, orandi gratia, intrabant. Per illas ab area et porticu erat ingressus in Ecclesiam. Deinde perambulatio ab Ecclesia et Atrio in Sanctuarium. Postquam ab atrio Ecclesiæ demptus est Chorus, et Cantorum locus, additæ sunt Choro portæ.

Cum igitur jubentur Subdiaconi portas Ecclesiæ diligenter custodire, portæ Sanctuarii intelligendæ sunt, non priores et exteriores Ecclesiæ portæ: illarum enim cura Ostiariis demandata erat, ut docet S. Clemens, lib. 2. *Constitut.*, cap. 57. *Janitores sunt introitus virorum custodiendi causa; Diaconissæ vero mulierum.* Cum de Ostiariis actum est, pluribus hoc demonstravimus. Itaque Subdiaconi invigilabant sanctis portis, caventes sedulo, ne quis profanus sanctuarium ingrederetur. Id diserte docet Simeon Thessalonicensis, in *Theoria Subdiaconi. Custodit portas sacras,* inquit, *ne quis profanorum intra San-*

commemorati fuerint, conjugio utentium. Quod si hoc reperiatur, non amplius toleratur; sed ut canonibus contrarium severe vindicatur, novoque Canone eadem cœlibatus lex hac occasione innovatur. Itaque post sexcentos a Nativitate Christi annos, cœlibatus per universum Occidentem subdiaconatui erat lege perpetua conjunctus. *Ita Morin.*

Secundo Subdiaconi virtute suæ ordinationis obligantur ad recitandas Horas Canonicas, seu Officium divinum, ut expresse habetur in Concilio Basileensi, Sess. 21. c. 9. ubi Concilium supponit hanc obligationem constringere omnes Clericos in sacris Ordinibus constitutos, quales sunt Subdiaconi; unde licet expresse non constet, quando, et ubi id præceptum primo fuerit, constat tamen de antiquitate hujus consuetudinis, quæ vim habet legis et præcepti. Hanc autem obligationem recitandi Horas Canonicas Theologi et Canonistæ repetunt ex alterutro ex triplici titulo: nempe ex beneficio Ecclesiastico, professione solemni in Religione approbata, et Ordine sacro, cujus initium fit in Subdiaconatu.

§ VI. — De Diaconatu. — Diaconi vocabulum Græcum est, idem plane significans, quod Minister sive famulus apud Latinos. Unde generatim tribui potest cuicumque famulo et obsequenti. Nihilominus cum usus Ecclesiasticus hanc vocem Latini juris fecerit, strictius usurpatur ad significandum hominem initiatum eo sacro Ordine, qui proxime Sacerdoti famulatur in mysteriis sacris celebrandis, et ultimum gradum obtinet, quo ad Sacerdotium ascenditur. Appellantur etiam interdum a SS. Patribus Levitæ, nimirum ex similitudine Levitici ministerii, quo veteris Testamenti Sacerdotio Ministri subserviebant. Unde S. Ivo Carnotensis, *sermone de excellentia sacrorum Ordinum*, præclare ait: « Diaconorum Ordo in veteri Testamento a « Tribu Levi habet exordium; præcepit enim Dominus Moysi, ut post « ordinationem Aaron, et filiorum ejus, rursus Tribus Levi ad divini « cultus ministeria ordinaretur et consecraretur Domino, et serviret « pro Israël coram Aaron, et filiis in tabernaculo Dei, ipsique gestarent arcam, et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu « tabernaculi ipsi castra construerent, et transportando tabernaculum « ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti autem annis, et « supra, jussi sunt servire tabernaculo. Quam regulam SS. Patres, et « in novo Testamento constituerunt; quoniam hæc ætas ad portanda « onera robusta est, quod illi Ordini a Moyse institutum est; quod « etiam in novo Testamento repræsentatur, cum Diaconis super sinistrum humerum stola ponitur, et casula in diebus jejunii super « eumdem humerum complicatur. Quia quidquid laboris et sustinentiæ in hac vita toleramus, tamquam in sinistra portamus, donec in « dextera, idest, in æternitate requiem habeamus.

« Hic Ordo in novo Testamento ab Apostolis initium sumpsit, « quando, sicut legitur in Actibus Apostolorum, septem viros boni testimonii plenos Spiritu S. ad hoc officium elegerunt, et oratione « præmissa, manus eis imposuerunt. Exinde Apostoli et eorum Succcessores decreverunt, ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi « circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnæ Altaris assisterent, non sine aliquo septennarii mysterio, in quo significatur,

« ut septiformis gratiæ spiritu præfulgentes, sancti sint corpore, et « spiritu. Hic enim numerus cum constet quaternario, et ternario, « quaternarius refertur ad corpus, propter quatuor elementorum in « corpore consonam complexionem ; ternarius vero ad animam, pro- « pter triplicem animæ virtutem, propter quam jubemur Deum tri- « pliciter diligere, idest, toto corde, quod refertur ad intellectum : tota « anima, quod refertur ad voluntatem : tota mente, quod refertur ad « memoriam.

« Hi sunt septem Angeli, quos legimus in Apocalypsi tuba ca- « nentes : Angeli, quia nuntii : tuba canentes, idest, alta mysteria de « interna aspiratione foris resonantes. Hi sunt septem candelabra au- « rea, idest, lucem Evangelii in manibus, idest, in operibus præfe- « rentia, et ad omnem ignis, idest, tribulationis examinationem pro- « bata : hi quoque sunt tonitrua septem, bestiales mentes terribili « comminatione, vel quodam terribili tonitru commoventia. Tale to- « nitru emittebat Joan. Baptista, quando dicebat : *Genimina viperarum, « quis dabit vobis fugere a ventura ira?* Et Dominus in Evangelio : « *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem « mittetur.* Et in hunc modum plurima. Isti in modum præconis ma- « nifeste admonent cunctos ad orandum, et ad genuflectendum : isti « evangelizant, isti Sacramenta dispensant. Sacerdotibus non licet « calicem Domini in Missa tollere, nisi traditus eis fuerit a Diacono. « Levitæ hostias super Altare ponunt : ipsi mensam Domini compo- « nunt : ipsi Altare mysteriorum aperiunt : ipsi albis vestibus induti, « Altari assistunt ». *Ita Ivo Carnotensis*, cui per omnia concordat S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiast.*, c. 8. et Rabanus Maurus, lib. 1. *De Institut. Clericorum*, c. 7. necnon et sententiarum Magister, dist. 24. tit. *De Diaconis*, quibus complectuntur omnia Diaconorum officia, tam in odine ad Corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum et ministrandum, quam in ordine ad corpus mysticum, nempe fideles docendos et sanctificandos.

Primum itaque Diaconi officium est, Sacerdoti adesse in templo Dei in iis, quæ spectant ad mysterium et Sacrificium Missæ celebrandum ; ipse enim Sacerdoti offerenti quodammodo cooperatur ; ipse est qui materiam consecrandam a Subdiacono acceptam Sacerdoti porrigit ; ipse Sacerdotis brachia sustentat, cum vini calicem consecrandum offert Deo, simulque cum eo dicere solet : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris.* Refert etiam S. Clemens Romanus, lib. 2. *Constitutionum*, cap. 57. olim id quoque muneris Diacono incubuisse, ut inter Missarum solemnia post discessum Catechumenorum, alta voce moneret fideles Sacrificio adstantes, *ne quis contra aliquem ;* item *ne quis in hypocrisi*, idest, simulatione ; quasi diceret, Mysteriis nemo intersit, neque huic Sacrificio et Sacramento, quod est vinculum pacis, unionis, et charitatis, qui aliquem odio, simulatione, aut inimicitia prosequitur : nemo adsit fictus in fide, vel moribus simulans id quod verum non est, et tamen esse debet.

Secundum Diaconi officium est, Evangelium in Missa solemniori alta voce recitare, seu cantare, ut constat ex S. Gregor., lib. 4. *Epistolar.* Epist. 44. ubi dicit Lectionis Evangelicæ officium, adstante universo Clero, a Diaconis esse persolvendum, Psalmos vero et reliquas Le-

ctiones per Subdiaconos, vel, si necessitas id postulaverit, per minores Ordines exhiberi oportere. Hujus etiam ritus, seu officii, tamquam Diaconorum proprii, et meminerunt S. Clemens, lib. 2. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 57. ubi postquam Lectori lectionem ex veteri Testamento et Apostolorum scriptis attribuit, Evangelii lectionem Diacono expresse assignat; et S. Hieron. Epist. 48. *Ad Sabinianum Diaconum*, ubi eum objurgans, inter cætera ait: *Tu exanguis, et pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi, quasi Diaconus legitabas;* et S. Augustinus, Ser. 4. *De S. Steph.* cap. 3. de eo sic loquitur: *Diaconus erat, Evangelia legebat, quæ legis et audis et tu.* Et Concilium Vasense secundum, sive tertium celebratum anno 529. ita decernit, Can. 2. *Si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, SS. Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur; si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est, legere, quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publice recitare?* Quibus aperte constat, proprium Diaconorum officium esse Evangelium in cœtu fidelium publice legere.

Opponit Morinus, exercitatione 9. cap. 1. n. 5. ex Amalario, lib. 2. cap. 8. *De Officiis Ecclesiasticis*, Diaconos primitus fuisse ordinatos sine facultate legendi Evangelia. *Secundo* ab eo tempore, quo constitutum est, quod Diaconus legeret Evangelium, hæc lectio ad sacrificium non pertinebat; quippe cum hanc Evangelii lectionem audire poterant plurimi, quibus fas non erat adesse sacrificio. *Tertio*, diu praxis apud plures Ecclesias inolevit, ut non Diaconi, sed initiati interioribus Ordinibus Evangelium publice legerent; nam in Ecclesia Africana hoc officio fungebantur Lectores, ut constat ex S. Cypriano, Epist. 33, et 34. in quibus agitur de Aurelio, et Celerino ordinatis in Lectores; in Hispania autem eo munere fungebantur Subdiaconi, sicut habetur ex Can. 2. et 4. Concilii Toletani primi: igitur non est peculiare Diaconi officium, Evangelium legere. — **Nego consequentiam**, et ad *primum* et *secundum* dico, verum quidem esse ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio Diaconos fuisse ordinatos absque libro Evangeliorum, et facultate ea legendi, cum nondum essent scripta. Nec aliud certe voluit Amalarius, ait enim: *Primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut et Subdiaconus legeret Epistolam.* Licet ergo aliquamdiu ordinati fuerint Diaconi absque libro Evangelii, eo videlicet tempore, quo nondum scriptum erat; inde non est consequens, quod nonnisi multorum annorum decursu hanc Diaconi facultatem legendi Evangelium habuerint. Licet etiam divina mysteria aliquamdiu celebraverint Apostoli absque ulla Evangelii lectione, id tamen non duravit per plures annos; sed tantum usque ad id tempus, quo scripta fuerant Evangelia; cum enim viventibus Apostolis Evangelium extiterit, quid prohibere potuit, quominus ab iis legeretur in Missa, et mysteriorum celebratione, maxime cum ipsemet Morinus, n. 15. ibid. fateatur, Evangelii solemnem in Missa lectionem ab Apostolis ortum habuisse? quomodo autem ab Apostolis ortum habuisset, nisi hæc lectio ab ipsis fuisset usurpata? Nec obstat, quod qui Sacrificio Missæ adesse non poterant, audire consueverint Evangelii lectio-

nem; Missa enim, quæ dicebatur Catechumenorum, non erat omnino distincta ab ea, quæ dicebatur fidelium, nec duæ erant Missæ omnino diversæ; sed tantum unius et ejusdem Missæ duæ partes totales, quarum una referebatur ad aliam, ut principium ad finem, et ea quæ ad Sacrificium præparat, ad eam quæ Sacrificium consummat et absolvit. Quapropter quidquid pertinuit ad eam Missæ partem, quæ dicitur Missa Catechumenorum, etiam ad Sacrificium Missæ pertinuisse dicendum est.

Ad tertium autem dico, nusquam licitum fuisse Lectoribus et Subdiaconis Evangelium solemniter legere in publico fidelium cœtu, sed tantum privatim, et sine ulla solemnitate, ut jam diximus agendo de Lectoribus et Subdiaconis. Nec aliud certe voluit Concilium Tolet. ait namque: *Subdiaconus, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerit, removeatur, et habeatur inter Ostiarios et Lectores; ita ut Evangelium et Apostolum non legat.* Videlicet inter Missarum solemnia, idest, nequidem eo modo, quo in Ecclesia legi possunt a Lectoribus extra solemnia Missarum; nam quod addit Morinus, nempe Subdiaconum hoc canone et prohibitione legendi Evangelium et Apostolum relegari ad Ostiarios vel Lectores, omnino vanum est; namque, ut Evangelium aut Apostolum non legeret Subdiaconus ex officio, si revera utriusque lectio ad ejus officium pertinuisset, non erat necesse eum relegare ad Lectores et Ostiarios; sed satis erat eum ab officio Subdiaconatus removere. Si autem contendas, per hunc Canonem prohiberi lectionem Evangelii et Apostoli intra Missarum solemnia, respondebo nihil aliud prohiberi, quam ne Subdiaconus, de quo ibi agitur, utrumque legat in Missa, eo modo quo legere potest, videlicet Epistolam ex proprio officio, Evangelium autem ex defectu præsentiæ Diaconi, ad supplendam scilicet ejus vicem, illud tamen exequendo sine stola.

Tertium Diaconi munus erat olim, Christi fidelibus sub utraque specie communicaturis calicem, sive Sanguinem Christi dispensare; cujus utique consuetudinis meminit S. Cyprianus, Serm. *De lapsis,* circa finem, ubi scribit: *Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem præsentibus offerre cœpit.* Unde in vita S. Laurentii legitur, eum dixisse S. Sixto: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Imo etiam poterant interdum Christi Corpus ministrare, ubi necessitas postulabat, ut decernit Concilium Carthaginense quartum, cap. 38. his verbis: *Ut Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, eroget.* Quod etiam aliis momentis probavimus, agendo de Ministro dispensandæ Eucharistiæ.

Quartum Diaconi officium est, baptizare; ita Pontificale Romanum, et antiquus Ordo Romanus: quo sensu autem hoc officium ei competat, repete ex his, quæ diximus de Ministro Baptismi.

Quintum Diaconi officium est, prædicare verbum Dei, et Evangelium populis annuntiare. et explicare; cujus utique officii meminit Pontificale Romanum, necnon et Catechismus Romanus: unde in Concilio Vasensi secundo, Can. 4. præcipitur, quod *si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum hoc potuerit non prædicare, SS. Patrum Homiliæ a Diaconis recitentur.*

Hoc tamen officium, inquit Estius dist. 24. § 26. non ipsis competit ex vi suæ ordinationis; quippe cum non ad id munus proprie ordinati sint; sed ut summaria quadam Evangelii expositione plebem præparent ad solidiorem et exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem. Nec vero hoc ipsum iis permittitur, nisi in absentia Sacerdotis, vel Episcopi, vel certe iis jubentibus, et id quidem e loco humiliore; quemadmodum Catechismus Parochorum admonet, nimirum ut intelligant munus illud sibi non jure Ordinis, sed sola Superioris delegatione competere. Sic legimus Actor. 8. Philippum Diaconum sua prædicatione Samaritanorum animos præparasse, ut apti fierent capiendis majoribus fidei mysteriis, quæ audituri erant ex prædicatione Apostolorum Petri et Joannis. Simili exemplo Ephrem Diaconus ad plebem in Ecclesia Edissena conciones habuit, et S. Vincentius, ut testatur Breviarium Romanum, supplebat in prædicatione verbi Dei vices Episcopi sui. Hinc B. Gregorius, lib. 4. *Epistolarum*, cap. 88. quod est Epist. 44. valde reprehensibile esse dicit, « ut in Diaconatus « Ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis « officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat ». *Et paulo post:* « inter Missarum solemnia a cantu abstinere, et solum Lectionis « Evangelicæ officium eos exsolvere præcipit ». Idemque officium Diaconis tribuit S. Augustinus, Serm. 4. B. Stephano. Quod sane usque in hodiernum diem ita eis proprium esse intelligitur, ut Diaconorum ordinatio per libri Evangeliorum dationem perficiatur, ut expressum habemus in Decreto Florentino. Unde et verbis Episcopi potestas eis confertur Evangelii legendi pro vivis, et defunctis.

Sextum Diaconi officium erat, Ecclesiæ thesauro, sive oblatis a fidelibus eleemosynis præesse, et eas pauperibus erogare, juxta Episcoporum, vel Presbyterorum sententiam et decretum; quemadmodum colligi potest ex Apostolo 2. ad Cor., cap. 8. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias*, nempe Silam, qui ordinatus fuerat comes peregrinationis S. Pauli, ut cum eo gratuitas fidelium oblationes colligeret, ut explicat Baronius ad annum Christi 51. n. 64. Tum etiam ex S. Leone, Serm. *De S. Laurentio*, ubi de illo ait: *Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam ex dispensatione Ecclesiastica substantiæ præeminebat.* Similia legere est apud S. Ambrosium, lib. 2. *De Officiis*, cap. 28. necnon et S. Augustinum, Serm. *De S. Laurentio.*

Potissimum vero Diaconis cura incumbebat eorum omnium, qui propter confessionem Domini nostri Jesu Christi in carcere erant detrusi; unde Cæciliano a Donatistis crimini imputatum est, quod cum Archidiaconus esset, Martyribus necessaria non modo non suppeditasset, sed etiam suppeditari prohibuisset, ut testatur Optatus Milevitanus, lib. 1. Eorum pariter curæ et sollicitudini committebantur egenorum, viduarum, pupillorum, ægrotantium, atque peregrinorum æducatio et protectio, ut nempe ex fidelium eleemosynis omnia iis ad victum et vestitum necessaria suppeditarent, ut decernitur in Conciliis Cartaginensi IV, Can. 43. et Aurelianensi I, Can. 20., necnon et a S. Clemente, Epist. 1. ubi varia perstringens Diaconorum officia, inter cætera scribit: *Diaconi Ecclesiæ tamquam oculi sunt Episcopi, oberrantes, et circumstantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, et*

perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri præcipitio, et proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum, etc. *Negligentiores quoque, et eos, qui rarius ad audiendum verbum Dei accedunt, nec sollicite ad Episcopi tractatum conveniunt, ipsi commoneant, et hortentur*, etc. *Sed eos, qui secundum carnem ægrotant, sollicite perquirant, et plebi, si forte plebs ignorat, indicent de his, ut ipsi visitent eos, et quæ necessaria sunt, præbeant eis, cum conscientia ejus, qui præest. Quod tamen etiamsi clam fecerint, non peccabunt. Sed et de peregrinis similiter Episcopo suggerant referendis, et cætera his similia, quæ ad cultum Ecclesiæ, et disciplinam ejus pertinent, Diaconis cura sint.*

Alia pariter antiquitus erant plura Diaconorum officia, nempe Episcopis et Presbyteris adesse in regendis parœciis, ut colligitur ex Concilio Eliberitano, Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Idem colligitur ex Can. 7. Concilii Tarraconensis, anno 517. celebrati: *De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clero, id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum Clerici septimanas observent, idest, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei Diaconus similiter.* Dictum est illis a Concilio 6. Græcorum. c. 7. privilegium, ut ante Presbyteros, et etiamnum Episcopos, Diaconus in certo casu sedeat, extra quem licet Officiis Ecclesiasticis honorificis fulgeant, prohibentur cum Presbyteris sedere, nedum præsidere. *Quoniam in nonnullis Ecclesiis Diaconos Officia Ecclesiastica habere didicimus, et ex hoc nonnullos eorum arrogantia et licentia fretos ante Presbyteros sedere; statuimus, ut Diaconus, etiamsi in dignitate, idest, in quovis sit Officio Ecclesiastico, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adsit in alia civitate super aliquo capite.*

Tantus porro honor Diaconis delatus, sed præsertim negotiorum Ecclesiasticorum cura et tactio iis ab Episcopo demandata, continuisque cum his de iis rebus tractatus, et inde facilis ad eos accessus, occasionem ambitionis illis dederunt, eorumque animum ita insolenter extulerunt et inflarunt, ut sæpius auderent Presbyteris sese æquare, et etiamnum præsidere. De hac Diaconorum insolentia plurimum conqueritur Auctor quæstionum utriusque Testamenti, S. Augustino antiquior, cujus opus illius operibus inseritur, multisque argumentis quæst. 101. eorum insolentiam retundit. Præcipuam autem eorum insolentiæ occasionem eam refert, quam adnotavimus: *Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse Ministros, non considerant quid illis a Deo decretum sit, et quid debeant custodire; sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes Dominicæ, et officialitas, quæ per suggestiones malas, seu bonas nunc plurimum potest. Aut timentur enim, ne male suggerant, aut emuntur, ut præstent.*

Eodem tempore S. Hieronymus acerrime restitit huic Diaconorum insolentiæ, ut videre est Epist. 85. ad Evagrium: *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, idest, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse Presbyteros, quos et Episcopos, quis patiatur ut mensarum et viduarum Minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Cor-*

pus, Sanguisque conficitur? Tandem postquam hanc insolentiam multis exagitavit, aliam illius occasionem aperit, paucitatem scilicet Diaconorum, et Sacerdotum turbam: *Quid paucitatem, de quo ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas? Omne, quod rarum est, plus appetitur. Plegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterum in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, et stant Diaconi, licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, et in domesticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare.* Causa istius ambitionis a S. Hieronymo reddita admodum est probabilis; Diaconorum illa paucitas diutissime Romæ observata; æstimationis primum, deinde fastus plurimum contulit. Ab antiquo enim Romæ septem tantum creari solebant Diaconi, ut testantur Sozomenus, lib. 7. c. 19. et S. Sylvester in Synodo Romana 294. Episcoporum, cap. 6. Anacletus, Ep. 1. Cornelius Papa apud Eusebium, lib. 6. *Historiæ*, cap. 35. S. Ambrosius, in 1. ad Timoth., c. 3. hoc generaliter de Episcopalibus Ecclesiis docet: *Nunc septem Diaconos esse oportet, et aliquantos Presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, et unus in civitate Episcopus.* Addit Stephanus Æduensis, cap. 7. *De Sacramento Altaris: Statutum Apostolica præceptione, ut Vicario Christi in Sancta Sanctorum introeunte, septem in sublimiori gradu mensæ Altaris assistentes serviant.* Et Ivo Carnotensis, Serm. *De Excellentia Ordinum*, Successores Apostolorum decrevisse, *ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnæ Altaris assisterent.* Idem etiam voluit Concilium Neocæsariense antiquissimum, Can. ult. quem repetit et innovat Concilium Aquisgranense, cap. 61. Burchard. lib. 2. cap. 219.

Quantum autem *ad materiam* et *formam* Diaconatus, varia est Theologorum sententia; *quidam* enim cum Durando, dist. 24. contendunt, materiam essentialem solam esse manuum impositionem Episcopi; *alii* autem cum S. Thoma ibidem quæst. 2. art. 3. volunt, materiam Diaconatus esse solam traditionem libri Evangeliorum. *Tertia* vero sententia, quæ mihi videtur probabilior, censet materiam integram Diaconatus essentialiter includere manuum impositionem, et traditionem libri Evangeliorum; sicque constare duabus materiis et formis partialibus; quippe Episcopus imponendo manus supra caput ordinandi, dicit: *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus, in nomine Domini.* Cum vero ei tradit librum Evangeliorum, ait: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Primam materiam et formam tradit Concilium Carthaginense IV, Can. 4. ubi ait: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput ejus ponat.* Secundam vero tradit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, et constat ex Concilio Tridentino, et Catechismo, ac Pontificali Romano.

§. VII. — De Sacerdotio, seu Presbyteratu. — « Presbyterorum « Ordo, (*inquit Ivo Carnotensis Serm. De Excellentia Ordinis*) a filiis « Aaron sumpsit exordium, qui cum Episcopis in pluribus commune « habent Officium; et qui nunc Presbyteri vocantur, tunc Sacerdotes

« vocabantur; et qui nunc sunt Pontifices, tunc dicebantur Sacerdo-
« tum Principes. Distat autem hoc tantum inter Pontifices, et hujus
« temporis Sacerdotes, quia scilicet solis Pontificibus addicta est Cle-
« ricorum Ordinatio, Basilicarum dedicatio, Chrismatis consecratio,
« et manus impositio, et communis super populum benedictio; cum
« in aliis Sacramentis, catechizandi, Missam celebrandi, in Ecclesia
« verbum faciendi ad populum, communis utriusque sit dispensatio.
« Sed summis Sacerdotibus ea, quæ prætaxavimus, idcirco reservata
« sunt, ne eadem potestatis auctoritas ab omnibus vindicata, insolentes
« redderet, et soluto obedientiæ vinculo, scandalum generaret.

« Qui autem græce dicuntur Presbyteri, latine dicuntur Seniores,
« non tam ætate, quam prudentia, et morum maturitate. Unde dicitur
« in libro *Sapientiæ: cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita*
« *immaculata*. Presbyteri quippe successores et vicarii sunt septua-
« ginta Discipulorum, qui præcedebant Dominum Jesum in omnem
« civitatem et locum, quo ipse erat venturus. Ita Presbyteri, qui
« adjutores sunt Episcoporum, rudes populos initiant, baptizando uni-
« tati Ecclesiæ incorporant, et omnibus Sacramentis usque ad manus
« impositionem populo Dei ministrant. Episcopi vero successores sunt
« Apostolorum, qui ex necessitate adjutorium et supplementum sui
« officii, quo facilius plebes innumeras regere possint, ministerium
« sibi expetunt Sacerdotum; sicut Moyses in Eremo 70. viros pru-
« dentes elegit, quorum consilio et auxilio immensam multitudinem
« populi Israël facile gubernaret.

« Sive autem sint minoris Ordinis, sive summi Ordinis Sacerdotes,
« vicem Christi summi Pontificis gerunt, dum populos delinquentes
« ad Pœnitentiam vocant, et orationum suarum medicamento sanant.
« Unde Apostolus 2. Cor. 5. dicit: *Deus erat in Christo, mundum*
« *reconcilians sibi... et posuit in vobis verbum reconciliationis. Obsecra-*
« *mus pro Christo, reconciliamini Deo*. Funguntur itaque, ut dictum
« est, officio mediatoris, dum pro populo Deum interpellant, dum
« pœnitentes absolvendo reconciliant. Unde oportet, ut sicut Mediator
« Dei et hominum, per hoc, quod fuit particeps nostræ mortalitatis,
« mundum reconciliavit, per hoc, quod fuit particeps Divinitatis,
« absolvit, ita utriusque Ordinis Sacerdotes, tamquam boni media-
« tores, et peccatoribus compatiantur per conscientiam suæ infirmi-
« tatis, et Dei pacem habeant per eminentiam sanctitatis. Mediator
« enim, ut ait Apostolus, unius non est; quia utrique parti, quam
« pacificare vult, amicus est. Quales debeant esse Presbyteri, idem
« Apostolus scribens ad Titum ita commemorat »: *Hujus rei gratia*
reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates Presbyteros, sicut et
ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios
habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet
enim Episcopum sine crimine esse. Qua sententia ostendit etiam Pres-
byteros sub Episcoporum nomine taxari. *Hæc Ivo Carnotensis*, quibus
similia habent Sanctus Isidorus, lib. 2. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. 7.
et Rabanus Maurus, lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. 6. ubi inter
cætera ait: *Ideo Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut*
Episcopi, idest, in confectione Divini Corporis et Sanguinis, et in Ba-
ptismate, et in officio prædicandi. Quibus utique verbis tria capitalia

designat Sacerdotum munia et officia; nempe conficere Eucharistiam, baptizare et prædicare.

In Pontificali autem Romano quinque officia Sacerdotis præscribuntur, nempe offerre, seu sacrificare, benedicere, quia convenit Sacerdotibus benedictio panum, aquæ, cereorum, et aliorum terræ fructuum; baptizare, et præesse: non quod quilibet Sacerdos hoc ipso, quod ordinatur, jurisdictionem Pastoris in aliquos habeat; sed quod recipiat jurisdictionem, quam vocant activam, cui si ab Episcopo subditi assignentur, jurisdictionem completam Pastoris in eos habebit. Hæ autem quinque functiones conferuntur Sacerdoti per primam suam Ordinationem, quibus additur alia, nempe auctoritas ligandi et absolvendi a peccatis, per posteriorem Ordinationem acceptam.

Duplex enim est partialis Sacerdotis inauguratio: *prima* est, qua accipit auctoritatem in Corpus Christi verum conficiendum et ministrandum. Quæ utique confertur per traditionem calicis cum vino et aqua, et patenæ cum hostia non consecrata, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi hæc verba habentur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Et paulo post: *Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia, pro vivis, et mortuis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Secunda* vero ipsius Ordinatio et inauguratio fit per impositionem manuum Episcopi dicentis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sicut enim Christus Dominus has in suum Corpus verum et mysticum contulit Apostolis diversis temporibus: *primam* quidem in ultima Cœna, *secundam* autem post Resurrectionem; sic Ecclesia Christum imitata confert per Episcopum primam potestatem, antequam Episcopus ordinans et Missam celebrans pervenerit ad consecrationem, ut videlicet recenter inaugurati Sacerdotes cum ipso consecrent; *secundam* vero potestatem confert, postquam seipsum, et Sacerdotes recenter ordinatos communicavit.

Porro quod hæc manus impositio sit materia partialis ordinationis Sacerdotum, constat ex Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 3. ubi agens de institutione Extremæ-Unctionis, definit Ministros Sacramenti Extremæ-Unctionis, *esse Presbyteros, quo nomine non ætate seniores, aut primates populi intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii.* Ergo Presbyteri ordinantur partialiter per impositionem manuum. Idem Concilium, Sess. 23. Can. 4. *Si quis*, inquit, *dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: Accipe Spiritum sanctum, aut per eum non imprimi characterem*, etc. Ubi insinuat dari Spiritum sanctum, cum dicitur Sacerdoti ordinando: *Accipe Spiritum sanctum:* at tunc fit manus impositio, ut patet ex Pontificali: ergo et per illam datur Spiritus sanctus. Idem definitur in Concilio Carthaginensi quarto, Can. 3. ubi statuitur: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput illius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.*

Idem decernunt summi Pontifices, docentes manuum impositionem

necessariam esse in Ordinatione Diaconi, et Presbyteri. Hoc præ cæteris significat S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolorum*, ubi refert Sanctum Thomam Apostolum dixisse: *Cum Presbyterum ordinas, Episcope, impone ipse manum capiti Presbyteri.* Similiter S. Damasus, Epist. 10. ubi de Chorepiscopis, ordinandi jus illicite usurpantibus, ait eos magis vulnerasse capita, quæ per manus impositionem tangebant, quam ea, quæ ipsis collata non erant, per aliquam benedictionem dedisse. Cui omnino affine est id, quod in eumdem sensum habet Innocentius I, in Epist. ad Episcopos Macedoniæ, cap. 3. *Cum nos*, inquit, *dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda.* Sanctus Leo Magnus, Epist. 83. ad Episcopos Africæ, ubi expendens hæc Apostoli verba: *Manus nemini cito imposueris*, inter alia sic habet: *Quid est*, inquit, *cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Sanctus Gregorius Magnus in fine Registri decreto 5. *Quia ordinando*, inquit, *Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelii vero lectionem Minister legit, confirmationis vero hujus Epistolam, Notarius excipit, sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, Minister, vel Notarius non debet in Ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum venundare.* Alexander secundus, sicuti refertur apud Gratianum, Can. *Ex multis* 2. parte decreti causa 1. quæst. 3. ubi sic habetur: *Chalcedonense Concilium unum ex principalibus, simili pœna condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt, et eos qui sacram manus impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dignoscuntur; utrosque enim auctoritate inexpugnabili, illos a beneficio, istos a sacro Ordine jubet expelli.*

Idem docent SS. Patres, maxime S. Dionysius, cap. 5. *De Hierarchia Ecclesiastica*, ubi declarat omnem consecrationem fieri per manus impositionem Pontificis. *Pontifex*, inquit, *qui ad Pontificiam consecrationem est evectus, utroque genu flexo ante Altare, supra caput habet Scripturas a Deo traditas, manumque Pontificis, atque hoc modo a Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis apprecationibus consecratur. Sacerdos vero utroque poplite ante Altare flexo, in capite habet dextram Pontificis, et hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis invocationibus consecratur. Porro Diaconus unum genu flectens ante divinum Altare, supra caput habet dexteram Pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur invocationibus ad Ministrorum consecrationem accommodatis. Unicuique autem eorum signum Crucis a consecrante Pontifice imprimitur, et singulis sancta prædicatio, perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus Ecclesiasticis, una cum Pontifice consecrante, consalutantibus illum, qui in aliquem dictorum Ordinum sacrorum est cooptatus.*

Idem docent cæteri Patres Græci, præsertim S. Basilius, in Epist. ad Amphilochium, cap. 2., ubi loquens de quibusdam hæreticis, clarissime significat Sacerdotium per impositionem manuum conferri: *Defecerat*, inquit, *collatio successionis serie interrupta; qui enim primum excesserunt, sacris Ordinibus erant initiati, et per impositionem manuum Patrum spirituale donum habebant; qui autem abrupti sunt, Laici ef-*

fecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem. Et in Epist. ad Nicopolitas, ubi de quibusdam loquitur, quos significat non debere recipi ad Communionem: *Ne,* inquit, *postea facta pace seipsos in sacro cœtu numerandos esse contendant, quod impositionem manus ipsorum susceperint.* S. Ephrem, in Homil. seu tractatu *De Sacerdotio,* qui primus omnium occurrit inter ejus opera: *Non potestas,* inquit, *ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum.* Et in vita S. Abrahami, cap. 5. narrat, eum per impositionem manuum ordinatum fuisse Presbyterum. Sanctus Gregorius Nazianzenus, Orat. 20. in laudem S. Basilii de Patre suo redeunte ab ordinatione Basilii in Episcopum Cæsariensem sic habet: *Redit firmus, et valens a manuum impositione, et unctione.* S. Gregorius Nyssenus, Nazianzeni frater, in vita S. Gregorii Thaumaturgi, ubi de eodem Thaumaturgo narrat, quod cum vir sanctus intelligeret se quæri, ut in Episcopum consecraretur, in varias solitudines et latibula, honoris declinandi studio se receperit, ubi fugiens et latitans comprehendi non posset, Phœdinus Amasæ Episcopus, qui in eo inquirendo nihil reliquerat intentatum, divino tandem impulsu actus, nil curans interjectum spatium, quo a Gregorio divellebatur; loco manus impositionis, inquit Nyssenus, adhibuit ei sermonem, quo eum absentem Deo consecrabat; ex quibus verbis patet, veteres per manus impositionem solitos fuisse consecrare præcipuos Ecclesiæ Ministros. Et quia Phœdinus revera non potuerat ei tunc absenti manum imponere, et eum ordinare, idcirco statim subjicit idem S. Nyssenus, omnia deinde in eo peracta esse instituta, quæ in omni ordinatione jure fieri solent. S. Chrysostomus ad hæc Apostoli verba 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum Presbyterii,* expresse docet, per impositionem manuum, ipsam intelligi debere ordinationem; qua de re in prædictum Apostoli locum consuli possunt adhuc omnes ejus Interpretes, Theodoretus, Œcumenius, Theophilactus, Primasius, Sedulius, et alii. Et Homil. 14. in Acta Apostolorum, ubi ait, ad præsentiam impositionis manuum Deum gratiam operari. De eodem S. Chrysostomo rem valde miram narrat Simeon Metaphrastes in ejus vita; videlicet cum Chrysostomus Presbyter ordinaretur a Flaviano Episcopo Antiocheno, et Flavianus ei manum imponeret, cœlitus delapsam esse columbam in caput ejus, quo significaretur in ea cæremonia dari Spiritum sanctum, qui in forma columbæ tunc visibiliter apparebat.

In idem conspirant Latini Patres, maxime S. Cyprianus, Epist. 68. ad Clerum et plebem in Hispania consistentes, ubi Sabino manum impositam fuisse narrat, ut in locum Basilidis ordinaretur Episcopus. S. Ambrosius, lib. *De Dignitate Sacerdotali: Homo,* inquit, *manum imponit, et Deus largitur gratiam.* Idem ait ipse, sive quisquis est Auctor Commentariorum, qui sub nomine S. Ambrosii circumferuntur, in omnes S. Pauli Epistolas, ad cap. 4. prioris ad Timoth., ubi observat gratiam ordinatoris dari per Prophetiam, et manuum impositionem. Optatus Milevitanus, lib. 1. *Contra Parmenianum: In Donatum,* inquit, *sunt hæ sententiæ latæ, quod confessus sit se rebaptizasse, et Episcopis lapsis manus imposuisse, idest, eos iterum ordinasse, quod ab Ecclesia alienum est.* S. Hieronymus, in cap. 28. Isaiæ, ubi explicans vocem illam Χειροτονίαν, *Ordinatio,* inquit, *non solum ad imprecationem vocis, sed*

etiam ad impositionem impletur manuum. Et S. Augustinus, lib. 5. *De Baptismo,* contra Donatistas, cap. 20. *Si ergo,* inquit, *ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent etiam per homicidas.* Et lib. 5. *De Gestis,* cum Emerito Donatistarum Episcopo: *Invocatio,* inquit, *nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati; non enim suscipio Episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus.* Unde paulo post ibidem sic infert: *In errante, et deserente milite, crimen est desertoris, character non est desertoris, sed Imperatoris.* Vult ergo S. Augustinus, in Ordinatione character imprimi per impositionem manuum, invocato Christi nomine super caput ordinandi. Et Serm. 2. *De iisdem Gestis,* cum Emerito: *Cæteri autem,* inquit, *non aderant Ordinationi ejus, quando ei manus imposita est.*

Dices: Concilium Florentinum in decreto Eugenii pro instructione Armenorum, assignans materiam Sacramenti Ordinis, ait, *illud esse, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem:* igitur censet, non aliam desiderari materiam ad Sacramentum Ordinis, præter instrumentorum porrectionem. *Deinde,* Gregorius IX, cap. *Presbyter* Extra de Sacramentis non iterandis, juxta doctrinam ab Innocentio III traditam ibidem cap. *Pastoralis,* ait, quod si in Ordinatione Presbyteri aut Diaconi prætermissa fuerit manus impositio, illa Ordinatio non est iteranda; sed caute supplendum est, quod incaute omissum fuerat: sed si impositio manus esset materia essentialis, deberet Ordinatio non tantum suppleri, sed etiam iterari: igitur, etc. *Denique,* Pontificale Romanum eos, quibus manus impositio facta est, sive ad Diaconatum, sive ad Presbyteratum, appellat adhuc Ordinandos; nam præscribit: Moneat Episcopus ordinandos, ut instrumenta, quibus character imprimitur, tangant: igitur non censet, manuum impositionem quidpiam conferre ad Ordinationem, sed eam tantum fieri per instrumentorum porrectionem et contactum. — **Nego consequentiam,** et ad *primum respondeo,* Pontificem in eo decreto non attigisse omnem Ordinationis ritum et materiam, sed eam proposuisse materiæ partem, de qua instruendi et admonendi erant Armeni, qui fortasse, inquit Bellarminus, in hoc ritu, non autem in traditione instrumentorum, ab Ecclesia Romana dissentiebant. *Deinde* Concilii propositum fuit assignare rem aliquam subsistentem pro materia hujus Sacramenti, sicuti fecerat in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, et Extrema Unctione, in quibus Sacramentis assignavit pro materia aquam, Chrisma, panem triticeum, et vinum de vite, et oleum olivæ. *Denique,* Concilium voluit assignare certam materiam, per quam sufficienter etiam in ratione signi materialis unus Ordo distinguitur ab alio, cujusmodi non est manuum impositio, utpote quæ fiat in Sacerdotio, et Diaconatu: sed aliorum, et diversorum instrumentorum porrectio; licet enim eadem manuum impositio, per diversam formam applicata, habeat vicem materiæ, et di-

stincti signi formalis, sicut constat ex diversis Græcorum Ordinationibus, in quibus eadem manus impositio, per diversas verborum formas applicata, habet diversam significationem; tamen Concilium assignare voluit diversitatem Ordinum per ipsamet signa materialia, quibus in Ordinatione utitur Ecclesia Romana, utpote cum hæc signa sint magis distincta, et Ordinum distinctiva. *Adde quod*, idem Concilium tacite etiam complexum sit ipsam manuum impositionem; quippe remittit ad Pontificale Romanum, quantum ad materias et formas adhibendas in Ordinationibus.

Ad secundum respondet Arcudius, Gregorium loqui de impositione manus præparatoria, quæ est quædam dispositio ad Ordines, quæ si omittatur, non propterea Sacramentum iterari debet: sed ista manus impositio, veluti res accidentalis, est supplenda.

Ad Innocentium autem respondet, ipsum auctoritate Pontificia hæc non dixisse, sed hæc Commentaria scripsisse antequam esset Pontifex, et quatenus erat privatus Doctor. *Addi potest*, hos Pontifices ita statuisse generatim; ita quod cum in Sacramentis conferendis duo sint Rituum genera, quorum aliqua sunt tantum accidentalia, quales sunt cæremoniæ jure Ecclesiastico præscriptæ, ad majorem videlicet Sacramentorum auctoritatem, et reverentiam; alia vero sunt essentialia, ut materia, et forma, ex quibus totum, quod essentiale est, in Sacramento constituitur; censent illi Pontifices, quod ubi aliquid accidentale prætermissum est, non sit Sacramentum iterandum, sed caute supplendum jure Ecclesiastico, quod incaute fuerat omissum; ubi vero aliquid essentiale prætermissum, servatis aliunde omnibus accidentalibus, nihil de ipsis accidentalibus iterandum est, sed supplenda solum ea pars essentialis, quæ fuerat prætermissa. Sic in celebratione Missæ, si quis, consecrato pane, calicem non consecraverit, sed tantum benedixerit, non debet iterari consecratio panis, neque calicis benedictio, sed tantum ipsius consecratio. Volunt itaque Pontifices, quod in Sacramentis, in quibus duplex est materia partialis, quando una adhibita est, alia omissa, non debet repeti quæ fuerat adhibita, sed tantum ea quæ fuerat prætermissa.

Ad tertium dico cum Arcudio ibidem, quod illa manus impositio non fit ab Episcopo, Presbyteris ei assistentibus ante porrectionem instrumentorum, et Ordinationem tantum inchoat, non autem perficit, nequidem quantum ad potestatem offerendi Sacrificium, et consecrandi panem et vinum in Christi Corpus et Sanguinem. Unde non mirum, quod Pontificale moneat Episcopum, ut jubeat Ordinandos tangere instrumenta; si enim non tangerent, cum illa sint conjuncta manui Episcopi, non tangerent Episcopum; nec consequenter assequerentur potestatem. Unde merito dixit, quod in ea porrectione instrumentorum imprimitur character, quia tangendo illa, ordinati conjungunt se Pontifici, seu extensioni manus Pontificis, ratione cujus imprimitur character, et assequuntur Ordinem sacrum.

Porro quanta sit, quamque sublimis et veneranda Sacerdotum dignitas et excellentia, facile colligi potest ex multiplici capite: *primo* quidem ex ipso nomine Sacerdotis, et Presbyteri; Sacerdos enim dicitur, quasi *sacrum dans*, ex mente Petri Blesensis, Serm. 2. *De vita, et officiis Præsulum, et Clericorum*. Dat enim sacrum de Deo, idest,

orationem: sacrum Dei, hoc est, Carnem et Sanguinem Christi: sacrum pro Deo, idest, vivendi exemplum. *Presbyteri* autem vocabulum senectutem sonat, non tam numero annorum, quam morum gravitate et sanctitate attendendam, juxta illud Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Secundo* ex duplici, qua pollent, auctoritate, absolvendi homines, et consecrandi Corpus Christi: per unam enim Sacerdos homines in cælum promovet ab infernorum et peccatorum vinculis, quibus alligabantur, solvendo: per alteram vero facit hominem Deum ad terram descendere, consecrando. Quanta autem sit hæc potestas, ex his S. Bernardi verbis colligitur, Serm. *Ad Pastores in Synodo congregatos: Quantam dignitatem vobis contulit Deus, quanta est prærogativa Ordinis vestri? Deus prætulit vos Regibus, et Imperatoribus, prætulit Ordinem vestrum omnibus Ordinibus; imo, et ut altius loquar, prætulit vos Angelis, Archangelis, Thronis, et Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem, sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus Dominici Corporis et Sanguinis commisit consecrationem.* Similia habet S. Ambrosius, lib. *De Dignitate Sacerdotali,* cap. 2. *Ecce aurum non pretiosius est plumbo, quam regia potestate altior est dignitas Sacerdotalis.* Sanctus Chrysostomus, Homil. 4. in illud Isaiæ, *In anno quo mortuus est Rex Ozias,* et lib. 1. *De Sacerdotio,* cap. 4. *Alii sunt,* ait, *termini Regni, alii Sacerdotii. Hoc regnum illo majus est, Sacerdotii jus e supernis descendit,* etc. Item ibidem. *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporis remittit; Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia: ille bellum gerit cum barbaris, hic adversus dæmones: major hic principatus, propterea Rex caput manui Sacerdotis submittit, et ubique in Scriptura Sacerdotes ungebant Reges.*

Tertio, eadem excellentia colligitur ex variis nominibus, et gloriæ titulis, qui Sacerdotibus solent attribui tum in sacris Codicibus, tum in sanctorum Patrum scriptis. *Numerorum* 1. Sacerdos appellatur Mediator, per hæc verba: *Tuli Levitas, ut orent pro eis, ne sit in populo plaga.* Secundo, appellatur Christus 1. *Paralip.* 16. *Nolite tangere Christos meos.* Tertio, nuncupatur Angelus, Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, Angelus enim Domini est.* Quarto, vocatur et *tuba,* et *custos,* Isaiæ 58. *Quasi tuba exalta vocem,* etc. Isaiæ 62. *Super muros tuos posui custodes.* Quinto, appellatur Deus, Exodi 22. *Diis non detrahes.* Sexto, *sal,* et *lux,* Matth. 5. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Septimo, *Dei coadjutor,* 1. Corinth. 3. *Dei adjutores sumus.* Octavo appellatur *homo Dei,* sicut minister Regis, homo Regis appellatur, ex eo quod res regias debeat curare. Nono, *legatus Christi,* 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur.*

PETES 1. *Utrum instrumenta, quæ sunt Ordinum materia debeant ab ordinando tangi, et ab Episcopo porrigi?*

RESPONDEO PRIMO, necessum esse, quod qui ordinatur physice tangat instrumenta, quæ pertinent ad materiam Ordinis, quem su-

scipit. Cujus utique veritatis non leve argumentum præbet Pontificale Romanum; nam agens de Ritibus singularum Ordinationum, ubi loquitur de porrectione instrumentorum, quibus quilibet Ordo confertur, iis utitur verbis, quæ diserte significant res illas, seu instrumenta, quæ porriguntur ab Episcopo, ab ordinato debere tangi. Favet etiam Concilium Carthaginense quartum; nam Can. 5. agens de Subdiaconatu, dicit: *Accipiat*, etc. ubi de traditione instrumentorum agit: Porro non potest hæc accipere, nisi tangendo; neque enim proprie quis dicitur accipere aliquid corporeum, nisi saltem manu illud attingat. Id etiam ostendit usus et continua Ecclesiæ praxis, quæ tam sollicite curat, ut instrumenta illa omnia, in quorum porrectione Ordinatio consistit, saltem simul ab ordinato tangantur; signum enim est, quod ejusmodi contactus ex parte ordinati sit necessarius ad legitimam Ordinationem; neque enim in re gravi et magni momenti, qualis est Ordinatio sacra, licet a communi Ecclesiæ ritu et praxi recedere.

Respondeo ad secundum, omnino necessum esse, quod Episcopus ordinans per seipsum instrumenta porrigat ei, quem ordinat; hoc enim indicat Concilium Carthaginense quartum, Can. 5. et sequentibus, ubi dum agit de porrectione instrumentorum, quæ tradi solent ordinandis, ait: *Accipiat Ordinandus de manu Episcopi*, vel *tradatei Episcopus*, etc. His enim loquendi formulis Concilium significat, omnino requiri ad Ordinationem, quod prædicta instrumentorum porrectio seu traditio fiat ab ordinante.

Nec obstat, quod dum idem Concilium agit de Ordinatione Acolythi, ait, illum ab Episcopo doceri quidem debere, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono debere accipere candelabrum cum candela, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari. Hoc, inquam, non obstat, siquidem hic ritus videtur immutatus et emendatus per Pontificale Romanum, ubi habetur, *quod Episcopus Acolytho tradat candelabrum cum candela*. Suadet etiam ratio: quippe ab eo tradi et applicari debet materia Sacramenti, a quo pronuntiatur forma, et Sacramentum confertur: sed solus Episcopus formam profert, ac subinde ab eo etiam materia Ordinationis porrigi debet. Hinc Clemens VIII iterum ordinare jussit sub conditione aliquos, qui a Sagiensi Episcopo fuerant ordinati, ostensa solum, non autem tradita ipsis Ordinum materia, ut refert Izambertus, disp. 3. *De Sacramento Ordinis*, cap. 8. et Gamachæus, Tract. *De Sacramento Ordinis*, cap. 11. At si porrectio instrumentorum ab Episcopo facienda, et eorumdem contactus ab ordinando non essent omnino necessariæ, summus Pontifex non jussisset sic ordinatos iterum ordinari sub conditione: igitur, etc.

Dices 1: Si contactus esset necessarius ex parte ordinandi, maxime vel quia ille necessarius est ad acceptionem, et traditionem; *vel* quia requiritur ad verificationem verborum formæ: sed neutrum dici potest. Non quidem primum; multa enim quotidie possunt alteri valide tradi absque ullo hujusmodi contactu physico; nam, ut Petrus, Paulo domum, equum, etc. donet, non est necesse, quod Paulus hujusmodi sibi donata contingat. Non etiam secundum; siquidem verborum formæ prolatio non simul completur cum ipso contactu instrumentorum; dum *enim Episcopus* ait: *Accipe*, ordinandus, vel forte non tangit eodem

instanti instrumenta, et sic vel falsa esset forma; vel tamdiu non tangit, quamdiu proferuntur verba formæ: igitur contactus ille non est necessarius. — **Nego consequentiam,** et *primam* partem *antecedentis* distinguo: contactus ille non est necessarius ad traditionem et donationem generice spectatam, *concedo:* in particulari autem specie, qualis requiritur ad Ordinationis validitatem, *nego.* Fateor equidem contactum corporalem et physicum non esse necessarium ad omnem traditionem, et donationem in genere; sed inde non sequitur, quod interdum non requiratur in speciali aliqua donatione, qualiter requiritur in Ordinationibus; quod utique non provenit ex immediata institutione Christi, sed ex ordinatione Ecclesiæ, cui Christus auctoritatem fecit, materiam, et formam, et ritum aliquorum Sacramentorum designandi, et determinandi in particulari. Porro hujusmodi contactum Ecclesia requirit, ut constat ex continua ejus praxi. *Ad secundum* dico, quod ad validitatem formæ non requiratur, ut ordinandus tamdiu tangat instrumenta, quamdiu proferuntur verba; sed sufficit, quod in aliquo instanti ea tangat; siquidem contactus ille moraliter censetur perseverare, donec perficiatur integra Ordinatio.

Dices 2: Ut quis alteri rem donet, non est necesse, quod propriis manibus eam ipsi porrigat; vere enim censeretur quis alteri librum donare, designando ipsum librum, etc. dicendo: *accipe hunc librum:* igitur non opus est, quod Episcopus instrumenta ordinando propriis manibus tradat. — **Respondeo ad antecedens,** hæc quidem esse vera secundum communem usum et modum loquendi; non autem secundum Ecclesiæ praxim, quæ dum instrumentorum porrectionem, seu traditionem determinavit pro materia ordinationis, voluit eam ita fieri, ut instrumenta physice tangerentur, non solum ab ordinando, sed etiam ab ordinante, ut scilicet Sacramentum complete conferretur ab ipso Episcopo.

Petes 2. *Utrum omnes septem Ordines veram Sacramenti rationem habeant?*

Affirmo tamquam probabilius, idque veluti certum supponere videtur Doctor, dist. 24. nu. 9. ubi ait: *In hoc patet, quomodo sunt septem Ordines, qui sunt institutiones in Ordinibus, et illi septem dicuntur contineri sub Sacramento Ordinis, vel magis proprie sub Sacramento Ordinationis, in quantum est unum Sacramentum.* Quod evidentius significat num. sequenti, ubi inquirens qualiter Sacramentum Ordinis sit unum: « Respondeo, *inquit,* unitate generis propinqui, si- « cut virtutes morales dicuntur esse tres secundum genus, justitia, « fortitudo, temperantia, et in prima divisione virtutis moralis hæ « primo occurrunt; tamen in speciali quælibet istarum ulterius divi- « ditur, ut dictum est lib. 3. Est etiam alia unitas inter Ordines. « Congruum est enim prius recipere Ordinem inferiorem, quam su- « periorem, nec tamen ille Ordo est simpliciter necessarius, ita quod « si prætermittatur, nihil sit, ut apparet *Extra de Clerico per saltum « promoto,* ubi habetur, quod non est iterandum quod est factum, « sed, quod fuit prætermissum caute est supplendum; et per con- « sequens nonnihil fit in collatione Ordinis superioris, etsi non fuerit « Ordo inferior prius collatus; ista tamen unitas Ordinis non est illa,

« propter quam Ordo, vel Ordinatio est unum Sacramentum ; sed « magis unitas prior, scilicet generis ». *Ita Doctor*, quibus aperte significat, omnes Ordines invicem convenire in unitate et ratione Sacramenti. Idem pariter docet S. Bonaventura, eadem distinct. part. 1. art. 2. quæst. 4. necnon et S. Thomas ibidem, quæst. 2. art. 1. et plures alii veteres Theologi.

Idque probari potest primo ex Concilio Florentino jam sæpius laudato, ubi postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, et ejus materiam esse rem, quæ traditur ab Episcopo in Ordinatione, et formam esse verba, quibus res illa traditur, et speciatim id declarasset in Ordine Sacerdotali, Diaconali, et Subdiaconali, subjungit, *sic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus:* igitur censet etiam in inferioribus Ordinibus reperiri materiam et formam Sacramenti ; ac proinde existimat, omnes Ordines veram Sacramenti rationem obtinere. Idem pariter indicat Concilium Tridentinum ; quamquam enim hanc veritatem diserte non explicet, attamen cum Sess. 22. c. 2. dixisset Ordinem distribui in septem species, cap. sequenti absolute pronuntiat, Ordinem vere esse Sacramentum novæ Legis, ubi nullam distinctionem facit inter Ordines, qui sint Sacramenta, et qui non sint; quibus significat se nullum Ordinem a ratione Sacramenti excludere. Quod evidentius declarat Can. 3. nam cum præmisisset, in Ecclesia Catholica aliquos Ordines esse majores, et alios minores, statim subdit : *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Ubi cum nullum discrimen proferat inter Ordines, qui habeant rationem Sacramenti, et qui non habeant, haud dubium est, quod existimet omnes prorsus Ordines Sacramenti rationem obtinere. Hoc ipsum luculenter declarat S. Augustinus, lib. *De bono conjugali,* cap. 24. ubi testatur in omnibus ordinatis permanere Sacramentum Ordinationis, etiamsi plebi congregandæ non serviant, vel propter culpam ab officio removeantur. Censet itaque omnes Ordines habere vim Sacramenti, propterea quod semel accepta amitti non possint, propter characterem perpetuum, qui in singulis Ordinibus confertur.

Subscribit etiam S. Hieronymus in lib. *Adversus Vigilantium*, ubi dicit, *Episcopum Diaconos, aliosque Clericos ordinantem Christi Sacramenta tribuere.* Quibus verbis significat, omnes generatim Ordines habere rationem et dignitatem Sacramenti.

Favet etiam ratio : *primo* quidem, omnes esse Sacramenta non obscure colligitur ex eo, quod perantiqua sit in Ecclesia horum septem Ordinum mentio ; non enim aliunde, quam ex divina traditione, et institutione ad nos usque pervenisse credendum est. — *Deinde,* id quod est signum sensibile divinitus institutum, et gratiæ causativum, habet veram rationem Sacramenti : at tales sunt omnes Ordines, quilibet enim eorum est signum sensibile, ratione suæ materiæ et formæ. Similiter est divinitus institutum ; quamvis enim Christus Dominus materiam et formam Sacramentorum non designaverit in specie, sufficit quod utramque designaverit in genere, committendo Ecclesiæ auctoritatem hujusmodi signa designandi in specie, sicque saltem in genere est horum signorum institutor. — *Postremo,* per hæc signa datur gratia; quippe cum in hujusmodi Ordinum receptione homines Deo conse-

crentur, ut significat Cajus Papa in Epist. 1. quæ est ad Felicem, c. 6. ubi recenset minores Ordines, quibus ad Sacerdotium et Episcopatum ascenditur, his verbis: *Ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur, idest, sit primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus.* Ubi notandum est verbum, *sacretur*, quod nonnisi Ordini a Christo in Sacramentum instituto convenire videtur.

Dices 1: Omne Sacramentum est a Christo institutum: at Diaconatus non fuit a Christo institutus, neque etiam reliqui Ordines inferiores, ut docet Anacletus Papa, Epist. 3. cap. 2. Sic enim ait, de Episcopatu et Sacerdotio loquens: *Amplius quam isti duo Ordines Sacerdotum, nobis nec a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Idem asserit Damasus, Epist. 5. his verbis: *Nom amplius, quam duos Ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, idest, duodecim Apostolorum, et septuaginta Discipulorum.* Similiter S. Cyprianus, lib. 2. Epist. 9. docet, *Diaconos non a Christo, sed ab Apostolis institutos esse; ergo Diaconatus non est Sacramentum a Christo institutum.* — **Respondeo,** Anacletum eo loco non loqui de singulis Ordinibus, sed solum de duplici Ordine Sacerdotii, nempe Presbyteratus et Episcopatus; ita ut ejus verborum sensus sit, duos solum Ordines Sacerdotii, nempe Presbyteratum et Episcopatum nobis reliquit Deus, et Apostoli docuerunt; agit enim contra eos, qui Primates, seu Patriarchas, veluti altero Ordine initiatos, et ab Episcopis distinctos esse volebant; unde ait: *Ordo Sacerdotum, fratres, bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari.* — Quod utique confirmat ex eo, quod Christus solum elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi successerunt; et sexaginta Discipulos, quorum successores sunt Sacerdotes. Ex quibus sic concludit: *Amplius quam isti Ordines Sacerdotum, nec a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* In eumdem sensum conspirat S. Damasus loco citato, ubi duos tantum Ordines Sacerdotum agnoscit; siquidem ibi reprimit quorumdam Episcoporum supercilium, qui se veluti medios inter Episcopos et Presbyteros, subindeque tertium Ordinem Sacerdotum sibi fingebant; unde ibidem ait: *Si nec Episcopi sunt, et plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cum hi tantum duo Ordines* (Sacerdotum) *in Ecclesia legantur?* Ad S. Cyprianum dico, Christum equidem nullum per seipsum ordinasse in Diaconum, sicut ordinavit Episcopos et Sacerdotes; sed tantum facultatem fecisse Episcopis, ut Diaconos instituerent. Ex quibus tamen inferre non licet, ipsum non instituisse Diaconatum in Sacramentum; neminem enim Matrimonio junxit, nec confirmavit, nec oleo infirmorum unxit; nihilominus tamen inde non sequitur, quod non instituerit Sacramentum Matrimonii, Confirmationis, et Extremæ-Unctionis.

Dices 2: Subdiaconatus olim non erat Ordo sacer: igitur nec Sacramentum. *Patet antecedens* ex Can. *Nullus*, dist. 60. cap. 4. ubi sic legimus: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in Sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus; sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; Subdiaconos vero, quia et ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus; si tamen spectatæ sint Religionis, et scientiæ.* —

Respondeo *primo, negando consequentiam;* non enim idem est Ordo sacer, et Sacramentum; siquidem minores Ordines sunt Sacramenta, nec tamen sunt sacri. *Respondeo secundo ad antecedens,* Ordines vocari sacros duplici titulo; nimirum, vel quia habent solemne castitatis et continentiæ votum, vel quia proximius inserviunt ad Eucharistiam conficiendam. Quamvis autem Subdiaconatus ab initio non fuerit Ordo sacer in universa Ecclesia priori titulo, tamen posteriori semper fuit Ordo sacer, quippe proximius accedit ad Eucharistiam, quam alii Ordines minores.

INSTABIS: Si Subdiaconatus fuisset Ordo a Christo institutus et sacer, non potuisset omitti in superiorum Ordinum susceptione; siquidem juxta Christi Domini institutionem gradus est faciendus a minoribus Ordinibus ad superiores: sed superiores Ordines suscipi possunt sine Subdiaconatu; nam in Concilio Sardicensi, Can. 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quam Lectoris, et Diaconi, et Presbyteri ministerium peregerit; ita et per singulos gradus, si æstimatus fuerit dignus, ascendat ad culmen Episcopatus.* Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, Cæsario Episcopo Arelatensi, et aliis multis sic ordinatis, non præmisso Subdiaconatu, referunt Arcudius, c. 9. et Morinus, exercitatione 11. cap. 2. *Adde quod* Subdiaconi poterant ordinari a Chorepiscopis, ut patet ex Concilio Antiocheno, c. 10. sed Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes, qui Sacramentum Ordinis conferre non poterant, ut docet S. Damasus, Epist. 5. Igitur Subdiaconatus non habet rationem Sacramenti Ordinis. — **Respondeo ad primum**, *primo* quidem argumentum illud nimis probare; inde namque pari ratione inferre liceret, Diaconatum non habere rationem Sacramenti Ordinis: cujus tamen contrarium docent omnes pene Theologi contra Durandum; siquidem ipse Morinus ibidem profert varia Sanctorum exempla eorum, qui ad Presbyteratum et Episcopatum, omisso Diaconatu, promoti sunt. Id præsertim refert de S. Austregesilo Bituricensi Episcopo, in cujus ordinatione Diaconatus omissus est, ut refert Auctor antiquus apud Surium 20. Maji, his verbis: *Abiit Austregesilus Antisiodorum, et a beato Aunario Episcopo, decisa cæsarie, Clericus effectus est, et ordinatus. Deinde ad memoratum Æthereum profectus est, qui jam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissime eum excepit, Presbyterumque, et Abbatem B. Nicerii Episcopi, et Confessoris ordinavit.* — *Dico secundo,* per dispensationem quidem divinitus inspiratam, aliquos potuisse promoveri ad superiores Ordines absque susceptione inferiorum; quod tamen traduci non potest ad praxim et exemplum. — *Dico tertio,* quod dum aliqui leguntur promotos fuisse ad superiores Ordines, omissis inferioribus, id non debet semper intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantum ad receptionem characteris, sed solum quoad exercitium et ministerium; ita quod eodem die et eadem hora omnes prorsus Ordines susceperint, maxime cum exigeret Ecclesiarum quarumdam necessitas; unde præfatus Canon Concilii Sardicensis vetat, ne quis imposterum fiat Episcopus antequam inferiorum Ordinum ministerium peregerit; quippe tunc temporis non eadem vigebat, nec urgebat necessitas, quæ plerumque in primitiva Ecclesia occurrebat, ut quis simul omnes Ordines

eodem die susciperet. *Ad secundum* dico, Chorepiscopos fuisse duplicis generis; aliqui enim veri erant Episcopi, sed absque sede, et Ecclesia, ac plebe propria, quales etiam nunc sunt suffraganei; et de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait, Subdiaconos a Chorepiscopis posse ordinari; alii vero erant tantum Presbyteri, qui delegatam sibi ab Episcopis auctoritatem habentes, res Ecclesiasticas administrabant, quales nunc sunt Episcoporum Vicarii generales, de quibus loquitur S. Damasus, cum ait, ab ipsis non posse Subdiaconos ordinari, ut diximus supra.

Dices 3: Quando plures actiones ordinantur ad aliquem effectum spiritualem, illa sola Sacramenti rationem obtinet, quæ hujusmodi effectum immediatum attingit; sic v. g. in Baptismate, licet ad id conferant exorcismus, Catechismus, et alii solemnes ritus servari soliti; attamen sola ablutio cum forma debita habet rationem Sacramenti, quia sola attingit spiritualem regenerationem: sed inter omnes Ordines, qui referuntur ad confectionem Corporis Christi, solum Sacerdotium id immediate præstat: ergo nullus Ordo præter Sacerdotium habet rationem Sacramenti Ordinis. — **Distinguo majorem:** si variæ illæ actiones ad eumdem effectum spiritalem tendentes, sint dumtaxat dispositiones, nec per se gratiam sanctificantem in anima producant, quales sunt Cathechismus et Exorcismus, *concedo:* si præter illam dispositionem quælibet earum actionum habeat vim producendi effectum spiritalem, nempe gratiam sanctificantem, *nego. Ad minorem* dico, quod quamvis Ordines Sacerdotio inferiores per se et immediate non attingant confectionem Eucharistiæ, sed sint tantum veluti ministeria subsidiaria ad eam confectionem efficiendam, duplicem tamen effectum producunt in anima, nempe characterem et gratiam sanctificantem; ac proinde censeri debent proprie dicta Sacramenta.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Hic non immoramur in declarandis et aperiendis Sacramenti Ordinis effectibus, puta charactere et gratia sanctificante, necnon et specialibus auxiliis ad Ordinum ministeria debite obeunda necessariis, utpote cum in Tractatu *De Sacramentis in communi*, necnon ex toto hujus voluminis decursu hæc satis superque appareant. Solus itaque in hoc Articulo nobis sermo erit de Ministro et Subjecto Sacramenti Ordinis; quæ duo cum etiam ex pluries dictis de Ministro et Subjecto aliorum Sacramentorum facile colligi possint; ideo omnes, quæ de utroque a cæteris Theologis fusius agitari solent, controversias, paucioribus complectemur sub sequentibus Paragraphis.

§ I. — Quis sit Minister Sacramenti Ordinis. — **Respondeo,** solum Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti; ita namque definitur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi agens de Sacramento Ordinis, ait: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus;* et ex Tridentino, Sess. 21. cap. 4. ubi docet *Episcopos Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis con-*

ferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferiores nullam habent.

Idipsum colligitur ex Scriptura sacra; siquidem Christus Summus Ecclesiæ Pontifex ordinavit Sacerdotes in ultima Cœna, et Apostoli et Episcopi, nempe Paulus et Barnabas *constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros.* Et 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est,* etc. *cum impositione manuum Presbyterii,* hoc est cœtus Episcoporum, ut exponunt Græci Interpretes, inter quos Episcopos erat Paulus, quia ipse 2. Timoth. 1. monet Timotheum, *ut resuscitet gratiam, quæ,* inquit, *est in te per impositionem manuum mearum.* Et ad Tit. 1. Apostolus ait, se illum reliquisse Cretæ, *ut ea,* inquit, *quæ desunt corrigas et constituas per civitates Presbyteros.*

Idem docent SS. Patres, maxime S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 5. ubi refert ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, et alios inferioribus Ordinibus initiatos a Pontifice, seu Episcopo. Sanctus Hieronymus, Epist. ad Evagrium, necnon et in Dialogo *contra Luciferianos,* ubi licet Presbyteros Episcopis pares faciat, tamen expresse excipit Ordinationem et Confirmationem, quam non vult fieri posse a simplici Presbytero, sed a solo Episcopo. Neque quantum ad id gravis aliqua movetur difficultas apud Theologos, quæ facile dissolvi non possit ex his, quæ dicta sunt in præcedentibus.

Sed non levis agitatur controversia circa Ministrum extraordinarium, an videlicet simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis possit esse Minister extraordinarius hujus Sacramenti, et Ordines, sive majores sive minores, valide conferre; aliqui enim id affirmant de omnibus Ordinibus, ut Vazquez, disp. 243. nonnulli existimant non posse simplicem Sacerdotem conferre majores Ordines ex ulla sibi delegata commissione, bene vero minores; ita S. Thomas, dist. 25. q. 1. art. 1. ubi ait: *Papa, qui habet plenitudinem potestatis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi; et ideo ex ejus commissione, aliquis Sacerdos simpliciter potest conferre Minores Ordines, et confirmare; non autem aliquis non Sacerdos.* Negat tamen verbis immediate sequentibus, Sacerdotem simplicem posse ex commissione Summi Pontificis conferre Majores Ordines; sic enim subjungit: *Nec iterum Sacerdos Majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos.*

Sunt etiam qui id negant quidem de Presbyteratu; concedunt tamen de Diaconatu ac Subdiaconatu; ita Amicus, Martinonus, et nonnulli alii Recentiores. Quorum utique sententiam uti probabiliorem amplector; quam etiam sequitur Hiquæus in *Commentario,* num. 91., ubi ait: Presbyterum ita necessario debere ab Episcopo ordinari, ut nequidem ex commissione ordinari possit a simplici Sacerdote: quod utique probat primo: quia ubi nulla praxis extat in contrarium, ritus servari solitus censeri debet esse ex ordinatione divina: sed nusquam legitur concessio facta simplici Sacerdoti ad alium Sacerdotem ordinandum: igitur signum est, quod Sacerdotis ordinatio fieri debeat ab Episcopo, ex institutione divina.

Deinde, Ordines inferiores conferri debent a superiori: sed unus Sacerdos non est superior respectu alterius: igitur non potest eum ordinare.

Fateor tamen, hanc posteriorem rationem esse infirmam; exinde enim sequeretur, quod unus Episcopus non posset alium ordinare; unus enim Episcopus non subditur alteri Episcopo, a quo ordinatur; sed parem cum ipso habet characterem et auctoritatem. Unde potius standum esse censeo in priori ratione; cum enim Ecclesia sollicite provideat in his, quæ spectant ad confectionem et ministrationem Sacramentorum, nec concesserit unquam facultatem simplici Sacerdoti alium ordinandi, signum est, quod hæc dispensatio concedi non possit, maxime cum aliunde simplicibus Sacerdotibus concesserit auctoritatem non solum minores Ordines, sed etiam Diaconatum et Subdiaconatum ministrandi.

Quas utique concessiones a Summis Pontificibus factas referunt Victoria in *Summa*, num. 235., ubi ait, concessam fuisse Abbatibus Cisterciensis Ordinis facultatem conferendi suis Monachis utrumque Ordinem, Diaconatus et Subdiaconatus; cujus concessionis meminit etiam Navarrus, lib. 5. in *Consiliis*, tit. 13. et illam concessionem habet Emmanuel Rodriguez, in *Bullario*, bulla 5. et Vazquez, loco supra laudato, num. 39. ait, illud privilegium haberi in nova compilatione privilegiorum, privilegio 118. et in quodam vetusto codice, qui inscribitur Collecta Bullarum Ordinis Cisterciensis, atque, inquit, in Bibliotheca hujus nostri Collegii Complutensis servatur, cujus verba subjicere placuit: *Ne Monachi dicti Ordinis, pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, Tibi, et Successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum Successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre*, etc. *libere ac licite possitis, et possint, auctoritate Apostolica et ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ, indulgemus.* Quæ Bulla data est Romæ ab Innocentio VIII, anno Domini 1489., et 4. Pontificatus.

Nihilominus Navarrus censet hoc privilegium revocatum esse a Tridentino Concilio, Sess. 23. cap. 8. ubi agens de promotione ad Sacros Ordines, ait: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri velit, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur*, etc. Et cap. 10. conceditur quidem aliquibus Abbatibus Tonsuram et Minores Ordines conferre Regularibus sibi subditis; sic enim habetur: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre; non meminit autem Ordinum Subdiaconatus, aut Diaconatus.* Unde etiam Vazquez, num. 44. aperte fatetur, quodcumque privilegium concessum Abbatibus, ut ordinare possint suos subditos in Subdiaconos et Diaconos, jam revocatum esse, et solum eis relictum, ut Tonsuram et Minores Ordines conferant.

§ II. — QUINAM SINT CAPACES SUSCIPIENDI SACRAMENTI ORDINIS. — **Respondet Doctor,** in 4. dist. 25. qu. 1. et 2. incapacitatem ad suscipiendos Ordines esse repetendam ex quadruplici capite: *primo,* ex parte sexus: *secundo,* ætatis: *tertio,* infirmitatis: *quarto,* pœnæ Ecclesiasticæ.

Primo, inquam, ex parte sexus, mulieres sunt incapaces suscipiendi Ordinis, idque jure divino: « Non enim, inquit Doctor, qu. 2. num. 4., « Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem privasse sine culpa « sua, actu, qui posset sibi licite competere, qui esset ordinatus ad « salutem mulieris, et aliorum in Ecclesia per eam; quia hoc esse « videretur maximæ injustitiæ, non solum in toto sexu, sed etiam in « paucis personis: nunc autem si de lege divina licite posset compe- « tere mulieri Ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem, et earum, « et aliorum per eas; et quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Docere « mulierem non permitto,* intelligens de doctrina publica in Ecclesia, « non est dictum Apostoli tamquam Apostoli statuentis; sed, *non per- « mitto,* quia nec Christus permisit. Cujus argumentum evidens acci- « pitur, quia nec Matrem suam posuit in aliquo gradu Ordinis in « Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate æqui- « parari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apostolus « innuit 1. ad Cor. 14. nam natura non permittit mulierem, saltem « post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana; siquidem « est dictum in pœnam peccati sui: *Sub viri potestate eris* ».

Quam utique rationem non obscure indicat Apostolus 1. ad Timoth. 2. cum enim dixisset: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio;* statim subdit hujus dicti rationem; quia videlicet mulier in suæ prævaricationis pœnam viro subjecta est: *Adam enim,* inquit, *primus formatus est, deinde Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Quibus verbis Apostolus rationem profert, quare mulier silere debeat in Ecclesia, quia subjecta viro est primum ex creatione, nam ei in adjutorium facta est; deinde in pœnam peccati, siquidem ei dictum est, Gen. 3. *Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tui:* igitur ex divina institutione mulier subjecta est viro; ac proinde nequit esse capax gradus eminentis in Ecclesia, in quo præesset viro, aut publice doceret ex officio.

Hac pariter ratione utitur S. Epiphanius contra Pepusianos, Hæresi 49., qui mulieres in Diaconissas, Sacerdotissas, et Episcopissas ordinabant. Aliam etiam rationem assignat petitam ex ipsa imperfectione sexus muliebris: *Mulier enim,* inquit, *genus lubricum est, erroneumque, ac intellectu humili præditum, et per illud diabolus suum venenum universo humano generi propinavit.* Addit et alteram rationem, nempe quod nulla mulier ab exordio mundi legatur unquam Sacrificium Deo obtulisse, sive inter fideles, sive inter infideles; et Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, et Levitas ad ministerium Altaris: igitur potiori jure Lex Evangelica postulabat, ut mulieres arcerentur ab omni Ecclesiastico Ordine, et Altaris ministerio. Addit S. Bonaventura, in 4. dist. 25. art. 2. qu. 1., quod in Sacramento Ordinis persona, quæ initiatur, significat Christum Mediatorem, cujus officio fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Pro Christo legatione*

fungimur: sed Mediator fuit tantum vir: igitur solus vir est Sacramenti hujus capax, cui hæc mystica significatio ex Christi institutione annexa est.

Objiciunt 1: Hæretici Pepusiani illud ad Galat. 3. *In Christo Jesu non est servus, neque liber, neque masculus, neque fœmina:* igitur nulla differentia est inter masculum et fœminam in Lege Christiana, sicut nec circa servum et liberum; ac subinde idem Sacramentum, quod vir potest recipere, etiam recipere poterit mulier. — **Respondeo,** Apostolum eo loco loqui tantum de discrimine inter virum et mulierem, quoad meritum, non vero quoad officium; seu, inquit Doctor, n. 3., quantum ad gloriam consequendam, et ad gratiam habendam, non est distinctio in Lege Christi, inter fœminam et masculum, quia tantam gratiam habere, et tantam gloriam attingere illa potest, sicut iste; sed quantum ad gradum excellentem habendum in Ecclesia bene decet esse distinctionem inter virum et mulierem in Lege Christi, quia hoc consonat Legi naturæ.

Objiciunt 2. Tam in veteri, quam in nova Lege fœminæ quædam erant prophetissæ: sed Prophetia non minorem dignitatem importat, quam Ordo Ecclesiasticus: igitur pari ratione mulieres promoveri possunt ad Ordines. *Patet major:* nam Maria soror Moysis Num. 12. et Anna filia Phanuel Lucæ 2. et quatuor filiæ Philippi Diaconi, ut patet ex Historia Ecclesiastica, illustrabantur dono Prophetiæ. Insuper mulieri competere potest potestas judiciaria, ut constat Judicum 4. de Debora, quæ judicavit Israël, et ei præfuit: igitur etiam competere potest præfectura Ecclesiastica. — **Respondeo** ad primum negando paritatem, hoc enim discrimen est inter donum Prophetiæ, et Ordinem, quod per donum Prophetiæ non confertur mulieri potestas ulla super virum; per Ordinem autem constituitur ordinatus in gradu superiori super alios; unde si mulier ordinaretur, præeminentiam quamdam haberet in Ecclesia supra laicos; quare licet donum Prophetiæ conveniat sexui muliebri, Sacramentum tamen Ordinis mulieri videtur incongruum; quippe præeminentia et potestas in viros ipsi non convenit. *Ad secundum* respondet Seraphicus Doctor, quod potestas judiciaria sit temporalis, non spiritualis; mulieribus autem licet temporaliter dominari, sed non spirituali dominio; cujus ratio est, quod ille qui dominatur, gerit typum capitis; quoniam ergo mulier non potest esse caput viri, ideo ordinari non potest.

Objiciebant 3. In primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, et Episcopissæ, ut videre est in pluribus Conciliis, et SS. Patribus; de quibus locutus videtur S. Paulus 1. ad Timoth. 3. cum ait: *Mulieres similiter pudicas;* nam postquam Timotheo documenta pro Diaconis præbuit, statim subdit: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* Et cap. 5. agens de electione viduarum, ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens,* etc. Sicut de Diaconis præcipit, cap. 3. cum ait: *Ut unius uxoris vir eligeretur.* Ac subinde censet Apostolus, mulieres esse capaces Ordinis Diaconatus, sicut et viros. — **Respondeo,** quod equidem antiquitus mulieres nonnullæ his nominibus fuerint appellatæ, non quia aliquo Ordine Ecclesiastico ordinatæ essent, sed variis aliis de causis: *primo*

quia, inquit Doctor, n. 6. « in græco uxor Presbyteri potest dici Pre-« sbyterissa, ubi Sacerdotes utuntur licite Matrimonio prius contracto. « Sed apud nos Latinos, ubi castitas, non conjugalis, sed simpliciter « est Ordini annexa, Presbyterissa potest dici aliqua bona matrona « vidua, vel perfecta inter alias mulieres; vel forte in Collegio illa, « quæ præest omnibus aliis, ut Abbatissa inter Moniales: sed ista non « habet per hoc gradum altiorem Ordinis; imo nec præeminentiam « respectu alicujus viri. Consimiliter potest dici ad illud de Diaco-« nissa, quod illa, cui competit ex Ordinatione Abbatissæ vel collegii, « legere Homiliam in Matutino, potest dici Diaconissa; sed ille non « est actus alicujus Ordinis ». *Ita Doctor*, cujus explicationi favent Concilia Turonense, Can. 13. et 20. et Altissiodorense, Can. 21. ubi statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbytera sua dormire; neque in peccato carnali commisceri, neque Diacono, neque Subdiacono*, cum sua videlicet Subdiaconissa, et Diaconissa, idest, conjuge, ante Ordinationem ducta. *Vel* aliter, his nominibus antiquitus mulieres aliquæ tam in Ecclesia Latina, quam in Græca donabantur, quia videlicet ad Ecclesiasticum aliquem statum, et aliquod ministerium promovebantur; nam, ut observant Michaël Medina, lib. 6. *De Continentia*, controversia 6. cap. 7. et Pamelius in *Commentario* ad librum Tertulliani *De exhortatione castitatis*, n. 72. et Vazquez, disp. 245. cap. 3. n. 19. duo genera harum mulierum peculiaribus illis nominibus nuncupata inveniuntur: quædam enim generali nomine *viduæ* dicebantur, quæ nulla benedictione aut Ordinatione ad ministerium aliquod consecrabantur; sed tantum ad hoc eligebantur, ut in congregatione viduarum vitam cælibem ducerent, ut constat ex S. Clemente, lib. 8. *Constitutionum*, cap. 25. ubi refert S. Judam Thaddæum dixisse: *Hæc de viduis constituo: vidua non ordinetur; sed si jamdiu virum amisit, et caste et laudate vixit, cooptetur in gradum vidualem.* Porro hæ viduæ in eum statum viduarum non cooptabantur, nisi votum castitatis emisissent, ut colligitur ex S. Paulo 1. ad Timoth. 5. ubi ipsum hortatur, ut viduas adolescentiores divitet, hoc est in statum vidualem non admittat, cujus hanc rationem profert: *Cum enim*, inquit, *luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi per primam fidem, Concilium Carthaginense quartum, Can. ult. intelligit pactum, et promissionem Christo præstitam, videlicet servandæ continentiæ, et desponsationis cum ipso.

Idipsum docet S. Clemens, lib. 3. *Constitutionum*, cap. 1. ubi præcipit, *ut adolescentior vidua non cooptetur, quia si postea nupserit, statum vidualem dedecorabit, quia promissionem non servaverit.* Et infra de his viduis loquens, ait: *oportet non temere, neque inconsiderate promissionem facere.* Id etiam constat ex Can. 18. S. Basilii, in Epistola ad Amphilochium, ubi loquitur de delicto Virginum contra sua pacta commisso, et de delicto viduarum similiter, quod, inquit, est secundum a peccato virginum; et addit, viduam non servantem continentiam gravissimo judicio subjectam esse, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit; per fidem autem in Christum, nihil aliud nisi votum continentiæ intellexit. Atque ita interpretatur S. Basilium Theodorus Balsamon in illum Canonem, concedens viduas in laico habitu perma-

nentes, continentiam in Ecclesiam vovere, et ea de causa ab Episcopis omni corporali studio et providentia dignas haberi consuevisse. — Alebantur enim ex redditibus, et eleemosynis Ecclesiæ, ut notat etiam idem Balsamon in Canonem 24. ejusdem S. Basilii, et fusius docet S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*, colum. 17. ostendens, quantas in earum sustentatione Episcopi eo tempore difficultates paterentur, ut ita ex hoc etiam capite, sicut ex aliis, difficultatem status Episcoporum demonstraret. In quem sensum puto dixisse S. Paulum 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt*, sicut explicat Theophilactus, ut honorare idem sit, quod misereri, et necessaria suppeditare. Et multo clarius cum inferius ait: *Si quis fideles habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat.* Ubi plane, inquit Vazquez, denotat, vere viduas ali consuevisse redditibus et eleemosynis Ecclesiæ; vocat autem *vere viduas*, non solum marito, sed etiam parentibus, filiis, et consanguineis orbatas; nam quæ solum caret marito, non videtur omnino vidua, si parentes habeat, aut filios, aut consanguineos; vidua enim Græce dicitur χήρα a verbo χηρόω, quod est *desolor, destituo*, sive *orbo*, quod orbata sit, et inde verbum χηρένω, quod est *viduam reddo, separo, et separor*, et viduus maneo: et ideo cum dixisset, *Quæ autem vere vidua est*, addidit, *et desolata*, græce, μεμονωμένη hoc est, *sola relicta*, a verbo μονόω, quod est, *solum esse facio*, seu *desolor*, et aliquid amplius, quam præcedens denotare videtur. *Ita Vazquez.*

Quibus addit, quod S. Paulus e contra exhortetur, quod si quis fidelis, videlicet parens, vel filius, vel nepos habeat viduam, vel filiam, vel matrem, vel aviam, alat eam ex propria substantia, ut videlicet omnino orbatæ parentum subsidio ex redditibus et eleemosynis Ecclesiæ sustentari possint; qua etiam de causa, quia sunt viduæ non omnino orbatæ, sed habent aliquod ex parentibus subsidium, quibuscum morantur, idem Apostolus dixit ibidem: *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et vicem reddere parentibus:* a quibus videlicet quæ necessaria sunt ad victum et vestitum liberaliter accipit; subdit vero de iis, quæ omnino viduæ et probatæ sunt: *Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus*, idest, quia ipsi non incumbit cura domus et familiæ regendæ, nec urget obligatio mutuum obsequium reddere parentibus, ideo magis obsecrationibus instet apud Deum, a quo sperare debet solatium et consolationem suæ viduitatis.

Aliud genus mulierum erat, quas Pepusiani, seu Cataphrygæ, vel Montanistæ contendebant fuisse ordinatas in Sacerdotissas et Diaconissas, de quibus S. Clemens Romanus, lib. 8. *Institutionum*, cap. 19. et 20. ita scribit: *De Diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcope, imponas, præsentibus Presbyteris, et Diaconis, et Diaconissis.* Ex quo loco etiam constat Diaconissas benedictione aliqua et cæremonia ordinari consuevisse; quod etiam observat Tertullianus, lib. *De exhortatione ad castitatem*, cap. ult. cum ait: *Quantæ igitur* (scilicet mulieres) *et quæ in Ecclesiis ordinari solent, quæ Deo nubere maluerunt.* Et lib. *De velandis Virginibus*, cap. 9. ubi pro eo quod dixerat in lib. *Ad Uxorem*, cap. 7. *Viduam adlegi in Ordinationem*, ait: *Ad quam sedem præter annos sexaginta non tantum univiræ, idest,*

nuptæ aliquando eliguntur, sed matres, et quidem educatrices filiorum. Constat etiam ex Conciliis, in quibus hæc viduarum ordinatio fuit abrogata; prohibetur enim in Concilio Laodicæno, Can. 11. ubi dicitur, *quod non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præsidentes, in Ecclesia ordinari.* Verum, non obstante hoc decreto, ejusmodi ordinatio diu viguit apud Græcos; nam in Concilio Chalcedonensi, act. 15. Can. 15. prohibentur Diaconissæ ordinari ante annum quadragesimum; et si post susceptam manuum impositionem nuptiis se tradant, anathematizantur una cum eis qui eisdem copulantur. Idem statuitur in Synodo Trullana, Can. 14; ex quo sequi videtur hanc ordinationem cum benedictione apud Græcos eo usque perseverasse, non obstante præfato Canone Laodicæno.

In Ecclesia vero Latina abrogari cœpit hæc ordinatio in Concilio Arausicano; legimus enim Can. 26. *Diaconissæ omnimode non ordinandæ, si quæ jam sunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita submittant.* Idem sancitum fuit postea in Concilio Epaunensi, Can. 21. his verbis: *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra pœnitus abrogamus.* Ubi quod Concilium Arausicanum vocavit ordinationem, hoc appellavit consecrationem. Et titulus est, *De Benedictione viduarum;* quia, ut supra diximus, hæc ordinatio cæremonia quadam consecrationis et benedictionis fieri solebat. Eadem lex revocationis renovata iterum fuit in Concilio Aurelianensi 2, Can. 19. ubi ordinatio Diaconissarum benedictio Diaconalis nuncupatur. Verum his non obstantibus Decretis, etiam apud Latinos multo adhuc tempore perseverasse videtur illa Diaconissarum ordinatio; siquidem in Concilio Wormaciensi, Can. 15. legem latam in Concilio Chalcedonensi de ætate ordinandarum Diaconissarum transcriptam legimus, et approbatam.

Quale autem fuerit Diaconissarum munus et ministerium, aliqua ex parte explicat S. Clemens, lib. 2. *Constit.*, cap. 26. ubi cum dixisset, Diaconissam ita venerandam esse, ut repræsentet nobis Spiritum sanctum, aut sicut alia translatio habet, in figura Spiritus sancti honorandam esse; reddit rationem his verbis: *Nihilque ea agat, aut loquatur, absque Diacono; sicut neque Spiritus sanctus quidquam privatim agit, aut loquitur.* Et paulo inferius: *Et ut non contingit credere in Christum sine doctrina Spiritus sancti, sic ad Diaconum, aut Episcopum nulla mulier, sive Diaconissa accedat.* Certe nulla alia de causa, nisi quia Diaconissis ex officio incumbebat cæteras instruere mulieres de rebus, de quibus cum Diaconis aut Episcopis agere debebant.

Verum præter hoc generale ministerium, erant alia peculiaria in Ecclesia, ad quæ hæ mulieres consecrabantur, ut constat ex S. Clemente Romano variis in locis; nam lib. 2. *Constitutionum* inquit cap. 57. alias 61. Ostiarios manere consuevisse ad introitum et portam virorum; Diaconissas vero ad portam mulierum, custodiæ gratia, quod sane ministerium extra Ecclesiam erat. Cap. autem 15. ait, munus Diaconi fuisse ungere oleo sancto frontem mulierum, quæ baptizabantur; Diaconissarum vero abstergere, ne a viris aspicerentur. Alterius etiam muneris meminit Concilium Carthaginense quartum, Can. 12. *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mu-*

lierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint aperto et salvo sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore, quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, et qualiter accepto Baptismate vivant.

Aliud etiam munus earum erat, nempe fœminas baptizatas e baptisterio suscipere et levare, ne scilicet viris nudæ apparerent, ut observat S. Clemens, lib. 3. *Instit.*, cap. 14. et S. Epiphanius, Hæres. 79. ubi scribit: *Et ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur; verum reverentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visitationis affectionis, aut laboris; et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne a viris sacrificantibus conspiciatur, sed a ministrante muliere, cui præcipitur a Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipsius; ita ut ordo bonæ disciplinæ*, etc. *munitus sit in mensura regulæ.* Ex quo loco aliquantulum obscuro, *Pamelius scholio illo 72. in librum Tertulliani De exhortatione castitatis*, putavit, hoc ministerium Diaconissarum, ex sententia Epiphanii, fuisse lavare corpus mulierum in balneo, et abstergere ante Baptismum. Nam Catechumenos prius lavari consuevisse, ne sordido corpore ad Baptismum accederent, tritum erat apud veteres.

Michaël autem Medina, lib. 4. *De continentia*, controversia 6. cap. 7. existimavit, hoc ministerium, ex sententia ejusdem Epiphanii, fuisse ut balnei specie mulierum corpora inspicerent, et viderent, an essent castæ, sicut etiam aliquando fit in virginibus, de quarum integritate dubitatur, ita ut ad hanc inspectionem Diaconissæ essent etiam constitutæ, quod tamen ipse religionis fœminis indignum merito putat; hoc autem colligit ex verbis ejusdem Epiphanii in compendiaria vera doctrina, non parum ante finem, quæ est post Hæresim 80. ubi ita scribit: *Sed et Diaconissæ constituuntur in ministerium mulierum solum propter reverentiam, si opus fuerit balnei gratia, ac visitationis, et inspectionis corporis.* Quæ sane verba nihil aliud significant, quam alia quæ citavimus ex Hæresi illa 79.

Ex his omnibus, inquit Vazquez n. 52. constat, nullas mulieres nullo tempore in Latina aut etiam Græca Ecclesia in Sacerdotissas ita fuisse ordinatas, ut offerre possent sacrificium, sicut Cataphrygæ contendebant; neque fuisse ordinatas in Episcopissas, ut alias etiam ordinare possent, aut munus aliquod proprium Episcoporum exercere; neque in Diaconissas, aut Subdiaconissas, sed ad ea munera, tam intra Ecclesiam, quam extra, quæ diximus. Ex quo inferri non licet, posse etiam fœminas ordinari in Episcopissas et Subdiaconissas ad sacrificandum, neque in ullo Ordine Ecclesiæ constitui, per quem ad Sacerdotium ascenditur, vel quo quis aliquo modo præparatur.

§ III. — Quænam ætas requiratur ad debitam Ordinum susceptionem. — Priusquam huic quæstioni faciat satis Doctor, dist. 25. q. 2. n. 3. distinguit triplicem modum suscipiendi Ordines: *primo*, debita cum reverentia, et omni dispositione convenienti: *secundo*, licite, et juxta legum et constitutionum Ecclesiasticarum præscripta: *tertio* valide quidem, licet non licite, nec debite. Quibus ita præmissis,

respondet *primo*, puerum ante usum rationis non posse suscipere Ordinem debita cum reverentia; quippe cum non sit rationis compos, nec subinde possit cum animi præparatione ac devotione convenienti ad suscipiendam in collatione Ordinum gratiam accedere. Non etiam potest licite, cum enim continentiæ votum sit annexum Ordinibus sacris, infans usu rationis nondum compos non potest ad Ordines promoveri licite, quia votum continentiæ, quod est adjunctum Ordini sacro, neque tacite, neque expresse emitti potest ante usum rationis et libertatis; siquidem votum debet esse promissio voluntaria Deo facta; quam utique promissionem emittere non potest infans rationis et libertatis usu orbatus. *Adde quod*, Ecclesiæ sanctionibus et legibus constitutum sit, ut nonnisi certa ac determinata ætate discretionis promoveri quis possit ad Ordines.

Quantum autem ad validam dumtaxat Ordinum susceptionem, conveniunt Doctores communiter, una cum S. Thoma, dist. 25. q. 1. art. 1. Bonaventura, art. 2. q. 2. et Subtili Doctore supra laudato, posse revera puerum ante usum rationis promoveri ad quemcumque Ordinem, paucis reclamantibus cum Durando, q. 2. Quæ utique assertio

Probatur primo ex capit. unico *de Clerico per saltum promoto*, ubi consultus Innocentius III ab Episcopo Bononiensi, quid agendum esset circa eum, qui Sacerdotium, Diaconatu prætermisso, acceperat, minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis, respondet Pontifex conferendum esse Diaconatum, nulla facta mentione de Subdiaconatu et minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis, quibus significari voluit, eos Ordines fuisse valide collatos; alioquin jussisset cum Diaconatu ipsos esse repetendos. *Deinde*, inquit Seraphicus Doctor, alia Sacramenta, in quibus character imprimitur, puta Baptismus, et Confirmatio, possunt valide, imo et licite suscipi a pueris ante usum rationis; quidni itaque similiter Ordo? *Denique*, inquit Subtilis Doctor, ad recipiendam potestatem Ordinis non requiritur, ut quis possit illius potestatis actum statim exercere; Ordo enim est gradus disponens ad ministrandum in determinato gradu Ecclesiastico: igitur potest inesse et communicari talis potestas, antequam quis aptus sit exercere actum ejusdem potestatis.

Quod utique confirmatur a simili ex cap. *Majores*, de Baptismo, ubi Innocentius III docet cum communi Theologorum sententia, quæ per Conc. Trident. probatur, infundi virtutes in Baptismo infantibus, quantum ad habitum, licet ipsi capaces non sint exercendi actus ejusmodi virtutum: igitur pari jure ipsis conferri poterit gradus, et potestas disponens ad sacrum ministerium, quamvis non sint capaces illius actus exercendi.

Probat denique Hiquæus in *Comment.* ad præfatam Doctoris quæst. n. 4. Quia, si quid obesset, quominus infans valide posset ordinari, etiam in Episcopum, maxime quia ejus consensus requireretur, vel tamquam materia, vel tamquam forma, vel tamquam conditio necessaria ad effectum Ordinationis: sed neutrum eorum dici potest; siquidem certum est, quod materia et forma ordinationis non includat, nec exigat hujusmodi consensum. Neque etiam requiritur ut conditio, quippe talis consensus non magis prærequiritur ad susceptionem Or-

dinis, quam ad receptionem Baptismi, Eucharistiæ, et Confirmationis, quæ independenter a consensu infantium, necnon et eorum parentum, ipsis infantibus conferri posset. Quod etiam verum est de Episcopatu, ut conferri potest per consecrationem ei, cui non confertur aliqua Ecclesia in titulo; et quamvis non recipiat proximam potestatem in Corpus Christi mysticum.

Censet nihilominus Seraphicus Doctor, ad Episcopatum valide suscipiendum requiri usum rationis et libertatis; quoniam, *inquit*, ibi contrahitur matrimonium spirituale, quod utique necessario requirit consensum. *Verum* hæc ratio videtur minus efficax, utpote cum per alios etiam Ordines fiat quædam conjunctio ordinati cum Christo, ac etiam cum Ecclesia, ad cujus ministerium et famulatum ordinatus deputatur. *Adde quod*, valide consecrari possit Episcopus, etiamsi particularem non habeat Ecclesiam sibi in sponsam delegatam; ac subinde hæc ratio non impedit quominus puer æque valide possit promoveri ad Episcopatum, quam ad alios Ordines.

Dices 1: Ille solus est capax suscipiendi Ordinis, qui capax est illius acceptationis; nam in forma ipsius Ordinationis dicitur: *Accipe potestatem*, etc. sed infans non est capax illius acceptationis; hæc enim requirit consensum, cujus puer est incapax: igitur, etc. — **Nego minorem:** *tum* quia simili modo infanti, quando baptizatur solemniter dicitur: *Accipe sal sapientiæ*, et *Accipe signum Crucis Domini nostri Jesu Christi:* igitur si infans in Baptismo sit capax illius acceptationis, quidni pariter capax erit accipiendæ potestatis Ordinis? *Tum* etiam, quia potestas illa, quæ per Sacramentum Ordinis confertur, non traditur per modum contractus donationis, aut pacti, in quo requiritur voluntaria acceptatio; sed confertur per modum efficacis operationis, respectu cujus recipiens mere passive se habet, sicut et in Baptismo, in quo non solum recipit characterem et gratiam sanctificantem, sed etiam potestatem participandi bonis communibus Ecclesiæ, et recipiendi alia Sacramenta.

Dices 2: Absurdum est infantem fieri et nominari Sacerdotem et Episcopum, quippe Sacerdos et Episcopus mediator est inter Deum et homines, et destinatur ad regendam et sanctificandam Ecclesiam, quæ utique infanti competere non possunt: igitur, etc. — **Distinguo antecedens:** absurdum est et illicitum, puerum censeri Episcopum et Presbyterum, quantum ad actum, *concedo:* quantum ad potestatem, *nego*. Siquidem utraque potestas conferri potest sine actu, et ab ea infans denominari potest Presbyter et Episcopus, licet nullum ejusmodi potestatis actum exercere possit; sicut dicitur rationalis, etiamsi rationis actualem usum non habeat, et appellatur fidelis ab habitu fidei sibi infuso.

Dices 3: Infans per susceptionem Ordinis transfertur ad alterum statum vitæ, puta a statu Laico ad Clericalem: sed id fieri non potest sine ejus consensu; siquidem non potest obligari præter consensum ad servandas omnes leges Ecclesiasticas Clericis præscriptas, maxime vero ad servandam continentiam sacris Ordinibus annexam: igitur, etc. — **Respondeo,** *negando minorem:* quia infans suscipiens Baptismum, multo magis transfertur in alium vitæ statum, cum fiat Christianus, ac subinde teneatur ad servandas omnes leges Christianis præfixas;

quam infans suscipiens Ordines, qui ad nullam novam Legem, sive continentiæ, sive aliam quamcumque obligatur, quia omnis obligatio susceptioni Ordinum annexa solum ligat illos, qui voluntarie Ordines suscipiunt. Unde communis est Theologorum sententia cum Subtili Doctore in 4. dist. 37. n. 3. quod puer ante usum rationis ordinatus non teneatur ad votum continentiæ, quia, inquit Doctor, *nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maxime si habet votum contrarium.* Unde Vazquez supra laudatus n. 30. cum Almaino, Soto, et aliis Theologis expresse docet, puerum sic ordinatum non solum non teneri voto continentiæ, aut alia obligatione ejus, sed etiam posse renuntiare functioni Ordinum, et uxorem ducere.

Quantum autem ad prærequisitam ætatem, ut quis licite ad Ordines possit promoveri, *respondeo,* varias fuisse Ecclesiæ constitutiones; nam, ut patet ex Gratiano, dist. 77. cap. 1. et sequentibus, et dist. 88. cap. 1, et 3. vigesimus quintus annus præscribitur pro Diaconatu, et trigesimus pro Presbyteratu. Verum (inquit Vazquez n. 41.) Clemens V, in Concilio Viennensi, ut refertur in Clementina, *Generalem, de ætate, et qualitate ordinandorum,* pro tribus Ordinibus majoribus tempus alio modo definivit, et ad minorem ætatem Ordinationes reduxit, concessit enim, ut in decimo octavo anno ad Subdiaconatum, in vigesimo ad Diaconatum, et in vigesimo quinto ad Presbyteratum quisque promoveri posset.

De minoribus autem Ordinibus nihil statuit, neque certum tempus unquam in Ecclesia definitum fuisse video, sed illud solum in more fuisse, ut nullus, nisi post annos discretionis, ordinaretur. In cap. autem, *Nullus Episcopus, de temporibus Ordinationum in* 6. conceditur, ut infans intraturus Religionem, prima Tonsura initiari possit; per *infantem* autem intelligit Glossa, minorem septem annorum; non autem infantem nescientem loqui; hic enim non diceretur intrare Religionem, sed a parentibus offerri, ut antiquitus fieri consueverat, ex quo textu a contrario sensu colligitur, ante septimum annum non licere prima Tonsura ullum alium insigniri, ut dicitur in Rubrica Pontificalis, *de Ordinibus conferendis.*

Adde quod, in Concilio Tridentino talis qualitas assignatur pro initiando prima Tonsura, ut numquam quis ordinari possit ante decennium, quia non continget ante decennium tali qualitate ullum præditum esse. Quinimo in Conc. Trid. in quo novissime tempus ætatis ordinandorum assignatum fuit, nulla de ætate ad minores Ordines mentio fit; sed Sess. 23. cap. 4, et 6. *De reformatione,* ubi de prima Tonsura Patres loquuntur, ex cap. eodem 6, et 11. ubi de minoribus Ordinibus sermo est, nihil de ætate ordinandi dicitur; solum autem cap. 6. definitur tempus ei, qui jam prima Tonsura fuerit initiatus, ut ante quartum decimum annum Beneficium habere nequeat.

Porro idem Concilium ibid. cap. 12., definiens ætatem competentem ac necessariam ad sacros Ordines suscipiendos, ita decernit: *Nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed* s *dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit, Regulares quoque*

nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

Præter defectum ætatis, sunt plures etiam alii defectus, propter quos homines arcentur ab Ordinibus suscipiendis. *Primo* namque excipiuntur *servi*, ut patet dist. 54. toto titulo de servis non ordinandis. *Ratio autem est*, inquit Doctor, dist. 15. n. 9, *quia servus est possessio domini, et ideo non debet ab eo auferri, ipso invito. Quando autem ordinatur, fit inhabilis ad quosdam actus serviles ; quia si de facto fuit ordinatus, domino inscio, nec de novo consentiente, debet sibi reddi ; tamen dominus non debet eum actibus dedecentibus Ordinem suum applicare ; sed debet servire Domino suo in actibus decentibus statum suum.* Unde servus, contra domini voluntatem ordinatus, restitui debet domino suo, nisi sit Sacerdos, ut constat ex cap. *Ex antiquis.*

Secundo, excipiuntur spurii, et hi omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati, ut patet *Extra de filiis Presbyterorum non ordinandis*, cap. 1, et 2. *Decet enim*, inquit Catechismus Romanus, *ut qui sacris addicuntur nihil in se habeant, quo ab aliis merito contemni ac despici posse videantur.* Aliam rationem subministrat Doctor ibidem : *Quia*, inquit, *illi præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ : tales præsumuntur etiam male morigerati, quia male educati : tamen cum eis satis faciliter dispensatur ; unde Benedictus II, cum quodam tali sine dispensatione ordinato, et in Ordinibus ministrante, postea faciliter dispensavit, sicut ipse vidi bullam dispensationis.*

Tertio, arcentur corpore deformes, qui videlicet insigni aliquo corporis vitio et defectu laborant, ut manci, claudi, uno oculo orbati, etc. ut habetur *Extra de corpore vitiatis non ordinandis*, cap. *Exposuisti*, et dist. 55. cap. *Si Evangelica*, et *Extra de Clerico debilitato.* « Quod si, inquit Doctor, non sit mutilatio deformis, nec ipse fuerit « in culpa illius mutilationis, non excluditur, ut habetur dist. 55. « *Si quis a Medicis, et duobus capitibus sequentibus* ». Si autem fuerit in culpa, ut si seipsum mutilaverit, ut *ibidem* habetur, *Si quis absciderit*, cum tali vix dispensatur. Unde Nicolaus IV cum difficultate magna dispensavit cum quodam tali, quamvis Religioso. Consimiliter est dicendum de infirmitate enormi, vel non enormi.

Quarto, removentur homicidæ et viri sanguinum, necnon et sui ipsius, aut alterius hominis mutilatores, ut patet *Extra de homicidio voluntario, et involuntario*, et dist. 55. cap. ult. : *Et hoc*, inquit Doctor n. 10. *propter horrorem sanguinis effusi; unde etiam David non permisit Deus ædificare domum nomini suo, multo sanguine effuso.* Ibidem autem Doctor tria distinguit genera homicidii, nempe voluntarii simpliciter, voluntarii secundum quid, et voluntarii casualis. Voluntarium homicidium simpliciter fit quando occisio intenditur in se, vel in sua causa proxima, et inevitabili mortis, puta cum quis alium intendit occidere directe ; vel etiamsi non concipiat occisionem inferendam directe, intendit tamen actionem, quæ per se est illativa mortis inevitabiliter, ut aliquem transfigere gladio, ex turri præcipitare, aut ei propinare venenum lethiferum ; qui enim vult causam proximam, vult etiam effectum, quantum est ex se. Hoc autem homicidium absolute removet a suscipiendis Ordinibus, nisi, inquit Doctor, tollatur per Baptismum ; quia non amplius habetur horrori jam novus

homo factus per Baptismum. Vix etiam in eo dispensari debet a summo Pontifice, et nonnisi ex gravissimis et urgentissimis causis; nam de hujusmodi homicidiis ita decernit Conc. Trid., Sess. 14. cap. 7. *Cum qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

Si autem homicidium est voluntarium secundum quid, seu, ut loquuntur Canonistæ, *ex necessitate,* censet Doctor auctorem ipsius fore irregularem, ut probat ex dist. 50. cap. *De his.* Verum hæc irregularitas sublata est per Clementinam *unicam de homicidiis.* — Si autem homicidium est casuale, et qui illud commisit dedit operam rei licitæ, et habuit debitam diligentiam in præcavendo homicidio, nullam pœnam irregularitatis incurrit, inquit Doctor; aut si aliquam incurrat, hæc facile removeri potest per Ordinarium, ut decernit Concilium Trident., loco supra laudato, ubi addit: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, et Altaris ministerium, et beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, et probatis testibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

Quinto, ab Ordinibus removentur bigami; bigamus enim, inquit Doctor, dist. 33. qu. 2. n. 2., sive ante Baptismum, sive post, est irregularis; sicut habetur expresse dist. 26. cap. 2. et cap. *Una tantum.* Porro duplicem hujus irregularitatis Doctor affert rationem: unam quidem congruitatis, aliam autem necessitatis. Congruum enim est, ut qui non potest repræsentare Christum unicum sponsum unius sponsæ Ecclesiæ, arceatur ab Ordinibus, maxime a Sacerdotio: *Sacerdos enim,* inquit Doctor, n. 4. *tamquam Christi Vicarius in Ecclesia repræsentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo, in comparatione Christi ad Ecclesiam, et e converso: nunc autem Christus est unicus sponsus unius Ecclesiæ, et Ecclesia est unica sponsa unici sponsi Christi: ergo habens oppositum hujus non recte signat, vel repræsentat Christum in Ecclesia: sed bigamus, qui habuit duas, vel unam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti conjunctioni, et Ecclesiæ: ergo,* etc.

Causam autem necessitatis, seu cur necessario potius bigamus arceatur a suscipiendis Ordinibus, nec ejus irregularitas per Baptismum auferatur, sicut homicidæ, est, inquit Doctor, num. 7. « Statutum Ec-
« clesiæ volentis istam pœnam remitti, et non illam. Illa autem Or-
« dinatio Ecclesiæ rationabilis est ex hoc, quod iste homicida non est
« inhabilis ad Ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter
« quem horrorem David fuit prohibitus ædificare templum Domino 2.
« Regum, cap. 7. Iste autem horror tollitur in Baptismo, quia præ-
« supponitur, quod de lupo factus sit agnus; sicut et Paulus ante
« Baptismum persecutor, post Baptismum factus est ovis et pastor.
« Cum igitur in Baptismo cesset causa illius inhabilitatis, debet ces-
« sare etiam effectus. Sed causa inhabilitatis in bigamo ad Ordines
« *non cessat* in Baptismo, quia semper permanet defectus Sacramenti,

« idest, significationis, quæ requiritur in Sacerdote repræsentante per-
« sonam Christi, in comparatione ad Ecclesiam, ideo nec ibi tollitur
« effectus, nisi postea per specialem dispensationem ».

Quantum autem ad alias dispositiones prærequisitas in ordinandis, imprimis necessaria est bona fama, et intentio serviendi Ecclesiæ. Unde Trident., Sess. 23. cap. 4. *De reform.*, requirit, ut initiandus prima Tonsura sciat rudimenta fidei, legere, et scribere: et ut sit *probabilis conjectura eum non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse.* Cap. vero 11. requirit, ut suscepturi minores Ordines saltem Latinam linguam intelligant, et ut scientiæ spes eos majoribus Ordinibus dignos futuros ostendat. Cap. vero 13. requirit, ut suscepturi Subdiaconatum et Diaconatum habeant bonum testimonium, et sint in minoribus Ordinibus probati, et sint litteris, ac iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, et qui sperent se servaturos continentiam. Sed hi si sufficienter linguam Latinam intelligunt, alia quæ ad eorum officium prout jam illud exercent, spectant, vel ex ipsis Rubricis Missalis, ac Breviarii possunt sufficienter discere. Cap. vero 14. pro initiandis Sacerdotio requirit *primo*, ut habeant bonum testimonium; *secundo*, ut possint populum docere, quæ necessaria sunt ad salutem, et sciant necessaria ad Sacramenta rite administranda.

DISPUTATIO ULTIMA.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Septimum ac postremum inter Sacramenta locum obtinet Matrimonium; non quod cæteris efficacitate ac dignitate sit inferius, quippe cum uberrimum gratiarum irriguum in conjuges ad illud debite accedentes exundet; sed forte quia ad ipsam hominum propagationem, necnon et sanctificationem animorum simul ac corporum institutum ac ordinatum esse videatur; cætera vero Legis Evangelicæ Sacramenta in animorum dumtaxat consecrationem directe colliment ac collineant.

Unum tamen est, aut alterum, in quibus hoc Sacramentum cæteris antecellit: est enim præcipuorum Religionis ac fidei Christianæ mysteriorum symbolum et repræsentatio: imprimis vero signum est castissimi fœderis et unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Oseas Propheta dixit, cui dotis nomine cælestia charismata, atque ipsum donorum ac bonorum auctorem Spiritum sanctum largitur. Est præterea magnum Sacramentum in Christo et Ecclesia, et symbolum mystici illius conjugii, quo Christus Dominus Sanguine suo mundatam Ecclesiam, ac divinis dotibus gloriosam, sibi sponsam conjunxit. Significat insuper per intimam illam viri cum muliere conjunctionem, qua utriusque fit una caro, eximiam et singularem unionem, qua Verbum naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulavit, qua fit ut bonorum ac malorum sit inde communio, quemadmodum inter conjuges omnia prorsus bona et mala in consortium veniunt.

Audet aliquid amplius Tertullianus, lib. *De Monogamia*, cap. 1. cum Matrimonium divinæ Trinitatis et unitatis adumbrationem esse dixit: *Unum*, inquit, *Matrimonium novimus sicut unum Deum;* nempe sicut in Deo unitas est in multiplicitate personarum, sic quodammodo in Matrimonio *erunt duo in carne una*, Gen. 2. Deus noster unus est et trinus; nec personarum trinitas unitati derogat, nec unitas essentiæ trinitatem impedit; sic in Matrimonio, *quos Deus conjunxit* (inquit eleganter S. Chrysologus, Ser. 99). *natura sociat, et facit Deus ut sit homo unus, et duo, ac duo, unus, et alter ipse homo: ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio.* Vides duos in uno, singularitatem in ambobus, et dualitatem in unitate, quemadmodum in Deo Trinitas est personarum in unitate essentiæ.

Nec certe miranda solum est conjugum unitas in conjunctione corporum; sed longe præstantior apparet in individua animorum societate. Sapienter addubitat S. Augustinus, lib. 5. *De Genesi ad litteram*, cap. 10. cur anima viri, afflatu Dei sit creata, et anima fœminæ architectata dicatur; verum dubium istud subtiliter solvit S. Basilius, Orat. 2. dum mulieris ex latere viri formationem sic delineat; *patitur corpus ut mentem coaptet, et natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatur ad imitationem naturæ;* itaque mulier portio viri est, nec carnem solam, sed etiam mentem cum eo videtur habere

communem, ne anima aut mens dissipet quos eadem caro conjunxit. Cum ergo tam individuæ sint caro et anima conjugum, nil mirum quod nomen etiam commune videatur; ait namque Moyses Genes. 5. *Masculum et fœminam creavit eos, et vocavit nomen eorum Adam:* audis virum et mulierem appellari Adam: uterque dicitur homo, non homines ambo, quasi ambo non sint plures homines, sed unus homo.

Addere licet parum fore eamdem esse utriusque carnem, animam, et appellationem, nisi etiam fere una esset sanctitas et justitia. *Sanctificari debet vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis per virum fidelem,* ait Apostolus 1. Cor. 7. cujus mentem explanans S. Anselmus ibidem ait, *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem quasi sanctitatis aspergine.* Hinc ubi S. Lucas de Zacharia et Elisabetha dixit, *erant ambo justi ante Deum,* sic commentatur S. Petrus Chrysologus, Serm. 91. *Ambo justi, quia ambobus erat una justitia.*

Quamquam autem Tractatus de Matrimonio a plurimis Theologis prætermitti soleat, quod ad Jurisperitos et Canonistas magis, quam ad Theologos pertinere videatur; nihilominus ne quid desit Subtilis Doctoris explicandæ et elucidandæ doctrinæ, ea, qua cæteras ejus theologicas lucubrationes, methodo delineavimus, præsentem de Matrimonio Disputationem explicandam auspicamur tribus in sequentibus Articulis, quorum *primus* erit de Matrimonio secundum se: *secundus* de sponsalibus, seu dispositionibus præviis ad ejus celebrationem: *tertius* de ejusdem impedimentis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

MATRIMONIUM generatim spectatum duplicem rationem obtinet: alteram quatenus est naturæ officium; alteram quatenus est Ecclesiæ Sacramentum. Priori modo consideratur ut est contractus civilis in officium, et debitam propagationem humanæ naturæ institutus; posteriori vero prout est Sacramentum a Christo Domino institutum ad mutuam conjugum sanctificationem, quatenus filios sancte ac pie procreare et educare valeant. Juxta quam utramque considerationem distinctæ occurrunt difficultates in hoc Articulo proponendæ et solvendæ, quarum *prima* aperiet quid sit Matrimonium secundum se: *secunda,* utrum sit verum novæ Legis Sacramentum: *tertia,* quæ sit ejus materia, forma et Minister: *quarta,* quomodo sit indissolubile.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIT MATRIMONIUM GENERATIM SPECTATUM, ET IN QUO PRÆCISE AC FORMALITER CONSISTAT.

NOTANDUM 1. Contractum et conjunctionem viri cum muliere ad debitam et licitam filiorum procreationem et educationem, variis nominibus appellari: *primo* namque dicitur Matrimonium a *matre;* quia, inquit S. Augustinus, lib. 19. *Contra Faustum: non ob aliud debet fœmina nubere, quam ut mater fiat:* potius autem a matre, quam a patre nuncupatur, quia ut dicitur cap. 2. *De Conversione infidelium,* mater in prole suscipienda et educanda plus operis et oneris impendit;

unde Canonistæ Matrimonium quasi *matris munium* interpretantur, eo quod fœmina munus habeat educandi prolem, quam nonnisi per maximos dolores genuit et parturivit. *Vel*, ut alii explicant, Matrimonium dicitur, quasi *Matrem muniens;* quia per contractum matrimonialem uxor virum obtinet in sui munimentum, tutelam, ac defensionem. Appellatur etiam *Conjugium* a *conjunctione*, eo quod diversi sexus personæ sub eodem veluti jugo perpetuæ societatis et confœderationis in omnibus conjunguntur. Vocatur etiam *Connubium*, vel *Nuptiæ*, quia mulier per illud sub viri potestate constituitur, et quasi velo obnubitur; unde in solemnitate desponsationis conjuges velamine teguntur, dum benedictionem nuptialem accipiunt; quam utique cæremoniam nonnulli colligunt ex cap. 20. Genesis, ubi legimus, quod cum Abimelech Saram, quam existimabat Abrahæ sororem, sibi in uxorem duxisset, propter quod a Deo correptus, eam Abrahæ uxorem agnoscens, marito suo reddit: *Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes, qui tecum sunt, et quocumque perrexeris, memento te deprehensam.* Ex quibus colligere licet, Saram antea solutis crinibus et aperta facie, more virginum, incedere solitam: quare, ut non amplius virgo, sed uxor appareret, pecuniam ejus viro dedit Abimelech ad emendum velamen, quo ipsa more mulierum cooperiretur, ne aliquis alius ipsam ut Abrahæ sororem existimans, in uxorem sibi vellet assumere.

Notandum 2. Ex Subtili Doctore, dist. 26. n. 26. Matrimonium tripliciter accipi posse: *primo quidem* pro vinculo, quo invicem conjuges constringuntur, quodque nihil aliud est, quam relatio mutuæ obligationis, seu dominii, et servitutis, qua hinc inde corpora traduntur, et uterque conjugum potestatem habet in corpus alterius in ordine ad finem contractus Matrimonialis. *Secundo*, sumitur Matrimonium pro ipso contractu in fieri, ex quo vinculum illud exurgit tamquam ejus effectus. *Tertio* tandem, sumitur pro Sacramento, seu signo sensibili causante gratiam; « seu, ūt loquitur Doctor *ibidem*, aliud est Matri« monium, et aliud contractus Matrimonii, et aliud Sacramentum Ma« trimonii. Matrimonium est illa obligatio mutua, vel vinculum illud, « de quo dictum est in prima conclusione principali. Contractus autem « est ille actus mutuus voluntatum, de quo dictum est in secunda « conclusione principali. Sacramentum est signum efficax gratiæ con« comitans actum illum, de quo Sacramento dictum est in tertia con« clusione principali. Et patet distinctio istorum per se. *Primum* enim « est permanens in animabus conjugum, et est relatio tantum realis « extrinsecus adveniens; vel, quod verius videtur, relatio rationis, quia « nihil est sibi, nisi dominium novum, et nova servitus per novam « commutationem; sed dominium tale, vel servitus nihil reale ponit « in domino, vel servo. *Secundum* etiam tantum est in *fieri*, et est « actio, vel passio interior vel exterior; vel magis constans ex actibus « interioribus et exterioribus duarum personarum; et habet se istud « ad Matrimonium primo modo dictum, sicut causa in *fieri*, quemad« modum generatio ad paternitatem; vel magis, sicut baptizari, vel « ordinari ad characterem, sicut patet supra. *Tertium* autem simpli« citer est in *fieri*, et simul est, et non est cum primo, et ideo non « semper manet cum secundo ». *Ita Doctor.* Alii vero Theologi in

Matrimonio septem distincta considerant: *primum* quidem, contrahentium consensum; *secundo* externum contractum, sive signa, quibus internus contractus exprimitur; *tertio* mutuam corporum traditionem per eum contractum internum et externum expressam; *quarto* vinculum quoddam ex illo utroque contractu ortum ducens, quo invicem conjuges constringuntur, ita ut neuter alteri, vivente sua comparte, possit nubere; *quinto* jus cujusque conjugum in alterum; *sexto* obligationem mutuam ad reddendum debitum; *postremo*, usum et consummationem Matrimonii. Quæritur autem in quonam ex his præcise ac formaliter ratio Matrimonii consistat.

NOTANDUM 3. Matrimonium tripliciter considerari posse, seu triplex distingui, nempe legitimum, ratum, et consummatum: *Legitimum* dicitur, quod legitimo tantum consensu contrahitur, quale fuit in lege naturæ, et Mosaica, quale pariter illud, quod initur inter infideles, quod cum non sit Sacramentum, et per conversionem alterius conjugis ad fidem possit dissolvi, dicitur non esse ratum, quia non habet illam tantam insolubilitatem, quam habet illud, quod est verum Sacramentum. *Ratum* igitur dicitur, quando præter rationem contractus, ad mutuam corporum traditionem ordinati, habet etiam Sacramenti dignitatem et efficacitatem; nondum tamen est copula carnali consummatum. *Tertio* tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod jam mutua conjugum carnali copula perfectum est. Porro hac in Quæstione dumtaxat sermo est de Matrimonio priori modo accepto, de quo præcipue duo sunt statuenda: *primum*, utrum Matrimonium sit res bona, et licita; *secundum*, in quo consistat ejus ratio formalis.

Conclusio prima. — ✻ " MATRIMONIUM EST RES LICITA, BONA AC SANCTA. Hæc est adversus Marcionem, Encratitas, Manichæos aliasque pestes; et

Locupletissimis Scripturæ Sacræ testimoniis evincitur. Primo quidem offerunt se ipsa Christi Domini verba, Matth. XIX: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, hominem et fœminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ verba suo voluit confirmare facto et exemplo Joann. 2. ubi manifeste probavit bonum esse et licitum usum et institutum nuptiarum " ✻, quippe cum eas sua, ac Deiparæ Matris et Discipulorum præsentia, necnon et primo miraculorum suorum cohonestare voluerit. Idipsum clarissime testatur Apostolus 1. Cor. 7. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; et si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit.* Et iterum: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat.* Ac demum illud apertam nuptiarum commendationem continens: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* Et illud Hebr. 13. *Honorabile conjugium in omnibus, et torus immaculatus.* Idem Apost. Ephes. 5. in tantum extollit nuptias, ut in iis agnoscat *magnum Sacramentum*, quod est in Christo et Ecclesia. De quo infra agetur. Et 1. Timoth. 2. *De muliere*, dicit, quod salvabitur per filiorum generationem, videlicet in statu conjugali. ✻ " Et ad Timoth. 4. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent*

quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, et *primo* quidem S. Clementis Alexandrini, lib. 3. *Stromatum. Intemperantiam*, inquit, *et fornicationem diabolica vitia et affectiones nos quoque confitemur. In moderato autem matrimonio intercedit consensio, et ad precationem continentes deducens, et ad procreandos liberos cum honestate concilians. Cognitio quidem a Scriptura dictum est tempus liberorum procreationis, cum dixit: cognovit Adam Evam uxorem suam, et concepit, et peperit filium, et nominavit nomen ejus Seth: suscitavit enim mihi Dominus aliud semen pro Abel. Vides quemnam maledictis incessant, qui honestam ac moderatam incessunt seminationem, et diabolo attribuunt generationem.* Et infra: *Si autem peccatum est matrimonium quod est ex lege, nescio quomodo quis dicet se Deum nosse, dicens Dei jussum esse peccatum. Quod si lex, lex sancta est, sanctum est matrimonium.* Subjungit et alia ibidem in eumdem scopum, multaque alia lib. 2. *Pædagogi.* — Profligat eumdem errorem Tertullianus, lib. 1. *Contra Marcionem*, cap. 29. *Non fingitur apud illum*, inquit, *caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi calebs, divortio baptisma mercata..... sine dubio ex damnatione conjugii institutio ista constabit. Videamus an justa, non quasi destructuri felicitatem sanctitatis*, idest, cœlibatus et continentiæ, *ut aliqui Nicolaïtæ assertores libidinis atque luxuriæ; sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione noverimus, sectemur, præferamus, non ut malo bonum, sed ut bono melius. Non enim projicimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus sanctitatem, servantes et bonum, et melius pro viribus cujusque sectando. Tunc denique conjugium exerte defendentes, cum inimice accusatur spurcitiæ nomine, in destructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit, in integros et bonos usus. Non ideo autem et cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti, in gulam committunt; nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparari in ambitionem tumescunt. Sic nec matrimonii res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt.* Demum probat ibidem, Deum nuptias non prohibuisse. *Quomodo enim*, inquit, *salvum volet hominem, quem vetat nasci, de quo nascitur auferendo*, puta matrimonium? *Quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? Quomodo diligit, cujus originem non amat? Timet forsitan redundantiam sobolis, ne laboret plures liberando?* etc. Et lib. 2. *Ad Uxorem*, cap. 9. *Unde sufficiamus*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, quin vere duo in carne una.* — Matrimonii sanctitatem pluribi vindicat S. Augustinus, sed præsertim lib. *De bono conjugali*, cap. 7. *Conjugalis concubitus generandi gratia, non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge venialem habet culpam: adulterium vero seu fornicatio lethalem habet culpam: ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia: sed quia continentia illa majoris meriti est; reddere vero debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi*

necessitatem, culpæ venialis, fornicari vero vel mœchari puniendi criminis: cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugi faciat unde damnetur. Et lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 11. triplex matrimonii bonum memorat, quod in connubio S. Josephi et Deiparæ Virginis agnoscit. *Omne itaque nuptiarum bonum*, inquit, *impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.* — Honestatem nuptiarum impugnantes damnavit Synodus Gangrensis, Can. 1. *Si quis*, inquit, *vituperat nuptias, et dormientem cum viro suo fidelem uxorem detestatur; aut culpabilem æstimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Et Can. 9. *Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias judicat, et non propter hoc solum, quod continentiæ et virginitatis bonum sit sanctumque propositum, anathema sit.* Et Can. 14. *Si quæ mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrans, anathema sit.* — Eumdem errorem feriunt verba Innocentii I, ad Probum, Epist. 9. *Statuimus*, inquit, *fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* — Idem definit S. Leo, Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem: *Cum societas*, inquit, *nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur fuisse nuptiale mysterium.* — His adde et quære auctoritatem S. Hieronymi in *Comment.*, ad cap. 5. Epist. ad Ephes., et S. Bernardi, Serm. 65. in *Cantica.* " ✳

Eamdem veritatem probat Doctor, dist. 16. quadruplici ratione: *primo* quidem, quod marem et fœminam indissolubiliter jungi ad procreandam prolem, religioseque educandam, sit actus honestus ex circumstantia finis, necnon et boni prolis, familiæ, ac civitatis. « Nam, *inquit* n. 5., vaga conjunctio est contra bonum prolis, quod « est finis hic intentus, necnon et contra bonum familiæ, et contra « bonum civitatis. *Primum probatur*, quia proles non religiose educaretur, tum ex parte parentum; quia non haberent determinatam « notitiam suæ prolis, saltem pater; et ita non esset sollicitus suæ « proli debitam impendere disciplinam; nec e converso proles patri « debitam reverentiam, et timorem filialem, propter quem timorem « filius magis obedit Patri, et magis ab eo disciplinam recipit, quam « ab alio. *Secundum probatur*, quia bonum familiæ consistit in aliqua « firma adhæsione principalium personarum familiæ, alias esset bonum « vagum; et propter hoc dicit Philosophus 8. *Ethic.* quod homo naturaliter est animal conjugale et domesticum. Nec etiam aliquæ per« sonæ diligentiam adhiberent circa necessaria sibi mutuo, et proli: « ergo, etc. *Tertium probatur;* quia amicitia civium, ut plurimum, est « ex determinata propinquitate in certo gradu: sed ibi nulla esset « propinquitas nova certa, quæ esset causa amicitiæ: ideo propter ista « recte reprehendit Aristoteles politiam Socratis 3. *Polit.*, quia pro « statu naturæ lapsæ, multo melior est illa, quam ipse ordinat, et « pro omni statu fuisset contra rectam rationem vaga conjunctio maris

« cum fœmina. Ista etiam circumstantia satis patet ex creditis per « Scripturam sacram; nam Genes. 2. dicitur: *Erunt duo in carne una.* « Et Christus idem dicit Matth. 19. et Apostolus 1. Corinth. 7. *Unus-« quisque suam uxorem habeat, propter vitandam fornicationem.* Et « esto quod ista determinatio non probaretur per rationem naturalem « esse simpliciter necessariam, ita quod ejus oppositum repugnat ma-« nifeste rationi naturali, saltem hæc affirmativa satis patet secundum « rationem naturalem, scilicet, *quod honestum est personas sibi invicem « esse determinatas ad actum istum.* Sequitur alia circumstantia, sci-« licet, quod *personas istas sibi invicem ad istum finem vinculo indis-« solubili obligari, honestum est.* Hæc probatur ex præcedenti, quia « determinatio ad commorandum, et mutuo serviendum, valet ad de-« bitam prolis educationem, et ad bonum familiæ et civitatis, multo « magis ad hoc valet perpetua adhæsio determinatarum personarum « ad invicem: non autem perpetuo adhærerent sibi, propter multas « occasiones et displicentias occurrentes, nisi ad talem adhæsionem « essent sibi invicem vinculo indissolubili obligatæ.

Probat secundo Doctor ex eo, quod « honestum sit, marem ei « fœminam sibi mutuo voluntarie tradere potestatem suorum corporum « pro usu perpetuo, ad debite procreandam prolem, et religiose edu-« candam »; quod utique duobus momentis demonstrat: « *primo,* quod « hæc traditio debeat esse voluntaria, et per mutuum consensum; « quia, *inquit,* cum hic contractus debeat esset indissolubilis, conve-« nientius est, ut fiat ex mutua contrahentium voluntate, quam ex « impositione et mandato alicujus legislatoris; quia ex quo obligatio « debet esse indissolubilis, expedit quod modus, quo fit, sit conveniens « indissolubilitati ejus: sed si cogerentur a Legislatore sibi invicem « conjungi, minus placerent sibi mutuo, et ita esset major occasio « dissensionis futuræ; quia sic dicitur 20. quæst. 3. *Præsens, quod « quis non eligit, profecto non diligit: quod autem non diligit, facile « contemnit* ». Quod autem hæc donatio fieri debeat per contractum mutuæ donationis, sic probat: « Contractus, *inquit,* est quasi simul « tractus duarum voluntatum, et per consequens necessario requirit « actus voluntatum concordes in translatione mutua corporum, sicut « in permutationibus, et condictionibus communiter accidit. Nec hoc « sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa mutuo exprimi; « alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius; et neuter vult « transferre, nisi pro quanto concipit alium velle in ipsum transferre. « Si ergo ex præcedenti conclusione expedit illos obligari per proprias « voluntates, et non sine signis expressis: ergo expedit ibi esse con-« tractum, ex quo nascitur illa obligatio; sed contractus ille non potest « esse, nisi mutuæ donationis vel permutationis (quod idem est) pote-« statis corporum pro usu perpetuo ad istum finem; nam potestatem « sui corporis, quæ sua est, nullus transfert in alium, nisi per actum « voluntatis suæ; quia per illum fit dominus, et desinit esse dominus, « et sic facit alium dominum; et per consequens illud, quod alius « acquirit in corpore alterius, transfertur in ipsum per actum volun-« tatis libere transferentis, et hoc cum signo extrinseco evidenti, in « quo habetur ratio contractus prædicti. Forma istius contractus est: « *Do, si des,* vel, *do, ut des* ».

Probat tertio Doctor, num. 9. ex eo quod Deus mutuam illam traditionem corporum approbaverit, imo etiam præceperit. Quod approbare debuerit, probat n. 10. hac ratione: « Nullus, *inquit*, potest rem « alterius dominii alteri obligare, nisi de consensu vel approbatione « illius, cujus est: sed corpus cujuscumque est Dei, jure creationis: « ergo nullus potest transferre illud in dominium alterius, nisi in « quantum Deus approbat; ergo si translatio est honesta ad istum « finem, ut patet ex prima et secunda conclusione principali, sequitur, « quod congruum est Deum istam translationem corporum approbare ». Quod autem etiam præcipere debuerit, ibidem demonstrat: « Quia, « *inquit* n. 9., nulli obligarent se communi obligatione, saltem difficili, « nisi ad hoc esset aliquid adstringens, vel sicut lex naturæ, vel sicut lex « positiva divina, vel humana. Lex enim naturæ, etsi obliget ad indis- « solubilitatem vinculi prædicti, præmisso tali contractu; tamen non « lex naturæ evidentissima, sed secundo modo dicta: illud autem, « quod non erit de lege naturæ, nisi secundo modo, non est omnibus « manifestum: ergo expedit necessitatem illius præcepti a lege posi- « tiva divina determinari ». *Ita Doctor:* quibus verbis duo significat: *primum*, quod, ut dixerat n. 7. lex naturæ sumitur duobus modis: « Nam, *inquit*, propriissime de lege naturæ est principium practicum, « per se notum, et conclusio demonstrative descendens ex tali prin- « cipio; secundario autem de lege naturæ est verum evidenter con- « sonum talibus principiis et conclusionibus, licet non necessario « sequens ». *Secundum*, quod lex naturæ hoc solo posteriori modo accepta obliget ad indissolubilitatem vinculi Matrimonii. Addit n. 9. « Esto etiam, quod ad hoc obligaret præceptum Legis naturæ primo « modo dictæ, puta principium practicum manifestum, vel conclusio, « adhuc expediret ponere ad hoc præceptum divinum; quia minus « obediunt homines soli Legi naturæ, quam Deo præcipienti; quia « minus timent et reverentur conscientias proprias, quam auctori- « tatem divinam. Nec expedit determinationem istam primo modo fieri « a Lege positiva humana; quia Leges positivæ humanæ variæ sunt « apud diversos: ista autem indissolubilitas debet esse uniformis apud « omnes ».

Tandem concludit Doctor, num. 18. Matrimonium fuisse a Deo præceptum, et institum Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis;* et *Crescite, et multiplicamini*. Et post lapsum Genes. 3. *Multiplicabo conceptus tuos, et ærumnas,* dixit Dominus Evæ. Et Genes. 9. *Crescite, et multiplicamini*. Et est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis; non tantum in principio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, puta ex bello, peste, vel clade, et hujusmodi. Et hoc probat quomodo iste contractus est a Deo per Legem positivam divinam institutus; et etiam aliter est ab ipso, scilicet ut imprimente Legem naturæ cordibus hominum; de qua Lege naturæ est iste contractus, licet non primo, nec ut necessarium notum, tamen ut secundario consonum. *Ita Doctor.*

Dices: Matrimonium hominem revocat a Cœna cælesti, et gloria æterna consequenda, juxta illud Lucæ 14. *Uxorem duxi, ideo non possum venire.* Deinde Apostolus ad Rom. 8, ait: *Qui in carne sunt,*

Deo placere non possunt. Quem utique textum S. Hieronymus, lib. 1. *contra Jovinianum* intelligit de iis, qui carnali vinculo Matrimonii constricti sunt. *Denique* Matrimonium, saltem post lapsum, videtur res inhonesta; tum ex turpitudine, quæ necessario actui ejus conjungitur; tum ex Apostolo, qui 1. Corinth. 7. exhortans ad continentiam, dicit, se hortari ad id, quod honestum est. Ex quo apparet Matrimonium Apostolo non esse honestum; ac subinde nulla est præfata assertio. — **Nego consequentiam,** et ad *primum antecedens* dico, his parabolæ verbis significari quidem impedimenta, quibus conjugati sæpe abstrahuntur a rerum divinarum cogitatione. Nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Quod tamen non fit vitio conjugii, quod per se sanctum est, sed culpa hominum, qui carnaliter se mutuo amant, quem carnalem amorem introduxit transgressio primorum parentum. *Ad secundum* dico, Apostolum illis verbis significare eos, qui vivunt secundum carnem, non autem secundum spiritum. S. Hieronymus autem suo instituto sententiam Apostoli accommodans, non aliud vult, quam conjuges, dum carnali operi vacant, non posse simul vacare orationi et rebus divinis. Id quod etiam Apostolus significat 1. Corinth. 7. monens conjuges, ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacent orationi. *Ad tertium denique dico,* Matrimonium secundum se, et ex sua institutione ac proprio fine, semper honestum et sanctum esse, etiam post lapsum; accidit autem ex peccato, ut actui ejus conjuncta semper sit turpitudo libidinis, quæ tamen in ipsum Matrimonium non redundat, nisi forte ex mala contrahentis intentione. Sensus autem Apostoli est, eum hortari ad id, quod honestius est, et melius, quodque facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, idest, ad statum continentiæ. Nam, ut paulo post subjicit: *Qui non jungit virginem suam Matrimonio, melius facit.* Quam utique solutionem approbat S. Augustinus, lib. *De bono viduitatis,* cap. 8. ubi ait: *Nuptiarum bonum semper quidem bonum: sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare non canino more per usum promiscuum fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus, et ipsum tamen laudabilius transcendit, et vincit cœlestia cogitans animus Christianus.*

Ex his apparet, virum et mulierem invicem honeste Matrimonio posse copulari variis de causis, quas luculenter explicat Catechismus Romanus *De Matrimonio* n. 15. his verbis: *prima* est hæc ipsa diversi sexus naturæ instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata; ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat. *Altera* est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum et divitiarum hæredes relinquantur, quam ut veræ fidei et Religionis cultores educentur; quod quidem maxime sanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse ex sacris Litteris satis apparet. Quare Angelus cum Tobiam admoneret, quo pacto mali dæmonis vim posset repellere, ostendam, *inquit,* tibi, qui sunt, quibus prævalere potest *dæmonium*; ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se,

et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Deinde subjecit: accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. Atque una etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio Matrimonium instituerit; quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui Matrimonio juncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt; hæc enim homicidarum impia conspiratio existimanda est. *Tertia* est, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, cum propter justitiæ, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit, ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suæ conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur; de quo ita Apostolus scribit: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Ac paulo post, cum docuisset, interdum orationis causa a Matrimonii debito abstinendum esse, subjecit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod si ad eas causas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonia ineant, atque in habendo uxoris delectu, hanc illi præponant, ut hæredis reliquendi desiderium, divitiæ, forma, gentis splendor, morum similitudo, hujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, cum Matrimonii sanctitati non repugnent: neque enim in sacris Litteris Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit. *Ita Catechismus.*

✳ " Objicies: quod secundum indulgentiam dumtaxat conceditur, non secundum imperium, bonum non est, siquidem indulgentia culpam supponit quæ condonetur: sed Matrimonium concedit Apostolus secundum indulgentiam dumtaxat, non secundum imperium 1. ad Cor. 7. ergo Matrimonium bonum asseri non debet. — **Respondeo negando minorem,** non enim, ut S. Augustinus notat lib. *De bono conjugali,* cap. 10. nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissime dici, non eas peccasse, quibus venia datur? sed illum concubitum, secundum veniam concedit, qui sit per incontinentiam, non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant. Si tamen non ita sit nimius ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, non rationi sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum, verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum quam quod inhonestum est, idest quod est nuptiarum, hoc eis, auctore Apostolo, secundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus

ut orationibus vacent, et per hanc abstinentiam sicut per jejunia, commendent preces suas; vel immutando naturalem usum in eum qui est contra naturam, quod damnabilius sit in conjuge. Et cap. 13. quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt. Et lib. *De nuptiis et concupiscentia*, cap. 14. ubi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges, dum se non continent debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propagînis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia et illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se.

Instabis: Quod non potest esse absque libidine, peccatum est: sed nuptiale commercium non potest esse absque libidine: ergo peccatum est: ergo et Matrimonium ipsum est peccatum. — **Respondeo 1.** *negando ultimam consequentiam;* verum enim Matrimonium esse potest absque commixtione sexuum; quibus enim placuit, ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmius erit quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum, inquit S. Augustinus, lib. 1. *De nuptiis et concupisc.*, cap. 10. quod exemplo S. Joseph et Deiparæ Virginis probat, quos inter verum conjugium intercessit. *Respondeo* 2. *distinguendo minorem:* si non possit esse absque libidine dominante, *concedo:* si non possit esse absque libidine serviente, *nego.* Porro nuptiale commercium sine libidine dominante esse potest. Unde S. Augustinus, cap. 12. libri mox laudati, negat illud esse peccatum, si fiat intentione generandi, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidam pruritus in adulteriorum et fornicationum, et quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum vero necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur; hic de pedissequo talis honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Et cap. 17. in nuptiis tantum bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum... carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. Et cap. 7. libidinem a nuptiarum bono discernendam esse probat exemplo primorum parentum. *Quod enim*, inquit, *illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum; quod vero prius confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat ubique conspectum, et quærit pudendo secretum. Proinde nuptiæ, quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur; quia vero sine illo fieri non potest, erubescunt: tamquam si quispiam pede vitiato ad aliquod bonum claudicando perveniat, nec propter claudicationis malum, mala est illa perventia,*

nec propter illius perventionis bonum, bona est illa claudicatio. Ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.

URGEBIS: Libido frequentius dominatur conjugatis: ergo nuptiæ peccati proxima sunt occasio; adeoque malæ censendæ sunt. — **Respondeo,** *distinguo antecedens:* vitio conjugum, *concedo:* vitio nuptiarum, *nego. Porro,* ut ait S. Augustinus, lib. *De bono conjugali,* cap. 14. *quid sit nuptiarum considerandum est, non quid nubentium et immoderatius nuptiis utentium. Neque enim si agris inique ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno vel juste quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste velle uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.*

INSTABIS iterum: fons originalis peccati malus est: sed peccatum originale ex nuptiis et nuptiali commercio velut ex fonte derivatur: ergo nuptiæ malæ sunt. — **Respondeo,** *nego minorem,* nam ut ait S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis et Concupisc.,* cap. 1. *natos non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt et nuptiæ, reos diabolus parvulos tenet. Itaque,* inquit idem Pater, *ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum et fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde a parvulis trahatur, opus est diaboli: sic homo sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. Intentio igitur hujus libri hæc est, ut quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum. Hæc enim, quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset; nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset. Fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus.* Lege caput 21. ejusdem libri.

OBJICIES 2. Ex Apostolo ad Corinth. 17. dicente: *melius est nubere quam uri. Quod sic accipiendum est,* inquit Tertullianus, lib. *De Castitatis exhortatione,* cap. 4. *quomodo melius est uno oculo quam duobus carere.* Si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum. Igitur nec bonum est absolute nubere. — **Respondeo,** Apostolum his verbis non innuere quod nuptiæ malæ sint cum continentia comparatæ, sed quod minus bonum sint. Qua de re S. Augustinus, lib. *De bono conjugali,* cap. 8. præclare ait: *Non ergo duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum est pejus; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius: sicut ista temporalis sanitas et imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus, sed ista sanitas et immortalitas duo bona sunt, quorum*

alterum melius. Item scientia et vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus; sed scientia et charitas duo bona sunt, quorum charitas ut melius. Tertullianus porro locum Apostoli male interpretatus ibi est, in transversum actus errore Montanistarum, ad quos jam defecerat, hic enim liber unus ex iis est, quos contra Ecclesiam scripsit. Quamquam nec absolute nuptias malas esse asseruit, quas potius propugnavit, per se optimas, (ut constat ex probationibus) sed alteras tantum nuptias malas esse secundum Montani dogma pugnaviter defendit, ut ex antecedentibus et consequentibus perspicuum est.

Objicies 3. Quod purificationem postulabat in lege, peccatum est: sed nuptiale commercium purificationem postulabat in lege, Levit. 15. ergo peccatum est: ergo et nuptiæ malæ sunt. — **Respondeo,** *nego majorem,* hic enim purificationis ritus ad aliud significandum imperatus est, non ad conjugalis actus vitium aliquod immundum, si sit absque libidine dominante. *Nam sicut multa lex ponit in Sacramentis, et umbris futurorum,* inquit S. Augustinus, lib. *De bono conjugali,* cap. 20. *quædam in semine quasi materialis informitas, quæ formata carpus hominis redditura est, in significatione posita est vitæ informis et ineruditæ; a qua informitate quoniam hominem oportet hominem doctrinæ forma et eruditione mundari, in hujus rei signum illa purificatio præcepta est. Præterea, numquid et mori peccatum est?* inquit S. Augustinus, *aut mortuum sepelire, non etiam bonum opus humanitatis est? et tamen purificatio etiam inde mandata est; et quia et mortuum corpus vita deserente, peccatum non est, sed peccatum significat animæ desertæ a justitia.*

Objicies 4. Ex Apostolo ad Galatas VI-8: *qui seminat in carne, de carne metet corruptionem:* in carne autem seminat qui mulieri jungitur: ergo et is qui uxore utitur et seminat in carne ejus, de carne metet corruptionem: nuptiæ igitur malæ sunt. — **Respondeo** ad hoc argumentum Tatiani Encratitarum principis cum S. Hieronymo in *Comment.* cap. 6. Epist. ad Galatas, hæc Apostoli verba nullatenus nuptias spectare. Non enim dixit Paulus: *qui seminat in carne,* sed *in carne sua;* nemo autem secum ipse concumbit et in sua carne seminat. Deinde, ut observationem hanc, quam annotavimus, *in carne sua,* ex abundanti ei concedimus, addendum est eos quoque qui comedant, et bibant, et dormiant, et aliquid faciant ob refrigerium corporis, juxta illum seminare in carne et de ea metere corruptionem. Quod si ad hoc confugerit, ut dicat, eos qui sive bibant, sive manducent, sive dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiant, non in carne seminare, sed in spiritu; et nos ei similiter respondebimus, eos quoque qui Dei primam rationem sequantur, cum ratione facientes, *crescite et multiplicamini, et replete terram,* non in carne, sed in spiritu seminare. Syllogismus itaque ejus futilis est et caducus, sophismate primum decipit audientem. Cæterum diligenter inspectus facile solvitur; neque enim possumus dicere Abraham, Isaac et Jacob, et alios sanctos viros, qui de repromissione nati sunt, ipsum quoque Domini præcursorem, quia in carne natus est, de corruptionis germine pullulasse. " ✻

Conclusio secunda. — MATRIMONIUM FORMALITER ET PRÆCISE CONSISTIT IN MUTUO CONJUGUM VINCULO. Hæc est conformior menti Doctoris, imo etiam doctrinæ Concilii Tridentini; nam Sess. 24. cap. 1. *De Reformatione*, et sequentibus, Matrimonium sumit pro ipso vinculo, quo invicem conjuges constringuntur. Eam pariter sententiam tuetur S. Thomas, in 4. dist. 27. qu. 1. art. 2. Et

Probatur primo: In eo formaliter consistit Matrimonium, quo posito, illud ipsum ponitur, et quo ablato, tollitur: sed posito vinculo illo, quo utriusque conjugis animi conjunguntur, ponitur Matrimonium, et eo sublato aufertur: ergo Matrimonii essentia in ejusmodi vinculo consistit. *Major patet* ex communi axiomate, quo utuntur Philosophi ad inquirendas rerum essentias. *Minor vero probatur: tum* quia Matrimonium est constans ac perpetua juris ac dominii utriusque conjugis in alterutrum possessio; nam, ut dicit Apostolus 2. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit... et mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; neque vir habet sui corporis potestatem, sed mulier:* sed nihil est in Matrimonio permanens præter ipsum vinculum, ut constat ex discussione singulorum, quæ in Matrimonio reperiuntur; cætera namque consistunt in actionibus transeuntibus, et quibus ablatis non minus verum Matrimonium perseverat, ut singula discutienti facile patebit. *Tum* quia id habet veram et formalem rationem Matrimonii, quod repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet Apostolus ad Ephesios 5. ubi cum dixisset: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, etc. statim subdit, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico: in Christo, et in Ecclesia*. Sed solum vinculum insolubile conjugatorum exprimit et significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet S. Augustinus, lib. *De Bono Conjugali*, cap. 7. 18. etc. ubi ideo ait, tam esse insolubile vinculum Matrimonii inter fideles, cum prius non esset tam arctum, quia est Sacramentum insolubile conjunctionis Christi cum Ecclesia: igitur, etc. *Tum denique*, quia vinculum Matrimonii quædam præcedunt, quædam autem subsequuntur: sed neque præcedentia, neque consequentia sunt ipsa ratio formalis Matrimonii; quia illis positis, per impossibile vel possibile, sine vinculo, non esset verum Matrimonium; nam consequentia vinculum sunt jus exigendi, et obligatio reddendi debitum, et ipse usus Matrimonii. At non modo usus Matrimonii, sed etiam jus petendi, et obligatio reddendi debitum, possunt tolli per solemnem professionem alterius, consentiente altera parte; vel utriusque vel per votum simplex, aut utriusque, aut alterius de consensu conjugis; aut per divortium, et separationem tori legitimam, ad servandam castitatem ambobus conspirantibus; aut per morbum perpetuum, vel fornicationem alterius: ergo in his non consistit essentia Matrimonii. Præcedentia vero vinculum sunt mutuus consensus, contractus exterior, et traditio corporum: sed consensus, et contractus possunt esse aliquando sine vinculo, et Matrimonio, cum vel alter, vel uterque contrahentium est inhabilis ad contrahendum ex impedimento dirimente. Traditio vero corporum, etsi non potest esse vera et realis sine vero vinculo, eam partim antecedente, partim immediate sequente; tamen traditio desinit, transacto actu reddendi; Matrimonium autem non desinit usque ad mortem alterius conjugis.

Confirmatur, et magis explicatur præcedens ratio: si Matrimonium essentialiter in alio quam in vinculo consisteret, maxime vel in consensu et contractu, vel in aliis jam dictis: at in neutro horum consistit. Non quidem in utriusque conjugis consensu, sive actu contrahendi: *tum* quia Concilium Florentinum, in decreto unionis Armenorum, aperte significat, consensum illum esse causam efficientem Matrimonii: *Causa efficiens*, inquit, *Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus;* subindeque talis consensus non importat rationem formalem Matrimonii; causa enim formalis intrinseca est, efficiens vero prorsus extrinseca, et præsupponitur ad suum effectum: igitur Matrimonium est quidpiam distinctum, et posterius mutuo consensu interno, et externo contractu; quippe cum nihil sit causa efficiens sui ipsius. *Tum* quia hujusmodi actus, nempe mutuus consensus utriusque conjugis, et actualis traditio suorum corporum, deficiunt et prætereunt, Matrimonio perseverante, ut effectu a causa realiter distincto.

Nec valet reponere, quod licet actualis consensus transierit; tamen virtualiter, ac moraliter perseverat consensus habitualis, in quo Matrimonium consistit. Hoc, inquam, non obstat, tametsi enim conjuges primum suum consensum retractent; nihilominus in eos Matrimonium perseverat, cum tamen in eis non permaneat habitualis consensus, utpote qui per subsequentem dissensum revocatus sit.

Neque etiam ratio formalis Matrimonii consistit in mutuo jure unius cujusque conjugis in alterum; nec in mutua obligatione ad reddendum debitum, multo minus in ipsa Matrimonii consumatione: *tum* quia tale jus, et obligatio cessant vel per alterius conjugis adulterium, vel per ingressum in Religionem ex mutuo consensu, manente tamen Matrimonii consummati vinculo: *tum* quia multi ex communi consensu abstinuerunt a carnali copula, qui nihilominus fuerunt veri conjuges, ut S. Elzearius cum sancta Delphina, et S. Henricus Imperator, qui in conjugio perpetuam virginitatem servavit: *tum denique*, quia Beatissima Virgo verum contraxit Matrimonium cum S. Josepho, ipsius virginitatis gloria permanente: igitur a sufficienti enumeratione partium, exclusis cæteris, superest, ut Matrimonium ipsum consistat in illo vinculo, quo formaliter conjuges summa necessitudine invicem astringuntur. Cum autem duplex sit illud vinculum: alterum spirituale, quod ex solo consensu oritur; alterum carnale, quod provenit ex copula, quod ad prius confertur, illudque corroborat, atque confirmat, unum cum eo efficitur; consequens est quod in hoc perfecto et consummato vinculo posita sit omnis Sacramenti vis, et ratio formalis.

Dices 1: Nullum ex Sacramentis novæ Legis, præter Eucharistiam, consistit in esse permanenti, sed dumtaxat in actione transeunte: igitur Matrimonium non consistit in vinculo maritali, resultante ex mutuo conjugum consensu, et ad alterutrius mortem perseverante. — **Distinguo antecedens**: quoad fieri, *concedo:* quoad factum esse, *nego*. Fateor equidem, quod Matrimonium, quantum ad causam efficientem, seu in fieri, sit in aliquo transeunte, nimirum in mutuo consensu conjugum; attamen si spectetur ejus quidditas et ratio formalis, quantum ad id, quod est res et Sacramentum simul, illud consistit in aliquo perseverante et permanente, scilicet in vinculo ex mutuo

conjugum consensu oriundo. Unde etiam hac ratione negari potest *antecedens.*

Dices 2: Sacramentum est formaliter aliquod signum sensibile: sed vinculum illud inter conjuges perseverans non est quid sensibile: igitur ratio formalis Matrimonii in ipso vinculo non consistit. — **Distinguo majorem**: quatenus est Sacramentum dumtaxat, *concedo:* quatenus est Sacramentum, et res Sacramenti simul, *nego.* Non enim necessum est, quod id quod est res Sacramenti simul, et Sacramentum, sit aliquid sensibile per se; alioqui adorandum Christi Domini Corpus in Eucharistia non haberet veram et perfectam rationem Sacramenti; sed sufficit, quod fuerit sensibile in sua causa; qua ratione Matrimonium dici potest signum sensibile, quia verba, seu nutus, exprimentia consensum internum, sunt sensibilia, et causæ prædictæ unionis, seu vinculi conjugalis.

Dices 3: In eo præcise consistit Matrimonii ratio formalis et essentialis, quod assumitur a Deo tamquam instrumentum ad causandam gratiam sanctificantem conjuges: sed vinculum illud conjugale non assumitur ad talem gratiam causandam; cum enim semper perseveret, sequeretur quod ad ejus præsentiam Deus continuo gratiam in animas conjugum produceret: igitur, etc. — **Respondeo ad majorem,** id quidem verum esse de signo sensibili, quod habet dumtaxat rationem Sacramenti; non autem de eo, quod est res et Sacramentum simul; nec enim necessum est, quod Sacramenta concurrant ad productionem gratiæ per suam quidditatem, seu per id, quod est res et Sacramentum simul, seu in facto esse; sed sufficit, quod illam conferant per suam causam efficientem, super id quod habet tantum rationem Sacramenti; ac subinde sufficit, quod in Matrimonio mutuus conjugum consensus, qui est causa efficiens illius Matrimonii, et habet tantum rationem Sacramenti, assumatur ad causandam gratiam in animis conjugum; maxime cum, ut diximus, Sacramenta novæ Legis non concurrant ad productionem gratiæ physice, sed tantum moraliter.

Ex his collige, Matrimonium generatim sumptum recte definiri a Jurisconsultis et Canonistis post Alexandrum III, cap. *Illud de præsumptionibus: Matrimonium est maris, et fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens;* vel, ut ait Magister, in 4. dist. 27. cap. 1. *Matrimonium est viri, mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur autem, *viri, mulierisque conjunctio,* ad differentiam conjunctionis militum sub uno Duce, et subditorum sub uno Principe. Additur, *maritalis;* quia cum Matrimonium ordinetur ad prolem gignendam, necessum est, quod illa conjunctio fiat inter marem et fœminam. Sequitur, *inter legitimas personas,* hoc est, non habentes impedimentum dirimens; non enim omnis vir cum qualibet fœmina potest Matrimonium contrahere; maxime si alteruter sit impotens ad generandum. Cætera adduntur ad exprimendum finem Matrimonii, cujus proprium est, ut referatur ad genus propagandum, atque ad hoc præstandum, ut ejus vinculum minime cæterorum contractuum more dissolvatur.

Aliam non multum absimilem, nec minus perspicuam Matrimonii *in facto esse* definitionem tradit Doctor dist. 26. n. 17. his verbis: Matrimonium *est vinculum indissolubile inter marem et fœminam, ex*

mutua translatione potestatis corporum suorum sibi invicem facta ad procreandam prolem debite educandam. Quæ definitio optima est, quia datur per causam formalem, dum dicitur, *vinculum indissolubile;* per materialem, dum dicitur, *inter marem et fœminam;* per efficientem, dum dicitur, *ex mutua translatione,* et tandem per finalem, dum additur, *ad procreandam prolem.* Ideoque exacta et completa est definitio, velut data per omnia quatuor causarum genera. Itaque essentia Matrimonii, ut est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seu juris dominii mutui inter marem et fœminam, quod ex contractu translationis ortum est, et mutua corporum traditione; unde, quando dicimus essentiam Matrimonii hoc modo sumpti consistere in ratione vinculi, idem est ac dicere, quod consistit in ratione perpetui juris utriusque conjugis in alterutrum, quod vice versa in utroque perpetuam importat subjectionem et ligamen.

Si vero consideretur Matrimonium *in fieri,* seu quatenus est contractus, recte pariter a Doctore definitur his verbis: *Contractus Matrimonii est maris et fœminæ mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo, ad procreandam prolem debite educandam.* Quæ pariter definitio optima est, quatenus Matrimonium consideratur in fieri; quippe per eam contractus matrimonialis a quovis alio distinguitur. Dicitur namque *translatio,* in quo tamquam in genere convenit cum quocumque alio contractu, et distinguitur a quocumque, quod non est contractus; quilibet enim contractus fundatur in *do ut des:* mutua autem translatio explicat hanc mutuam dationem omni contractui communem. *Corporum suorum* designat materiam hujus contractus, ut a cæteris secernitur; *maris et fœminæ* personas contrahentes significat, quia alii non sunt capaces hujusmodi contractus; reliquæ tandem particulæ usum et finem hujus contractus explicant: ergo hæc definitio est bona, quia translatio tenet locum generis, ea autem quæ transferuntur dicto modo, scilicet pro usu perpetuo, et ad prædictum finem, scilicet ad procreandam prolem, sunt differentiæ translationis eam contrahentes ad hanc speciem contractus. *Tertio* definit quatenus est Sacramentum, *Sacramentum Matrimonii est expressio certorum verborum maris et fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam, mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Quæ definitio patebit ex dicendis.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, ET QUANDO MATRIMONIUM HABUERIT DIGNITATEM ET EFFICACITATEM SACRAMENTI.

Notandum 1. Omnes Catholicos ultro consentire, quod Christus Dominus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, relicta prorsus intacta ejus natura; unde eadem causæ constituunt Matrimonium, quatenus est homini quid naturale, hoc est, ex naturali inclinatione proveniens, illæ ipsæ constituunt Sacramentum. *Verum* reclamant omnes illi, qui nuptias a dæmone, et minime licitas esse dixerunt, quibus facem præbuit Saturninus Simonis Magi discipulus

qui, ut docet S. Irenæus, lib. 1. *contra hæreses*, c. 21. et 22. et Augustinus, lib. *De hæresibus*, cap. 1., suadebat hominibus vagum concubitum, dicens Matrimonium non a Deo, sed a diabolo esse invectum. Cujus errorem innovavit Tatianus, ut scribit idem S. Irenæus, c. 39. necnon et Adamiani, qui, teste S. Justino, Hæresi 31. aversabantur nuptias, asserentes non futurum usum nuptiarum in statu innocentiæ, eo quod Adamus antequam peccasset, et ejectus esset de Paradiso, non cognovisset uxorem suam. Eumdem errorem tribuit S. Hieronymus, lib. 1. *contra Jovinianum*, Marcionistis, et Manichæis; licet enim Manichæi nuptiis uterentur, docebant tamen vitandam esse generationem, ne, inquiebant, divina substantia, hoc est anima corpori alligaretur; ac proinde damnabant verum usum nuptiarum, quæ ordinantur ad debitam filiorum procreationem et educationem. Hi, *inquam*, antiquiores hæretici, ex falso suo principio, et erronea de Matrimonio doctrina, etiam negare debuerunt, esse Sacramentum gratiæ a Christo institutum. — At hanc eamdem Catholicam veritatem hisce posterioribus sæculis aperte impugnaverunt Lutherus, lib. *De Captivit. Babylonica*, cap. de Matrimonio; et Calvinus, lib. 4. *Institutionum*, c. 19. n. 34. et sequentibus, ubi postquam pluribus verbis impugnavit Catholicam de Sacramento Matrimonii doctrinam, concludit n. 37. *Igitur ne simpliciter Ecclesiam luderet, quam longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum seriem uni errori attexerunt? ut dicas nihil aliud, quam abominationum latebram quæsiisse, dum e Matrimonio Sacramentum fecerunt.* His aliqua ex parte consentire videtur Durandus, in 4. dist. 26. quæst. 3., ubi quamvis dicat hæresim manifestam esse, negare Matrimonium esse Sacramentum, quia id definitum est in capite *Ad abolendam*, de hæreticis; affirmat tamen esse æquivoce Sacramentum cum aliis sex, eo quod non conferat gratiam suscipientibus, et ita non sit signum gratiæ sanctificantis, sed habeat dumtaxat rationem Sacramenti, quatenus est signum rei sacræ, videlicet conjunctionis Christi cum Ecclesia. Itaque nobis incumbit hac in Quæstione probare, Matrimonium habere veram, et perfectam rationem Sacramenti.

Notandum 2. Quod cum Matrimonium institutum fuerit in statu innocentiæ, idque *vel* quando Adamus conspiciens Evam ex suo latere procreatam, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, ut docet S. Bonaventura, dist. 26. art. 1. quæst. 2. *vel* quando dixit Deus Adamo et Evæ: *Crescite, et multiplicamini*, etc. ut existimat *Subtilis Doctor*, ibidem, qu. 1. *vel*, ut volunt alii cum Majore, prædictum fuit illis verbis, *Non est bonum hominem esse solum*; benedictum autem illis, *Crescite, et multiplicamini*, initum vero illis, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Cum, inquam, Matrimonium fuerit institutum in statu innocentiæ, et viguerit in Lege naturæ, et Mosaica, controvertitur apud Theologos, utrum et in quibus eorum statuum dignitatem et efficacitatem Sacramenti obtinuerit. Nonnulli enim Catholici hæreticis ita adversantur, ut existiment Matrimonium esse quidem Sacramentum, non tamen a Christo in nova Lege, sed a Deo initio mundi institutum, quando nimirum primos nostros parentes in Paradiso conjunxit. Ita docuit Henricus Angliæ Rex adhuc Catholicus in assertione septem Sacramentorum, contra Lutherum, et Roffensis in de-

tensione illius, et Albertus Pighius, controversia 10. Alphonsus de Castro verbo *Nuptiæ*, Petrus Soto, lib. *De Institutione Sacerdotum*, et Catharinus in opusculo *De Matrimonio*, qu. 3. 4. et 5. affirmans in statu innocentiæ, etiamsi Adamus non peccasset, Matrimonium futurum Sacramentum, conferens gratiam. Cæteri vero Doctores in contrariam sententiam abeunt, affirmantes Matrimonium esse Sacramentum a Christo Domino tantum in Lege Evangelica institutum.

Notandum 3. Sacramentum Matrimonii dupliciter considerari posse, nempe vel in fieri, vel in facto esse. Si consideretur *in fieri*, tota ejus essentia, *inquit* Arcudius, lib. 7. cap. 2. sita est in ratione contractus. Natura vero contractus ejusmodi est, ut unus exhibeat aliquid, alter acceptet. Si quid horum desit, nihil valet contractus. Unde si quis largiatur aliquid alicui, illo non acceptante, nihil valet donatio. Si itaque mulier tradiderit viro suum corpus per verba de præsenti, et vicissim vir mulieri suum, et invicem acceptaverint, statim oritur Matrimonium. Igitur Christus Dominus hujusmodi actus dandi et acceptandi ad excellentiam Sacramenti extulit; ita ut producant gratiam sacramentalem, sintque causa et signum illius. Quippe Sacramentum est rei sacræ signum. Si autem Sacramentum Matrimonii consideretur jam celebratum, et *in facto esse*, tota ejus ratio formalis et essentialis sita est in ipso vinculo Matrimoniali, quod sane vinculum Christus Dominus ad eminentiam Sacramenti sublevavit; unde a Theologis communiter dicitur res et Sacramentum. Res quidem, quia est effectus Sacramenti in fieri; Sacramentum vero, quia vinculum illud immediate respicit et producit gratiam; Sacramentum autem in fieri mediate tantum, hoc est, mediante vinculo; posito enim vinculo, statim producitur gratia, quemadmodum in Sacramentis relinquentibus characterem, character est res, et Sacramentum; res tamquam effectus Sacramenti, Sacramentum tamquam qui immediate efficit gratiam. Neque tamen hic duo Sacramenta intelligimus, alterum in fieri, alterum in facto esse; sed unum et idem sub diversa consideratione. *Ita Arcudius.*

Quibus præmissis, duo supersunt determinanda: *primum*, quod Matrimonium sit verum et proprie dictum Sacramentum: *secundum*, quod rationem, et dignitatem Sacramenti in sola Lege Evangelica a Christo obtineat.

Conclusio prima. — Matrimonium est Sacramentum proprie dictum. Hæc est de fide, determinata et distincte tradita in Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, ubi Matrimonium inter septem novæ Legis Sacramenta computatur. Censet ergo Matrimonium cum aliis sex habere veram et perfectam rationem Sacramenti. Idem definitur in Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 1. his verbis: *Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Et Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathema sit.* Demum Concilium Senonense sub Clemente VII, anno 1528. celebratum, c. 39.

hæc habet: *Sane cum Matrimonium a Deo rerum omnium conditore in Paradiso, et in statu innocentiæ institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, Sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpote in quo, sicut et in reliquis Sacramentis, gratia confertur.* Quibus verbis, non solum docet Matrimonium, sicut et reliqua novæ Legis Sacramenta, conferre gratiam, sed etiam verba illa Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est,* de Sacramento stricte et proprie sumpto interpretatur. In quo etiam sensu Tridentinum, capite supra citato, eadem Apostoli verba intelligere videtur, ut patet ex verbis istis, quæ ante supra adducta ibidem habet: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis Passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea; mox subjungens; Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

Nec valet reponere, prædicto Apostoli testimonio non Matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia vocari *magnum Sacramentum*, sive arcanum, ac subinde nomen Sacramenti ibi sumi, non quidem pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacra. Non valet, inquam, nam cum Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia,* pronomen *hoc* referri debet ad id, quod proxime præcesserat; nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantum de Matrimonio viri et mulieris, videlicet: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una:* ergo, etc. Quod insuper constat ex proposito et fine intento ipsius Apostoli; siquidem scopus ipsius ibi est suadere viris, quod suas uxores diligere debent, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Porro ad id suadendum nihil omnino conducebat, quod conjunctio Christi cum Ecclesia sit magnum Sacramentum; bene tamen quod Matrimonium, seu conjunctio viri cum muliere, sit Sacramentum, non solum quatenus est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sed quatenus est signum illius conjunctionis, quæ fit per charitatem et gratiam; siquidem in eo capite Apost. ait: *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret;* ac subinde ibi de Sacramento loquitur, quatenus est signum gratiæ sanctificantis, ideoque cum Matrimonium appellet *Magnum Sacramentum*, eo quod sit repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, usurpat nomen *Sacramenti* proprie dicti; ut enim Matrimonium hanc unionem Christi cum Ecclesia fieri per charitatem significet, necessum est, quod illa conjunctio viri cum muliere, quæ fit in Matrimonio, sit signum efficax gratiæ sanctificantis in ipsis conjugibus invicem unitis.

Nec pariter obstat quod Subtilis Doctor, dist. 26. n. 12. scribat: « Diceret aliquis, quod illud ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum* « *est, ego autem dico: in Christo, et in Ecclesia,* intelligitur de Sacra- « mento extense accepto, pro signo sacræ rei; cujus tamen non est « causa, nec signum aliquod efficax; non enim est Matrimonium si- « gnum efficax respectu conjunctionis Ecclesiæ ad Christum, sed si « aliquo modo est signum efficax, ita potest esse votum virginitatis « signum conjunctionis Ecclesiæ virginis ad Christum ». *Ita Doctor,*

Verum hoc, ut dixi, non officit; siquidem Doctor id non profert ex propria sententia, nec assertive, sed solum ad refellendam eorum sententiam, qui Matrimonii Sacramentum volebant fuisse institutum Genes. 2. cum Adamus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.

Probari potest etiam Conclusio ex constanti et perpetua Ecclesiæ doctrina et traditione; quæ colligitur, tum ex eo, quod Matrimonium in locis sacris tamquam res sacra, et sacris ritibus ac cæremoniis celebrari consuevit, ut colligitur ex Tertull., lib. 2. *Ad uxorem*, ubi ait: *Unde sufficiunt ad emerendam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignant Angeli?* hoc est, Sacerdotes sponsas benedicentes post celebrationem Sacrificii. Cujus etiam ritus meminit S. Ambrosius, Epist. 70. ubi contra Matrimonia inita cum alienigenis, et alterius Religionis, ait: *Nam cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium duci, ubi non est fidei concordia?*

Quapropter S. Evaristus, Epist. 1. quæ est ad omnes Episcopos Africanos, cap. 2. affirmat, hanc esse traditionem ab Apostolis, et eorum Successoribus acceptam, quod sponsus et sponsa benedictionem a Sacerdote acciperent. Hinc Syricius Papa, Epist. 1. quæ est ad Himerium Tarraconensem, cap. 4. ubi postquam prohibuit, ne puella uni desponsata alteri tradi possit, rationem hanc subdit: *Quia*, inquit, *illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Si autem Matrimonium non esset res sacra, quantumvis conjuges a Sacerdote benedicerentur, nullum sacrilegium committeret, qui relicta priori uxore, alteri se conjungeret in Matrimonium.

Insuper idem apertius constat ex oraculis SS. Patrum et Pontificum, qui distincte profitentur, gratiam esse annexam Matrimonio, et illud esse Sacramentum, cum cæteris Sacramentis novæ Legis computandum. Sic S. Ambrosius, lib. 1. *De Abrahamo*, cap 7. *Cognoscamus*, inquit, *veluti præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, quod qui fecerit, quia peccat in Deum, cujus gratiam solvit, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* Similiter S. Cyrillus Alexandr., lib. 2. *In Joan.*, cap. 22. assignans rationem, cur Christus nuptiis Canæ Galilææ interesse voluerit, ait: *Ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certe qui totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, ut aditum illorum ad hanc vitam, et auctoritate miraculi, et præsentia sua sanctum faceret.* Quid autem aliud est nascituris gratiam præparare, nisi conjugibus ad procreandam prolem et pie ac religiose educandam gratiam conferre? Unde Innocentius I, Epist. 9. statuit Matrimonium vivente priori uxore contractum esse nullum, et primum Matrimonium approbans ait: *Statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia fundatum.* Non autem alia ratione conjugium gratia fundatum asserere potuit, nisi quia cum Sacramentum esset, gratiam contulisset.

Non desunt etiam congruentiæ, quæ hanc veritatem suadeant; nam, inquit Doctor, dist. 26. n. 11. « Contractui Matrimoniali con-« gruum est annecti collationem gratiæ, quia contractus prædictus est

« difficilis, cum ex eo nascatur obligatio valde difficilis, cujus diffi-
« cultas conjuncta est honestati, ut probatum est prius: ad honestum
« autem et difficile, congruum est gratiam conferri ». Ita Doctor; quibus verbis significat, congruum fuisse gratiam adjungi Matrimonio, propter infirmitatem naturæ, ut videlicet hoc divino auxilio fulta et roborata, omnes ex Matrimonio difficultates oriundas sustinere posset, et convenientem illi statui virtutem sectari. *Addi potest,* quod si ad gignendos filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulerit Sacerdotibus novæ Legis, quam antiquæ Legis Sacerdotibus non contulerat, quidni simili ratione contulisset gratiam conjugiis ad filios carnales debite gignendos et pie educandos? *Denique,* cum Deus in necessariis non deficiat, cumque Christus Dominus, Matth. 19. abrogato libello repudii, Matrimonium voluerit esse prorsus indissolubile, et poligamiam in Lege Evangelica proscriptam esse voluerit, conveniens fuit, ut Matrimonio gratiam adjungeret, ad superandas difficultates, quæ ex omnimoda indissolubilitate et perpetua monogamia orirentur; alioquin si Christianorum Matrimoniis talis deesset gratia, matrimoniale jugum in Lege Evangelica longe gravius ac durius esset, quam in Lege Mosaica; in hoc enim viris licitum erat per libellum repudii uxorem indomitam et corruptis moribus effrænem dimittere, vel alteram cum ipsa ducere; neutrum vero licet in Evangelica Lege; quippe cum repudii libellum simul ac poligamiam Christus abrogaverit.

Triplicem aliam congruentiæ rationem profert Seraph. Doctor, dist. 26. art. 2. q. 2. ubi demonstrat Matrimonium in nova Lege non solum esse in remedium concupiscentiæ, sed etiam triplicem conferre gratiam correspondentem triplici bono ex Matrimonio oriundo. « Nunc
« tempore Legis novæ, *inquit,* Matrimonium non tantum præstat re-
« medium, sed etiam aliquod gratiæ donum digne suscipientibus, ut-
« pote his, qui ex charitatis consensu uniuntur ad procreandam prolem
« ad divinum cultum. Ratione enim expressionis consensus in indi-
« viduam consuetudinem vitæ, et ratione benedictionis Ecclesiæ, cujus
« est Sacramenta Ecclesiæ debite tractare, sublevatur anima a corru-
« ptione concupiscentiæ inordinata, et datur gratia ad copulam sin-
« gularem, et ad copulam utilem, et ad copulam inseparabilem. Et
« ex hac gratia fit remedium contra triplicem inordinationem con-
« cupiscentiæ, et nascitur triplex bonum Matrimonii. Concupiscentia
« enim inclinat ad multas, quia luxuriosus non est una contentus;
« et in Matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit conjungi;
« et ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Con-
« cupiscentia etiam inclinat ad delectationem, non ad utilitatem: quia
« luxuriosus non quærit nisi satisfactionem appetitivæ, seu appetitus
« sensitivi. Datur ergo gratia in Matrimonio, ut non recognoscat uxo-
« rem, nisi propter prolem; et ita excluditur delectatio appetitivæ per
« copulam utilem. Item, concupiscentia fastidium generat post imple-
« tionem. Unde luxuriosus postquam cognovit unam, illam respuit,
« et vadit ad aliam. In Matrimonio vero datur gratia, ut semper velit
« esse cum una; et ita excluditur variarum concupiscentia per copulam
« inseparabilem. Ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam
« non accedat. Ex copula utili bonum prolis. Ex copula inseparabili
« bonum Sacramenti ». *Hæc Doctor Seraphicus.*

Objiciunt primo hæretici: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: sed Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis; siquidem qui sacris Ordinibus initiati sunt, Lege Ecclesiastica a Matrimonio arcentur: igitur non est Sacramentum. — **Distinguo minorem**: pugnat cum Sacramento Ordinis, absolute, et ratione sui, *nego;* nam in Ecclesia Græca etiam Sacerdotes uxores servant, et conjugati in Presbyteros ordinantur. Pugnat ratione status, quem inducit, quique minus recte cum Matrimonio convenit, *concedo.* Cum enim Sacerdotes novæ Legis debeant toti Deo vacare, idcirco conveniens fuit, ut arcerentur a Matrimonio, cujus munia magnum functionibus Sacerdotalibus forent impedimentum; nam, inquit Apostolus 1. ad Cor. 7. *Qui cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* At, ut idem Apostolus ait 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

Adde quod, cum Sacerdotes novæ Legis non solum sacris ministeriis tractandis assidue deputentur, sed etiam ad contrectandum Christi Domini sacratissimum Corpus, hinc est, inquit Syricius Pontifex, Epist. ad Himerium Tarraconensem Episc. quod *omnes Sacerdotes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ, et corda nostra mancipemus, et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus: qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Non quod velit S. Pontifex, eos, qui legitimis conjugiis utuntur, Deo displicere, et revera peccatores effici, ut perperam fingit Calvinus, et Kemnitius; sed tantum significat, illos qui ad uxores legitime etiam accedunt, non posse ea pollere conscientiæ integritate, quæ Sacerdotes novæ Legis Virginis filium, et ipsum Virginem, atque totius puritatis fontem attrectantes, et immolantes deceat. Unde S. Hieronym., lib. 1. *Contra Jovinianum,* n. 21. expendens verba illa Abimelec Sacerdotis ad Davidem: *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus,* ut scilicet permitterentur edere de panibus propositionis, subdit: *Panes enim propositionis, quasi Corpus Christi, de uxorum cubilibus consurgentes edere non poterant.*

Objiciunt 2. Nullum Sacramentum absque simoniæ labe conferri potest cum pacto de certa pecunia numeranda pro ejus administratione et collatione: sed fit pactum de pecunia numeranda pro ineundo Matrimonio inter futuros conjuges: igitur non est verum et proprie dictum Sacramentum. — **Distinguo minorem**: tale pactum initur pro contrahendo Matrimonio, quatenus est Sacramentum, *nego:* quatenus est contractus civilis inter personas, quæ conveniunt invicem, et paciscuntur ad subeunda mutuo onera Matrimonii, *concedo.* Unde licet pecunia non possit dari vel accipi pro Matrimonio, quatenus est præcise Sacramentum, potest tamen pro contractu civili, ut videlicet conjuges oriunda ex Matrimonio onera facilius sustinere possint.

Objiciunt 3. Sacramenta novæ Legis maxime producunt gratiam, dum perficiuntur et consummantur: sed ita non est de Matrimonio. *Probatur:* copula carnalis est pars ac consummatio Matrimonii: sed absurdum est asserere, quod gratia conferatur per illam copulam: *tum* quia vix, ac fere nusquam ea potest exerceri sine peccato, saltem *veniali: tum* etiam, quia, ut dicitur cap. *Connubia,* 32. q. 1. qui de-

sumptus est ex Origene, Hom. 6. in Numeros, *Non datur præsentia sancti Spiritus ei, qui officio generationis obsequitur:* igitur Matrimonium non est Sacramentum proprie dictum. — **Nego minorem:** licet enim Matrimonium habeatur ratum et consummatum per copulam carnalem, tamen hæc non est ejus pars essentialis, ita quod sine ipsa verum Matrimonium tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti subsistere non possit: perficitur enim essentialiter mutuo conjugum consensu debite facto et expresso, ut significat S. Ambrosius, lib. *De Institutione Virginis*, cap. 6. his verbis: *Defloratio virginitatis non facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Et S. August., lib. 33. *Contra Faustum*, cap. 8. ait, inter B. Virginem et S. Joseph verum fuisse conjugium, *non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum.* Et lib. 2. *De consensu Evangelistarum*, cap. 1. dicit: *Hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata consensu continentia, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Idem docet S. Chrysostomus, seu Auctor imperfecti operis in Matth. et habetur cap. *Omnis res: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Isidorus, lib. 9. *Etymolog.* cap. 7. ut habetur, cap. *Conjuges eodem: Conjuges*, inquit, *verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Et insuper S. August., *De Nuptiis et Concupiscentia*, lib. 1. cap. 11. *Conjux vocatur a prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat Joseph, nec fuerat cogniturus, nec pejerat* (alias pejeraret) *nec mendax manserat conjugis appellatio*, etc. Dicit præterea, fidele conjugium fuisse inter parentes Christi, mente, et non carne, idest, consensu, et non copula. Et in hoc Matrimonio ipsorum assignat tria bona Matrimonii, prolem, fidem, Sacramentum, de quibus agemus infra, nempe hoc Matrimonium altiori modo, et ordinatiore attigisse finem Matrimonii, quamvis fuerit tantum ratum: *Omne*, inquit, *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato*, etc. Hæc eadem doctrina est Pontificum de Sponsalibus et Matrimonio, Matrimonium per solum consensum verbis expressum contrahi, c. *Cum locum*, c. *Cum apud Sedem Apostolicam*, c. *Tuæ fraternitati*, c. *Tua nos duxit*, etc. Igitur, ex eorum SS. Patrum sententia, gratia in Matrimonio non confertur regulariter in ipso actu conjugali, sed in connubio et mutuo conjugum consensu, qui actum conjugalem, ut causa effectum, præcedit.

Urgebis: Eatenus Matrimonium habet rationem Sacramenti, quatenus significat unionem inter Christum et Ecclesiam: sed hæc significatio non fit, nisi per copulam carnalem, ut docet Innocent. III in c. *Debitum*, de bigamis non ordinandis, ubi ait: *Profecto conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus expo-*

nens illud: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, etc. statim subjungit: *Hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, et in Ecclesia.* Censet igitur Sacramentum, quod consistit in significatione conjugii Christi cum Ecclesia, sine copula non constare; Matrimonium enim dumtaxat ratum denotat conjunctionem per charitatem, quæ fit inter Deum et animam, de qua Apostolus 1. ad Cor. 6. ait: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo;* hæc autem unio fuisset inter Deum et Ecclesiam, seu animam justam, etiamsi Christus non venisset: igitur ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, necesse est, quod in Matrimonio interveniat copula carnalis, ac subinde Matrimonium sine ipsa non potest habere veram et completam rationem Sacramenti. — **Distinguo majorem:** habet completam rationem Sacramenti ratione hujus significationis, *nego:* incompletam, *concedo.* Matrimonium equidem dicitur magnum Sacramentum ab Apostolo, eo quod ratione conjunctionis conjugalis significet conjunctionem Christi cum Ecclesia. Verum hæc significatio dumtaxat est mystica, nec si sola sumatur, habet rationem perfectam Sacramenti; Sacramentum enim debet esse signum rei sacræ sanctificantis nos, hoc est, gratiæ sanctificantis suscipientes tale signum; ac proinde Matrimonium non habet completam rationem Sacramenti, quatenus dumtaxat significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; sed præcise hanc dignitatem obtinet, prout ratione gratiæ sanctificantis, qua invicem conjunguntur conjugum animi, repræsentat illam unionem Christi cum Ecclesia per charitatem et gratiam sanctificantem, quam ei infundit; Apostolus enim, ut diximus, ibi loquitur de conjunctione Christi cum Ecclesia, quæ fit per charitatem, et gratiam, quam Matrimonium repræsentat. Nam, ut ait Seraphicus Doctor, dist. 26. art. 2. q. 3. « In Matrimonio considerantur hæc tria, scilicet signum, officium, « remedium. Quantum ad significationem, dicendum, quod duplex est, « ejus significatio: significat enim conjunctionem Christi et Ecclesiæ « per charitatem, et conjunctionem eorumdem per naturæ conformi- « tatem. Similiter duplex est officium: unum enim est mutuæ educa- « tionis, et fomenti: et aliud procreandæ prolis. Similiter duplex est « remedium: unum est quantum ad concupiscentiæ defluxionem, ut « scilicet non ad omnem mulierem intendat; aliud quantum ad inor- « dinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine « matrimoniali effectu mulierem cognoscat. *Primum* igitur signatum, et primum officium, et primum remedium sunt in Sacramento Matrimonii, quantum ad conjunctionem animorum; *secundum* est solum quantum ad conjunctionem corporum. Et *primum* est de substantia Matrimonii quantum ad esse necessarium; *secundum*, quantum ad « esse plenum ». Nec officit, quod Gratian. 27. q. 2. Can. *Non est dubium*, et Can. *Cum societas*, affirmet copulam carnalem esse partem Sacramenti, neque sine ea Matrimonium Sacramentum esse. Nam Gratianus hac in re rejicitur ab omnibus Theologis Scholasticis: quippe cum falso Canones illos attexuerit; unde Magister sententiar. quem etiam pro hac sententia laudat Calvinus, n. 26. cum retulisset illos duos præfatos Canones, quorum primus fingitur depromi ex verbis S. August. alias vero ex verbis S. Leonis Papæ, ad insinuandum, quod *non sit perfectum* conjugium sine commixtione sexuum, statim subdit;

« Hoc si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in « errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non esse contractum « Matrimonium, et inter Mariam et Joseph non fuisse conjugium, « vel non fuisse perfectum; quod nefas est sentire. Tanto enim san- « ctius fuit, atque perfectius, quanto a carnali opere immunius. Sed « superius posita, ea ratione dicta intelligenda, non quia pertineat « mulier illa ad Matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum: « sed non pertineat ad Matrimonium, quod expressam, et plenam tenet « figuram conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Figurat enim illam unio- « nem Christi et Ecclesiæ, quæ est in charitate; sed non illam, quæ « est in naturæ conformitate. Est ergo et in illo Matrimonio typus « conjunctionis Christi et Ecclesiæ; sed illius tantum, qua Ecclesia « Christi charitate unitur: non illius, qua per susceptionem carnis capiti « membra uniuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est conjugium; « quia, ut ait S. August. in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, « quam fœcunditas ventris. Est etiam conjugium signum spiritualis « conjunctionis, et dilectionis animorum, qua inter se conjuges uniri « debent. Unde Apostolus ait: *Viri diligite uxores vestras, ut corpora « vestra* ». — Nec denique officit Glossa in c. *Honorantur*, 32. q. 2. cui consonat altera Glossa in c. *Quidquid*, 1. q. 1. dicens: « Ideo in Sa- « cramento Matrimonii potius quam in aliis Sacramentis intervenire « posse pecuniam, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spi- « ritus Sancti sicut in aliis ». Hæc, inquam, Glossa non obstat; quippe ut erronea rejicitur ab omnibus Theologis, necnon et a peri- tioribus jurisperitis, utpote quæ conficta ab aliquo Canonista rerum Theologicarum et fidei prorsus ignaro.

Objiciunt 4. Si Matrimonium esset Sacramentum, sequeretur, quod esset pariter quid melius, et excellentius virginitate, utpote cum illud gratiam produceret ex opere operato, hæc vero non: sed hoc aperte repugnat Apostolo dicenti 1. ad Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit.* Igitur Matrimonium non est Sacramentum. — **Respondeo** *primo*, negari posse *majorem;* siquidem nihil quidquam conducit ad rationem Sacramenti, quod una res sit altera præstantior; nam ratio Sacramenti non petitur ex rei nobilitate, sed ex divina institutione; unde licet Martyrium v. g. sit nobilius et excellentius Pœnitentia, non tamen ha- bet rationem Sacramenti proprie dicti. *Respondeo secundo, distinguendo majorem:* Matrimonium erit quid melius et præstantius virginitate, quatenus est præcise Sacramentum, *concedo:* quatenus est dumtaxat status conjugalis, et comparatur cum statu virginali, *nego.* Status enim virginalis longe præstantior est conjugali, ut diserte probat S. August., toto lib. *De Virginitate*, maxime cap. 30. circa finem, his verbis: *Et certa ratione, et sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis conti- nentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* Idem egregie præstat S. Hiero- nymus, lib. 1. *Contra Jovinianum*, ubi docet unum ex ejus erroribus esse, quod asserat virginitatem non esse Matrimonio præferendam. Unde in cap. 13. Matthæi exponens parabolam Christi de fructu se- minis, cujus quidem aliud centesimum, illud sexagesimum, aliud vero trigesimum protulit, hæc habet verba: *Centesimum fructum vir-*

ginibus, sexagesimum viduis et continentibus, trigesimum casto Matrimonio deputamus.

Conclusio secunda. — MATRIMONIUM HABUIT TANTUM RATIONEM SACRAMENTI, EX INSTITUTIONE CHRISTI DOMINI ET IN LEGE EVANGELICA. Ita Doctor, dist. 26. n. 13. ubi cum dixisset Sacramentum Matrimonii esse septimum inter Ecclesiastica Sacramenta, et de Sacramentis Ecclesiæ non esse aliter sentiendum, quam sentit Ecclesia Romana, statim subdit: *Ideo dici potest, quod contractui Matrimoniali annexuit Deus Sacramentum proprie dictum, saltem pro Lege Evangelica; alioquin non esset Sacramentum novæ Legis: et tunc oportet dicere, quod institutum fuit a Christo, sicut universaliter dictum est supra de Sacramentis Ecclesiasticis.*

Idem pariter definitum est in Concilio Trid., Sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Et Sess. 24. Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Idem etiam definitum fuit in Concilio Florent. in decreto Eugenii pro unione Armenorum, ubi pariter definitur, septem esse novæ Legis Sacramenta a Christo Domino instituta, inter quæ Matrimonium commemorat, et de omnibus ait, per hoc differre a Sacramentis veteris Legis, quod nostra Sacramenta gratiam continent et conferunt. — *Deinde*, Baptismus est janua omnium Sacramentorum proprie dictorum; ac proinde nullus nisi, suscepto Baptismo, capax est suscipiendi Matrimonii, quatenus Sacramenti. *Denique*, non fuit institutum in statu innocentiæ; quia, inquit Doctor, n. 12. *omnia Sacramenta habent efficaciam a Passione Christi exhibita, vel prævisa; si autem status innocentiæ perseverasset, passio Christi nec fuisset exhibita, nec prævisa.*

Nec etiam apparet, quod in *statu naturæ lapsæ fuerit institutum*, seu *Legis naturæ;* nam ad summum tunc extabat remedium aliquod pro salute parvulorum, quo ab originali peccato mundari possent, ne penitus extra salutis statum remanerent; quod Sacramentum postea apud Abraham, ejusque posteros in circumcisione determinatum fuit; neque pro eo statu et tempore alia Sacramenta pro adultis instituta fuere, quibus gratia ex opere operato conferretur.

Nec tandem in statu Legis veteris scriptæ, et per Moysen traditæ, ulla habetur talis institutio de Matrimonio sub ratione Sacramenti; sed solum habebatur tamquam civilis contractus, sicut inter alias nationes. Unde nec ullo modo computatur inter Sacramenta, quæ in veteri Lege agnoscebantur, nec vim conferendi gratiam habebat ex opere operato, sed solum externam quamdam et legalem sanctitatem. Quare Matrimonium in veteri Lege scripta non solum non erat Sacramentum proprie dictum, et gratiam conferens ex opere operato, ut *erat Circumcisio*, sed nec etiam erat Sacramentum ad instar aliorum

Sacramentorum illius legis, conferendo nimirum aliquam externam et legalem sanctitatem.

Quando autem Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, controvertitur inter Auctores. Verum Subtilis Doctor, dist. 26. n. 13. ait, hoc Sacramentum fuisse institutum, Matth. 19. quando Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* « Et licet, *in-*« *quit Doctor,* ibi tantum approbaverit contractum institutum, Genes. 2. « et per consequens illud non instituit, instituit tamen Sacramentum. « Quod potest accipi ex illo verbo, quod addit, *Quod Deus conjunxit,* « *homo non separet,* ut non intelligatur ibi conjunxisse pro instituisse « præcise contractum Matrimonii; sed conjunxisse ex tunc gratiose « pèr institutionem Sacramenti concomitantis illum contractum conjun-« gentem. Forma autem est aliquod signum sensibile institutum a « Deo, ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam ».

Quæres 1. *Utrum Matrimonium legitime contractum, vel ex dispensatione, vel alia ratione inter fidelem et infidelem esset saltem Sacramentum ex parte fidelis?*

Negant plerique Recentiores, maxime Vazquez, et Sanch., disp. 8. Affirmat vero Sotus, dist. 26. qu. 2. art. 2. et videtur conformior menti Doctoris, ut observat Hiquæus in *Commentario,* ad dist. 26. num. 56. Et insuper duplici ratione probatur: *primo,* quia, inquit Hiquæus, fundamentum oppositæ sententiæ stat in opposito, quatenus putat Sacramentum Matrimonii esse unicum unitate indivisibilitatis, quod non esse verum, ibi probavimus. *Secundo,* consensus, ut procedit personaliter a quolibet conjuge, inducit obligationem contractus passivam, et activam ex parte ejus: ergo sic præcise perficit Sacramentum in ipso: sed nihil deest ex parte baptizati, quin fiat contractus ejus signum sensibile causans gratiam in ipso; quia est contractus legitimus, et matrimonialis, quo transfert potestatem sui corporis in alium, et vicissim acquirit potestatem alterius per mutuum consensum: ergo perficit ex parte sua Sacramentum, quia ipse sibi ministrat Sacramentum, et non alter, licet non posset ministrare sine consensu concurrente ex parte alterius, quia nequit poni contractus legitimus sine concursu utriusque. Sufficit ergo, ut sit baptizatus, et ponat contractum legitimum ex parte sua per verba expressum, et contra hoc nullum sequitur inconveniens, supponendo contractum esse, aut fieri legitimum. *Ita Hiquæus.*

Quæres 2. *An Matrimonium infidelium, quando baptizantur, fiat Sacramentum?*

Affirmativam partem tuentur S. Th. in 4. dist. 39. qu. 1. art. 1. Capreolus, art. 3. ad 5. Bellarminus, lib. 1. *De Matrimonio,* cap. 5. etc. Verum negativa sententia verior et conformior videtur doctrinæ Subtilis Doctoris; nam dist. 39. docet Matrimonium infidelium fieri ratum post Baptismum, eo quod impedimentum fidei per Baptismum tollatur, quod esset fortius ligans in ordine ad Deum, si alter conjux manens infidelis nollet habitare cum fideli baptizato; suscepto autem utrinque Baptismo tollitur hoc impedimentum. Eamdem sententiam tuentur Vazquez, disp. 2. *De Matrim.,* cap. 10. Coninck, disput. 24. dubio 2.

concl. 7. Et ratio est, quia Matrimonii Sacramentum est essentialiter contractus inter baptizatos initus: sed ita non contingit in præsenti; nam neque contractus illorum infidelium fuit initus inter baptizatos, neque etiam tales infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire; quia non possunt sibi mutuo corpora tradere. Nemo enim potest alteri tradere, quod suum non est: at neuter conjugum habet potestatem proprii corporis, ut docet Apost. 1. ad Cor. 7. igitur non possunt ea sibi mutuo tradere.

Dices 1: Fieri potest novus contractus; nam qui antea erat naturalis, profanus, et solubilis, fieri potest sacer, insolubilis, et repræsentans unionem Christi cum Ecclesia: igitur infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire. — **Nego consequentiam,** et ad *antecedens* respondet Coninck, num. 26. quod si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes Matrimonium conficere novum Matrimonium, et Sacramentum; quia quod prius poterat per dispensationem Pontificis, et ingressum Religionis solvi, et tantum repræsentabat unionem Christi cum Ecclesia, per gratiam, efficiunt insolubile, et repræsentans unionem Christi per Incarnationem, ut habetur cap. Debitum 5. *De Bigamis.* Illud tamen est absurdissimum. *Secundo,* petitur aperte principium, quia supponitur fieri contractum sacrum, cum tamen quæratur, an fiat contractus; quod nos negamus. Nec est verum, eum contractum immediate repræsentare unionem Christi cum Ecclesia; quia hoc per se non competit contractui, qui statim transit, sed vinculo Matrimonii permanenti; quæ aliqui confundentes in absurda incidunt. Conantur tamen aliqui probare conjuges posse dici inire novum contractum hoc ipso, quo reddunt priorem magis insolubilem, quia Trident., Sess. 24. cap. 1. dicit Christum in Lege nova instituisse Matrimonium, quod tamen ante fuit. Sed hoc nec verum est, quia tantum ibi dicitur Christum instituisse hoc Sacramentum, sive elevasse contractum Matrimonii ad esse Sacramenti, nec facit ad rem, quia Christus ibi innovavit aliquid circa ipsum contractum: conjuges autem per Baptismum non innovant contractum, sed statum Matrimonii. *Ita Coninck.*

Dices 2: Matrimonium infidelium, quod non fuit ratum ante Baptismum, fit ratum per Baptismum: igitur fieri potest Sacramentum. — **Respondeo,** idcirco infidelium Matrimonium fieri ratum per Baptismum, quia scilicet omnes baptizati tenentur ad servandam Legem Christianam, quæ prohibet Matrimonii dissolutionem ante mortem alterius conjugum; unde ex se non est simpliciter ratum, sed solum in ordine ad Legem Christianam, ad cujus observantiam Baptismus astringit.

QUÆSTIO TERTIA.

QUISNAM SIT MINISTER, QUÆVE MATERIA, ET FORMA HUJUS SACRAMENTI.

Cum ex Concilio Florent. Sacramenta novæ Legis tribus maxime perfici debeant, nempe materia, forma, et Ministro, operæ pretium est declarare, quis sit Minister Sacramenti Matrimonii, quæve illius materia, et forma; circa cujus resolutionem,

Notandum 1. Tot esse hac de re Canonistarum ac Theologorum

sententias, ut Aversa decem, Pontius septem, Sanchez sex, cæteri vero quinque numerent. *Primo* namque Catharinus in opusc. *De Matrimonio*, qu. 1. ait, materiam Matrimonii esse verba, et actus conjugum, quibus contrahunt; formam vero esse illa verba Gen. 2. et Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Unde infert Ministrum hujus Sacramenti esse Deum, quia ille verba illa protulit, et quamvis illa verba non repetantur in singulis Matrimoniis a Deo; tamen satis esse putat Catharinus, quod semel prolata a Deo maneant in Scriptura, quæ semper loquitur. Verum hæc sententia subsistere non potest: *tum* quia Deus est institutor Sacramenti, non autem Minister; et insuper cum Sacramentum sit signum sensibile, necessum est, quod Minister, et ejus ministerium sit quid sensibile: Deus autem non est sensibilis, ac subinde nec Minister. *Tum* quia forma et materia Sacramenti debent simul adhiberi. Porro verba Gen. 2. Matth. 19. non simul adhibentur, nec iterum proferuntur, dum invicem conjuges contrahunt. — *Secunda* sententia est Cani, lib. 8. *De Locis*, cap. 8. ubi ait, materiam esse actus contrahentium, formam vero esse verba illa Sacerdotis vel similia: *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* unde infert Matrimonia clandestina, quibus Sacerdos non assistebat, etiam ante Concilium Tridentinum non fuisse Sacramenta, sed solum contractus validos, licet ordinarie illicitos. Hanc sententiam sequuntur Sylvius in suis *Commentariis*, in 3. part. quæst. 42. et qu. 2. concl. 1. et 3. et alii; et ante illos eam sustinuerat Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Sacramentis*, cap. 9., *De Sacramento Matrimonii*, qu. 1. et Theologi Concilii Coloniensis, cap. 12. et 22. *De Matrimonio.* — *Tertia sententia* est Navarii, cap. 22. num. 20. ubi ait, consensum interiorem esse materiam, verba autem illum exprimentia esse formam. Probat Navarrus, quia in lege stipulationis, materia est consensus, verba sunt forma, ut patet ex lib. 1. in principio, et § 1. ff. *De Verborum Obligationibus:* ergo etiam in Matrimonio. Sed neutra sententia subsistere potest: *tum* quia tota materia Sacramenti non debet esse insensibilis: igitur ille consensus interior non potest esse materia. *Tum* quia forma debet determinare materiam, ac proinde magis debet esse determinata: at consensus interior non minus est determinatus, quam exterior: igitur, etc. — *Quarta sententia* docet verba ab uno prius prolata esse materiam, alterius vero verba esse formam. Ita Vega, lib. 6. *Summæ Casu*, 117. Victoria, num. 245. Candel. aureum 1. p. *De Matrimonio*, num. 17. et alii. Sed hoc gratis dicitur, et sequeretur, quando simul omnino utriusque consensus aliquo signo exprimitur, nullam esse certam formam, vel materiam. — *Quinta vero sententia* asserit, materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium, formam autem esse mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum. Quam sententiam aperte docet Paludanus, in 4. dist. 26. qu. 4. ad 2. et conformior videtur doctrinæ Subtilis Doctoris; nam in eadem dist. circa finem quæstionis significat materiam Matrimonii esse ipsos contrahentes; num. autem 14. ait verba contrahentium, aut signa expressiva consensus habere rationem formæ unius, unitate quidem integritatis, non autem indivisibilitatis; unde ibidem ait, Ministrum hujus Sacramenti ut plurimum esse contrahentes, imo et patres, quando contrahunt pro filiis, et fi-

liabus eis præsentibus, sed non exprimentibus signa propria. Unde concludit: *Si ergo ibi est Sacramentum*, inquit, *oportet dicere, quod Minister hujus Sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse Minister in contractu Matrimonii.*

NOTANDUM 2. Omne contractum essentialiter constare alicujus rei obligatione ex una parte, et acceptione ex altera; quia non possum alteri obligari, nisi ipse acquirat jus in me: ille autem jus acquirere non potest, nisi volens, quod utique fit per acceptationem ab ipso, vel alio ejus nomine factam. *Insuper*, omnis contractus onerosus habere debet duplicem obligationem, et acceptationem, nam in emptione v. g. ab una parte offertur res emenda, ab altera vero pretium, et utrumque ab utraque parte acceptatur. Porro idem contingit in Matrimonio; nam in eo vir tradit corpus suum in potestatem mulieris, mulier vero suum in dominium viri, et uterque alterius oblationem acceptat. Itaque debet in utroque saltem virtualiter consensus reperiri, unus, qui habeat rationem traditionis, et alter, qui habeat rationem acceptationis. Et signa externa, quibus contractus ille Matrimonialis initur, debent eum duplicem consensum exprimere.

NOTANDUM 3. Cum Coninck, disput. 24. dub. 4. n. 40. conjuges per contractum Matrimonialem necessario consentire in quinque: *primo*, in mutuam traditionem dominii proprii corporis ad usum conjugalem, quia in ea consistit ratio contractus Matrimonii: *secundo*, in Matrimonii vinculum ex natura sua perpetuum, donec alter moriatur: *tertio*, in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum debite exigitur: *item* in obligationem, quamdiu Matrimonium durabit, numquam aliam a conjuge cognoscendi, et non impediendi generationem: *quinto*, prolem, si nascatur, christiane educandi; quia ejusmodi obligatio necessario cum essentia Matrimonii conjuncta est. Non est tamen necessarium, ut absolute consentiant in perpetuitatem vinculi (quia talis perpetuitas non est de essentia Matrimonii, nec ei necessario annexa), sed solum sub conditione, nisi alteruter ante consummationem in Religione profiteatur, quia hac ratione in utriusque potestate est, et vinculi perpetuitatem, et consequentem omnem obligationem elidere.

His ita præmissis, determinandum restat, quæ sint materia, et forma, quisve Minister Sacramenti Matrimonii.

Conclusio prima. — PROBABILIUS EST, MATERIAM REMOTAM SACRAMENTI MATRIMONII ESSE CORPORA CONTRAHENTIUM, FORMAM AUTEM ESSE VERBA EORUMDEM, VEL NUTUS, ET SIGNA ÆQUIVALENTIA, AC SUFFICIENTER CONSENSUM EXPRIMENTIA. Ita Subtilis Doctor, locis supra laudatis, necnon et Seraphicus, dist. 26. part. 2. q. 1. necnon et Angelicus, dist. 42. q. 3. art. 2.

Probatur autem primo: quia nihil assignari potest convenientius, saltem pro materia, quam corpora contrahentium, ut patet ex refutatione aliarum sententiarum. *Secundo*, quia in omnibus contractibus, id habet rationem materiæ, quod donatur, seu cujus dominium transfertur in alterum; formæ vero quod significat acceptionem rei traditæ per contractum: sed Matrimonium est contractus proprie dictus, et res, quæ donatur in illo, sunt corpora contrahentium, quæ con-

trahentes per talem contractum sibi invicem tradunt: igitur materia remota sunt corpora contrahentium; acceptatio vero ab utroque contrahente facta verbis, aut nutibus, consensum internum exprimentibus, censenda est forma hujus Sacramenti. *Denique*, illud habet rationem materiæ, quod est magis sensibile et physicum, magisque determinabile: sed corpora conjugum sunt magis sensibilia, eorumque traditio in usum et finem matrimonialem, magis est determinabilis per verba, et signa hanc mutuam traditionem, et acceptationem significantia: igitur illa habent rationem materiæ et formæ.

Licet autem aliqui Theologi censeant, hoc esse peculiare in Matrimonio, quod ejus materia remota, et proxima non sit diversa; nihilominus verius dicendum arbitror corpora contrahentium se habere tamquam materiam remotam hujus Sacramenti; traditionem vero mutuam hujusmodi corporum, seu potestatis, et dominii in illa, esse materiam proximam; nam in contractibus materia proxima est traditio rei, circa quam contractus versatur: at Matrimonium est essentialiter contractus, et res, quæ per ipsum traditur, sunt corpora: igitur hujusmodi corporum traditio est materia proxima Matrimonii.

« Quantum autem ad formam dicit Doctor, dist. 62. n. 14, quod « forma est aliquod signum sensibile institutum a Deo, ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam. Sed hic est dubium: vel « enim Deus instituit indeterminatum signum, ut sit signum efficax « gratiæ, sicut indeterminatum signum requisitum ad contractum: vel « magis determinavit illud, quod debet esse efficax gratiæ, quam ex « impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum: « et si sic, vel determinavit aliqua verba præcise, puta *accipio te in « meam*, vel *in meum*; vel determinavit indifferenter quæcumque « verba exprimentia talem consensum. Et inter illa multum interest, « quia si determinavit strictissime illud, scilicet quod forma hujus « Sacramenti, consistit in his verbis præcisis, sequitur quod multoties « est contractus Matrimonii sine Sacramento, etiam in Lege Evange- « lica, quia multoties contrahitur per alia verba, quam per ista. Si « etiam determinavit verba, sed indifferenter consensum istum expri- « mentia, quæcumque sint ista, adhuc tamen, cum contrahatur quan- « doque inter mutos sine verbis, sequitur quod alicubi est contractus « iste sine Sacramento. Nec istud est absurdum, quia possibile est, « quod usque ad Legem Evangelicam frequenter contrahebatur, ubi « tamen numquam fuit Sacramentum, ut hic loquimur, scilicet pro- « prie. Si autem non determinavit, quod sit Sacramentum gratiæ magis, « quam ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad con- « tractum, tunc potest dici, quod in quocumque contractu in Lege « Evangelica comitatur Sacramentum; quia illud signum, quod requi- « ritur ad contractum, est ex institutione divina Sacramentum ». *Ita Doctor*. Quibus verbis inquirit, utrum Christus determinaverit aliquam formam, seu verba quædam necessaria ad confectionem Matrimonii sub ratione Sacramenti, quamvis non essent necessaria ad legitimum contractum humanum; et tria respondet: *primo*, quod si Christus determinasset quædam verba præcise requisita ad confectionem Matrimonii, plerumque contingeret inter fideles celebrari Matrimonium, absque eo quod esset Sacramentum, quia sæpe contractus Matrimo-

nialis fit sub differente forma verborum: *Secundo,* si Christus determinaverit verba, sed indifferenter exprimentia contractum, sequitur, quod inter mutos fiat contractus sine Sacramento, quod utique, inquit, absurdum videri non debet; contractus enim Matrimonialis separari potest a ratione Sacramenti, quia usque ad Legem Evangelicam ita fuit separatum, et etiam nunc apud infideles est contractus sine Sacramento, imo etiam probabile est, quod inter fideles contractus aliquando separetur a ratione Sacramenti, puta quando conjuges absentes contrahunt per procuratores; talis enim contractus est legitimus; attamen eum non habere vim, et rationem Sacramenti, docent Durandus, dist. 26. q. 3. Cajetanus, Tom. 1. opusculorum, Tract. 12. q. 2. Victoria in *Summa* de Matrimonio, et plures alii. Merito itaque Doctor negat Matrimonium contractum inter mutos habere rationem Sacramenti, si verba proprie dicta, ut distinguuntur a signis et nutibus, requirantur ad Matrimonium, ut sit Sacramentum; circa quod nihil resolvit Doctor. Unde respondet *tertio,* quod si Christus non determinavit aliud pro forma Sacramenti Matrimonii, quam id omne, quod habet rationem formæ respectu cujuscumque contractus Matrimonialis ex institutione humana, non solum verba, sed etiam nutus et signa quæcumque declarantia voluntariam traditionem et acceptationem corporum, sufficient ad rationem formæ Sacramenti Matrimonii. Quæ utique responsio conformior est menti Doctoris, nam immediate præmiserat, quod Deus nihil immutaverit circa contractum Matrimonii, sed tantum quod ei adjunxerit dignitatem et efficacitatem Sacramenti.

Sunt tamen aliqui Theologi, qui cum Melchiore Cano contendant, post Concilium Trid. formam Sacramenti Matrimonii esse hæc verba, quæ Sacerdos profert: *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* quippe illi Auctores existimant Ministrum Sacramenti Matrimonii esse ipsum Sacerdotem. Sed hanc difficultatem declarabit

Conclusio secunda. — Probabilius est, Ministrum Sacramenti Matrimonii non esse ipsum Sacerdotem conjuges benedicentem, sed ipsosmet contrahentes. Ita Subtilis Doctor, locis superius expressis, et S. Thomas, dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Quos sequuntur celebriores Theologi moderni, non solum eiusque Scholæ discipuli, sed etiam Bellarminus, lib. 1. *De Matrimonio,* cap. 6. Suarez, disp. 16. sect. 1. et plures alii, quos sequitur citat Sanchez, lib. 2. disp. 6. Colligitur autem hujus Conclusionis veritas ex decreto Eugenii, ubi ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Sed hoc esset falsum, si ad ipsius Sacramenti validitatem necessarius esset alius Minister distinctus a contrahentibus; maxime cum ex doctrina ejusdem Concilii in eodem Decreto tria dumtaxat requirantur ad conlectionem Sacramenti.

Idem etiam colligitur ex Concilio Trid., nam Sess. 24. cap. 1. *De reformatione,* affirmat, *Matrimonia clandestina, quæ olim fiebant absente*

Sacerdote, sine ullis ejus verbis fuisse valida, quamdiu Ecclesia ipsa non irritavit: sed talia Matrimonia non potuissent esse valida, si revera Sacerdos fuisset Minister hujus Sacramenti, et ejus verba habuissent rationem formæ; unde etiam Can. 11. Sacerdotalem benedictionem recenset inter cæremonias ab Ecclesia in celebratione Sacramenti Matrimonii adhiberi solitas.

Nec obstat, quod idem Concilium ibidem dixerit: *Ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris,* etc. *Vel aliis verbis utatur, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Quibus significari videtur, quod Sacerdos vere conjungat conjuges: at non eos conjungit in ratione contractus: igitur in ratione Sacramenti.

Hoc, inquam, non obstat: *tum* quia Concilium non dicit verba illa, *Ego vos conjungo,* esse absolute a Sacerdote proferenda; imo suadet, ut aliis utatur verbis, si alius fuerit usus ejus Provinciæ: *tum* quia verba illa, *Ego vos in Matrimonium conjungo,* non alium sensum præseferunt, quam istum, *Ego approbo et benedico conjunctionem vestram maritalem in facie Ecclesiæ.*

Nec pariter obstat, quod Sacramenti Minister debeat esse persona sacra. *Primo* namque universim loquendo, hoc falsum est; siquidem Baptismum a laicis, imo etiam ab infidelibus valide ministrari potest. — *Deinde* in Matrimonio est specialis quædam ratio, cur ab aliis non debeat ministrari, quam ab ipsis contrahentibus; quia nimirum Sacramentum Matrimonii est essentialiter quidam contractus a Christo Domino elevatus ad dignitatem Sacramenti: Ministri autem alii non sunt, quam ipsi contrahentes.

Verum etsi hæc probabilia sint, nihilominus non est improbanda contraria sententia, quam tuetur Canus, lib. 8. *De locis Theologicis.* In quam partem inclinat etiam Estius, §. 10. et Sylvius, quæst. 42. de supplemento S. Thomæ, qui suam sententiam variis momentis confirmant. — *Primo,* quia omnium aliorum Sacramentorum Minister, saltem extra casum necessitatis, necessario est Ecclesiasticus: ergo etiam Matrimonii. — *Insuper,* quia Florent. docet omnia Sacramenta perfici rebus tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona Ministri conferentis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Unde sequitur, ad Sacramentum necessario requiri primo, ut Ecclesia per Ministrum conferat Sacramentum, et consequenter ut ipse id faciat tamquam Minister Ecclesiæ.

Secundo, Ministrum hujus Sacramenti non posse esse laicum, quia hic non est Minister Ecclesiæ. *Tertio,* ut utatur verbis proprie dictis pro forma, et consequenter contrahentes Matrimonium non esse hujus Ministros, quia non necessario utuntur verbis proprie dictis.

Tertio, quia in aliis Sacramentis nequit esse idem conferens, et suscipiens: ergo nec in hoc.

Quarto, alia Sacramenta pro forma necessario habent verba proprie dicta: ergo, et hoc.

Quinto, contrahentes præsertim clam, ut fiebat ante Tridentinum, nesciunt se esse Ministros Ecclesiæ, aut debere habere intentionem

faciendi quod facit Ecclesia, aut suscipiendi Sacramentum: ergo hæc non intendunt, et consequenter nec conficiunt Sacramentum.

Sexto, 1. ad Cor. 14. non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: ergo minus permittitur conferre Sacramentum.

Septimo, olim clam contrahentes non putabant se esse sacrilegos, si in peccato mortali contraherent: ego non susciplebant Sacramentum.

Octavo, Concilium Mechliniense, et quædam alia, juxta decretum Tridentini, Sess. 24. c. 1. *De reformatione Matrimonii*, jubent Parochum, postquam sponsi mutuum consensum coram eo expresserunt dicere: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris*, etc. Ergo Parochus conjungit eos in Matrimonio, quatenus est Sacramentum, alias ea verba essent falsa.

Nono, quia Synodi Cameracensis et Coloniensis, c. 40. et in suo enchiridio, vocant Sacerdotes benedicentes nuptias, Ministros hujus Sacramenti.

Decimo, Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, in præfatione, ait: *Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere præscribuntur: cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema-Unctio, Matrimonium.* Ergo censet Parochum esse Ministrum Sacramenti Matrimonii.

Undecimo, quia ante Tridentinum sponsi quandoque consensum suum exprimebant per copulam, et per eam contrahebant, et consequenter hæc tunc fuisset pars Sacramenti: atqui hoc est absurdum, cum illa tunc sicut alia clandestina Matrimonia fuerint prohibita, et grave peccatum, etc.

Duodecimo, quia in fine Concilii Constantiensis Martinus V. jubet suspectos de hæresi interrogari, an credant, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. Item Alexander III, cap. Cum Ecclesia de simonia, ait horribile esse quod pro sepulturis, et exequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Ergo censent benedictionem nuptiarum esse Sacramentum.

Decimotertio, quia ea videtur sententia antiquorum Patrum; nam Evaristus Papa, Ep. 1. docet, conjugia inita sine benedictione Sacerdotis, non esse conjugia, sed adulteria: ergo sentit illam esse de essentia Matrimonii.

Item Tertullianus, lib. 2. *Ad uxorem*, in fine, docet illud Matrimonium esse Ecclesiæ Sacramentum, quod Ecclesia conciliat, scilicet per suum Ministrum. Sanctus Ambr., Epist. 70. docet conjugium debere sanctificari benedictione Sacerdotis. Innocentius, Epistola 9. ad Probum, dicit Matrimonium fundari in divina gratia, quando celebratur. Celebrari autem non dicitur, nisi quando solemniter more Ecclesiæ contrahitur.

Idem Concilium Carthaginense quartum docet, sponsos a Sacerdote benedicendos, et pro benedictionis reverentia debere prima nocte in virginitate permanere. Quod nequit intelligi de benedictione accidentali, quia illa benedictio jubetur omnibus nuptiis conferri, hæc autem

solum primis confertur, et cum sit tantum Sacramentale, non exigit tantam reverentiam.

Fateor tamen, plurima ex his momentis facili negotio posse dissolvi ex jam dictis. Quantum autem ad Concilium Coloniense, constat illud potius oppositæ sententiæ favere; prædicto enim cap. 40. ait: *Quod Sacramentum, scilicet Matrimonii, si quis, sicut docet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confertur donum Spiritus*, etc. Quibus significat, per Sacerdotalem precationem non conferri susceptionem Sacramenti, sed illam huic accedere; quod utique falsum esset, si illa precatio esset forma Sacramenti Matrimonii, ideo autem dicunt per eam conferri donum Spiritus sancti, quod scilicet Deus soleat Sacerdotum preces exaudire. Unde hæc precatio nonnisi illicite posset omitti. Similiter *Enchiridion* Concilii nomine vulgatum, in tractatu *De Matrimonio, Verbum* (idest forma) *itaque hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum*, (idest ad materiam) *fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas, et fœmina* (*cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque*) *non quovis modo* idest, non solum contractu civili, sicut Gentiles *sed in Dei nomine*, (sive Sacramento a Deo instituto) *conjunguntur, et copulantur*. Deinde addit, referre qua lingua conjuges ea verba proferant. Ubi clare et expresse dicitur, verba, quibus conjuges sibi mutuo dant et accipiunt fidem conjugalem, esse verbum, quo accedente ad elementum, fit Sacramentum, sive esse formam, ex qua simul cum materia componitur Sacramentum.

Nec obstat, quod idem Auctor *Enchiridii*, §. penult. dicat Sacerdotem Matrimonio assistentem esse hujus Sacramenti Ministrum; ibi enim non intelligit Sacramenti Ministrum proprie dictum; siquidem ibi dicit, Sacerdotem eodem modo esse nunc Ministrum Matrimonii, sicut Raguel olim erat Minister Matrimonii Tobiæ et Saræ, eosque conjungebat; quod utique proprie non potest intelligi; cum enim inter Tobiam et Saram solus fuerit contractus civilis, alii non fuerunt illius Ministri, quam contrahentes.

Ad Concilium Carthaginense respondeo, illud aperte loqui de benedictione solemni, et Matrimonio necessaria; loquitur enim de benedictione, ad quam sponsi a paranymphis deducuntur; quod utique solemnitati Matrimonii convenit.

Ad Evaristum Papam dico, ipsum loqui de valore Matrimonii in foro externo; nam *ibidem*, præter Sacerdotalem benedictionem, multa alia ad ejus valorem desiderat, puta, quod mulier ducatur a paranymphis, quod dotetur; additque, quod Matrimonia aliter contracta sint potius fornicationes, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima. Quam volueris sententiam elige.

PETES 1. *Utrum Matrimonium inter absentes per procuratorem, vel per litteras contractum, sit legitimum et validum?*

Respondeo primo, validum et legitimum esse sub ratione contractus civilis, ut communiter docent Theologi; cum enim procuratores locum teneant personarum principalium, habeantque plenam potestatem contrahendi, idcirco quidquid ipsi faciunt, idipsum facere censentur ipsæ principales personæ contrahentes, quarum procuratores

illi sunt humanum et morale instrumentum; unde sicut ex mutuo utriusque conjugis consensu resultat perfectus Matrimonii contractus, ita pariter resultat ex mutuo consensu utriusque procuratoris. Quare in cap. *finali* De *procuratoribus* in 6. et Lege *sufficit*, ac Lege *finali*, ff. de sponsalibus, definitur, inter absentes æque ac inter præsentes, Matrimonium contrahi posse. Neque hoc jus est correctum per decretum Tridentini, clandestina Matrimonia irritantis; tale enim decretum irritat solum Matrimonia, quæ sine testibus et Parocho contrahuntur: Matrimonium vero inter absentes, per procuratorem initum, contrahitur coram Parocho et testibus, ut supponimus: igitur vi talis Decreti non irritatur, sed valet in ratione contractus naturalis et civilis, sicut alii humani contractus, qui fieri possunt inter absentes, per procuratores, qui idipsum facere censentur, quod principales contrahentes per se facerent.

Ut autem Matrimonium per procuratores initum legitimum sit ac validum in ratione contractus, quinque servari debent conditiones, quarum defectu irritum foret et nullum: *primo* namque requiritur, quod procurator habeat a suo principali mandatum speciale ad contrahendum Matrimonium cum certa persona, et non excedat suum mandatum. *Secundo*, quod mandatum illud exequatur per se, et non per substitutum, nisi specialis ad substituendum ei facultas concessa fuerit a principali. *Tertio*, quod eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacite, alias enim nullum foret Matrimonium, licet procurator ipse nihil de revocatione audisset; quia quacumque revocatione cessat consensus, et sine consensu nullum est Matrimonium. *Quarto*, ut determinetur specifice in mandato et commissione, cum qua persona sit contrahendum; quia non sufficit clausula contrahendi cum quacumque, ut lege *generali* ff. de ritu Nuptiarum patet. *Quinto*, post publicationem Concilii Tridentini requiritur, quod procuratores personarum principalium, contractum ineant coram Parocho et duobus testibus.

Observandum autem est, ad debite exequendum illud munus procuratoris, *primo*, nihil referre, qualis conditionis sit procurator, vir, an mulier, juvenis, an senex. *Secundo*, absolute non requiri, ut mandatum scripto detur, modo sufficienter alia via probari possit, v. g. per testes fide dignissimos; sic enim Matrimonium dici non poterit clandestinum. Quod quamvis absolute loquendo verum sit, consultius tamen est, ut mandatum scripto detur. *Tertio*, necesse non esse ut mandatum fiat proprio Parocho præsente, quia ut Concilio Trid. satisfiat in locis in quibus promulgatum est, sufficit, quod Matrimonii contractus fiat coram Parocho et duobus testibus.

Respondeo secundo, etiam validum ac legitimum esse in ratione Sacramenti, ut communiter docent Theologi: *tum* quia in Matrimonio sic celebrato concurrunt omnia ad substantiam Sacramenti servandam necessaria, scilicet, materia, forma, et intentio contrahentium; datur enim materia, nempe contrahentium corpora; datur legitima forma, utriusque nempe consensus sufficienter expressus per verba, vel signa mandantis, quatenus per Procuratorem innotescunt, vel per epistolam, aut internuntium intentionem etiam contrahentium adesse supponimus: *ergo nihil* deest ad substantiam Sacramenti necessarium. *Tum* quia

quotiescumque in Matrimonio salvatur ratio veri et legitimi contractus, salvatur etiam ratio Sacramenti; quia, ut sæpe dictum est, Christus in nullo prorsus naturam Matrimonii immutavit, sed illam ad rationem Sacramenti evexit: atqui in Matrimonio contracto inter absentes fideles, ac baptizatos, salvatur ratio contractus naturalis, et civilis; nam ad hoc exigitur, quod contrahentes per verba, vel signa æquivalentia consensum interiorem mutuum exprimant, quod sufficienter fieri potest per litteras, aut nuntium, vel procuratorem in absentia; et præterea servari etiam possunt omnes conditiones postea a Tridentino statutæ et præscriptæ, exprimendo nimirum prædictum consensum coram Parocho et duobus testibus, interveniente etiam ipso procuratore, vel nuntio: ergo nihil omnino deest, quin sit verum Sacramentum. *Tum* quia ante Concilium Tridentinum Matrimonium per procuratores celebratum erat verum Sacramentum, nam Florentinum absolute et absque ulla restrictione omne Matrimonium inter fideles et baptizatos contractum in Lege gratiæ, esse unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis definivit: ergo nunc etiam sic contractum veram habet rationem sacramenti. *Consequentia patet,* quia Tridentinum nihil immutavit in Matrimonio, nisi ut celebraretur coram Parocho et duobus testibus, ad removendos abusus; ac proinde si servetur prædicta conditio, quæ etiam in absentia contrahentium servari potest modo jam explicato, veram rationem Sacramenti habebit.

Et certe si Matrimonium inter absentes celebratum non esset vere Sacramentum, utique vetitum fuisset a Tridentino inter fideles, cum dedeceat fideles vinculo Matrimonii conjungi sine Sacramento, vel saltem præcepisset, iis, qui eo modo contraherent, ut postea præsentes iterum contraherent, ut eorum contractus fieret Sacramentum: quod tamen præceptum nullibi extat, et praxis Ecclesiæ est in contrarium. Ecclesia autem non permitteret Matrimonium per procuratores interdum iniri, si non censeret illud esse Sacramentum; hoc enim vergeret in præjudicium ipsorum conjugum, qui sic fraudarentur gratia, quam in Matrimonio per seipsos immediate celebrato susciperent.

Dices 1: Cætera Sacramenta non possunt conferri absenti: igitur nec Matrimonium. *Patet consequentia;* par enim debet esse conditio et ratio ipsius, ac aliorum, ideo enim non potest Baptismus conferri absenti, quia verba, *Baptizo te,* diriguntur ad personam præsentem: atqui verba conjugum, quibus consensum suum exprimunt, puta, *Accipio te in meum,* vel *meam,* etiam diriguntur ad personam præsentem: igitur est utrobique paritas. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod Matrimonium sit essentialiter contractus, qui sicut iniri potest inter præsentes et absentes, inde fit, quod etiam inter absentes habere possit rationem Sacramenti. *Adde quod* cætera Sacramenta requirant verba proprie dicta, et ore prolata ex parte formæ; secus autem est de Matrimonio, quod licet ordinarie verbis perficiatur, potest tamen aliis signis consensum exprimentibus celebrari. Unde cætera requirunt subjectum præsens, ad quod verba ore prolata dirigantur; Matrimonium vero non ita, quippe cum consensus ad contractum necessarius aliis modis, quam verbis, nempe vel litteris, vel nutibus, vel per procuratorem possit innotescere.

Dices 2: Si Matrimonium per procuratores initum esset Sacra-

mentum proprie dictum, sequeretur, quod si vir et fœmina, pro quibus contrahitur, eo tempore dormiant quo contrahitur, dormiendo recipient gratiam, si sint in statu gratiæ habitualis, vel peccabunt mortaliter peccato sacrilegii, si sint in statu peccati mortalis, quia indigne Sacramentum recipiunt: sed hoc est absurdum: igitur, etc. — **Nego minorem**: non enim absurdum est, quod quis dormiens recipiens Sacramentum recipiat etiam gratiam, ut patet de Baptismo et Pœnitentia in iis, qui antea petierunt, et post obmutuerunt, nam eis danda sunt hæc Sacramenta ex 26. q. 6. cap. *qui recedant, et capite his, qui,* etc. *Agnovimus.* Obligantur tamen conjuges sub mortali procurare ut sint in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter judicant celebrandum esse contractum, et peccant mortaliter, si non sint in gratia. *Nec est* pariter inconveniens, dormientem peccare mortaliter, ratione consensus liberi in vigilia habiti; nam ebrius peccat hominem occidendo in ebrietate, ratione liberæ voluntatis, qua se voluit inebriare, non obstante periculo homicidii præviso, juxta communem doctrinam Theologorum.

PETES 2. *Quis, et qualis consensus requiratur ad legitimum Matrimonium?*

Respondet Doctor, requiri omnino consensum liberum, ita quod si coactus sit, omnino reddat Matrimonium invalidum: quod pariter docent omnes Theologi et Canonistæ, ut patet ex capite *Cum locum* et ex capite *Venias*, etc. Extra de sponsalibus; idque probat Doctor, dist. 29. triplici ratione petita ex parte causæ formalis, quia ille contractus est donatio, ac proinde debet esse libera. *Secundo*, ex parte causæ efficientis, nempe Dei, qui voluit talem consensum esse liberum. *Tertio*, ex parte finis, quia hoc est necessarium ad debitam educationem prolis. « *Primum patet, inquit Doctor*, quia iste contractus est « datio, et licet non liberalis, quia dat ut detur sibi æquale; est « tamen libera datio, quia contra rationis dationem est, quod non sit « libera. *Secundo*, a causa efficiente, quia Deus talem instituit istam « translationem summe liberam; unde non est istud ab Ecclesia determinatum, sed tantum expressum. *Patet enim*, quod etiam in Lege « naturæ erat istud requisitum in contractu Matrimonii, Genes. 3. « *Adhærebit uxori suæ:* sed non adhæret quis illi, quod invite tenet. « Et Gen. 24. dicitur de Abraham, qui dixit servo suo: *Si noluerit « mulier tecum venire, tunc liber eris a juramento;* et cum peteret ille « Rebeccam, dixerunt: *Vocemus puellam, et quæramus voluntatem « ejus;* et statim quæsierunt parentes: *Vis ire cum homine isto?* Re« spondit: *ibo. Tertio*, ex parte finis, quæ est proles procreanda, ex « quo nascitur indissolubilitas vinculi. Ad istum competit istam da« tionem esse simpliciter liberam; quia, ut dictum est, et habetur 20. « quæst. 3. præsens, quod quis non diligit, facile contemnit ». *Ita Doctor*, quibus non repugnat id, quod ait dist. 26. num. 15. cum ait: *Aliquando Patres contrahunt pro filiis, vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria.* His enim verbis non intendit significare, quod aliquando Parentes possint contrahere pro filiis absque eorum consensu; sed quod parentes, ex filiorum consensu, quasi procuratores pro eis possint contrahere. Porro, quod consensus Matri-

monialis debeat esse liber, ut validum sit Sacramentum, significat S. Paulus 1. ad Corinth. 4. his verbis: *Qui vult nubat;* unde Concilium Trid., Sess. 24. cap. 9. ait: *Cum maxime nefarium sit, Matrimonii libertatem violare.... præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonia contrahant.*

Ex his sequitur, quod consensus matrimonialis, ex gravi metu injuste incusso ab extrinseco datus, reddat Matrimonium invalidum, et nullum. *Dixi primo, ex gravi metu,* ad insinuandum, quod ille consensus, qui ex metu levi datur, non reddat invalidum Matrimonii contractum, cum jus parvi æstimet levem metum, ut colligitur ex l. *nec timorem,* ff. de eo quod metus causa, etc. et ex cap. *Cum dilectus,* de his quæ vi, etc. *Dixi secundo, incusso ab extrinseco,* ut innuam, quod metus gravis non reddat Matrimonium invalidum, quando venit ab intrinseco, et ut sic est causa, cur Matrimonium ineatur. Sic non est invalidum Matrimonium illud, quod quis post factam sibi propositionem illius, assumit tamquam medium vitandi supplicii, quod timet ob homicidium, aut aliud crimen ab ipso commissum. Ratio est, quia metus iste non infertur in finem Matrimonii; sed Matrimonium libere supponitur eligi ad vitandam mortem. De sponsalibus idem dici potest. *Dixi tertio, injuste incusso,* ut detur intelligi, quod metus, quamquam gravis, et incussus ab extrinseco, etiam in finem Matrimonii, non reddat invalidum Matrimonium, si juste incussus est. Id exemplo illustratur: pater aliquis supponatur aliquem reperire cum filia fornicantem, et minari se illum ad Judicem delaturum, nisi filiam, cum qua fornicatus est, in uxorem accipiat. In hoc casu Matrimonium validum est, si fornicator ipse consentiat, et adsint aliæ conditiones ad Matrimonium essentialiter requisitæ.

Collige secundo, nullum pariter fore Matrimonium, nisi consensus exprimatur verbis, vel signis de præsenti; nam, inquit Doctor, d. 28. num. 2. « Contractus Matrimonii, qui inducit obligationem, vel vin-« culum, est datio pro alio recipiendo, quæ est permutatio, et traditio « saltem mutua potestatis corporum; sed nullus promittendo tradit « illud, quod promittit; quia promissio est de tradendo in futurum « seu de traditione facienda; non autem ipsa est actualis traditio, nec « consequenter est contractus actualis Matrimonii; ac subinde non est « Matrimonium, non solum in ratione contractus, sed nec in ratione « Sacramenti; quia, ut ibidem *inquit* Doctor, Sacramentum non est « signum prognosticum; nec consequenter intentio Ministri debet esse « de futuro, sed oportet, quod intendat pro præsenti, sicut signum « significat effectum præsentem. In Sacramentis enim veritatis Mini-« ster non ministrat idonee, si mentitur: ergo non est Sacramentum, « si est consensus de futuro tantum, propter defectum intentionis « Ministri ».

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM, ET QUALITER MATRIMONIUM SIT INDISSOLUBILE.

Diximus in præcedentibus, Matrimonii essentiam et rationem formalem præcipue consistere in vinculo Matrimoniali; quærimus autem impræsentiarum, quale sit istud vinculum, utrum videlicet perpetuum, et indissolubile esse debeat, quamdiu uterque conjugum vixerit. Quæ controversia ut evidentius dissolvatur,

Notandum 1. Matrimonii indissolubilitatem repeti posse vel ex Lege naturæ, quatenus videlicet illa suadet Matrimonii perpetuitatem, ratione videlicet finis, ad quem Matrimonium ordinatur, nempe legitimam filiorum procreationem et educationem; *vel* ratione Legis divinæ positivæ, si nimirum Deus aliquo præcepto expresse prohibuerit Matrimonium dissolvi ante mortem alterius conjugum. *Vel* denique ex præcepto Ecclesiastico, utrum videlicet Ecclesia prohibuerit Matrimonii dissolutionem. Quæritur itaque, utrum Matrimonium hac triplici Lege sit indissolubile.

Notandum 2. Quæstionem maxime moveri de Lege Mosayca, et Evangelica, ratione videlicet *libelli repudii*, quem Judæi uxoribus infensis dare consueverant, ut eas ablegarent, et a domo et a societate sua eliminarent, juxta illud Deut. 24. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos suos, præter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Quam utique legem videtur Christus Dominus denuo approbare Matth. 5. cum dixit: *Dictum est: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Verum ibidem adorandus Salvator alterius difficultatis ansam subministrat, cum statim subdit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Similia repetit, cap. 19. v. 9. dicens: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Idem habetur Marci 10. et Lucæ 16. Movetur itaque difficultas, utrum in Lege veteri Matrimonium per libellum repudii esset dissolubile, et in nova Lege per fornicationem.

Notandum 3. Conjugum ab invicem separationem posse triplicem distingui: *primo*, quantum ad bonorum fortunæ consortium et mutuam possessionem: *secundo*, quantum ad torum et mutuam cohabitationem: *tertio*, quantum ad vinculum Matrimoniale, et contractus Sacramentalis dissolutionem. Certum est autem Matrimonium esse dissolubile, et conjuges ab invicem separari posse, quoad bonorum fortunæ societatem; id enim in more solitum est, ut dum alter conjugum nimium ære alieno gravatur, vel domesticam substantiam, et facultates recte non administrat, ad postulationem alterius conjugum soleant Judices hujusmodi separationem statuere. Fit etiam interdum separatio quoad torum eadem auctoritate judiciali, propter molestam et pericu-

losam cohabitationem conjugum, maxime dum alter alteri grave damnum, puta mortem, aut duram ac diram persecutionem intentat. Unde potissimum restat examinanda difficultas de dissolubilitate Matrimonii, quoad vinculum. Tria itaque hac in Quæstione veniunt determinanda: *primum* quidem, utrum Matrimonium generatim, et secundum se spectatum, sit indissolubile: *secundum*, utrum dissolubile fuerit in Lege Mosayca per divinam dispensationem, ratione repudii: *tertium*, utrum dissolvi possit in Lege Evangelica, ratione fornicationis.

Conclusio prima. — Matrimonium Lege Naturæ, Divina, et Ecclesiastica, est omnino indissolubile.

Probatur prima pars: Tale est Matrimonium secundum Legem naturæ, quale fuit a Deo ut Auctore naturæ institutum: sed institutum fuit a Deo prorsus indissolubile: igitur tale est ex Lege naturæ. *Major constat;* lex enim naturalis alia non est, quam ipsa Dei, ut Auctoris naturæ hominibus insita ordinatio, qua ad aliquid faciendum juxta rationis ductum stimulantur. *Minor autem probatur:* Deus Matrimonium in Paradiso terrestri, et in statu innocentiæ instituit prorsus indissolubile: sed illud tunc non instituit ut indissolubile per aliquod præceptum positivum: ergo lex tunc ab eo præscripta de Matrimonii indissolubilitate non fuit præceptum positivum, sed naturale. *Minor constat;* conveniunt enim Theologi, Deum in Paradiso terrestri nullum præceptum positivum imposuisse Adamo, præter unum, de non edendo fructu arboris vetitæ: igitur quodcumque aliud præceptum ab eo præscriptum non fuit positivum, sed naturale. *Major probatur;* Deus enim instituendo Matrimonium in statu innocentiæ, voluit illud esse insolubile, ut Christus Dominus Matth. 19. declarat; ait enim: *Qui fecit hominem, ab initio masculum, et fœminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ex quibus subinfert Christus: *Quod ergo Deus conjunxit,* nempe suo præcepto, *homo non separet.* Unde Bonifacius VIII, cap. unico *de voto, et voti redemptione* in 6. dixit, Matrimonii vinculum ab ipso rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso, et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem accepisse. Unde Tridentinum, Sess. 24. initio: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo,* etc. Et paucis interpositis: *Ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, Christus his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et igitur in statu innocentiæ Matrimonii vinculum erat insolubile Lege divina: non positiva: ergo naturali.

Deinde, natura duplicem appetitum animantibus ingenerat: alterum ad cibum, alterum ad generationem. Inde duplex oritur intentio naturæ: *primo* quidem conservandi individuum per alimenta necessaria; quod cum in ipso perpetuo fieri nequeat, *secundo*, saltem intendit illud conservare per generationem alterius similis individui; cum autem natura sit perfecta, non tantum intendit ad generationem, sed etiam ad perducendum prolem ipsam ad perfectionem: perfecta autem edu-

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM, ET QUALITER MATRIMONIUM SIT INDISSOLUBILE.

Diximus in præcedentibus, Matrimonii essentiam et rationem formalem præcipue consistere in vinculo Matrimoniali; quærimus autem impræsentiarum, quale sit istud vinculum, utrum videlicet perpetuum, et indissolubile esse debeat, quamdiu uterque conjugum vixerit. Quæ controversia ut evidentius dissolvatur,

Notandum 1. Matrimonii indissolubilitatem repeti posse vel ex Lege naturæ, quatenus videlicet illa suadet Matrimonii perpetuitatem, ratione videlicet finis, ad quem Matrimonium ordinatur, nempe legitimam filiorum procreationem et educationem; *vel* ratione Legis divinæ positivæ, si nimirum Deus aliquo præcepto expresse prohibuerit Matrimonium dissolvi ante mortem alterius conjugum. *Vel* denique ex præcepto Ecclesiastico, utrum videlicet Ecclesia prohibuerit Matrimonii dissolutionem. Quæritur itaque, utrum Matrimonium hac triplici Lege sit indissolubile.

Notandum 2. Quæstionem maxime moveri de Lege Mosayca, et Evangelica, ratione videlicet *libelli repudii*, quem Judæi uxoribus infensis dare consueverant, ut eas ablegarent, et a domo et a societate sua eliminarent, juxta illud Deut. 24. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos suos, præter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Quam utique legem videtur Christus Dominus denuo approbare Matth. 5. cum dixit: *Dictum est: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Verum ibidem adorandus Salvator alterius difficultatis ansam subministrat, cum statim subdit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Similia repetit, cap. 19. v. 9. dicens: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Idem habetur Marci 10. et Lucæ 16. Movetur itaque difficultas, utrum in Lege veteri Matrimonium per libellum repudii esset dissolubile, et in nova Lege per fornicationem.

Notandum 3. Conjugum ab invicem separationem posse triplicem distingui: *primo*, quantum ad bonorum fortunæ consortium et mutuam possessionem: *secundo*, quantum ad torum et mutuam cohabitationem: *tertio*, quantum ad vinculum Matrimoniale, et contractus Sacramentalis dissolutionem. Certum est autem Matrimonium esse dissolubile, et conjuges ab invicem separari posse, quoad bonorum fortunæ societatem; id enim in more solitum est, ut dum alter conjugum nimium ære alieno gravatur, vel domesticam substantiam, et facultates recte non administrat, ad postulationem alterius conjugum soleant Judices hujusmodi separationem statuere. Fit etiam interdum separatio *quoad torum* eadem auctoritate judiciali, propter molestam et pericu-

losam cohabitationem conjugum, maxime dum alter alteri grave damnum, puta mortem, aut duram ac diram persecutionem intentat. Unde potissimum restat examinanda difficultas de dissolubilitate Matrimonii, quoad vinculum. Tria itaque hac in Quæstione veniunt determinanda: *primum* quidem, utrum Matrimonium generatim, et secundum se spectatum, sit indissolubile: *secundum*, utrum dissolubile fuerit in Lege Mosayca per divinam dispensationem, ratione repudii: *tertium*, utrum dissolvi possit in Lege Evangelica, ratione fornicationis.

Conclusio prima. — Matrimonium Lege Naturæ, Divina, et Ecclesiastica, est omnino indissolubile.

Probatur prima pars: Tale est Matrimonium secundum Legem naturæ, quale fuit a Deo ut Auctore naturæ institutum: sed institutum fuit a Deo prorsus indissolubile: igitur tale est ex Lege naturæ. *Major constat;* lex enim naturalis alia non est, quam ipsa Dei, ut Auctoris naturæ hominibus insita ordinatio, qua ad aliquid faciendum juxta rationis ductum stimulantur. *Minor autem probatur:* Deus Matrimonium in Paradiso terrestri, et in statu innocentiæ instituit prorsus indissolubile: sed illud tunc non instituit ut indissolubile per aliquod præceptum positivum: ergo lex tunc ab eo præscripta de Matrimonii indissolubilitate non fuit præceptum positivum, sed naturale. *Minor constat;* conveniunt enim Theologi, Deum in Paradiso terrestri nullum præceptum positivum imposuisse Adamo, præter unum, de non edendo fructu arboris vetitæ: igitur quodcumque aliud præceptum ab eo præscriptum non fuit positivum, sed naturale. *Major probatur;* Deus enim instituendo Matrimonium in statu innocentiæ, voluit illud esse insolubile, ut Christus Dominus Matth. 19. declarat; ait enim: *Qui fecit hominem, ab initio masculum, et fœminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ex quibus subinfert Christus: *Quod ergo Deus conjunxit,* nempe suo præcepto, *homo non separet.* Unde Bonifacius VIII, cap. unico *de voto, et voti redemptione* in 6. dixit, Matrimonii vinculum ab ipso rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso, et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem accepisse. Unde Tridentinum, Sess. 24. initio: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo,* etc. Et paucis interpositis: *Ejusdem nexus firmitatem, ob Adamo tanto ante pronuntiatam, Christus his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et igitur in statu innocentiæ Matrimonii vinculum erat insolubile Lege divina: non positiva: ergo naturali.

Deinde, natura duplicem appetitum animantibus ingenerat: alterum ad cibum, alterum ad generationem. Inde duplex oritur intentio naturæ: *primo* quidem conservandi individuum per alimenta necessaria; quod cum in ipso perpetuo fieri nequeat, *secundo,* saltem intendit illud conservare per generationem alterius similis individui; cum autem natura sit perfecta, non tantum intendit ad generationem, sed etiam ad perducendum prolem ipsam ad perfectionem: perfecta autem edu-

catio et procreatio prolis tria exigit: *primo*, certitudinem ex parte patris, cui potior incumbit cura prolis: *secundo*, educationem et instructionem quoad vitam et mores; cum enim homo corpore et anima constet, ad perfectam sui educationem, non solum requirit alimenta corporis, sed etiam animæ, per diligentem morum instructionem: *tertio* tandem requiritur, ut filii succedant parentibus, quoad bona fortunæ: sed ad hæc tria necessaria est conjugum inseparabilitas; nam eorum separatio redderet prolem incertam, et impediret perfectam illius institutionem et educationem; proles enim destituta a suo parente, alium non haberet, a quo posset instrui, nec in ejus naturæ bona posset succedere. Unde maximum detrimentum proli exinde inferretur, nec consequenter natura suum finem assequeretur.

Constat eadem indissolubilitas Matrimonii, ac confirmatur per legem Dei positivam in Paradiso terrestri prolatam, his verbis: *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ubi loco verbi *adhærebit*, septuaginta Interpretes scripserunt, *agglutinabitur*, ut significetur conjunctio indissolubilis; quæ enim glutino conjuncta fuerint, ea facilius franguntur, quam solvantur. Hanc autem legem divinam non solum renovavit, sed explicavit Christus, Matth. 19. nam repetitis iisdem verbis: *Relinquet homo*, etc. statim infert: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quod inferius confirmat, quando addit, *eum, qui dimissa uxore, aliam ducit, mœchari, et qui dimissam duxerit, similiter mœchari.* Ad quam utique divinam Legem respexit Apostolus 1. ad Cor. 7. dicens: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.*

Idipsum patet etiam ex Lege Ecclesiastica; nam, ut apparebit ex Conclusione tertia, Matrimonii indissolubilitas etiam in casu fornicationis asserta fuit plurimis Ecclesiæ sanctionibus et constitutionibus.

Dices 1: Quod sufficit ad rem constituendam, sufficit ad dissolvendam: sed mutuus conjugum consensus sufficit ad ineundum vinculum Matrimonii: ergo pariter sufficiet ad illud dissolvendum. — **Respondeo ad majorem**, illam esse veram in iis rebus, quæ ex natura sua sunt solubiles, de quarum numero non est contractus Matrimonialis, quem Deus voluit esse insolubilem; unde licet dependeat a mutuo contrahentium consensu, quemadmodum et alii omnes contractus, qui possunt dissolvi per mutuum ipsorum contrahentium dissensum; tamen Matrimonium id habet speciale, quod ordinetur ad finem, qui requirit insolubilitatem ex natura sua, nimirum ad prolis procreationem et educationem, ad quam conjugum inseparabilitas necessaria est; unde quemadmodum anima rationalis, licet non producatur, nisi cum aliqua dependentia a corpore rite organizato, et consequenter respectum dicat ad operationem agentis naturalis; attamen semel producta ab eo corrumpi non potest, quia natura sua est incorruptibilis et immortalis, ita licet Matrimonium aliquo modo pendeat a consensu contrahentium; attamen ubi initum est, non potest per eorum consensum solvi, quia natura sua insolubilis est.

Dices 2: Summus Pontifex dispensare non potest in his, quæ sunt de jure naturali, divino, et positivo: sed plerumque dispensavit in Matrimoniis ratis, et non consummatis, ut constat ex facto plurium

Pontificum, maxime Martini V. Eugenii IV. Pauli III. Pii IV. Julii III. Pauli IV. et Gregorii XIII. ut referunt Covarruvias IV, decret. part. 2. cap. 7. § 4. Henriquez, lib. 11. cap. 8. Navarrus in *Summa*, cap. 22. quibus addi potest Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1599. n. 4. ubi asserit, ita judicatum fuisse ab octo Cardinalibus delegatis a Clemente VIII. circa dissolutionem Matrimonii inter Sigismundum Battorium, Transilvaniæ Principem, et Mariam Austriæ, quorum Matrimonium auctoritate Apostolica dissolutum fuit. — **Respondeo** *primo* ad *minorem*, nonnullos etiam summos Pontifices illam sententiam ut minus probabilem judicasse; unde in Matrimonio rato dispensare renuerunt, ut refertur de Innocentio VIII.; unde Ledesma asserit, neminem ante Martinum V. hanc dispensationem concessisse, licet per quatuordecim integra sæcula variæ hujus faciendæ dispensationis occasiones occurrerint. *Respondeo secundo*, ipsos laudatos summos Pontifices ideirco in Matrimonio rato dispensasse, quod forte usurpaverint, et secuti fuerint opinionem, quam existimarunt probabiliorem, utpote cum apud Canonistas esset communis; quod utique in re utrinque probabili ipsis licuit. Exinde tamen inferendum non est, reprobatam esse eorum Theologorum sententiam, qui judicant Matrimonialis vinculi indissolubilitatem firmatam esse Lege naturali, et divina positiva.

Conclusio secunda. — PROBABILIUS EST, QUOD PER LIBELLUM REPUDII NON SOLVEBATUR MATRIMONII VINCULUM; SED TANTUM DISPENSABATUR IN PŒNA, QUA PLECTI DEBUISSET, QUI PROPRIA AUCTORITATE UXOREM REPUDIASSET. Ita Subtilis Doctor, dist. 33. quæst. 3. n. 9. quamvis enim oppositam sententiam ibidem probabiliter defendat, nihilominus addit: *Qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppositum potest facilitèr respondere;* unde ipsemet ibidem solvit omnia argumenta adversæ sententiæ, sicut solverat fundamenta præcipua, quibus hæc nostra sententia nititur; unde hac in re saltem videtur problematicus.

Hanc vero sententiam aperte tuetur Seraphicus Doctor, ibidem art. 3. quæst. 1. ubi ait: « Dicendum, quod secundum quod dicit Do« minus, repudium uxoris numquam licitum fuit, ut sine culpa fieret, « fuit tamen licitum, ut fieret sine pena. Unde aliquid licere alicui « potest duplici de causa: aut quia non obviat juris rectitudo, et sic « repudium non fuit licitum; aut quia non obviat juris punitio, et « hoc modo licuit uxorem repudiare; quia tunc non obviavit juris « punitio ».

Quod autem revera solum impune olim permissum fuerit Judæis repudiare uxores, non autem licite; ita ut eas repudiando peccarent; quia perseverabat semper Matrimonium, quantum ad vinculum; *probatur primo* auctoritate Christi Domini Matth. 19. Cum enim quærentibus Pharisæis, *liceret ne homini uxorem dimittere quacumque ex causa*, et respondisset non licere, eamque responsionem comprobasset ex prima Matrimonii institutione Genes. 2. proposuerunt illi objectionem ex Lege Deut. 2. *Quid ergo*, inquiunt, *Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Tum Christus *mandandi* verbo in *permissionem* commutato, veram legis intelligentiam aperuit, dicens: *Quoniam Moyses in duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere*

uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Quasi diceret (inquit Estius, disp. 33. § 9.) vera et legitima institutio Matrimonii id non patitur. Unde nec Moyses mandavit tamquam bonum, sed permisit tamquam minus malum, eatenus obsequens duritiæ cordis vestri, ut hoc malum non puniret, ne pejora consequerentur. Quo etiam consilio usuræ in populo Judaico toleratæ sunt exercendæ in extraneos. De qua re idem Moyses in Deuteron., cap. *proxime præcedenti*, ait: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno;* quod similiter permissive, non præceptive dictum esse in confesso est. *Adde quod*, videri potest ipsos etiam Pharisæos in sua interrogatione *mandati* vocabulum intellexisse generaliter, quia S. Marcus, et cap. 10. refert eos Domino interroganti: *Quid vobis præcepit Moyses?* respondisse: *Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere.* Quibus respondens Dominus ait: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Quo loco *præceptum* vel ad scriptionem libelli referendum est, vel generalem habet significationem, ut etiam permissionem comprehendat. Illius ergo præcepti seu mandati, idest, ordinationis divinæ sensum quærebant Pharisæi, quem et Christus eis exposuit, docens significatam esse nudam permissionem; qua nimirum permittuntur minora mala ad præcavenda deteriora. Certe satis constat Pharisæos non sensisse, quod esset præceptum dimittere uxores, quia tantummodo quærunt, an liceat.

Eodem pertinet doctrina Christi, Matth. 5. *Dictum est*, inquit, *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii, Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam*, etc. Quem locum tractans S. Augustinus, lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 14. sic ait: *Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur: sed ut dimittere volens, det libellum repudii, ut iracundiam temerarie projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret.*

Quod autem hæc sit genuina Legis Deuteronomii 24. interpretatio et explicatio, apparet ex ipsius legis verbis; nam ipsa lex prohibens, ne repudiata quæ alteri nupserat, mortuo secundo viro, reciperetur a priori, rationem hujus prohibitionis reddit: *quia polluta est, et abominabilis facta coram Domino.* Atqui si dissolutum fuisset prius Matrimonium, et consequenter secundum legitimum extitisset, nulla ratione dici potuisset polluta; polluta enim non est, quæ mortuo marito iterum nubit: ergo dicitur polluta ratione adulterii cum secundo viro. *Confirmatur* ex illo Hieremiæ 3. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit alterum, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego te suscipiam.* Quibus postremis verbis aperte significatur, mulierem repudiatam non solum fuisse pollutam, nubendo alteri, sed etiam fornicariam; id enim postulat comparatio ibi a Deo facta.

Idem docent SS. Patres, maxime sanctus Ambrosius, lib. 16. in Lucam, ubi cum probasset ex verbis Christi non esset dimittendam uxorem, objicit: *Quomodo*, inquit, *Moyses mandavit dari libellum repudii? Respondet ei*, (supple sibi objicienti) *Dominus: Ad duritiam*, inquit, *cordis vestri, permisit vobis Moyses dare libellum repudii, et dimittere uxores; ab initio autem non fuit sic. Moyses permisit*, inquit, *non Dominus*, etc. Ergo non fuit dispensatum, ex mente S. Ambrosii.

Et infra: *Ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta.*

Similiter S. Chrysostomus, Hom. 17. in Matth. dicit esse minoris mali permissionem, non legem principalem. Item in illa: *Qui enim dimiserit*, etc. *Ille enim etsi alteram non duxerit, se constituit criminis reum quod adulteram fecit ex conjuge, hic vero accipiens alienam, adulter effectus est, nequaquam enim mihi refert, quia illam alter ejecit; nam expulsa etiam uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat*, etc. Et loquitur respective ad legem, et eos, qui in lege erant, ad quos referunt verba Christi respondentis Pharisæis secundum obligationem legis, ut aperte constat *in loco sequenti*, Homil. 63. in Matthæum, ubi explicans verba Christi huc spectantia, illud supponit per totum discursum, *in secundo membro*, asserens hanc tolerantiam fuisse, ne Judæi sanguinarii in uxorem machinarentur homicidium. Speciatim autem in illa verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, etc. *Ita*, inquit, *ostendit, et præter naturam quidem, quia una caro inducitur; contra legem autem, quia cum Deus conjunxerit, et jusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei dimittendo uxores ausi sunt*, etc. ac proinde non fuit, ex mente Chrysostomi, cum iis ullo modo dispensatum.

Idem Auctor imperfecti inter eadem opera S. Chrysostomi, Tom. 2. qui male adducitur in oppositum, nam Homil. 12. in Matth. hanc partem aperte docere videtur: *Vide*, inquit in fine, *quia qui secundum legem repudium dat, quatuor committit iniquitates*, etc. (*Secundum legem*, etc. ergo loquitur de iis, qui sub lege erant, et utebantur repudio ejus). *Primam: quia quantum ad Deum existit homicida. Secundam, quia dimisit non fornicantem*, etc. *Tertiam, quia fecit eam adulterari. Quartam, quia accipiens eam, fecit adulterium*, etc.

Idem docuit Beda in Matth. 19. transcribens dictum S. Ambrosii. Ex utroque autem glossa interlinearis, quam citat Doctor *supra*. Sed ut cæteros posteriores omittam, eadem est sententia S. August., lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 26. et sequentibus ubi scribit, *Nam et illud de uxore non dimittenda*, inquit, *quod Dominus præcepit, cum antiquis dictum sit, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii, si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium: exposuit enim Dominus, quid lex voluerit, cum passim dimittenti uxorem jusserit libellum repudii dare: neque enim ait*, (supple lex) *Qui voluerit, dimittat uxorem suam, cui esset contrarium non dimittere, sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, et quid mali esset dimittere, cogitaret*, etc. Quod fusius prosequitur, explicando ipsam moram, et recursum ad Scribas, quibus tantum libellum scribere licuit, qui, ut erant in lege docti ac prudentes, dissuaderent factum. Scopus autem S. Augustini hic est, ostendere Christum non solvisse legem, sed adimplevisse et declarasse, ac proinde legem descriptione libelli non fuisse dispensationem, sed impedimentum transgressionis legis, ne aliud pejus consequeretur per uxoricidium. Quod amplius declarat in præcedenti capite, quoad reliqua præcepta. Hic ergo Christus declarat veram legis sententiam, ex qua Judæi male interpretabantur permissionem libelli repudii. *Ita Hiquæus* in *Com.*, ad dist. 33. n. 14.

Dices 1: Lex Mosayca non permittebat fœminis nubere duobus viris: sed per præfata verba *Deut.* 24. licitum erat mulieri repudiatæ nubere alteri viro: igitur per libellum repudii dissolvebatur prius Matrimonium. *Confirmatur:* nam Lex Moysis prohibebat ibidem Deut. 24. ne repudiata, mortuo secundo marito, unquam reciperetur a priori viro: at si libellus repudii non solvisset prius Matrimonium, non erat cur mulier, mortuo secundo marito, ad priorem convolare non posset, si illam recipere voluisset: igitur revera per libellum repudii solvebatur vinculum Matrimonii. — **Nego minorem**; nam, ut ait Christus Dominus Marci 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Igitur revera non erat licitum, sed dumtaxat toleratum ad duritiam cordis uxori dimissæ alteri viro nubere. *Ad confirmationem dico,* idcirco dimissæ uxori non fuisse permissum ad alterum virum convolare, ne forte iterum ipsi fieret ingrata, maxime quod cum altero viro rem habuisset, et sic priori periculo occisionis subjaceret. *Adde quod,* summa exinde irrogaretur injuria et infamia priori viro, necnon et legi, utpote qui dimissam uxorem recipiendo, manifeste significaret, se perperam ei dedisse libellum, sicque inde colligeretur legem de libello repudii præbere ansam ejusce repudiationis uxorum, et nimium favere virorum libidini ad novas nuptias convolantium. Quod utique significat Moyses, cum prohibendo reversionem mulieris repudiatæ ad priorem virum, hanc causam profert: *Ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam,* idest, ne illa reversio occasionem præbeat querimoniæ adversus legem, quæ ita facile uxoris repudiationem permitteret.

Instabis: Nulla lex permittere debet mala, propter bona exinde oriunda; nec minora mala, ut majora caveantur: sed ita esset de lege permittente repudium, si revera mulieres repudiatæ alteri viro nubentes, commisissent adulteria; adulterium enim permissum fuisset propter cavendam ipsius uxoris trucidationem a priori viro: igitur fatendum est ipsam uxorem cum altero non fuisse mœchatam. — **Respondet Seraphicus Doctor,** loco supra laudato ad *minorem:* « Quod « Moyses tradendo legem de libello repudii, non permisit, nisi coactus, « minus malum, propter majus vitandum; unde fuit ibi potius pati, « quam agere; quadruplex enim distingui potest permissio: *uno modo* « per privationem præceptionis, et sic Apostolus permittit minus bo- « num, quia non præcepit majus bonum, sicut virginibus nubere per- « mittit: *secundo modo* per privationem prohibitionis; et sic venialia « dicuntur permissa, quia non sunt prohibita: *tertio modo* per priva- « tionem punitionis; et sic repudiatio uxoris est permissa, quia non « punitur in lege: *quarto modo* per privationem cohibitionis; et sic « omnia mala dicuntur a Deo permissa, quia non cohibet. *Prima* « permissio est propter boni qualitatem: *secunda* propter nostram in- « firmitatem: *tertia* propter vitanda majora mala: *quarta* propter eli- « cienda majora bona. Permisit ergo Moyses, quia non poterat prohi- « bere hoc malum, quin triplex malum inde sequeretur: *primum* « quidem defectus Sacramenti, quia non vellent uxorem ducere: *se- « cundum,* multiplicatio fornicationis: *tertium,* homicidium ». *Ita S. Doctor.*

Dices 2: Apostolus 1. ad Corint. 7. æqualiter dicit: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem; solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Atqui posterius hoc non est præcepti, sed tantum consilii, nempe *non quærere uxorem:* ergo, et prius illud, *non quærere solutionem,* similiter consilii erat, non præcepti: et per consequens licebit ei, qui alligatus est uxori, quærere solutionem, quod fit per repudium, seu dimissionem uxoris. — **Respondet Estius,** si hoc argumentum urgeret, consequens fore, ut quacumque etiam ex causa, imo nulla ex causa, liceat uxorem dimittere; quia juxta hanc ratiocinationem, semper consilii tantum erit, non quærere solutionem. Proinde dicendum, non esse illa duo similiter intelligenda, sed alterum quidem ut præceptum; alterum vero ut consilium; id quod satis indicat Apostolus cum de posteriori mox addit: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti:* nihil autem tale addit priori, sed plane contrarium affirmat, tum eodem capite, tum alibi.

Conclusio tertia. — In Lege Evangelica Matrimonium quoad vinculum non solvitur per adulterium alterius conjugis. Hæc est maxime contra Græcos, qui una cum hæreticis huius temporis contendunt, in causa adulterii dirimi posse Matrimonia, et nova contrahere licere.

Probatur autem hæc Conclusio, primo quidem ex Scriptura sacra Marci 10. ubi cum Christus Dominus dixisset Pharisæis, Moysem dumtaxat Judæis permisisse libellum repudii ad duritiam cordis, ab initio autem non sic fuisse; quia Deus Matrimonium voluit esse prorsus indissolubile, etc.; ac Legem Divinam innovans addidisset: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* hac de re Discipulis iterum quæstionem moventibus, absolute dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Item Lucæ 16. universaliter ait: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur.* Ubi propositio universalis, *Quicumque,* et *omnis,* nullam excludit causam dimissionis: igitur Christus verbis illis significat, ob nullam omnino causam, etiam ob fornicationem, posse alterum conjugum ad alias nuptias transire. Unde S. Augustinus, lib. 1. *De adulterinis conjugiis,* cap. 9. *Si quicumque hoc fecerit, ut uxore sua dimissa, alteram ducat, mœchatur: sine dubio ibi sunt ambo, et qui præter, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, Quicumque dimiserit, idest omnis qui dimiserit.*

Probari etiam potest hæc veritas ex illo Apostoli ad Rom. 7. ubi pariter absolute pronuntiat: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro,* etc.

Quod testimonium egregie urget S. Augustinus, contra Pollentium lib. 2. *De adulterinis conjugiis,* cap. 2. ubi sic discurrit: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium jam soluto? Quo enim vivente viro, nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Quamobrem secundum doctrinam sanam, mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit, idest, nondum e corpore abscessit. Hæc verba*

Apostoli, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur; licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob fornicationem. Idem aperte docet ipsemet Apostolus in 1. ad Corinth., cap. 7. his verbis: *Is, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat.* Ubi ut recte advertit S. August., lib. 1. *De adulterinis conjugiis*, cap. 1. et 2. loquitur Apostolus de justo ipsius discessu, nempe vel ob molestam cohabitationem viri, vel propter ipsius fornicationem; alioquin determinate illi præciperet, ut viro suo reconciliaretur, non autem disjunctive, ut vel id faceret, vel saltem maneret innupta. Quare cum Apostolus verbis illis innuat, non licere mulieri, quæ propter mariti adulterium ab illo discessit, transire ad secundas nuptias, sufficienter indicat per mariti adulterium non solvi vinculum Matrimonii. Quod utique sic confirmat Arcudius, cap. 10. argumento ex antecedentibus ipsius Apostoli verbis deducto; quippe, *inquit*, in eodem septimo capite prioris ad Corinthios, cum a principio virginitatem laudasset, atque dixisset: *Bonum est homini mulierem non tangere*, statim ista veluti quædam axiomata præmittit: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite defraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas.* His positis atque iterum laudata castimonia, et virginitate ab exemplo sui: *Volo*, inquiens, *omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet a Deo;* mox commemoratam subjicit sententiam: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat.* At si hoc demus, nempe sanctum Paulum extra causam fornicationis permittere uxori virum dimittere, modo non nubat, et viro uxorem dimittere, modo alteram non ducat, omnia illa profecto antecedentia ejus enuntiata funditus evertimus. Non enim amplius ad evitandam fornicationem unusquisque uxorem suam habebit, neque unaquæque suum virum. Similiter uxori vir debitum non reddet, neque viro uxor. Item mulieri potestas sui corporis utique dabitur, non dissimili ratione viro. Ad hæc, fraudabunt se invicem, idque non ex consensu, neque ut vacent orationi. Postremo iterum revertentur in idem, et consequens illud erit, ut eos tentet satanas. Vides igitur, quam multa sequantur absurda uno illo concesso. Hic ergo est clarus, germanus, et verissimus sensus Apostoli dicentis, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, nimirum sine justa causa fornicationis; hoc enim præcepit Dominus, quod si discesserit, causa nimirum justa inventa, id enim permisit Dominus, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Refert enim Paulus esse præceptum Domini, et universe loquitur sine ulla exceptione: ergo

ita est intelligendus; alioquin insufficienter explicasset præceptum Domini. *Ita Arcudius.*

Eadem veritas definita est in plurimis Conciliis, maxime in Concilio Eliberitano, Can. 9. ubi communionem interdicit mulieri, quæ ob viri adulterium, alteri nupserit. Similiter ex Concilio Milevitano, Can. 17. in quo declarat, secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam, nulli licere vivente conjuge ad alias nuptias transire. Idem statuitur in quadam Synodo Anglicana, celebrata an. 663. quam refert Beda, lib. 4. *Historiæ Anglorum,* c. 5. in qua statuitur, Can. 10. *Si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi Matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.*

Verum, omissis aliis similibus Conciliorum decretis, hanc veritatem expresse definierunt duo Concilia generalia, Florentinum videlicet in Decreto unionis Armenorum, ubi sic legitur: *Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit;* et novissime Tridentinum, Sess. 24. Can. 7. his apertissimis verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

Eamdem veritatem constanter docent ac tuentur SS. Patres, et sacri scriptores, tam Græci, quam Latini, in primis vero Athenagoras in apologia pro Christianis, ubi ait, si quis priore dimissa aliam ducat, non esse conjugium, sed adulterium. S. Clemens Alexandrinus, in fine lib. 2. *Stromatum,* affirmat, « secundum Scripturam adulte-« rium esse, post separationem Matrimonio conjungi, vivo altero ex « separatis, cum tamen paulo ante dixisset separationem fieri non « posse, nisi ob fornicationem ». — S. Basilius, in lib. *De Virginitate,* circa medium, ita scribit: *Talis uxor, vivente viro mœchatur, cum per omne vitæ tempus adulteretur; imo vero quia fruitur voluptate, intemperanter scortatur; quia vero vivit vir ejus, illicite mœchatur.* Ubi loquitur de muliere, quæ dimissa fuerat propter fornicationem, et censet, quod si alium postea virum agnosceret, quamvis non maritum, scortaretur, simul et adulteraretur, propterea quod vir ejus vivat. Existimat ergo S. Basilius, vinculum Matrimonii non solvi per fornicationem. Quod utique clarius infra demonstrat, cum scribit: *Non audis vero quod etiam, qui dimissam ducit, adulterium committit? Etsi enim,* inquit, *dimissa est propter causam, attamen vivit vir ipsius. Quid igitur vexas dimissam? neque concedis tempus, et illi corrigendi seipsam in iis, propter quæ dimissa est, et ei, qui dimisit, ut ob correctionem ejus misertus, membrum suum rursus ad seipsum recipiat? Sed præcipis emendandi tempus, vivente viro dimissam in Matrimonium ducens. Sine,* inquit, *aut ad viventem reverti, simulque factam meliorem uxorem redire, aut neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ, ob quam eam maritus dimisit, pœnam dare. Tu vero priusquam*

intelligat proprium, propter quod dimissa est, peccatum, illam ad conjugium rapiens, audaciorem ad peccata absurde efficis, vivente quidem viro, semper alienam adulterans, facilem vero illam, ut dixi, ad peccata, quæ in convictu accidere solent, absurde exercens. Quod si is, qui eam ducit, quæ a mortali viro dimissa est, adulterium committere impie facit, multo magis impie per omne vitæ tempus adulterium committit is, qui immortalis viri sponsam numquam dimissam corrumpere audet. — Ipsi concinit S. Gregorius Nazianzenus in secundo carmine, ubi recenset laudes virginitatis, et incommoda Matrimonii, cujus agnoscit indissolubilitatem, dum vocat malam uxorem pestem, quam nemo repudiare potest; scribit enim:

Perspice quanta premant servos incommoda carnis.
Fœmina non parva mercatur dote maritum.
Quodque etiam gravius vitiosum sæpe, et inertem:
Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita sæpe bonis, quæsita attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

Eamdem doctrinam tuetur S. Chrysostomus pluribi, maxime vero Homil. 17. in Matthæi, cap. 5. ubi clarissime demonstrat ex verbis Christi, hominem nulla ratione posse vivente propria uxore, quantumvis dimissa et rejecta, alteram ducere; et Hom. 62. expendens illa: *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* ait: *Onerosum valde videtur omni nequitia plenam dimittere, ac atrocem belluam una secum intus inclusam perpetuo retinere.* Quæ certe non ob aliud dicit, quam ob vinculum insolubile Matrimonii. Quod et clarius ac evidentius declarat lib. *De Virginitate*, circa medium, ubi expendens præfata verba Apostoli 1. ad Cor. 7. *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus*, etc. ait: « Quid autem, si vir « moderatus est, uxor vero nequam, maledica, loquax, et quod com- « mune est mulieribus vitium, sumptuosa, multisque aliis imbuta « vitiis fuerit? Quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, su- « perbiam, et impudentiam perferet? Quid si contra acciderit, probam « illam, et mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum, « pecunia etiam, potentiaque admodum elatum et inflatum, qui li- « beram habeat pro ancilla, nihiloque melius in eam, quam in fa- « mulas sit animatus, quonam pacto ejusmodi necessitatem, vimque « tolerabit? Quid denique si vir ab uxore continenter aversus per- « petuo abhorreat? (Quod nimirum ut plurimum accidere solet, quando « alterius ardet amore) Perferas, *inquit*, omnem istam servitutem. « Tantum enim tui juris futura es, cum is a vita migrarit (*en termi- « nus solvendi Matrimonium, et nota voculam* μονον). Nam quamdiu « vixerit, alterutrum necesse est, vel ut eum magno studio regas, ac « modereris, melioremque facias, vel bellum minime denuntiatum, « perpetuumque prælium fortiter sustineas. At supra quidem dixerat, « *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu;* hic vero di- « sjunctam ipsam a viro, vel invitam se continere jubet: *Maneat*, in- « quit, *innupta, aut viro suo reconcilietur.* Videsne ipsam mediam « inter duo prælia, ut vel libidinis vim ferre, vel si id noluerit, et, « a quo afficitur injuriis, assentari, et omnino ejus arbitrio seipsam

« præbere necesse habeat; sive is verberibus, sive conviciis vexare, « sive ludibrio, et despectu servorum subjicere, sive hujusmodi quip- « piam (quale nimirum est adulterium) committere voluerit; multas « enim viri vias reperiunt, cum volunt, inferendæ uxoribus injuriæ. « Certe nullam, quæ magis exasperet castam matronam, atque mariti « adulterium quod si ista injuriosa non tulerit, (*et se videlicet a ma-* « *rito disjunxerit*) continentiam colat oportet inutilem; inutilem, in- « quam, quod eo non utitur fundamento, quo deberet; non enim id « sanctitatis studio facit, sed ira in conjugem incitata. *Maneat*, in- « quit, *innupta, aut viro reconcilietur*. Sed quid, *inquit*, si nunquam « cum viro in gratiam redire voluerit? Habes illud alterum, quo te « inde expedire possis. Quidnam id est? Expecta dum is tibi decedat. « (*Ecce ad mortem indissolubilitas Matrimonii*). Nam quemadmodum « Virgini (*quæ videlicet virginitatem Deo voverit*, de hac enim *tractat*, « *in hoc argumento Chrysostomus*) vivo ejus viro (immortalis autem « is est) nunquam licet nubere, sic nuptæ, tantum conjuge mortuo ». Nota similitudinem nihil valere, si fiat quoad vinculum separatio. Nam talis, virgo etiamsi adulteretur, numquam fit libera a Christi conjugio, ita ut possit carnaliter alii nubere. Ita vertit, et observat Arcudius.

In idem conspirant Latini Patres, maxime S. Ambrosius; is enim lib. 8. in 16. cap. Lucæ, cur conjugia minime dissolvi debeant, hanc videtur afferre rationem, ne videlicet filii pro patre vitricum, pro matre autem novercam habere cogantur; quin etiam propter filios patrem matris culpæ veniam dare censet; quippe si daretur locus alteri conjugio, filiis jam natis male a parentibus prospiceretur, et ipsius matris derelictæ probrum, et injuria in filiorum dedecus redundaret. — Similiter sanctus Hieronymus in *Commentariis* super hæc verba Matthæi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, hæc habet: *Sola fornicatio*, inquit, *est causa, quæ uxoris vincat affectum: imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: qui adulteram tenet, stultus et impius est. Ubicumque est igitur fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit, tale est, si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo?* etc. Idem S. Doctor, quærens utrum mulier, relicto viro adultero, et alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat; sic in Epist. ad Amandum inter cætera scribit: *Omnes cautiones Apostolus computans apertissime definit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum parentum, damna rei familiaris; quamdiu vivit vir, licet adulter, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, ubi alterum virum accipere non licet... Ergo ista soror, quæ,*

ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult Corpus Christi accipere, et non adultera reputari, agat pœnitentiam; ita dumtaxat ut cum secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur. — At unus pro cæteris nobis sufficiat sanctus Augustinus, qui uberrime hoc argumentum tractat duobus libris *De adulterinis conjugiis*, necnon et lib. 1. *De Serm. Domini in monte*, cap. 16. et 25. et lib. *De bono conjugali*, cap. 7. 18. et 24. maxime autem, lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 10. ubi inter alia sic scribit: *Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, cum quibus alias adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo prius verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio, possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima, de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit: quod lavacrum regenerationis accepit, redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui decesserit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii*, etc.

Suffragatur etiam ratio: *primo* namque si per fornicationem maritale vinculum solveretur, per illam fieret liber transitus ad secundas nuptias: sed hoc est absurdum; alioquin melioris conditionis foret uxor, quæ causa fornicationis et peccati, quam quæ innocens a viro injuriam et injustitiam ipsi faciente dimitteretur, quoniam illa alteri nubere posset, hæc vero non.

Insuper conjux adultera per repetitum adulterium viam sibi pararet ad alia et alia Matrimonia, sicque crimen suum in ipsius utilitatem et voluptatem redundaret. *Secundo*, hæc solutio ansam præberet utrique conjugi adulteria patrandi; quando enim conjuges moribus et animis invicem dissiderent, aut alieno et adulterino amore flagrarent, cuperentque se vinculis Matrimonii eximere, cum scirent id fieri posse adulterio, facili negotio ad illud facinus patrandum prorumperent, aut certe vero crimine deficiente, alter alteri de adulterio calumniam et accusationem intentaret, ut hac via prioribus nuptiis expeditus ad optatas nuptias convolare posset; ac subinde illa vinculi Matrimonialis ob fornicationem discessio fomitem præberet et occasionem plurium committendorum criminum; ideirco tamquam malorum fons et incentivum respuenda est. *Tertio denique*, uterque conjux per initum Matrimonium potestatem obtinet in corpus alterius, quod utique jus nullus ipsi unquam adimere potest: igitur quantumvis alter conjugum fornicetur, semper conjux innocens habet potestatem in ipsius corpus. Nec dicas ipsum renuntiare juri suo; hæc enim juris renuntiatio vim non habet solvendi vinculi Matrimonialis; quippe cum fieri possit extra casum adulterii, quando vinculum istud non solvitur.

Objiciunt adversarii primo: Dominus Matthæi 19. diserte ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur:* igitur a contrario sensu, qui dimittit ob fornicationem, et aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim Christi sententia

duarum orationum vim habere videtur, quarum altera affirmativa est, continens hujusmodi regulam: si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur; altera vero negativa est, quæ continet exceptionem ab hujusmodi regula, quam exprimit particula, nisi; hunc enim facit sensum: non potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem. Quod autem hic sit genuinus sensus Christi, *confirmatur primo*, quia ibidem Christus Dominus interrogatus a Pharisæis de libello repudii, qui omnimodam uxoris dimissionem continebat, illum repudii libellum tollit his verbis: *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis abrogat quidem libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit; alioquin ad interrogata a Pharisæis de libello repudii directe non respondisset; si enim nulla ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non subjunxisset illa verba: nisi ob fornicationem; sed absolute et simpliciter dixisset: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur:* quippe stante nostra sententia, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, sive ex causa fornicationis, sive non, semper mœchatur. *Secundo*, Christus Dominus de illa dimissa uxore sine causa fornicationis, duo pronuntiat: alterum, quod qui eam dimiserit, facit eam mœchari; alterum, quod qui eam duxerit, mœchatur. Ex quo sequitur, quod si dimittat ex causa fornicationis, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiamsi in causa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in causa adulterii, non facit eam mœchari, si cum alio copuletur; nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Nam citra causam fornicationis, hæc duo dicuntur; qua posita, et existente utrumque tollitur. — **Respondeo cum Arcudio** *ad primum*, primo verba illa Christi Domini *nisi ob fornicationem*, solum referri ad id quod præcedit, idest, ad dimissionem et separationem quoad torum et habitationem; non vero ad id quod sequitur, scilicet ad contractionem Matrimonii cum priori uxore; ita ut sensus illius exceptionis Christi sit: quicumque dimiserit uxorem suam, hoc est, ab ea se separaverit quoad torum et habitationem, quod utique facere non potest, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. *Respondeo secundo*, non recte ex his verbis Christi inferri: ergo quicumque dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur; nam hic quoque mœchatur, non ex eo quod dimiserit, sed ex eo quod duxerit aliam: illud enim, *nisi ob fornicationem*, non respicit, nisi permissionem, et primam partem sententiæ; quo sensu duo Christus Dominus ibidem asserit: alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum, nisi ob fornicationem; alterum non esse licitum quacumque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem contingeret, si alteram duceret; tunc enim mœcharetur. quibus inferri potest a contrario sensu: ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, et aliam ducit, non peccat dimittendo, sed mœchatur aliam ducendo, juxta illud Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Quare sive juste, sive injuste dimiserit, si tamen aliam non duxerit, neque cum illa rem habeat, non mœchatur. Quam utique explicationem S. Augustinus, lib. 1. *De conjugiis*, cap. 9. illustrat exemplo petito ex Epistola S.

Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi. Quemadmodum, inquit, *non recte dici potest: si ergo nescit homo, non peccat (sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium), ita non recte dici potest: ergo si causa fornicationis dimiserit vir uxorem, et aliam duxerit, non mœchatur; est enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, et alias ducunt.* — *Ad primam confirmationem respondeo*, Christum Dominum interrogatum a Pharisæis directe respondisse, quod liceat ob fornicationem uxorem dimittere, non tamen liceat aliam ducere. Itaque unum a Judæis fieri solitum concedit, nempe dimissionem uxorum ob causam fornicationis; alterum vero removet, nempe nuptias cum alia nova uxore. *Vel* dicendum est, duplicem fuisse Judæorum in dimittendo uxores consuetudinem, et utramque perversam: alteram quidem ob quascumque causas dimittendi uxores; alteram vero dimissis prioribus alias ducendi. Utramque autem Christus damnavit, et corrigere voluit; at contra priorem quidem ait: dico vobis, quod quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur; quia videlicet fidem conjugalem violat, sibique et uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem vero Judæorum consuetudinem, illud adjunxit: *et qui dimissam duxerit, mœchatur;* non aliam certe ob causam, nisi quia quæ dimissa fuerat ob fornicationem non erat prioris Matrimonii vinculo soluta. Ita Arcudius. — *Ad secundam confirmationem respondet*, illud *nisi ob fornicationem*, non debere referri ad utrumque membrum orationis, sed tantum ad primum; perfecta enim dimissio duo continet, nempe dimissionem unius, et potestatem ducendi aliam. *Primum* Dominus approbavit, idque in causa fornicationis; posterius autem improbavit; et propterea illam exceptionem, *nisi ob fornicationem*, non adjecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum; non enim dixit: quicumque dimiserit, et aliam duxerit, nisi ob fornicationem mœchatur. Unde illa exceptio cadit in id quod præcedit, non autem in id quod sequitur.

Objiciunt 2. Varias SS. Patrum auctoritates: *primo* quidem S. Gregorii Nazianzeni, qui Orat. 31. disserens de Matrimonio, ita loquitur: *Lex quidem omnes ob causas libellum dat repudii: at Christus non ab omnibus, sed separari tantum ab adultera uxore permittit. Idque propterea quia impudica genus corrumpit, et adulterat. Reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate, ac patientia uti jubet. Igitur cætera omnia patienter, moderate, ac sapienter feramus, vel, ut rectius loquar, sapienter et moderate ferte quicumque Matrimonii jugum subiistis.* Sic ille. Sed per libellum repudii antiquæ legis licebat alteram ducere. Igitur Christus in causa fornicationis idem permittit. *Et confirmatur* argumento Ambrosii Catharini, quia si de dimissione quoad torum sermo esset, profecto non sola causa fornicationis fuisset excepta, cum ex aliis etiam licita sit tori separatio, ut optime sciunt qui jura Ecclesiastica norunt. Similiter S. Chrysostomus, Homil. 19. in cap. 7. ad Corinth. proponens quæstionem, cur liceat manere cum infideli, non autem cum fornicatore, cum fornicatio sit minus malum infidelitate; respondet huic difficultati, quod per fornicationem *connubium dissolutum est, universa munditia nuptiarum avolavit atque discessit, ma-*

ritus post fornicationem non est amplius maritus. — **Respondeo,** S. Gregorium Nazianzenum non adversari nostræ sententiæ; imo potius patrocinari; cum enim libellus repudii duo contineret, nempe adulteram posse dimitti, et alteram posse duci, S. Gregorius hæc dividens, ait, Christum permisisse libellum repudii in eo tantum, ut vir separet se ab adultera, non autem ut aliam ducat; si autem alteram ducere licitum esse fuisset opinatus, illud profecto non tacuisset. *Ad S. Chrysostomum* dico cum Arcudio, cap. 24. Matrimonium tripliciter posse considerari, nempe quatenus inchoatum, quod est desponsatio per verba de futuro; quatenus perfectum, quando contractum est per verba de præsenti; et quatenus consummatum per actum conjugalem. Porro quoad hunc tertium modum, negat S. Chrysostomus debere amplius esse Matrimonium inter conjuges adulteros; fieret enim innocens per commixtionem nocens; qui enim adhæret meretrici fit unum corpus cum ea; atque ita fit, ut vir non sit amplius vir, quantum ad Matrimonium tertio modo sumptum; quia videlicet non debet amplius rem habere cum uxore adultera, ne fiat particeps ejus criminis. Unde eodem sensu ipsemet dicit ibidem, uxorem adulteram nullius esse uxorem, videlicet nec adulteri, nec prioris viri; pacta enim cum viro inita conculcavit, et ad adulterum cum debitis legibus non accessit.

Objiciunt 3. S. Ambrosium qui in *Comment.* ad illa verba 1. ad Cor. 7. *Quod si discesserit, manere innuptam,* ex sententia Apostoli viro tribuit jus ducendi aliam post divortium, licet mulieri neget. Verba ejus hæc sunt: *Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior.* Deinde exponens illud: *Et vir uxorem non dimittat,* ait: *Subauditur autem, excepta fornicationis causa, et ideo non subjecit, dicens, sicut de muliere: Quod si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est.* — **Respondet Magister sententiarum** in 4. dist. 35. et S. Thomas super illa Apostoli verba, necnon et Gratianus 32. q. 7. præfata verba non esse Ambrosii, sed fuisse a falsariis depravata, et Ambrosii Commentariis inserta. *Verum* id difficile esset probare, reclamantibus omnibus exemplaribus. *Respondet* Arcudius, cap. 26. cum aliis recentioribus Theologis, illos Commentarios in Epistolas Pauli non esse Ambrosii, quod plurimis momentis probare nititur. *Verum* quoniam ipsa momenta non mihi sat videntur efficacia ad elevandam horum Commentariorum auctoritatem; idcirco rectius dicendum arbitror cum Pontio, lib. 7. cap. 52. auctorem horum *Commentariorum* ibi loqui d
non de Lege Christi, seu de Lege Julia suo tempore rec
impune tolerabatur, ut vir dimittens uxorem propter adul
nuberet. Quam facultatem non habebat uxor innocens,
viro, eo quod mulieris adulterium cum prolem reddat ince
modo gravius est. Porro hanc legem non approbat S. Am
diserte improbat, lib. 1. *De Abraham,* cap. 4. ubi de
*Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne
est; nec viro licet, quod mulieri non licet. Eaden
debetur castimonia. Quidquid in eam, quæ non sit
missum fuerit, adulterii damnatur crimine.* Simi

lib. 6. *Instit.*, cap. 23. *Non enim*, inquit, *sicut publici juris ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium: maritus autem, etsi plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in Matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.*

Objiciunt 4. Can. 10 Concilii Arelatensis primi, ubi sic statuitur: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Igitur Concilium supponit, quod valide possint alias accipere; alioquin dixisset, hoc esse eis præcipiendum, non autem consulendum. Insuper proferunt decretum Zachariæ primi Pontificis, quod refertur cap. *Concubuisti* 32. q. 7., his verbis: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habebas; et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit:* igitur censet Pontifex, quod quando unus conjugum adulterium perpetravit, alter conjux innocens potest transire ad secundas nuptias, ac subinde solvitur vinculum Matrimonii per fornicationem. — **Nego consequentiam**; et ad Concilium Arelatense dico, illud consilium, quod suadet dandum, non esse intelligendum de aliis uxoribus accipiendis, sed de concubinis ad congressum illicitum non admittendis; ita quod mens illius Concilii sit, hortandos esse adolescentes illos, quorum uxores fornicatæ sunt, ut servent continentiam, et abstineant ab illicito concubitu cum aliis, qui licet lege divina et humana sit prohibitus, nihilominus censent Concilii Patres, convenientius agendum cum illo viro per monitionem et exhortationem, quam per præceptum, ut tali admonitione provocatus, facilius obediat Legi divinæ, et Ecclesiasticæ. Ad decretum Zachariæ respondeo, illud sic debere intelligi, ut mulier illa alteri nubat post mortem viri sui adulteri; vel si ipsi dumtaxat fuerit desponsata, non autem Matrimonio copulata, alteri iterum possit desponsari, ut cum ipso legitimum et validum Matrimonium contrahat. Ita explicat Glossa in illud caput, *Concubuisti*.

Objiciunt denique: Causa propter quam vir, stante Matrimonio, non potest ducere aliam, est, quia non habet potestatem sui corporis; ex eo quod corpus suum jam non est suum, sed uxoris ad Matrimonii usum est: similiter corpus uxoris mariti est: at per adulterium liberatur par innocens hac obligatione, idque permittente Domino, ita ut corpus viri, vel fœminæ, non sit amplius alterius, sed in propria sit potestate. Cur igitur non esset solutio vinculi? *Deinde*, si Matrimonium fit inter infideles, et alter eorum efficiatur fidelis, potest solvi etiam quoad vinculum; cur igitur non in causa fornicationis? *Denique*, spiritualis fornicatio separat sponsum a sponsa, ita ut sponsus valeat aliam sibi deligere; cur hoc non admittatur in carnali conjugio, cum in carnali sit spiritualis significatio, ut dicit S. Paulus? — **Respondeo ad primum** cum Arcudio, cap. 19. causam cur aliquis non possit ducere aliam uxorem, vivente priore, non esse, quia non habet potestatem sui corporis, sed præcise quia reperitur inter conjuges vinculum, idque indissolubile; ex quo tamquam effectus sequitur, ut qui vinculo conjugali constrictus est, non habeat amplius potestatem sui corporis. Porro hic effectus in casu fornicationis cessit cum quadam limitatione; non

enim vir, ob uxoris adulterium, adeo liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantum in pœnam adulterii potest usum sui corporis ipsi denegare. Cessat itaque hoc modo ejusmodi effectus, durante causa, nimirum vinculo, quod est de essentia Matrimonii. *Ad secundum dico* cum eodem, hoc interesse discrimen inter Matrimonium legitimum, et ratum, seu quatenus est in officium naturæ, et prout est Sacramentum, quod Matrimonium verum et legitimum habet quidem indissolubilitatem quamdam naturalem; ea tamen non est tanta, quæ in aliquo casu non possit dissolvi; Matrimonium autem ratum et perfectum seu consummatum nullam admittit dispensationem, nec subinde solutionem, propterea quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ utique indissolubilis est, qua conditione caret Matrimonium legitimum, et quod est tantum in officium naturæ. *Ad tertium dico,* spiritualem fornicationem separare quidem sponsum a sponsa, sive animam justi a Deo. Verum inde inferre non licet, Matrimonium esse dissolubile; non enim Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Deo, sed Christi cum Ecclesia; unde a dissolutione unius unionis non licet inferre dissolutionem alterius. *Adde quod,* per mortale peccatum non ita dissolvatur conjunctio animæ cum Deo, nec per peccatum animam ita Deus abjiciat, quin cum ea possit reconciliari, imo eam ad reconciliationem inspirationibus provocat, et gratiis ac oblatis auxiliis adjuvat.

Ex his itaque sequitur, ob fornicationem dissolvi tantum posse Matrimonium quoad torum et mutuam cohabitationem; si nempe conjux innocens nolit cum adultera cohabitare, et eam in societatem et gratiam admittere. Hæc autem separatio quoad torum multis de causis fieri potest, quas egregie et luculenter explicat Arcudius, cap. 22. Primo quidem ex mutuo conjugum consensu ratione altioris status; quod fieri contingit, ut si conjuges perpetuam voveant castitatem, et propter Evangelicam perfectionem ad Religionem transeant. « Unde « est illud Salvatoris, Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel « agrum, vel uxorem,* etc. *centuplum accipiet, et vitam æternam pos- « sidebit.* Et iste casus non erat commemorandus a Christo Domino « dum interrogaretur de libello repudii. Nam Pharisæi intelligebant « dimissionem uxoris ob aliquod crimen seu aliquem defectum. Cri- « men autem, propter quod dimittitur uxor, vel est adulterii, de quo « Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicatio- « nem,* etc. Vel est crimen hæreseos, de quo intelligitur illud Apo- « stolicum ad Titum, cap. 3. *Hæreticum hominem post unam et se- « cundam correctionem devita.* Et illud Christi Domini, Lucæ 14. *Si « quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et u « rem,* etc. Vel absolute est crimen aliquod lethale, ut si alter c « jugum impellat alterum ad peccatum; quo sensu accipitur il « Matth. 19. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Hoc est, ex « nente S. Hieronymo, si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pe « oculus, et est utilis, atque sollicitus, et acutus ad perspiciendun « scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum t « trahit in gehennam, melius est. ut, et propinquitate ejus, « mentis carnalibus careas, quam, dum vis lucrifacere co « necessarios, causas habeas ruinarum.

« Cur itaque Dominus, et eum imitati nonnulli SS. Patres solam « causam fornicationis expresserint, aliis criminibus prætermissis? « Hujus rei duplicem rationem assignat Bellarminus, lib. 1. *De Ma-* « *trimonii Sacramento*, cap. 14. § *Dicendum. Alteram*, quod hujus- « modi crimina sint communia Matrimonio cum aliis confœderatio- « nibus: siquidem propter hæresim, et inductionem ad peccatum, non « solum conjux a conjuge, sed etiam filius a Patre, et frater a fratre, « et servus a domino separari debet. Dominus autem peculiarem ac « propriam causam, quæ directe et per se opponatur Matrimonio, eo « loco indicare voluit: cætera enim crimina per accidens se habent « ad Matrimonium. Sola fornicatio opponitur per se fidei conjugali, « ob quam cæteræ confœderationes non solvuntur, sed solum Matri- « monium.

« *Alteram*, quia Dominus loquebatur de dimissione perpetua, de « qua etiam interrogaverant Pharisæi. Hanc autem efficit sola forni- « catio, quippe in aliis criminibus, resipiscente conjuge ac serio se « convertente, tenetur eum alter conjux recipere; at si semel forni- « cationem commiserit, et hoc modo fidem conjugi datam fregerit, « non stando promissis, statim cadit suo jure, et alterum conjugem « a debito reddendo per omnem vitam liberat. Neque cogitur alter « eum recipere, etiamsi resipiscat et serio convertatur ».

Quæres 1. *Utrum, et quo jure Matrimonium ratum possit dissolvi per solemnem professionem Religionis approbatæ?*

Respondeo primo, revera posse dissolvi, ut aperte docet Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 6., his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius non dirimi, anathema sit.* Eadem veritas colligitur ex decretis Summorum Pontificum; constat enim cap. Ex parte secunda, *De Convers. Conjugat.*, ubi Innocentius III declarat: *Antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.* Id etiam ante definierat, seu declaraverat Eusebius Papa et Martyr, ut refertur Can. *Desponsatam* 24. qu. 2., unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam S. Augustini, lib. 4. *Contra Donatistas*, cap. 24. « Quod universa tenet « Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonne « Apostolica auctoritate traditum censeri debet? »

Idipsum confirmatur variis exemplis Sanctorum, qui Matrimonio inito, sed non consummato, sponsas deseruerunt, ut perpetuam continentiam servarent, et religiosam vitam profiterentur. Sic S. Epiphanius, Hæresi 78., et S. Ambrosius, lib. 2. *De Virginibus*, referunt de S. Tecla, Metaphrastes de S. Cæcilia, S. Gregorius Magnus, lib. 3. *Dialogorum*, cap. 14. de quadam Gregoria sanctimoniali, et plurimi alii de S. Alexio, quibus nonnulli censent præluxisse S. Joannem Evangelistam; creditur enim ab ipsis Canæ Galileæ nuptiis, quibus ut sponsus intererat, a Christo Domino fuisse vocatum ad statum Apostolicum, qui Religiosorum est exemplar.

Hujus veritatis alia non subest ratio *a priori*, quam voluntas Dei dispensantis in vinculo Matrimonii, ut conjugatus totum sese divinis

obsequiis et officiis mancipet ac devoveat. Quæ utique divina voluntas nobis innotescit, non solum per exempla Sanctorum ab Ecclesia probata, et etiam per eorumdem vitam pietate illustrem ac miraculis confirmatam, sed etiam per ipsiusmet Ecclesiæ decreta supra memorata. Nihilominus a posteriori proferri potest hæc ratio congruentiæ, nempe quod ante carnalem copulam, inter conjugatos sit tantum quoddam spirituale vinculum. Sicut autem post carnalem copulam, vinculum illud carnale Matrimonii solvitur per mortem corporis, ita per professionem Religionis ante actum Matrimonialem solvitur spirituale vinculum, quod erat inter conjuges; quia Religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

Respondeo secundo, Matrimonii rati vinculum non dissolvi auctoritate Ecclesiastica, sed dispensatione divina, nempe Christi Domini dispensantis in Lege Naturæ et Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: *tum* quia Ecclesia non potest solvere istud vinculum, nisi dispensaret in Lege naturæ et Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: sed hoc dici non potest; nam, ut ait Christus Dominus, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet: tum* quia Ecclesia dispensare non potest in his, quæ sunt de jure divino naturali, et supernaturali, ut communiter docent Theologi contra quosdam Recentiores asserentes Summum Pontificem posse dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino et naturali, non quidem per potestatem, quam habeat ex se, sed specialiter sibi a Christo communicatam, ob publicum Ecclesiæ bonum: ac subinde non potest dispensare circa dissolutionem Matrimonii, ratione professionis religiosæ.

Nec obstat, quod Matrimonium ratum et consummatum sit ejusdem generis, et speciei, quodque utrumque sit Sacramentum; inde namque inferre non licet, Matrimonium ratum potiori jure non posse solvi per solemnem Religionis professionem, quam consummatum. Siquidem votum solemne Religionis non solvit vinculum Matrimonii tantum rati ex natura sua, et per efficaciam propriam, sed ex privilegio Christi dispensantis in favorem Religionis circa indissolubilitatem Matrimonii rati potius quam consummati, quæ dispensatio per Ecclesiæ decreta innotescit: *tum* quia licet per Matrimonium ratum uterque conjugum jus accipiat in corpus alterius, unius tamen corpus nondum censetur perfecte translatum in ipsius usum; quippe cum actualem ipsius possessionem non habuerit.

Quæres 2. *Utrum poligamia, seu uxorum pluralitas, sub uno viro sit illicita?*

Respondeo primo, ipsam Legi divinæ adversari, ut constat ex ipsa primaria Matrimonii institutione, in qua Deus [illegible] uni mulieri virum copulavit; unde de utroque [illegible] ad conjugium destinato sic loquitur, Gen. 1. *Masculum et feminam creavit eos;* quod etiam repetit cap. 5. per hoc signum pluribus, sed unum uni in Matrimonio esse copulatum etiam ex cap. 2. ubi eadem Scriptura ait, quod [illegible] *suæ*, non uxoribus, et quod *erunt duo in carne una*, non plures. Quam etiam probationem Dominus [illegible] verbis illis ex Genesi repetitis, hæc addit [illegible]

sed una caro, quibus significat, Matrimonium ab initio institutum fuisse in eum effectum, ut duo, qui conjunguntur, fiant una caro. Quod certe fieri non posset, si unus pluribus conjungeretur.

Unde sanctus Hieronymus exponens illa verba Christi, Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos*, subjicit: *Dicendo, masculum et fœminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait, masculum et fœminas, sed masculum et fœminam, ut unius conjugii consortia necterentur.*

Eadem probatione utuntur SS. Chrysostomus, Anselmus, et Theophylactus in *Commentariis* ad eumdem locum S. Matthæi, quibus pariter subscribit Nicolaus I, ad *Consulta Bulgarorum*, cap. 5. ubi scribit: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, et unam fœminam tantum, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ: non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne una, et non tres, aut plures.* Idem ante eos duos Pontifices censuerunt Siricius, Epist. 2. et Innocentius I, Epist. 3. cap. 6. et plures alii, ut videre est apud Gratianum 32. q. 7. et in Decretalibus titulo *de sponsa duorum*. Unde merito Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla Lege divina esse prohibitum, anathema sit.*

Confirmatur assertio ex eo, quod si poligamia a Deo fuisset permissa, maxime eo tempore, quo propter hominum paucitatem, et necessitatem humanæ propagationis, nempe ab initio mundi usque ad diluvium, videbatur usurpanda: sed tunc temporis nullus SS. Patriarcharum legitur habuisse plures uxores, et solus Lamech ex stirpe reprobi Cain duas duxit, in quo mortaliter peccavit, ut docet Doctor, dist. 23. n. 8. igitur signum est, quod poligamia fuerit divinitus prohibita. ✻ "Nec movere debet quod in Beresith Rabba legimus sub diluvium hominum morem fuisse, *ut pro libitu binas sibi duceret quisque uxores, alteram prolis gratia, alteram in concubitum. Ea autem quæ prolis gratia haberetur, velut vidua, quamdiu superstes esset degebat. Sed ea quæ in concubitum adhiberetur sterilitatis exhaurire solebat poculum, ut sterilis redderetur, atque juxta virum occumbere solita, velut meretricio ornabatur habitu.* Eadem habet Salomon Jarchius ad cap. 24. Jobi, in eumque sensum producit et interpretatur hæc verba, ejusdem cap. v. 21: *pavit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* Ista, inquam, movere non debent, certum enim est ea nihil aliud sapere quam rabinicum et inane commentum. Nam ex Historia sacra apparet homines circa tempus diluvii non habuisse plures, quippe Gen. 7. refertur quod Noë unicam habuerit uxorem, similiter et de ejus tribus filiis. Unde S. Petrus, Epist. 1. cap. 3. dicit octo tantum animas salvas fuisse, nimirum Noë tresque ejus filii cum suis uxoribus. Nullusque ante diluvium præter Lamechum plures legitur habuisse uxores. ✻ "

Deinde, si poligamia non esset divinitus prohibita, veteres Patres sub Lege naturæ, vel scripta potuissent licite, et absque ulla dispensatione plures uxores ducere: sed ita non est; nam, ut observat Innocentius III, cap. *Gaudemus* de divortiis: *Nulli unquam licuit simul*

plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum. Hinc S. Chrysostomus, Homil. 56. in cap. 30. *Genes.* docet, consuetudinem habendi plures uxores in plurimis iniquam fuisse, et contra divinam dispensationem et legem.

Eamdem assertionem variis rationibus probare solent Auctores, ut evincant poligamiam esse contra jus naturale. Verum quoniam mihi videntur minus efficaces, et ideo solum subjicio eam quam tradit Subtilis Doctor, n. 3. ubi cum observasset in Matrimonio duplicem esse finem: unum primarium, nempe procreationem prolis; alterum secundarium, videlicet, ut sit in remedium concupiscentiæ in natura lapsa; inde colligit *primo*, quod in Matrimonio debeat intercedere commutatio corporum, qua vir suum corpus tradit uni uxori, et uxor suum corpus transfert in potestatem unius viri; inde sequitur, quod ubi vir semel suum corpus transtulit in potestatem unius uxoris, et pro commutatione accepit ejusdem uxoris corpus, neuter eorum habet potestatem sui corporis, ac subinde ubi semel cessit jus in suum corpus, non potest amplius idipsum alteri tradere; quippe traderet alienum, et quod jam suum non est, et sic peccaret contra justitiam.

Colligit secundo, quod licet quantum ad primum finem Matrimonii corpus viri sit majoris valoris, quam corpus mulieris, qui pro eodem tempore idem vir potest plures mulieres fœcundare, mulier autem eadem non possit a pluribus viris eodem tempore fœcundari, ut diversam prolem concipiat et pariat; unde videretur bigamiam ex parte viri non esse contra Legem naturæ, nec contra justitiam, si dumtaxat primarium Matrimonii finem spectes; quia quantum ad prolis procreationem, vir juste posset suum corpus cum tot mulierum corporibus commutare, quot posset fœcundare; nihilominus quantum ad finem secundarium, nempe pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt corpus viri, et mulieris: « Ideo, *inquit Doctor*, de stricta justitia « pro statu naturæ lapsæ, considerando contractum istum, ut est « ad utrumque finem, requiritur commutatio unius corporis pro unico. « Et addo, quod completio justitiæ in ista commutatione non est, « nisi ex auctoritate superioris instituentis, vel approbantis talem « commutationem; quia etsi res aliquæ sunt inferiorum dominorum, « tamen commutatio earum licita, et justa, talis, vel talis, determi- « natur a Legislatore, et multo magis in proposito, et de corpori- « bus in comparatione ad Deum: ipse autem instituit, et pro statu « innocentiæ, et pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commu- « tationem debere fieri unius cum uno: in hoc ergo est completa ju- « stitia ». *Ita Doctor*, quibus significat ad strictam justitiam spectare, quod vir, ubi semel suum corpus commutavit cum corpore mulieris, non potest illud alteri mulieri tradere, nec vicissim mulier suum corpus transferre ad alium virum; quia peccarent non solum contra justitiam commutativam, sed etiam contra Legem Dei, qui instituit, tam pro statu naturæ innocentis, quam lapsæ, ut ista corporum commutatio fieret unius pro uno.

Respondeo secundo, Deum dispensasse cum aliquibus antiquis Patriarchis post diluvium, ut plures uxores ducerent, puta cum Abrahamo, Jacobo, Davide, qui fuerunt viri sanctissimi, et tamen plures uxores habuerunt; imo 2. Regum, cap. 12. Deus per Nathan

ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult Corpus Christi accipere, et non adultera reputari, agat pœnitentiam; ita dumtaxat ut cum secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur. — At unus pro cæteris nobis sufficiat sanctus Augustinus, qui uberrime hoc argumentum tractat duobus libris *De adulterinis conjugiis*, necnon et lib. 1. *De Serm. Domini in monte*, cap. 16. et 25. et lib. *De bono conjugali*, cap. 7. 18. et 24. maxime autem, lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 10. ubi inter alia sic scribit: *Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, cum quibus alias adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo prius verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio, possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima, de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit; quod lavacrum regenerationis accepit, redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui decesserit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii*, etc.

Suffragatur etiam ratio: *primo* namque si per fornicationem maritale vinculum solveretur, per illam fieret liber transitus ad secundas nuptias: sed hoc est absurdum; alioquin melioris conditionis foret uxor, quæ causa fornicationis et peccati, quam quæ innocens a viro injuriam et injustitiam ipsi faciente dimitteretur, quoniam illa alteri nubere posset, hæc vero non.

Insuper conjux adultera per repetitum adulterium viam sibi pararet ad alia et alia Matrimonia, sicque crimen suum in ipsius utilitatem et voluptatem redundaret. *Secundo*, hæc solutio ansam præberet utrique conjugi adulteria patrandi; quando enim conjuges moribus et animis invicem dissiderent, aut alieno et adulterino amore flagrarent, cuperentque se vinculis Matrimonii eximere, cum scirent id fieri posse adulterio, facili negotio ad illud facinus patrandum prorumperent, aut certe vero crimine deficiente, alter alteri de adulterio calumniam et accusationem intentaret, ut hac via prioribus nuptiis expeditus ad optatas nuptias convolare posset; ac subinde illa vinculi Matrimonialis ob fornicationem discessio fomitem præberet et occasionem plurium committendorum criminum; idcirco tamquam malorum fons et incentivum respuenda est. *Tertio denique*, uterque conjux per initum Matrimonium potestatem obtinet in corpus alterius, quod utique jus nullus ipsi unquam adimere potest: igitur quantumvis alter conjugum fornicetur, semper conjux innocens habet potestatem in ipsius corpus. Nec dicas ipsum renuntiare juri suo; hæc enim juris renuntiatio vim non habet solvendi vinculi Matrimonialis; quippe cum fieri possit extra casum adulterii, quando vinculum istud non solvitur.

Objiciunt adversarii primo: Dominus Matthæi 19. diserte ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur:* igitur a contrario sensu, qui dimittit ob fornicationem, et aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim Christi sententia

duarum orationum vim habere videtur, quarum altera affirmativa est, continens hujusmodi regulam: si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur; altera vero negativa est, quæ continet exceptionem ab hujusmodi regula, quam exprimit particula, nisi; hunc enim facit sensum: non potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem. Quod autem hic sit genuinus sensus Christi, *confirmatur primo*, quia ibidem Christus Dominus interrogatus a Pharisæis de libello repudii, qui omnimodam uxoris dimissionem continebat, illum repudii libellum tollit his verbis: *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis abrogat quidem libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit; alioquin ad interrogata a Pharisæis de libello repudii directe non respondisset; si enim nulla ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non subjunxisset illa verba: nisi ob fornicationem; sed absolute et simpliciter dixisset: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur:* quippe stante nostra sententia, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, sive ex causa fornicationis, sive non, semper mœchatur. *Secundo,* Christus Dominus de illa dimissa uxore sine causa fornicationis, duo pronuntiat: alterum, quod qui eam dimiserit, facit eam mœchari; alterum, quod qui eam duxerit, mœchatur. Ex quo sequitur, quod si dimittat ex causa fornicationis, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiamsi in causa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in causa adulterii, non facit eam mœchari, si cum alio copuletur; nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Nam citra causam fornicationis, hæc duo dicuntur; qua posita, et existente utrumque tollitur. — **Respondeo cum Arcudio** *ad primum*, primo verba illa Christi Domini *nisi ob fornicationem*, solum referri ad id quod præcedit, idest, ad dimissionem et separationem quoad torum et habitationem; non vero ad id quod sequitur, scilicet ad contractionem Matrimonii cum priori uxore; ita ut sensus illius exceptionis Christi sit: quicumque dimiserit uxorem suam, hoc est, ab ea se separaverit quoad torum et habitationem, quod utique facere non potest, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. *Respondeo secundo*, non recte ex his verbis Christi inferri: ergo quicumque dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur; nam hic quoque mœchatur, non ex eo quod dimiserit, sed ex eo quod duxerit aliam: illud enim, *nisi ob fornicationem*, non respicit, nisi permissionem, et primam partem sententiæ; quo sensu duo Christus Dominus ibidem asserit: alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum, nisi ob fornicationem; alterum, non esse licitum quacumque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem contingeret, si alteram duceret; tunc enim mœcharetur. Ex quibus inferri potest a contrario sensu: ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, et aliam ducit, non peccat dimittendo, sed mœchatur aliam ducendo, juxta illud Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Quare sive juste, sive injuste dimiserit, si tamen aliam non duxerit, neque cum illa rem habeat, non mœchatur. Quam utique explicationem S. Augustinus, lib. 1. *De adulterinis conjugiis*, cap. 9. illustrat exemplo petito ex Epistola S. Jacobi, cap. 1.

Dices 2: Nusquam dispensatum est in biviria, nec licitum fuit uxori duos viros ducere: ergo nec e converso potest esse licitum plures habere uxores. *Consequentia patet* a paritate rationis; sicut enim per Matrimonium vir potestatem accipit in corpus mulieris, ita ut mulier sui corporis potestatem amplius non habeat, sed vir; ita e converso vir conjugatus non habet amplius potestatem sui corporis, sed mulier. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod poligamia non opponatur fini primario Matrimonii, sed tantum secundario; biviria autem opponitur primario, quia eadem mulier non potest a pluribus viris eodem tempore fœcundari, sicut plures mulieres fœcundari possunt ab eodem viro.

Quæres 3. *Utrum, et quænam sint Matrimonii bona?*

Respondet S. Augustinus, lib. 9. *De Genesi ad litteram*, cap. 7. *Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum est: fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur.* Idem habet pluribi, maxime lib. 16. *De Civitate*, cap. 34. necnon et lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 11. ubi scribit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi: proles, fides, et Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Hanc autem triplicem Matrimonialis boni distributionem ex multiplici capite egregie colligit S. Bonaventura, dist. 31. art. 1. q. 2. ubi scribit: sufficientia bonorum Matrimonii potest accipi a *parte causæ instituentis*, sive efficientis; et sic a triplici principio; *a dictamine* scilicet *naturæ*, ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturæ, et sic est bonum prolis; *a dictamine rationis rectæ*, ut vir cum sua, et non cum alia cubet muliere, et sic est bonum fidei; *a dictamine gratiæ*, ut significetur unio divinæ naturæ et humanæ, et sic est bonum Sacramenti.

Potest etiam accipi a parte *principalis constituentis*, et hoc triplicíter: quia ad hoc, quod Matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus, et fructus. *Ratione institutionis*, est bonum Sacramenti: *ratione debiti usus*, est bonum fidei: *ratione fructus conferentis usum*, est bonum prolis. Et sic patet, quod est triplex bonum.

Potest denique excipi a parte finis moventis, sive terminantis, et hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum. Quia *ad bonum*, cum triplex sit eligendum, scilicet honestum, conferens, et delectabile; ratione boni honesti est fides; ratione conferentis, proles; ratione delectabilis est Sacramentum, secundum quod superius est monstratum. Vel aliter, quia *contra malum* concupiscentiæ, quæ habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem, et fastidium. Contra fluxum est in Matrimonio unio singularis; contra inordinationem, unio utilis; contra fastidium, unio inseparabilis. Ratione singularitatis in unione est fides; ratione utilitatis, proles; ratione inseparabilitatis, Sacramentum. Et hæc tria signant triplicem proprietatem unionis Chri-

sti cum Ecclesia, quia scilicet unitur uni, et quia ex ea filios generat, et quia nunquam separatur. *Ita Seraph. Doctor.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS PRÆREQUISITIS AD LEGITIMUM MATRIMONIUM.

Duplicis generis dispositiones ad legitimum et Christianum Matrimonium agnoscunt Theologi, quarum aliquæ sunt absolute necessariæ, aliæ vero utiles, et quæ conducunt ad ampliorem ipsius fructum et effectum spirituale, necnon et feliciorem conjugum statum ineundum; hic autem non est sermo de posterioribus dispositionibus utpote quæ nullam controversiam theologicam præseferant, aut saltem, quæ facili negotio ex jam dictis, et infra dicendis non possint dissolvi. Hæ namque dispositiones præcipuæ sunt: *primo,* quod neuter contrahentium impedimentum habeat, quia cum impedimento, vel invalide, vel saltem illicite contrahetur, prout impedimentum erit dirimens, vel saltem impediens, de quibus agemus Art. sequenti. *Secundo,* ut contrahentes ad Matrimonii statum, Deo stimulante ac suadente, vocentur; cum enim gravia et difficilia sint Matrimonii onera, opus est gratia et auxilio speciali ad ea debita cum animi pietate et constantia perferenda. Opus est igitur ad hoc divinum auxilium obtinendum, quod conjuges divinitus ad Matrimonium evocentur; unde Proverb. 19. *Domus, et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* Vel, ut legunt Septuaginta Interpretes, *A Domino uxor optatur viro.* Quod utique perspicuum fit ex primo hominum connubio; Deus enim videns, quod non esset bonum hominem esse solum, non tantum fecit ei adjutorium simile sibi, producendo mulierem, quæ foret ipsius uxor; sed insuper *adduxit eam ad Adam,* Genes. 2. quo significaret, neminem sibi, ut faustum fiat Matrimonium, debere aliam uxorem seligere, quam eam, quæ a Deo destinata est. Quapropter quicumque Matrimonium inire contendit, necessum est, quod id intendat, non ex motivo explendæ ambitionis, avaritiæ, aut libidinis; sed glorificandi Deum, salutem operandi, gignendi filios, qui Sanctorum, ac Beatorum sortem, ac numerum augeant: *Illæ enim,* inquit S. Isidorus, lib. *De Ecclesiasticis Officiis, sunt certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt: neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant, sed tantum ut fructum propaginis quærant.* De his, inquam, præparationibus amplior nobis non erit sermo, utpote quarum declaratio Christianum oratorem ac concionatorem potius, quam Theologum exigat. De his itaque solum agemus in præsenti, quæ ad Matrimonium valide contrahendum necessario prærequiruntur, qualia sunt *Sponsalia,* quæ sunt veluti futuri Matrimonii inchoationes. Ut autem omnia, quæ de sponsalibus agitari solent a Theologis, non minori brevitate, quam facilitate innotescant, singulas difficultates agitari solitas sub specialibus paragraphis expendemus.

§ I. — Quid sint Sponsalia.

Respondeo primo, sponsalia dicta esse a *spondendo,* et quidem ob istam duplicem causam: *primo,* quia spondere idem est, ac sponte

promittere: at in contractu Matrimonii spontanea promissio requiritur: ergo, etc. *Secundo*, quia mos erat olim, ut puella nuptura promitteretur viro a patre, vel tutore, aut amicis. Unde qui promittebantur vocari solebant sponsus et sponsa, quasi alteri promissus, aut promissa; qui autem promittebant sponsores dicebantur; ipse vero contractus, quo fiebat promissio, sponsalia.

Respondeo secundo, Sponsalia, quantum ad nominis acceptionem, sumi tripliciter: *primo*, pro futuri Matrimonii promissione. *Secundo*, pro Matrimonio contracto de præsenti non consummato, et hoc sensu conjuges sponsi appellantur. Sic Maria Virgo Deipara, de qua dicitur Matth. *Cum esset desponsata Maria mater ejus* (Jesu) *Joseph*. Lucæ 2. appellatur uxor ipsius Joseph, cujus ratio est quia qui contrahit Matrimonium in præsenti, spondet in futuro officium conjugale. *Tertio*, pro muneribus, quæ dabantur olim sponsæ a sponso; ut ex 1. Reg. 13. colligitur his verbis: *Non habet rex sponsalia necesse;* idest necesse non est, ut David det munera Michol filiæ Saulis Regis.

Hic autem de Sponsalibus, juxta primam acceptionem sumus acturi.

Definiuntur autem sponsalia a Nicolao I, cap. Nostrates 30. q. 5. *Futurarum nuptiarum promissio*. Dicuntur autem *promissio*, ut distinguantur a simplici proposito Matrimonii, quod vinculum et obligationem sponsalium minime inducit. Additur, *nuptiarum futurarum*, ut secernantur ab ipso Matrimonio, importante consensum de præsenti. Porro hæc promissio debet esse libera seu voluntaria; nam sponsalia gravi metu contracta nulla sunt, et quemadmodum sine voluntario ac mutuo consensu contrahentium non fit validum Matrimonium, ita nec sponsalia rata sunt, nisi sponsus et sponsa in promissionem consentiant. Unde Sponsalia, quæ parentes interdum pro filiis ineunt ante legitimam eorum ætatem, rata fieri non possunt, nisi per filiorum consensum, cum ad illam ætatem pervenerint: sicut nec illa rata esse possunt, quæ pro filiis legitimam ætatem habentibus parentes contrahunt, nisi filii tacite vel expresse consenserint. Ille autem rationis usus ad ea sponsalia contrahenda sufficit, qui satis est ad peccatum mortale. Septennium enim requisitum a jure, lib. *De Sponsalibus* 2. *ff. De Sponsal. et cap. litteris, c. accessit, c. ad dissolvendum, de Spons. impub.* pertinet solum ad forum externum; nam in conscientia sufficit usus rationis, qui sufficere potest ad committendum aliquod peccatum mortale; etenim sponsalia obligationem inducunt sub mortali, saltem extra casus exceptos, ac subinde advertentiam et deliberationem tantam requirunt, quanta requiritur et sufficit ad peccatum mortale committendum.

Unde convenientius Sponsalia mihi videntur definiri posse his verbis: *Sponsalia sunt promissio mutua ac libera viri et fœminæ futuri Matrimonii inter legitimas personas.*

Ex qua utique definitione tres sequuntur conditiones necessariæ ad sponsalia, ex parte promissionis, et totidem ex parte promittentium. Nam *primo* promissio debet esse mutua; quia, ut mox diximus, Sponsalia nihil aliud sunt, quam futuri Matrimonii promissio; unde non sufficit, quod unus promittat, et alter acceptet; sed necessum est, quod uterque revera promittat; nam, ut docet Pontius, lib. 12. cap. 4. si unus promittat, alter vero non repromittat, neuter remanet obligatus;

Sponsalia enim sunt contractus cujusdam commutationis ita ut alter nec velit. nec possit velle se tradere, nisi sub conditione, quod alter in compensationem se retribuat. Censet tamen Pontius, quod eo ipso, quo alter alterius promissionem acceptat, uterque manet obligatus, quia nemo potest promissionem acceptare, nisi sub conditione repromissionis. Sanchez vero, lib. 3. disp. 5. docet aliquem posse acceptare promissionem absque repromissione, in quo casu solus promittens manet obligatus, donec alter ex nimia dilatione repromissionis, et Matrimonii, obligationem partis tacite contemnere censeretur.

Secunda conditio ex parte promissionis est, quod sit manifestata; alioqui non posset ab homine, cui fit, acceptari; solus enim Deus, et hominis interiores affectus, et motus inspicit, juxta illud 1. Regum 16. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Tertia conditio est, quod illa promissionis manifestatio fiat certis signis sensibilibus, puta vel vocibus, vel nutibus, vel scripturis, quemadmodum diximus de Matrimonio.

Ex parte vero contrahentium *prima conditio* est, ut sint habiles ad ineundum Matrimonium. Tales vero sunt, qui nullum habent impedimentum, saltem perpetuum Matrimonii contrahendi; nam qui habent impedimentum dirimens, imo et impedimentum perpetuum simpliciter impediens, ad Sponsalia contrahenda inhabiles sunt. De habentibus impedimentum dirimens nulla difficultas; de habentibus vero impedimentum simpliciter impediens saltem perpetuum, res quoque clara; quia omnis promissio rei illicitæ est invalida, et consequenter non obligat, cum nemo ad rem illicitam præstandam obligari possit: at quando est impedimentum impediens, saltem perpetuum, tunc Matrimonium redditur illicitum propter illud: ergo Matrimonii promissio, in qua Sponsalia ipsa consistunt, irrita et invalida est. Dixi, *saltem quando perpetuum est impedimentum impediens;* quia Sponsalia contrahi possunt, quando impedimentum simpliciter impediens est dumtaxat temporale, quia in hoc casu non promittitur res illicita, cum res promittatur implenda solum tempore, quo licita evaserit; sic qui vovit castitatem ad tempus, valide Sponsalia contrahere potest eo tempore quo viget votum, quamvis eo tempore Matrimonium licite iniri non possit: possunt quoque impuberes Sponsalia contrahere ante adeptam pubertatem, quamvis ante illam Matrimonium contrahere non possint.

Secunda conditio ex parte contrahentium est, quod habeant legitimam ætatem, quæ tam ex jure civili, quam ex canonico, debet esse ad minus septennium. De civili quidem constat ex *leg. in sponsalibus* ff. de sponsal. in qua dicitur, *posse sponsalia a primordio ætatis effici, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, idest* (explicatio est legis) *si non sint minores, quam septem annis.* De jure vero Canonico etiam liquet ex variis summorum Pontificum rescriptis, ut ex cap. 4. et 5. *De Despons. impub.* ubi Alexander III, interrogatus de sponsalibus juvenis cujusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleverat, secus autem fuisse irrita. Et cap. 13. eodem titulo Innocentius III. declarat, inter juvenem et puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec Matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et cap. unico eodem tit. in 6. Bonifacius VIII.

affirmat, Sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium nulla esse, nisi postea consenserint, et signo aliquo externo consensum suum expresserint. — Hæc tamen, ut diximus, ita sunt intelligenda, ut si præcesserit usus rationis, etiam valeant sponsalia ante septennium inita, ut constat ex cap. 9. *De Desponsat. impuberum*, ubi Alexander III, de illis sic ait: *Si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consentire, cum in eis ætatem supplevisse malitia videatur.* Et cap. ultimo, eodem titulo, Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum duodecimum, eratque dubium, an sufficientem ætatem attigisset, respondet in hunc modum: *Si puella nubilis non erat ætatis, et ætatem in ea prudentia non supplebat, procul dubio inter eos, non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt.*

Tertia tandem et ultima conditio ex parte contrahentium Sponsalia est, ut libere consentiant, saltem tacite; quando nimirum parentes, ipsis præsentibus et tacentibus, contrahunt, cap. unico *De Despons. Impub.* in 6. Si vero alii hoc modo contrahant, censeo cum Sanchez, tom. 1. lib. 1. disp. 21. n. 7. ipsorum silentium non esse sufficiens signum consensus, quia c. citato hoc de parentibus tamquam quid speciale statuitur, et illa regula, *qui tacet, consentire videtur*, vera est in favorem, non in præjudicium tacentis. Nihilominus non est omnino improbanda sententia Pontii, lib. 2. cap. 14. n. 7, quod præsumatur consensus etiam in eo casu; et multo magis, si ipsis sponsis præsentibus contrahant eorum tutores, ut docuit Coninck, aut parentes contrahant coram filiis mancipatis, vel spuriis.

§ II. — *Utrum, et quomodo Sponsus et Sponsa teneantur ad contrahendum Matrimonium?*

Respondeo primo, Sponsalia legitime inita inducere obligationem etiam sub mortali ad Matrimonium contrahendum. Quod utique constat; nam ex contractu in gravi materia oritur obligatio justitiæ id implendi, quod promissum est, sub pœna peccati mortalis: sed promissio, in qua Sponsalia essentialiter consistunt, est in re gravi: igitur obligant sub peccato mortali. Unde Innocentius III. cap. 2. *De Sponsalibus*, ait: *Hi qui de contrahendo Matrimonio pure et sine omni conditione fidem dederant, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent.* Hinc si monitionem Pastorum respuant, cogi poterunt per Judices Ecclesiasticos ad implendum Matrimonium, ut constat ex cap. *ex litteris* 1. *De Sponsat.* Cujus utique ratio est aperta, qui enim debitor est ex debito justitiæ, cogi potest per Judicem ad solvendum et reddendum quod debet: at ille qui debite contraxit Sponsalia hoc modo debitor est: igitur per Judicem cogi potest ad solvendum quod debet, maxime quando nulla intervenit rationabilis causa, quæ ipsi libertatem faciat a contractu resiliendi.

Nec obstat id, quod habetur leg. 1. cap. *De Sponsalibus*, ubi dicitur: *Alii desponsata renuntiare conditioni, et nubere alii non prohibetur.* Hoc, inquam, non obstat; nam, ut observat Sanchez, lib. 1. disp. 17. Lex illa Cæsarea tamquam injusta revocata fuit et abrogata a *Jure Canonico*. Vel, quod verius existimo cum glossa, hæc lex præ-

fatæ sententiæ non adversatur; siquidem loquitur de sponsalibus ex mutuo sponsorum consensu rescissis; possunt enim contrahentes ex communi consensu inita Sponsalia irritare, iisque relaxatis ac solutis, valide ac licite cum aliis contrahere. Quod quamdiu factum non est, nisi aliud adsit impedimentum, tenentur Sponsus et Sponsa mutuo promissum Matrimonium celebrare, ita quod si quis eorum sine justa causa resilire velit, censeatur esse in statu peccati mortalis, ac subinde ipsi deneganda est Sacramentalis Absolutio, quamdiu in injusta ipsa voluntate remanserit.

Contingere tamen potest per accidens, quod interdum ad id non sint cogendi per censuras et pœnas Ecclesiasticas, quando videlicet evidens est periculum, ne ex hujusmodi Matrimonii contractione gravia scandala vel incommoda oriantur. *Tum* quia tunc solum cogendi sunt ad ineundum Matrimonium, quando id Matrimonii fini expedit, nimirum debitæ filiorum procreationi et educationi, ac mutuo obsequio inter virum et fœminam: sed in hoc casu Matrimonium ineundum non expediret huic fini, imo ipsi aperte adversaretur, si nempe perpetua forent inter conjuges dissidia: igitur, etc. *Tum* quia eo in casu nemini fit injuria; neque etiam parti innocenti et postulanti Matrimonium, quia ipsius grave nocumentum cavetur, ac prudenter ejus quieti et tranquillitati providetur; ac subinde nullum ipsi fit detrimentum et præjudicium. *Tum denique,* quia licitum est aliquando permittere minus malum, ut gravius caveatur: sed longe gravius malum est, quod perpetua sint scandala et continuæ inimicitiæ inter sponsum et sponsam, quam quod sponsaliorum fides frangatur: igitur, etc.

Respondeo secundo, pari ratione eos teneri ad contrahendum Matrimonium, vel certo tempore, si quod præfinitum fuit, vel si nullum est præfinitum, primo tempore congruo secundum judicium prudentium; vel saltem tempore utriusque consensu præfiniendo, ita ut neutri parti contra voluntatem alterius in mora esse debeat. Excipitur tamen casus, quo pars videtur sponte dilationem celebrandi Matrimonii concedere; quod utique præsumitur, quoties non urget promissionis impletionem, cum facile posset.

Tertio dico, Sponsalia obligare saltem mediate ad abstinendum ab eis omnibus (excepto ingressu Religionis, ac similibus de jure concessis) quæ si fierent a conjuge, forent contra finem Matrimonii; sicut enim in Matrimonio traduntur mutua corpora, ita per Sponsalia promittitur et traditur quoddam jus, saltem remotum, in ipsa corpora, contra quod jus peccarent sponsi, si post celebrata Sponsalia, fornicationem cum alio committerent.

Quale autem foret illud peccatum fornicationis, an verum adulterium, an vero præter malitiam fornicationis contineret etiam malitiam alterius peccati in ratione injuriæ, ita quod non solum esset contra castitatem et temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, controvertitur apud Theologos; aliqui enim censent cum Paludano, in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. esse revera adulterium; nonnulli vero cum Covarruvia 4. decretalium, parte 1. cap. 1. existimant non esse peccatum mortale distinctum a peccato fornicationis; cæteri vero communiter docent, illud peccatum esse distinctum peccatum mortale in ratione injuriæ a peccato fornicationis, subindeque transferre peccatum

fornicationis ad alteram luxuriæ speciem: *tum* quia qui fornicationem illam committit, præbet sufficientem causam solvendi Sponsalia; quod utique in levem injuriam non videtur convenire; nam culpa, quæ viro cordato non sufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad solvenda Sponsalia: *tum* quia licet per Sponsalia Sponsus non habeat *jus in re* ad corpus sponsæ. nec vicissim sponsa ad corpus sponsi, quia hoc jus tantum traditur per Matrimonium; attamen uterque habet *jus ad rem;* siquidem promissio facta in contractu Sponsaliorum, obligans ex justitia, est promissio donandi corpus utriusque partis alteri ex contrahentibus; unde sicut qui promittit equum alteri, dat ipsi quoddam jus remotum in ipsum equum, et ipsi facit injuriam, si reddat eum deteriorem, ita et sponsus tradens corpus promissum sponsæ alteri ab ea, facit ipsi injuriam, et peccat peccato speciali injustitiæ: *tum denique,* quia talis fornicatio cum aliena periculum præbet, ne nascatur proles, quam post celebratum Matrimonium teneantur conjuges communibus sumptibus alere; quod utique est contra justitiam, cum enim bona sint communia inter conjuges, non potest maritus, reluctante uxore, filium alienum et spurium in familiam suam inducere: igitur hoc peccatum non videtur simplex fornicatio, sed præterea habet quamdam malitiam injustitiæ sibi adnexam, et transfertur ad aliam a fornicatione speciem luxuriæ. Non tamen est adulterium, quippe adulterium est alieni tori violatio: talis autem non potest esse fornicatio sponsorum, quippe cum neuter eorum toro alterius fruatur. Unde ex L. si uxor § 3. ff. ad Legem Juliam qua utitur Paludanus, contrarium ipsius sententiæ colligitur; nam talis lex utrumque peccatum distinguit, nempe violationem Matrimonii, quæ est adulterium, a violatione Sponsalium; tametsi utraque violatio dicatur ibi punienda his verbis: *Etiam in sponsa hoc idem* (scilicet crimen) *vindicandum: quia nec Matrimonium qualecumque, nec spem Matrimonii violari permittitur.* Unde sequitur, tale peccatum reductive solum spectare ad speciem adulterii, sicut ipsa Sponsalia reducuntur ad Matrimonium, cujus sunt quædam inchoatio.

Nec obstat, quod qui vovit ingressum Religionis, si labatur in peccatum carnis, non censeatur propter illud votum peccare peccato distincto a fornicatione. Hoc, inquam, non obstat; licet enim votum simplex Religionis se habeat ad votum solemne, sicut Sponsalia ad Matrimonium, in hoc, quod sicut votum simplex Religionis est tantum nuda promissio, votum autem solemne adjunctam habet traditionem rei promissæ, sic Sponsalia rationem habeant promissionis corporum; nihilominus in hoc differunt, quod per votum simplex Religionis, utpote soli Deo factum, Religio nullum acquirit jus in ipsum, qui vovit; at vero per Sponsalia sponsi acquirunt jus justitiæ in se invicem, ratione mutuæ promissionis datæ et acceptatæ: igitur non est utrobique paritas.

§ III. — *Quibus de causis Sponsalia licite dissolvi possint?*

Respondeo, varias a Theologis et Canonistis proferri causas, ob quas Sponsalia legitime inita dissolvi possunt citra culpam dissolventium, quarum præcipuæ hic assignandæ sunt.

Primo itaque, Sponsalia dissolvi possunt ex mutuo contrahentium

consensu, ut patet ex cap. 1. *De Regulis Juris,* ubi dicitur: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* ex hypothesi, quod natura sua sit solubilis, qualia sunt Sponsalia. Quod etiam verum est, quamvis Sponsalia jurata sint; siquidem juramentum non obligat, nisi in commodum partis, qua remittente obligationem, tollitur materia juramenti. Ut autem hæc remissio fiat legitime, necessum est, quod utrinque sit libera; si enim una pars alteram metu vel dolo ad remittendum induceret, inducens maneret obligatus in conscientia ad celebrandum Matrimonium. Secus autem est, si rationibus vel precibus non ita importunis partem alteram ad remissionem sollicitaret.

Secundo, Sponsalia inter impuberes contracta, adveniente pubertate, dissolvi possunt altero illorum resiliente; quia videntur celebrari sub hac tacita conditione, *nisi ad pubertatem deveniendo resiliant;* quod utique verum est, quamvis nulla interveniat causa, præter solam voluntatem revocantis, ut habetur *Extra De Desponsat. impub.,* cap. *de illis,* et cap. *a nobis.* Non est etiam necesse, quod unus pubertatem adeptus alterius pubertatem expectet; nam frustra expectatur eventus, cujus nullus debet esse effectus, ut habetur cap. *cum contingit de officio deleg.*

Tertio, dissolvuntur per ingressum Religionis, ex parte ejus qui in sæculo remanet, non vero ex parte ejus qui Religionem ingreditur. *Prima pars constat: tum* quia eo ipso, quod sponsus vel sponsa Religionem ingreditur, videtur Sponsalibus et Matrimonio renuntiare; ac subinde eo ipso alter solvitur ab obligatione: *tum* quia notabilis mutatio in persona sponsi vel sponsæ, quæ redundare possit in alterutrius vel utriusque contumeliam, sufficit ad dissolvenda Sponsalia, ut statim dicemus: sed per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio in persona ingredientis, quæ cederet in contumeliam utriusque, si relicta Religione invicem contraherent; vertitur enim in opprobrium, et dedecus Matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, vel cum ea, quæ fuit Monacha: igitur eo ipso, quo quis Religionem ingreditur, alter, qui remanet in sæculo, liber censeri debet ad contrahendum cum altero. *Secunda pars* communiter etiam docetur, quamvis nonnulli Theologi et Canonistæ reclament; cum enim contrahentes Sponsalia ex justitia obligentur ad celebrandum Matrimonium, nisi aliquo jure vel ratione manifesta ab hujusmodi obligatione eximantur, censendi sunt tamdiu obligari, quamdiu hujusmodi jus vel ratio non adest: sed nullum jus aut ratio manifesta potest assignari ex parte ingredientis Religionem; sed solum ex parte remanentis in sæculo, nimirum notabilis mutatio status in altero facta: igitur per ingressum Religionis censeri non debent Sponsalia solvi ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, quamvis solvantur ex parte illius, qui in sæculo remanet. Nihilominus non est omnino improbanda opposita sententia, quam tuetur Toletus, lib. 7. cap. 21. nempe, quod dum unus ingreditur Religionem, Sponsalia debent censeri dissoluta ex parte utriusque; quia sicut se habent Sponsalia ad Matrimonium, ita ingressus in Religionem, seu novitiatus se habet ad professionem: igitur sicut per professionem dissolvitur Matrimonium ratum, ita per ingressum Religionis, et novitiatum debent dissolvi. Censet autem Navarrus, cap. 22.

n. 26. utrumque tamdiu obligari, donec secuta fuerit Religionis professio; quia nullus Canon decernit Sponsalia dissolvi per solum Religionis ingressum, alioqui dum sponsus adhuc novitius est, potest ad sæculum reverti, et contrahere. Quæ utique sententia, licet minus probanda, non tamen est omnino improbanda.

Quarto, dissolvuntur per simplex votum castitatis, et susceptionem Ordinis sacri, idque ex parte utriusque contrahentis; quia quando duo vincula simul incompatibilia occurrunt, quod fortius est et præstantius debet prævalere: sed vinculum voti, aut suscepti Ordinis sacri incompatibile est cum vinculo Matrimonii, et ipso est præstantius ac fortius vinculo Sponsaliorum; quippe cum illud hominem Deo devoveat; hoc vero tantum homini et creaturæ: igitur debet prævalere; ac subinde unum per aliud dissolvitur. *Deinde*, Sponsalia censeri debent contracta tantum sub hac conditione, *nisi alteruter perfectiorem statum elegerit:* sed status castitatis sive continentiæ præstantior est statu conjugali: igitur per votum simplex castitatis, aut per susceptionem Ordinis, irritum fieri debet vinculum Sponsalium.

Quinto, dissolvuntur per subsequens Matrimonium ratum cum altero; cujus utique ratio est aperta, quia Matrimonium est insolubile; ideoque per ipsum sponsio præcedens fit observatu impossibilis; ac subinde nulla ipsius remanet obligatio. Nihilominus graviter peccat, qui contra fidem datam Matrimonium cum altera contrahit. Sunt tamen, qui existiment cum Pontio, cap. 13. n. 4. quod si alter sponsus velit expectare dissolutionem illius Matrimonii per subsequentem mortem, Sponsalia non solvuntur ex parte ejus, qui nupserat; nam jura cap. 1. de sponsa duorum, cap. *sicut*, cap. *si inter*, etc. quæ decernunt Sponsalia dirimi per Matrimonium subsequens, solum statuunt, quod sponsus debeat manere cum qua nupsit, ex quo non sequitur, quod obligatio Sponsaliorum ex parte ipsius dissolvantur.

Sexto, dissolvuntur Sponsalia per subsequentem alterutrius sponsorum fornicationem, non quidem ex parte peccantis, sed ex parte innocentis. *Tum* quia in sponsalitia promissione subintelligitur hæc conditio; nisi sponsus, aut sponsa in Legem Matrimonii peccaverit: *tum* etiam quia si vir propter fornicationem uxoris juste potest illam a se dimittere, multo magis sponsus propter fornicationem sponsæ, poterit illam ad se non admittere, ut docet Innocentius III, cap. *Quemadmodum de jurejurando*. Quod etiam locum habet in puella rapta, aut vi oppressa; quemadmodum habet Glossa in idem caput. Porro, quod diximus de fornicatione corporea, dicendum est etiam de fornicatione spirituali per hæresim vel apostasiam; hæc enim sufficiunt ad Sponsalia dissolvenda; tum propter periculum perversionis sponsi Catholici, tum propter periculum, ne futura proles hæresi inficiatur.

Septimo, dissolvi possunt Sponsalia propter notabilem mutilationem vel deformitatem supervenientem sponso aut sponsæ, aut gravem, diuturnum, vel perpetuum morbum, veluti lepram, aut paralysim prius incognitam; ex quibus contingere potest, quod sponsus vel sponsa sit inhabilis ad officium Matrimonii, vel alteri comparti odiosa et ingrata. Quo in casu is, qui sanus et integer permanet, solvitur ab obligatione; ita enim docet Urbanus III, cap. *litteras*, extra de conjugio leprosorum, et Innocentis III, cap. *Quemadmodum*, Extra de

jurejurando. Ex quo patet hunc casum etiam ad jurata Sponsalia extendi.

Octavo, per longinquam peregrinationem, seu absentiam alterius, alter, seu altera sponsione liberatur. Quo casu quamvis jus civile biennium totum præcipiat expectari; jure tamen Pontificio, post cognitam sponsi in remotas terras profectionem, nullum tempus ad expectandum præscribitur, quia ille per talem discessum censetur juri suo renuntiare. Ita declarat Pontifex, cap. *De illis*, extra de Sponsalibus.

Nono, solvi possunt si gravis inimicitia inter sponsos, vel eorum parentes intervenerit; item si sævitia, seu morum asperitas sponsi prius incognita, postea comperta fuerit; justa enim in utroque est ratio recedendi ab eo, quod pactum fuerat.

Decimo, solvuntur per hoc, quod non implentur conditiones promissæ, sive id voluntarie fiat, sive involuntarie, velut cum dos promissa non præstatur. Ratio est, quia promissio pendebat a conditione. Idem dicendum de paupertate superveniente alterutri sponso post contracta Sponsalia; paupertas enim est mutatio status notabilissima; quæ utique sufficit ad dissolutionem Sponsaliorum. Si autem contingat alterutrum sponsorum nova hæreditatis accessione ditiorem effici, non propterea potest Sponsalibus renuntiare; quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in Sponsalia consensisse; quia non erravit circa objectum sui consensus; nec aliud in ipso notabiliter mutatum est, sed tantum circa propriam conditionem, quæ præter spem proximi eventus melior facta est.

Plures sunt aliæ hujusmodi Sponsaliorum dissolvendorum causæ, quas videre est apud Sanchez, Canonistas, et Summistas, seu Theologos Morales, quos communiter Casuistas appellant, in quibus referendis et discutiendis diutius immorari superfluum duxi, utpote cum facili negotio ex assignatis colligi possint et innotescere.

Observandum nihilominus, quod toties universim Sponsalia dissolvi possunt per quodcumque accidens superveniens, quoties si revera extitisset, aut fuisset prævisum, verisimiliter et rationabiliter Sponsalia non fuissent contracta. Hæc tamen non sunt pensanda secundum præsentem sponsorum animi affectum et motum, sed libranda sunt juxta ipsorum conscientiæ dictamen, quo quisque judicare debet coram Deo scrutatore cordis, utrum revera Sponsalia non contraxisset, si id, quod accidit, extitisset, aut prævidisset.

Advertendum pariter circa Sponsaliorum dissolutionem, quod si illa publice contracta fuerint, et causa dissolvendi non sit manifesta, ac publice nota, necessum est ad ea dirimenda, quod interveniat Ecclesiæ auctoritas, ut scilicet vitetur scandalum; cujus si nulla adsit occasio, poterunt sine ipsa publica Ecclesiæ sententia, et per se solos contrahentes dissolvi.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Cum Matrimonium sit essentialiter contractus pendens ex libera et voluntaria contrahentium voluntate, qui cum si sint fideles, subjiciuntur legibus, non solum politicis et civilibus Principum et Rei-

publicæ, sed etiam Ecclesiasticis et Canonicis: inde fit, quod sponsi invicem non possint valide aut licite contrahere, nisi juxta Canonum præscripta: quod si secus fiat, illiciti aut invalidi censentur eorum contractus.

Hinc varia a Theologis et Canonistis præscribuntur Matrimonii impedimenta; quæ ut distinctius et clarius a nobis declarentur, singula sequentibus in Paragrahis expendemus.

§ I. — Quid, et quotuplex sit Matrimonii impedimentum.

Matrimonii impedimentum in genere dicitur, *quod præexistens contractui Matrimoniali ineundo positive, aut negative, invalidum, vel illicitum Matrimonium efficit jure naturali, aut divino, aut humano. Primo* dicitur, *quod præexistens;* ut enim revera impedimentum efficiat Marimonium invalidum, aut illicitum, necessario debet præexistere; enimvero si tantum ut superveniens attendatur, vel solum Matrimonii usum et actum prohibet, sicut copula cum sorore uxoris superveniens post Matrimonium; vel omnino vinculum dissolvit, ut votum solemne castitatis in Religione approbata, ante ipsius initi Matrimonii consummationem. — Additur, *seu positive, seu negative;* non enim necesse est, ut quod habet rationem impedimenti Matrimonii, quod semper sit aliquid positivum, quale est impedimentum criminis, voti castitatis, raptus, etc.; sed sufficit, quod sit quid negativum, quale est impedimentum impotentiæ, absentiæ Parochi, etc. — Sequitur, quod ab initio *Matrimonium invalidum, aut illicitum reddit;* impedimentum enim, ut mox dicemus, est vel *dirimens,* et sic Matrimonium reddit invalidum, et nullum; vel *solum impediens,* et sic illicitum efficit. Quod utique fieri potest dupliciter: *primo* quidem, mediate, quando scilicet personæ, ratione Legis Ecclesiasticæ, aut civilis, redduntur inhabiles ad contrahendum; *secundo,* immediate, quando contractus ipse fit vel invalidus, aut illicitus ratione prohibentis Legis canonicæ, aut civilis. — Additur tandem, *jure naturali,* etc. sunt enim quædam impedimenta, quæ naturali jure Matrimonium ipsum invalidum efficiunt, qualia sunt impedimenta erroris circa personam, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, amentiæ perpetuæ, et impotentiæ ad actum Matrimonialem; alia vero, quæ jure dumtaxat positivo Matrimonium contrahendum impediunt, et dirimunt contractum, qualia olim erant impedimenta consanguinitatis in secundo gradu, et in gradibus inferioribus lineæ collateralis, tempore Legis Mosaycæ, ut præscribitur *Levitici* 18. Alia denique solo humano jure sunt dirimentia, cujusmodi sunt impedimenta criminis, raptus, etc.

§ II. — Quotuplex sit impedimentum.

Impedimenta sunt duplicis generis: *Alia* enim sunt, quæ dicuntur *impedientia* tantum; quia scilicet impediunt, ne Matrimonium licite contrahatur, contractum tamen non irritant, nec invalidum efficiunt. *Alia* vero sunt, quæ appellantur *dirimentia,* non quod Matrimonium jam valide contractum dirimant; sed quia efficiunt, ut nedum illicite, sed etiam invalide contrahi nequeat, ita ut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, ab invicem separari debeant, et dirimi, nisi iterum valide contrahant. Impedimenta primi generis communiter numerantur

duodecim, quorum aliqua ex jure naturali, alia ex jure positivo, quædam ex crimine, cætera vero ex aliis causis proveniunt. Quinque priora, quæ scilicet crimen non supponunt, his versibus comprehenduntur:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriâtum.
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia vero septem, quæ crimen supponunt, his versibus comprehenduntur:

Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

Porro ex his omnibus tria dumtaxat vulgo recensentur, quæ nunc vigeant, et exacte observanda sint, puta *Ecclesiæ vetitum*, idest, prohibitio facta a superiore Ecclesiastico, ne Matrimonium contrahatur: *secundo, votum simplex castitatis: tertio, Sponsalia* valide cum alio contracta, et legitime non dissoluta. Alia vero, nempe, *primo*, susceptio alicujus in Catechismo, seu cognatio spiritalis nata ex catechizatione. *Secundo*, incestus cum consanguinea conjugis in primo, et secundo gradu: *tertio*, raptus alienæ sponsæ, ad explendam libidinem, etiamsi ipsa consentiat: *quarto*, uxoricidium, seu propriæ uxoris occisio, non quidem animo transeundi ad alias nuptias; hoc enim esset impedimentum dirimens, sed ex ira, odio, aut vindicta: *quinto*, injusta Presbyteri occisio: qui enim ita interficit Presbyterum, cujus est Matrimonio interesse, olim prohibebatur Matrimonium inire, ut legitur Can. *Presbyterum de Pœnit. et Remiss: sexto*, susceptio propriæ prolis, animo non reddendi debitum conjugale: *septimo*, Pœnitentia publica, qua durante, olim interdictum erat Matrimonium: *octavo*, Matrimonium sacrilege attentatum cum Sanctimoniali, ut habetur c. 28. q. 1. Hi, inquam, octo casus, qui totidem olim erant impedimenta Matrimonium ineundum impedientia, non videntur amplius vigere, sed per consuetudinem esse abrogata. Unde etiam Prælati non curant admonere fideles sibi subditos accedentes ad Matrimonium ineundum, ut si habeant quædam ex his impedimentis, vel a Matrimonio contrahendo resiliant, vel eorum impedimentorum dispensationem procurent; quia videlicet non existimant, hæc impedimenta amplius vigere. Unde de tribus dumtaxat prioribus impedimentis, Matrimonium licite contrahendum impedientibus, sigillatim agendum est in præsenti Paragrapho.

Primum itaque impedimentum, prohibens Matrimonium ineundum, est *Ecclesiæ vetitum*, seu prohibitio facta a Superiore Ecclesiastico, de Matrimonio contrahendo; quæ utique potest esse vel generalis, et communis omnibus fidelibus, qualis est prohibitio facta in Concilio Trid., Sess. 24. cap. 1. *De Reform.* de non ineundo Matrimonio, nisi prius tres fuerint factæ denuntiationes publicæ tribus continuis diebus festivis, aut earum dispensatio habeatur; vel specialis, ut cum aliquibus in particulari justa de causa prohibetur Matrimonium, puta vel quia fit in præjudicium tertii, vel quia timetur impedimentum, cujus

veritas prius est investiganda, vel ad vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum. *Per tempus feriatum* intelligitur certum anni tempus, quo Ecclesia prohibet Matrimonia esse celebranda. Porro tempus istud notatur a Concilio Trid., Sess. 24. cap. 10. his verbis: *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ; et a Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea qua decet modestia et honestate fiant, curabunt: sancta enim res est Matrimonium, et sancte tractandum.* His porro diebus, saltem post Tridentinum, non prohibetur Matrimonium non celebrari absolute, sed tantum cum solemnitate; et constat tum ex prædictis verbis Concilii Trid. tum pariter ex declaratione Cardinalium, ejusdem Concilii Interpretum, qui in hæc verba præfata ejusdem Concilii declararunt, quod quocumque tempore potest Matrimonium contrahi coram Parocho; sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductio sponsæ ad domum sponsi, et carnalis copula certis temporibus prohibentur; unde hoc impedimentum non censetur absolute impediens celebrationem Matrimonii, se tantum prohibens quasdam ipsius celebrationis circumstantias.

Secundum impedimentum nunc vigens est votum aut castitatis perpetuum, aut simplex Religionis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut non ineundi Matrimonium; cum enim votum propter fidem Deo datam obliget ad fidem ipsi servandam, consequenter prohibet contrahendum Matrimonium ipsi voto oppositum; ac subinde redditur illicitum, non tamen invalidum; quia votum simplex castitatis, seu promissio Deo facta proprii corporis, ad servandam continentiam, non impedit quin vovens possit valide, sed non licite, illud tradere uxori per Matrimonium.

Tertium impedimentum licitam Matrimonii celebrationem prohibens sunt *Sponsalia*, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta: qui enim futurum Matrimonium cum aliqua ineundum legitime et publice spopondit, sine mortali peccato non potest cum altera Matrimonium inire, nisi aliqua ex assignatis causis in Articulo præcedenti interveniens sufficiat ad dissolutionem Sponsaliorum.

§ III. — De impedimentis dirimentibus.

Impedimenta dirimentia Matrimonium jam contractum, ante Concilium Trid. erant numero duodecim, quibus cum alia duo adjuncta sint ab ipso Concilio Tridentino, jam quatuordecim numerantur, his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, et duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc sociare vetant connubia, facta retractant.

Rationem autem duodenarii impedimentorum illorum numeri præclare colligit Seraph. Doctor, in *Breviloq.*, part. 6. cap. 13. his

verbis: « Conjunctio Matrimonialis, *inquit*, debet esse ex libero con-
« sensu, procedens ad copulationem personarum distantium in unam
« Matrimonii legem, et hoc potest duodecim modis impediri: hinc est,
« quod duodecim sunt impedimenta Matrimonii. Quod patet sic: ad
« Matrimonialem namquè consensum requiritur libertas in consensu,
« et libertas in consentiente, et idoneitas ad conjunctionem. Sed li-
« bertas in consensu tollitur per duo, secundum duas partes invo-
« luntarii, scilicet per ignorantiam, et per violentiam. Et sic sunt duo
« impedimenta, scilicet *error*, et *violentia*. Libertas autem in consen-
« tiente tollitur per hoc, quod quis est alligatus alteri, et hoc, vel
« Deo, vel homini. Si Deo, hoc est, vel per *votum* expressum, vel per
« aliquid quod habet votum annexum. Primum est in *voto*, secundum
« in *Ordine*. Si autem homini, hoc est dupliciter: aut per ligamen
« existens, aut per ligamen præcedens. Primum est in *ligamine*, quo
« quis ligatus est uxori; secundum est in *crimine*, quando mœchus,
« vel mœcha machinatus est in mortem conjugis, vel ipso vivente
« fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, sci-
« licet *votum*, *Ordo*, *ligamen*, et *crimen*. Idoneitas autem ad unionem
« est distantia personarum conveniens, quæ tollitur per nimiam proxi-
« mitatem, vel per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas
« venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut
« est cognatio legalis, aut spiritualis; aut venit per commixtionem
« sexuum, aut per contractionem Sponsaliorum. Et sic sunt tria im-
« pedimenta, scilicet *cognatio*, *affinitas*, *et publicæ justitiæ honestas*.
« Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea, quæ sunt na-
« turæ, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad
« ea, quæ sunt fortunæ, quæ non sunt in nostra potestate, ut patet,
« cum est unus servus, et alter liber; aut quantum ad ea, quæ sunt
« Religionis Christianæ, ut cum unus est baptizatus, alter vero mi-
« nime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *impotentia coëundi*,
« *error conditionis*, *et disparitas Religionis*. Ac per hoc sunt in uni-
« verso duodecim impedimenta, quæ, Spiritu Sancto dictante, intro-
« ducta sunt in Ecclesia Dei ». — Paulo aliter congruam horum impe-
dimentorum distributionis rationem assignat in *Centiloq.*, 3. p. c. 55.
ubi enumeratis duodecim illis impedimentis, scribit: « Tria sunt ex
« parte causæ efficientis, quæ est consensus, ad quem concurrit ratio,
« et voluntas. Contra actum rationis est error; contra actum volun-
« tatis est vis, sive violentia; contra actum utriusque est conditio
« servitutis, quæ impedit partim propter defectum libertatis, partim
« propter errorem. Tria ex parte causæ materialis. Nam Matrimonium
« est conjunctio voluntarie introducta inter personas antea non
« conjunctas. Unde conjuncti in proximitate ad Matrimonium sunt
« inepti. Conjunguntur autem quidam consanguinitate, quidam affi-
« nitate, quidam publicæ justitiæ honestate, quæ contrahitur ex Spon-
« salibus per verba de præsenti. Et sic sunt tria impedimenta, sci-
« licet cognatio, affinitas, et honestas. Tria sunt ex parte causæ for-
« malis, quia Matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas
« viri et uxoris. Hæc autem potestas impeditur, quando alter tradit
« potestatem sui corporis alii, adhuc vivente proprio, et sic est liga-
« men; aut quia dedicavit se Deo, et sic est Ordo; aut quia manci-

« pavit se Deo, et Prælato, et sic est votum. Tria autem ultima sunt « ex parte causæ finalis. Nam Matrimonium est ad procreandam pro- « lem, ad cultum Dei, vel saltem in remedium voluptatis. Contra « rationem generandi, vel remedii est impotentia coëundi: contra cultum « Dei, qui est in fide, est cultus disparitas: contra cultum Dei, qui est in « moribus, est criminis enormitas ». *Ita Seraphicus Doctor.*

Ut autem plenior ac planior horum omnium impedimentorum habeatur notitia, de singulis sigillatim agendum erit in sequentibus Paragraphis.

§ IV. — De impedimento Erroris et Conditionis.

Cum consensus Matrimonialis debeat esse liber, cumque ex Aristotele 3. Ethic. ignorantia, quatenus involvit errorem, officiat libertati, et efficiat involuntarium, seu non voluntarium, secundum S. Augustinum, lib. 8. *De Trinitate*, cap. 4. *Nihil est amatum, vel volitum, nisi prius cognitum*, inde merito Theologi et Canonistæ inter impedimenta dirimentia Matrimonium, *errorem* computant.

Erroris autem nomine intelligitur actus intellectus existimantis rem esse veram, quæ a parte rei falsa est; aut e contra putantis rem esse falsam, quæ a parte rei vera est. Hic autem error, ut observat Doctor in 2. dist. 22. triplex distinguitur, nempe antecedens, concomitans, et subsequens. Primus facit actum prorsus involuntarium; quia voluntatem ita afficit, ut revera nullo modo hoc vellet, si ipsius veritas ipsi esset perspecta. Concomitans facit non voluntarium; quia nihil volitum, quin præcognitum; non tamen facit simpliciter involuntarium; quia voluntatem sic affectam relinquit, ut nihilominus istud vellet, tametsi veritas ipsius esset ipsi compertâ. Subsequens vero ille dicitur, qui scilicet infligitur in pœnam peccati; quod utique fit, cum quis obcœcatur, Sole Justitiæ super ipsum veritatis ac luminis cælestis radios, ut prius non instillante. Hic autem non est sermo de errore posteriori, sed tantum de duobus præcedentibus.

Advertendum insuper errorem in contractu Matrimoniali quadruplicem posse contingere. *Primo*, circa personam, cum videlicet una persona pro alia sumitur; sic Jacob existimans se ducere Rachelem in uxorem, accepit Liam. *Secundo*, circa personæ conditionem, puta, cum quis existimans se contrahere cum libera, contrahit cum ancilla. *Tertio*, circa personæ qualitatem, ut si putet uxorem, quam ducit, esse virginem, nobilem, pulchram, ac divitem, nihilominus eam invenit corruptam, turpem, et ignobilem. *Quarto*, circa affectum contrahentis; puta, inquit Doctor, dist. 30. q. 1. n. 3. « unus con- « trahit animo sincero ac simplici, existimans alterum idem facere, « qui tamen dolose fingit se contrahere Matrimonium, ut alterum de- « cipiat, et ad explendam suam libidinem pelliciat ».

Quæritur ergo, quisnam eorum errorum Matrimonium dirimat et irritum faciat. *Respondeo primo*, errorem antecedentem et concomitantem circa personam jure naturæ, necnon et humano Matrimonium irritare, et invalidum efficere. Hæc est communis apud Theologos, eamque docent S. Bonaventura in 4. dist. 30. et S. Thom. ibid. necnon et Subtilis Doctor; quam utique conclusionem probat; quia videlicet error « ca personam contractui Matrimoniali adversatur, sicut et cuilibet

alteri contractui: *Impedit enim*, inquit, *omnem venditionem, et traditionem rerum, puta, si ematur aurum, et vendiderit aurichalcum; ita hic intelligitur, quod Bonaventura dedit potestatem sui corporis, si Bertha det.* — *Insuper* hic error destruit consensum qui ad Matrimonium requiritur; siquidem qui contrahit, non consentit Matrimonium inire, nisi cum ea, quam habet in animo: at revera cum illa non contrahit, quam habet in animo, dum contrahit cum errore circa personam: igitur nec consentit in illum contractum. — *Idem* dicendum de errore concomitante, licet enim hic error non faciat involuntarium positive, seu contrarie, facit tamen involuntarium negative, idest, non voluntarium: sed est de ratione et essentia contractus Matrimonialis, ut positive sit voluntarius, idest, ut actu et reipsa contrahens consentiat in personam, quæ ipsi traditur: igitur ex natura rei talis error Matrimonium irritum efficit. — *Nec obstat*, quod habens talem errorem concomitantem ita sit affectus in voluntate, ut si sciret, illam, cum qua contrahit, esse revera Margaritam, quam tamen putat esse Bertam, nihilominus cum ipsa contraheret. Hoc, inquam, non obstat, quia consensus, qui ad Matrimonium requiritur, debet esse positivus, actualis, et absolutus: consensus autem, qui habet errorem concomitantem, non est ejusmodi, cum nihil sit volitum, quin prius cognitum: igitur, etc.

Dices 1: Contractus venditionis et emptionis non attendit, nisi qualitatem secundum justitiam commutativam. Unde vendens aurum non obligatur ad hoc, aut illud aurum in individuo, sed ad aurum in specie: ergo similiter in proposito perinde est sive Francisca, sive alia sit in individuo, modo servetur æqualitas: et sic ratio proinde non concludit. — **Respondet Hiquæus,** quod sicut consensus ementis respicit rem in specie, necnon usum et commoditatem secundum naturam suam, per quam cadit in contractum, ita ille fit nullus, si alia res supponatur diversæ speciei, licet enim ejusdem possit esse valoris, non est ejusdem tamen usus, aut commoditatis; quia error est circa substantialem conditionem et materiam, circa quam fit contractus. Ita in proposito, materia circa quam fit contractus, est individua persona, pro cujus corpore transfert consentiens suum corpus, dirigendo consensum ad personam individualem, ad ineundum individuam cum ipsa et personalem societatem indivisibilem; ideo fit dolus in substantia contractus quoad materiam, quam respicit consensus per se, et sic annullat, sicut emens aurum non intendit aurichalcum.

Dices 2: Validum fuit conjugium Jacob cum Lia, Rachelis loco substituta: ergo error antecedens circa substantiam personæ, non facit Matrimonium irritum. — **Respondet Doctor,** n. 7. quod sive Jacob possit excusari a peccato, si cognovit Liam prima nocte, sive non, non est magna vis, quia non fuit confirmatus; sed postquam deprehendit illam esse Liam, consensit novo consensu propter illa verba Laban: *Non est consuetudinis in loco isto, ut minores prius tradantur ad nuptias:* et ex tunc fuit uxor ejus. Alias bene concedo, quod potuisset repudiare eam, sicut non suam. In idem collimat sententia Magistri sententiarum, et S. Thomæ, dicentium, quod *Matrimonium, quod fuit inter Liam et Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit; sed ex consensu, qui postmodum accessit; tamen uterque a peccato excusatur;* quia nimirum Jacob maritali affectu ac-

cessit ad Liam, putans esse Rachelem; et Lia uxorio affectu debitum solvit, existimans juxta patriæ consuetudinem, Lege primogenitarum, jure se illi a parente fuisse copulatam.

Dices 3: Baptizans unam personam, quam putat esse aliam, vere baptizat: ergo etiam contrahens cum alia, quam putat, vere contrahit. — **Respondet Doctor**, n. 8. quod non est simile de Baptismo ignoranter collato; quia ibi non est contractus. « Si tamen aliquis ad « solutionem hujus quæstionis acciperet rationem ex ratione Sacra- « menti, quod non posset conferri ab errante; videtur probabile, quod « errans in baptizando circa personam, non baptizaret, sicut nec in « Matrimonio. Sed ista ratio non est posita ad solutionem quæstionis: « nec talis error, quod sit A, vel B, dum tamen intendat conferre Sa- « cramentum illi personæ, quæ præsens est, videtur impedire colla- « tionem aliorum Sacramentorum, sicut hic impedit; non quod impe- « diat Sacramentum primo, sed quia impedit contractum donationis « faciendum illi, cui non vult donare illud, quod hic datur ». *Ita Doctor:* quibus verbis duo significat: *primum,* quod non sit idem ferendum judicium de Matrimonio, ac de cæteris Sacramentis; cujus utique discriminis ratio est, quia in reliquis Sacramentis, persona, quæ illa accipit, se habet dumtaxat per modum subjecti, cui illa applicantur; in Matrimonio autem contrahentes, eorumque corpora, sunt materia ex qua ipsum Sacramentum constat. Similiter in contractu Matrimonii, persona ipsa est id, quod traditur per contractum; secus in venditione mercium, aut prædiorum, vel similium rerum; in venditione vero servi, quia persona cadit in materia contractus, error circa personam contractum vitiat. Unde id, quod est accidentale respectu unius contractus, potest esse substantiale respectu alterius.

Dico secundo, quod error circa conditionem personæ, puta cum aliquis liber intendit contrahere cum altera, quam putat etiam esse liberam, quæ tamen est serva; hic, *inquam*, error dirimit Matrimonium; quia, *inquit* Doctor, n. 3. in Matrimonio est permutatio potestatis corporis pro potestate corporis: servus autem non potest dare potestatem sui corporis liberæ, sicut illa e converso; et illa nesciens servitutem ejus, per consequens non consentit scienter in servum, nec vult commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis, quam servus non potest facere, quia non habet illam. *Hæc Doctor,* quibus probat, conditionem servitutis annullare Matrimonium, quando liber contrahit ex errore conditionis; intendit autem non servitutem adscriptitiam, qualem habent illi, qui ad certa opera tenentur dominis, ut qui colunt terras nunquam inde recessuri, et quibus tantum sumptus et victus cedit; neque etiam originariam servitutem, quibus obnoxii sunt filii illorum; sed servitutem proprie dictam, qua quis est obnoxius voluntati domini, ut eum vendat, et omnia acquirat domino, non sibi, aut filiis, aut uxori. — Porro quod error talis conditionis Matrimonium irritum faciat, constat ex utroque jure; nam authentic. *De Nuptiis § Si vero decretum,* sic dicitur: *Si ab initio putaverit aliquis liberæ jungi personæ: illa vero in familia postea declaretur existens, non dicimus solvi Matrimonium, sed ab ipso initio neque Matrimonium fieri propter inæqualitatem personarum.* Item cap. *Si quis ingenuus* 29. *q. 2.* sic habetur: *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius ac-*

ceperit, et existimat, quod ingenua sit, ipsa fœmina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat, si non potest, si voluerit aliam accipiat. Et cap. 2. *De conjugio servarum*, Alexander III, mandat, Matrimonium errore servilis conditionis a libero cum ancilla contractum, separari, si post notam servitutem, carnaliter eam non cognoverit. — Quod autem hic error Matrimonium irritet, non solum jure civili et canonico, sed etiam jure naturali et divino, colligi potest ex supra dicta ratione Doctoris, nempe ex defectu consensus per se requisiti ad validum et legitimum contractum; quem utique consensum non habet liber contrahens cum ancilla, ex eo quod liber intendat commutationem sui corporis liberam facere, pro potestate libera corporis alterius; sed servus non potest hanc commutationem liberam facere, quia est obnoxius domino per servitutem, qui eum vendere potest, etiam extra patriam: ergo liber non censetur consentire scienter in servum; et sic ex defectu consensus liberi, contractus est nullus. *Patet ultima consequentia*, quia est maxima inæqualitas quoad materiam transmutationis in ordine ad finem intrinsecum Matrimonii, nempe educandæ prolis, ejusque alendæ, cum omnia acquirat servus domino, sicut et uxoris, et individuæ societatis, quæ removerent a consensu, si scirentur; consensus enim Matrimonialis contraria his intendit ex natura ipsius consensus, ut respicit finem contractus: ergo eorum error reddit consensum nullum, ac subinde irritum Matrimonium. — Eamdem veritatem, et rationem confirmat Hiquæus in *Commentario*, ad eamdem q. n. 10 his verbis: « In justitia « commutativa, quæ versatur in medio in re ipsa, quantitas spectat « ad substantiam contractus, absolute loquendo, quando aliud non « excipitur per formam, et ad materiam commutationis, ut si quis « vinum, aut granum in specie mutuavit, acquirit jus recipiendi « tantum in specie, quantum mutuavit: sed in proposito persona libera « ex errore antecedente transferens potestatem liberam sui corporis in « aliam, quam putavit liberam, contrahit secundum justitiam commu- « tativam, ut versatur in medio ipsius rei: ergo consensus ejus non « est trahendus ad inæqualitatem in re ipsa ex vi contractus, neque « ex Lege, neque secundum rectam rationem. *Probatur consequentia*, « quia contractus bonæ fidei, cui dolus causam dedit, est ipso jure « nullus, secundum communem Doctorum sententiam. Si autem est « stricti juris, est irritandus; quando autem in cæteris contractus est « irritabilis, in Matrimonio est nullus; quia aliter subveniri nequit « huic contractui, quia valide transactus fit insolubilis, ac proinde ad « eum requiritur consensus legitimus, et per Legem regulatus, ut va- « leat, qui in præsenti casu non invenitur in persona libera, cujus « consensus dirigitur ad personam quæ libera putatur, et secundum « æqualitatem rei. *Patet eadem consequentia*, quoad Legem non esse « consensum legitimum; quia lex divina, et naturalis excludit dolum, « et inæqualitatem notabilem in commutatione, prout per dolum cau- « satur, et non per consensum ejus, qui patitur; et magis respiciat « hunc contractum secundum naturam contractus legitimi, et juxta « ordinarium modum contrahendi secundum æqualitatem regulariter, « quam ex accidenti annexæ. Ordinarius modus, quem respicit prima « institutio, est libera et æqualis translatio, quia contractus institutus

« est ante conditionem servitutis. Idque concedere debent adversarii, « qui docent Ecclesiam instituisse hoc impedimentum propter injusti- « tiam, quæ per dolum fit personæ liberæ, et propter necessaria de- « trimenta, quæ fini Matrimonii in alenda et educanda prole eveniunt ».

Respondeo tertio, quod error circa qualitatem, si redundet in errorem ipsius personæ, non autem solum circa ipsius qualitatem et statum, revera Matrimonium irritat. Cujus utique ratio est aperta ex dictis: siquidem error ille tollit consensum; quia contrahens non intendit Matrimonium inire, nisi cum determinata persona, quam habet in mente. Unde si fœmina v. gr. contrahat cum aliquo, quem putat esse Principis primogenitum; ita quod cum ipso non contraheret, nisi primogenitus esset, et regni hæres, si substituatur alius Regis filius minor natu, revera nullum est Matrimonium, propter defectum intentionis, et consensus. Tunc autem cognoscitur, quod error qualitatis et fortunæ personæ errorem involvit, cum directe contrahentis consensus fertur in personam illam determinatam, quæ certam et determinatam habet qualitatem, quam non habet illa persona, cum qua contrahitur. Secus autem accidit, si persona intendatur, status autem et conditio secundario et indirecte; puta si Margarita contrahat cum Petro, quem existimat esse nobilem, ac divitem; revera validum est Matrimonium, tametsi ille non sit nobilis, nec dives, sed talem se finxerit.

Respondeo quarto, quod si quis contrahat cum aliquo ficte contrahente, nullum est Matrimonium, ut docet Doctor, n. 3., dicens: « Si « unus contrahit animo simplici, et alter dolose utens signis contractus « sine animo contrahendi, non est contractus; quia deficit ibi princi- « palior causa, scilicet actus mutuus voluntatis, sine quo causa minus « principalis, scilicet signum exterius, non sufficit. Neque hunc con- « sensum potest supplere Ecclesia, licet illum præsumat, donec con- « trarium probetur, et ad cohabitationem cogat; in aliis autem con- « tractibus, quæ sunt secundum Legem humanam, et ejus institutio- « nem, aliquando lex ipsa supplet defectum consensus in pœnam doli, « et tunc valet contractus virtute legis, ut quando contractus est stricti « juris, neque adest impedimentum præter defectum consensus ex dolo. « In contractibus tamen bonæ fidei requiritur consensus, et ejus defe- « ctus non suppletur ».

§ V. — An, et quale votum Matrimonium contractum dirimat.

Observandum est in primis, *voti* nomine intelligi promissionem deliberatam Deo factam de meliori bono. Votum autem generatim duplex est, nempe publicum, et privatum; deinde simplex, et solemne; nam, *inquit* Doctor, dist. 38. n. 2. *istæ distinctiones non sunt eædem, quia tam publicum, quam privatum potest esse simplex, et solemne.* Publicum est, quod fit non solum publice, sed etiam quod præsentibus testibus, aut per scripturam probari potest; privatum vero quod non fit ejusmodi. Votum castitatis solemne dicitur, quod fit solemniter, idque vel expresse, vel tacite, seu implicite vel explicite; explicite quidem, ut cum v. g. fit in professione Religionis approbatæ, juxta ritum in ipsius Regula expressum, et coram Prælato publice votum acceptante; implicite autem, ac tacite, ut cum v. g. fit in Ordinis *sacri* susceptione. « Unde *inquit* Doctor, n. 3. Votum dicitur solemne,

« non quia publicum, sed quia in se habet aliquid annexum, ut in « publicum debeat venire, et per quod vovens ponitur sub alterius « nomine; et sic est præcise in susceptione sacri Ordinis, per quem « suscipiens constituitur Minister, et aliter quam prius sub Episcopi « potestate: quia Episcopus potest eum cogere ad statum Clericalem « servandum, et ad vitandum ea, quæ repugnant statui Clericali. Unde « si prædictum Ordinem susciperet in secreto, adhuc esset solemne pro- « pter rationem jam dictam; sicut etiam professio Religionis facta in « manu ejus, qui potest recipere, habet in se aliquid annexum, unde « debeat in publicum venire; quia propter talem, tenetur vitam sæ- « cularem dimittere, et cum aliis in claustro sui Ordinis conversari, « et ideo est solemne, etiamsi fieret in occulto ». — *Votum vero non solemne* seu *simplex*, est id, quod fit a persona vovente, et absque ejusmodi solemnitate. Jam diximus, votum simplex impedire quidem celebrandum Matrimonium; non autem celebratum dirimere. Unde hic solum sermo est de voto solemni castitatis. Itaque

Respondeo, votum solemne castitatis, factum in Religione approbata, dirimere quodcumque Matrimonium subsequens; ita enim expresse definivit Alexander III, cap. *Meminimus*, et Innoc. III, cap. finali, *Qui Clerici vel voventes*, et Bonif. VIII, cap. unico, *De Voto in Sexto*, maxime autem Concilium Trid., Sess. 24. Can. 9., his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit.*

Id etiam ratione suadetur: quid enim æquius et rationi convenientius est, quam ut qui per deliberatam et solemnem professionem in Religione approbata moriuntur mundo, non amplius possint valide contrahere Matrimonium, per quod reducantur ad multo minus perfectum statum, quam sit status Religionis? *Secundo*, quis non videat, quod magnum inde scandalum oriretur in Ecclesia, et multa inde incommoda gravissima sequerentur, si qui solemniter professi sunt Religionem, valide Matrimonium inire possent?

Quare autem potius votum solemne, quam simplex, Matrimonium dirimat, variæ rationes proferuntur a Doctoribus. Verum eas omnes impugnat Subtilis Doctor, n. 4. et 5. Earum primam profert Richardus dist. 36. art. 7. qu. 2. Quia, *inquit*, solemne probari potest, non autem simplex. Verum, *inquit* Doctor, hæc ratio est insufficiens, quia votum simplex, etsi sit publicum et probetur, non tamen Matrimonium dirimit. Profert Richardus alteram rationem; quia videlicet per votum solemne dat aliquis illi, cui vovet, jus sui in actum sequentem illud votum. Et per consequens vovens solemniter continentiam, dat illi, in cujus manu vovet, jus sui ad faciendum illud observari: igitur qui vovit continentiam solemniter, cum dederit Deo jus in suum corpus, et Episcopus aut Prælatus, sub quibus vovit, habeat facultatem compellendi eum ad votum implendum, non potest amplius dare potestatem alteri in suum corpus ad actum oppositum castitati, qualiter tradi debet in Matrimonio. Verum, *inquit* Doctor, licet hæc ratio sit proba-

bilis, nihilominus non videtur certa; quia, *inquit*, vovens voto privato, dat etiam corpus suum conjugi ad actum contrarium; non enim minus transfert aliquis a se, quod immediate dat Deo, quam quod dat sibi mediante homine vicario. Si dicatur, quod Deus noluit potestatem corporis immediate sibi dari, sic quod datio sequens ad conjugium simpliciter nulla est, sed sic voluit de datione facta sibi mediante homine; sed unde hoc? Scriptura non videtur continere istam voluntatem Dei.

Tertiam rationem profert ibid. Richardus, qu. 1. nempe, quod vovens solemniter mittit in possessionem illum, cui vovet; vovens autem private non dat actu possessionem sui corporis, sed tantum permittit. Verum, *inquit* Doctor, ibid. hæc ratio minus valet, quam præcedentes; quia omnia intrinseca voto, ut respicit actum voluntatis, per quem obligat se vovendo, et transfert dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est dominus, et transfert dominium) omnia, inquam, ista sunt æqualia hinc inde: igitur non magis datio hic, quam ibi; sed de hoc non quæritur: non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum.

Quartam rationem profert Magister Sententiar., dist. 38. cap. 2., quod transgressio voti solemnis est scandalosa; et ideo ad ejus observantiam tenetur, non tantum Deo, et sibi, sed etiam toti Ecclesiæ; transgressio autem voti privati non habet sic scandalum annexum. Verum, *inquit* Doctor, hæc ratio nihil aliud evincit, nisi quod transgressio voti solemnis sit gravius peccatum, quam voti simplicis: sed id non spectat ad scopum difficultatis; non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum. *Adde quod*, *inquit* ibidem Doctor, si peccatum gravius impediret contractum Matrimonialem, videretur illicitum contrahere post votum privatum, quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi, et consummandi actum carnalem; et ideo non potest licite contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, et per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum, licet secundum aliquos post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud jam non est obligatus vinculo fortiori; peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet juris in hoc, cum renuntiaverit tali juri in voto. Hæc etiam ratio de scandalo non cogit, quia votum publicum, etsi non solemne, inducit scandalum, si vovens transgrediatur finaliter.

His itaque rationibus explosis et confutatis, concludit Doctor, rationem discriminis inter votum solemne et simplex, cur videlicet hoc tantum impediat Matrimonium, illud vero dirimat, non esse aliunde repetendam, quam ex determinatione Ecclesiæ, quæ irritavit Matrimonium contractum post solemne votum castitatis: « Et hoc, *inquit*, « fuit rationabile, quia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ, quantum « ad oppositum ejus, ad quod est contractus Matrimonii. Voventem « autem private non illegitimavit, quia non sic se posuit in ejus po« testate; sed quia se posuit in manu Dei ad oppositum servandum, « et consuluit animæ suæ apud Deum, ne transgrediatur; nam Ec« clesia reliquit eum judicio divino.

« Et si quæras, quare non illegitimavit eum, cum peccet morta« liter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? *Respondet*

Doctor: « non omnia mala punit Ecclesia, nec sic ea prohibet, ut pro-« pterea pœnas Ecclesiasticas injungat; et forte majus malum seque-« retur ex illegitimatione voventium voto simplici, quam ex non il-« legitimatione; quia ibi sequeretur frequentior culpa in actu carnali, « si nollent continere, sicut valde probabile est de multis, nec habe-« rent suas quibus contenti essent, etsi non petendo, tamen reddendo « licite uterentur ».

Porro quod votum solemne solo jure Ecclesiastico, non autem naturali aut divino positivo, vim habeat dirimendi Matrimonium, cum Subtili Doctore docent Henricus, quodlibeto 1. q. 25. Gerson 1. parte de regulis Moralibus, Bellarminus, lib. 2. *De Monachis*, c. 34. et plures alii Recentiores, quibus aperta suffragatur ratio: *primo* quidem, quia votum solemne Religionis non dirimit Matrimonium, nisi quatenus est solemne; votum enim simplex castitatis vel Religionis Matrimonium non dirimit, sed tantum impedit: sed voti solemnitas est tantum de jure Ecclesiastico: *tum* quia Bonifacius VIII interrogatus ad Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat solemne et efficax ad dirimendum Matrimonium; respondet cap. unico de voto et voti redemptione in 6. quod, *cum voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, Matrimonii vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemne, quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata solemnizatur.* Ubi Pontifex expresse asserit, solemnitatem voti ex sola Ecclesiæ constitutione pendere, et in hoc differre a vinculo Matrimonii, quod est de jure divino.

Deinde, quod votum religiosum efficiat capacem aut incapacem ad contrahendum Matrimonium, id habet ex constitutione Ecclesiæ: igitur, etc. *Probatur antecedens* ex Bulla Gregorii XIII, quæ incipit, *Ascendente Domino in naviculam*, edita anno 1584. ubi summus Pontifex declarat, vota simplicia, quæ fiunt a Patribus societatis Jesu, post biennium Novitiatus, reddere eos vere Religiosos, et prorsus inhabiles ad ineundum Matrimonium: igitur quod votum habet vim dirimendi Matrimonium, id habet tantum ex constitutione Ecclesiæ.

Denique, quidquid convenit voto solemni essentialiter, convenit etiam voto simplici, nempe quod non sit simplex promissio, sed etiam traditio rei promissæ sub potestatem et dominium illius, cui vovetur, ut constat ex dictis supra: sed votum simplex non habet ex propria natura, neque ex ulla ordinatione divina vim dirimendi Matrimonium: ergo nec votum solemne; sed tantum id obtinet a determinatione Ecclesiæ.

Nec obstat quod Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 4. ait: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, non obstante Lege Ecclesiastica, et voto, anathema sit.* Ubi videtur distinguere irritationem Matrimonii causatam Lege Ecclesiastica in iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea, quæ in Religiosis causatur per votum; quasi censeret duplicem, ac diversam esse illam inhabilitationem ad Matrimonium, unam ex parte constitutionis Ecclesiæ, alteram ex parte voti. Hoc, inquam, non obstat; nam intentum Concilii ibidem est decernere contra hæreticos, maxime Calvinistas et Lutheranos, quod continentia sit annexa sacris Ordinibus, quodque illis initiati, sicut

et illi, qui Religionem approbatam voverunt, sunt incapaces contrahendi Matrimonii; non autem mens Concilii est decernere, utrum votum solemne reddat Religiosum perpetuo inhabilem ad Matrimonium ex natura ipsius voti, aut ex constitutione Ecclesiæ; hanc enim quæstionem utrinque librandam reliquit Theologis.

§. VI. — Quænam cognatio Matrimonium dirimat.

Nomine cognationis intelligitur aliqua propinquitas, ratione cujus aliquæ personæ invicem conjunctæ sunt. Hæc autem cognatio triplex solito distinguitur, nempe carnalis seu naturalis; quæ per carnalem generationem derivatur; spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte Baptismatis, et in Sacramento Confirmationis comparatur; et legalis, quæ fit per adoptionem juxta legum præscripta.

Cognatio naturalis, seu consanguinitas, dicitur quasi sanguinis unitas; definitur autem: *Vinculum intercedens inter illas personas, quarum una descendit ab alia per carnalem generationem. Vel inter illas, quæ ab eodem communi et propinquo stipite per carnalem generationem descendunt.* Primo dicitur, *Vinculum*, seu relatio quædam, et animorum conjunctio mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitiæ radix est, et incentivum; nam, ut inquit S. Augustinus, lib. 12. *De Civitate*, cap. 21. *Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur;* quod servari non voluit in quibus non est consanguinitas, quia ad amicitiam invicem non ordinantur. Additur, *intercedens inter illas personas, quarum una procedit ab alia per generationem carnalem:* tum ut linea recta consanguinitatis denotetur: tum ut excludatur Evæ formatio, quæ non processit per generationem, sed ex costa Adami a Deo facta est. Sequitur, *vel inter illas personas ab eodem communi stipite*, etc. idest, ab eodem homine originem ducunt et pullulant, sicut rami a stipite. Additur, *propinquo stipite;* qui enim descendunt a stipite nimis remoto non solent amplius consanguinei nominari, alioqui omnes Adæ posteri, ac subinde omnes homines consanguinei censerentur.

Porro ex hoc stipite deducuntur diversi gradus et lineæ propinquitatis. *Gradus* autem est habitudo seu mensura distantium personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia aliqui conjunguntur, metaphora ducta a scala, qua ascenditur, et descenditur. *Linea* autem est ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium, metaphora ducta a linea, quæ ducta a centro et eodem puncto, ad circumferentiam protrahitur. Hæc autem linea solito duplex distinguitur, nempe recta, et collateralis, seu transversalis. *Linea recta* est illa consanguineorum series, in qua inferiores a superioribus per carnalem generationem descendunt; talis est series, in qua descendit a patre filius, a filio patris nepos, etc. *Linea transversalis*, seu *collateralis*, est series ordinata consanguineorum ab eodem communi et propinquo stipite descendentium, sed non descendentium a se invicem; talis est series fratrum cum sororibus, et patruorum cum nepotibus, etc. Rursum hæc transversalis est duplex: alia est *æqualis*, quando ambo qui comparantur æque distant a communi stipite, ut *duo* fratres, eorum filii, etc.; alia *inæqualis*, quando nimirum non

æqualiter distant a communi stipite, ut si frater comparetur cum filio sui fratris.

Triplex a Doctore, *dist.* 40. *n.* 3. **assignatur regula,** quas probant cæteri Theologi et Canonistæ, ut dignoscantur quænam personæ possint cum aliis Matrimonium inire. « Prima regula, *inquit*, est hæc: in linea « recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, una minus. Hoc probatur, « quia tot sunt gradus, quot propagationes, cum gradus sit habitudo vel « propinquitas inter personam et personam: sunt autem personæ una « plures, quam propagationes; quia præsupponitur toti collectioni ali- « qua ibi non propagata. Secunda regula: in transversali computan- « tur gradus secundum magis remotum a stipite, *Extra de consang.* « *Vir qui a stipite, secundum regulam approbatam quoto gradu re-* « *motior distat a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentem.* « Et ratio hujus est, quia personæ, quæ sunt in linea transversali, « non habent inter se propinquitatem, nisi ratione stipitis; et ideo « non possunt inter se propinquius conjungi, quam remotior eorum « conjungatur stipiti. Ad propositum etiam est una regula, quod ef- « ficacior gradus est in linea descendente, quam in transversali. Et « ratio naturalis est, quia plus conjungitur proles parenti, quam pro- « les proli; et ideo magis est contra Legem naturæ conjungi in primo « gradu in linea recta, quam in transversali; semper enim fuit contra « Matrimonium illa conjunctio, et magis filii ad matrem, quam pa- « tris ad filiam, quia major irreverentia est. Unde 8. *de animalibus* « dicit Aristoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem suam, quod « postea discoopertis oculis videns hoc se præcipitavit. Et *alibi* (apud « Plinium in *Naturali Historia*, cap. 42.) loquitur de elephante, qui « ingeniatus, ut matrem suam cognosceret, post hoc ingeniatorem « occidit. Ex quo patet, quod est contra Legem naturæ, etiam ut com- « petit brutis per propagationem; et ideo primus gradus descendens, « et potissime matris ad filium maxime impedit Matrimonium ».

Nihilominus apud Persas permissæ dicuntur nuptiæ in rectilineis fuisse, ut etiam apud Chaldæos, atque plerasque alias nationes, imo sub Imperatoribus Romanis, Nero, Otho primus, et Vitellius a propria matre non abstinuerunt. Quin imo ex tali nefario concubitu, Magos gigni, et procedere voluerint, ut Catullus his versibus declarat:

Nascetur Magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, ut discat Persicum Haruspicium,
Nam Magus ex patre, et gnato, gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia Religio.

Idem refert Harmens. lib. 1. Tit. 1. § 15. inde Mirrha apud Ovidium quæritur, sibi non licere thalamum ingredi parentis, his verbis 10. Metamorph.

Gentes esse feruntur
In quibus, et nato genitrix, et nata parenti
Jungitur, pietas geminato crescit amore.

Verum hos omnes quasi naturæ ludibria execrantur cæteræ Nationes, et hujusmodi nuptias, ac incestuosa commercia, quasi humanitatis portenta abhorrent.

Paulo aliter has regulas declarat Seraphicus Doctor in explicatione textus, dist. 40. art. 1. ubi ait: *Prima regula est,* quod nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusive; et talis est hujusmodi prohibitio, quod si quis contra eam præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, et tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; et hoc probatur *Extra de consanguinitate. Non oportet,* etc.

Secunda regula est, quod toto gradu personæ descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite: « Et ideo si aliquis « vult scire quoto gradu aliqui sibi attineant, cum talis attinentia « originem ducat a stipite, oportet quod ad illam personam recurrat, « cui immediatius conjungitur. Exempla manifesta sunt, ut si ab A, « procedant B, et G, et B generat C, D; et D, E et F. Similiter G « generet H, et H generet I, et I generet K, et K, L: si vis scire quoto « gradu distant F, et L, oportet utriusque generationem reducere ad « A, qui toto gradu differunt ab invicem quoto a stipite.

« *Tertia regula* est, quod quando personæ inæqualiter distant a « stipite, ut puta quando una in secundo gradu, et altera in quinto, « quia linea consanguinitatis et gradus debet computari secundum « distantiam magis remoti, et ista regula confirmatur per illud, quod « dicitur *Extra de consanguinitate,* in ultima decretali, quæ est Gre« goriana.

« Ratio autem hujus est, quod tota ratio proximitatis ortum habet « a stipite: ergo nullus proximior est alicui collaterali, quam stipiti. « Si ergo distat a stipite per quinque gradus, pari ratione distat a « collaterali, sive distet per unum gradum, sive per duos distet gradus « in quinque. Quod si amplius distet, secundum magis distantem « oportet computari; et ideo ille, qui distat in quinto gradu potest « contrahere cum illo, qui distat in secundo ».

Cæterum non eadem est in omni Lege, nempe Naturali, Mosayca, et Evangelica, interdictio et prohibitio celebrandi Matrimonii intra eosdem gradus; nam, *inquit Doctor* n. 4. in omni Lege prohibitum fuit Matrimonium inter patrem et filiam, matrem et filium: « Quod, *inquit,* « non intelligitur tantum de patre proximo, sed de quocumque in linea « recta; ita quod si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam « uxorem. Forte etiam post multiplicationem humani generis, si stetis« sent in innocentia, fuisset prohibitio in quibusdam gradibus ultra « primum; sed in principio non potuit fieri, quia non erant aliæ fœ« minæ, quam sorores. *In Lege Mosayca* erat prohibitio quantum ad « quosdam gradus ulteriores, ut patet *Levit.* 8. In Lege autem Evan« gelica fuit aliquando prohibitio usque ad septimum gradum. *Patet* « per Magistrum in littera. Sed sub Innocentio III restricta est usque « ad quartum gradum inclusive, *Extra De Consang.,* cap. *Non debet: « Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de « cætero non excedat;* et assignat rationem, quoniam in ulterioribus « gradibus jam non potest absque gravi dispendio observari. Et post « approbat et ratificat pro futuro: *Cum ergo,* inquiens, *jam usque ad « quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit requisita;* scilicet « *per nos* hic in Concilio, et intra; *ita eam volumus esse perpetuam,*

« *non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis,* « *vel a nobis.* Et in *eodem cap.* revocat omnes prohibitiones de conjugio « contrahendo in secundo et tertio genere affinitatis, et de sobole « suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulanda; « quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, et (ut dicit) *ali-* « *quando periculum animarum* ».

Inquirit Doctor: « Sed unde est, quod propinquitas talis vel talis « simpliciter impedit? *Respondet,* « quod in Lege Evangelica non inve- « nitur a Christo alia prohibitio ultra prohibitionem Legis naturæ; « nec etiam explicite confirmavit prohibitionem super hoc factam in « Lege Mosayca; sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu « remotiori, postea in quarto gradu; et ratio illegitimationis fuit pro- « pter pacem et amicitiam servandam in Ecclesia; usque enim ad « quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis; et ex tunc « incipiunt esse quasi extranei, et amore contepescere; et ideo con- « gruum est tunc per vinculum conjugale tepescentem amicitiam « revocare ».

Quod autem Ecclesia recte definierit, Matrimonium posse legitime contrahi inter fideles intra pauciores gradus, quam qui in *Levitico* præscribuntur, aperte definit Concilium Trident., Sess. 24. Can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit.*

Quod pariter jure merito Ecclesia in Concilio Lateranensi revocaverit prohibitionem contrahendi infra septimum gradum consanguinitatis, et revocaverit ad quartum, variis, et congruis rationibus suadet Seraphicus Doctor, dist. 40. q. 3. quarum præcipua fuit propter vitandum periculum illiciti Matrimonii: « Quoniam, *inquit,* propter multi- « tudinem consanguineorum, et brevitatem dierum vix potest aliquis « computare consanguineos usque ad septimum gradum, et ibi ita erat « maximum periculum, et frequentissime contingebat homines jungi « infra gradus prohibitos; imo vix poterat aliquis evadere; et ideo « oportuit prius statutum retractare. Tale periculum vel talis neces- « sitas non fuit tempore Ecclesiæ primitivæ, tum quia homines erant « longioris vitæ, tum quia minoris generationis; nunc autem crevit « in hominibus potentia virtutis generativæ propter fervorem libidinis, « qui viget nunc in hominibus, adeo quod secundum communem « cursum possent homines ita multiplicari, quod usque ad quartum « gradum, nedum usque ad octavum, vix inveniret aliquis, cum qua « contraheret. Et illud patet ad oculum; possibile enim est, quod ali- « quis generet XX et iterum quod aliquis generet tres; nunc ponamus « secundum communem cursum, quod generet x, et illi x alios x, in « secundo gradu erunt C, in tertio M, in quarto X millia; et ita infra « quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea XI millia « centum, et XI totidem in linea ascendente, et totidem in transver- « sali: ergo secundum naturam haberet XXXIII m. et trecentos XXXIII « consanguineos. Et sic in una Patria magna vix inveniret cum qua « contraheret usque ad quartum gradum; quanto magis usque ad

« octavum? Et ita propter periculum oportuit revocari illud statutum, « hoc scilicet usque ad quartum gradum statuere. Et ista fuit potis- « sima ratio, quare mutatum est, sicut expresse dicitur in Decretali « edita in Concilio Generali, ubi dicitur non reprehensibile judicari, « si secundum veritatem temporum statuta quoque varientur humana, « præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas hoc exposcit: « hoc autem non solum necessitas exposcebat, sed et utilitas requirebat, « et aderat congruitas et potestas: ideo juste usque ad quartum gra- « dum impedire Matrimonium rectissime et irreprehensibiliter statuit « et ordinavit Ecclesia ».

Cognatio spiritualis est propinquitas, quæ oritur ex administratione vel susceptione Baptismi, Confirmationis, vel ut Baldus, Codice *De Nuptiis*, ait, *Est quædam animarum conjunctio mediante Deo.* Ex spirituali autem cognatione orta ex Baptismo et Confirmatione, olim jure Pontificio, et Canonico triplex erat propinquitas, nempe paternitas, compaternitas et fraternitas, ut colligitur ex cap. 1. *De Cognatione Spirituali.* Paternitas reperitur inter baptizantem, vel patrinum, vel confirmantem ex una parte, et inter baptizatum, vel confirmatum ex altera. *Compaternitas* est inter baptizantem, vel suscipientem, aut confirmantem ex una parte, et inter baptizati, vel confirmati parentes ex altera, quæ cognatio etiam in compatris uxorem olim transfundebatur ex cap. Martinus, *De Cognatione Spirit. Denique, fraternitas* olim erat inter filios carnales baptizantis, vel suscipientis, aut confirmantis ex una parte, et inter ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera. Sed ista tertia cognatio jure novo Concilii Tridentini sublata est, remanentque solum duæ priores, quarum neutra nunc in uxorem transfunditur.

Ut autem clarius innotescat Concilii Tridentini hac de re sanctio, placet illam ex cap. 2. hic exscribere, ubi cum præmisisset, quod varia incommoda et scandala ex ignorantia spiritualis cognationis oriebantur, statim addit: *Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro nomina eorum describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Igitur ex Concilio Tridentino affinitas spiritualis Matrimonium di-

rimens ex Baptismo et Confirmatione tantum est duplex: *prima*, per modum *paternitatis* inter baptizantem, seu confirmantem, qui se habet ut pater, et patrinum et matrinam ex una parte, qui se habent ut mater, quia gerunt vicem Ecclesiæ, et baptizatum, seu confirmatum ex altera. *Secunda* vero per modum *compaternitatis* inter baptizantem sive confirmantem, patrinosque ex una parte, et parentes baptizati, seu confirmati ex altera. Nulla vero spiritualis cognatio, ac subinde nullum Matrimonii impedimentum contrahitur inter virum et fœminam, qui eumdem de sacro fonte suscipiunt, aut in Sacramento Confirmationis tenent; quia videlicet Concilium Tridentinum, loco citato, expresse dicit inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis.

Nihilominus, si vir teneret proprium filium, aut citra necessitatem baptizaret, contraheret cognationem spiritualem cum uxore, ex qua illum suscepit, ratione cujus prohiberetur a debito conjugali. Idem dicendum de fœmina.

Ut autem cognatio spiritualis inter præfatas personas intercedat, necessarium est, quod hæ conditiones adsint: *primo*, quod Baptismus, et Confirmatio vere ac valide conferantur; si enim Baptismus domi fuerit collatus, et dumtaxat postmodum in Ecclesia fiant cæremoniæ non oritur talis cognatio inter præfatas personas. *Secundo*, quod personæ sint capaces hujus cognationis; unde si infidelis baptizaret proprium filium, non contraheret illam cognationem; neque etiam si fidelis baptizaret filium infidelis, contraheret cognationem spiritualem cum patre infideli; quia talis cognatio debet esse inter duos terminos ipsius capaces: infidelis autem est incapax cognationis spiritualis. *Tertio* requiritur, ut quis suo, non autem alterius nomine, baptizatum vel confirmatum suscipiat; si quis enim tantum suscipiat nomine alterius, ut ejus procurator, non contrahit prædictam cognationem; quia non tam est patrinus, quam patrini supplens locum et officium; ideoque solus ille, cujus vices obit, cognationem contrahit. Nec obstat, quod qui deputat, non teneat ipsum baptizatum, vel confirmatum, sicut requiri videtur causa 30. qu. 1. qui facit per alium, perinde est ac si per seipsum faciat, ex Regula 72. juris in 6.

Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione alicujus in filium. Ut autem adoptio hæc fiat legitime, quatuor requiruntur conditiones ex parte adoptantis. *Primo*, quod sit masculus; *secundo*, quod sit sui juris; *tertio*, quod sit major viginti quinque annis; *quarto*, quod nullos habeat filios, nec habere possit. Ex parte vero adoptati tres conditiones desiderantur: *primo*, ut in adoptionem consentiat; *secundo*, ut saltem octodecim annis adoptante sit minor, et ita eum habere possit pro patre; *tertio*, ut sit persona extranea, ut alias diximus agendo de adoptione Christi Domini.

Porro cognatio legalis proveniens ex adoptione contrahitur *primo*, inter adoptatum et adoptantem: *secundo*, inter adoptatum et conjugem adoptantis; *tertio*, inter adoptantem, et conjugem adoptati; *quarto*, inter adoptantem et filios adoptati usque ad quartam generationem; *quinto*, inter adoptatum et legitimos filios adoptantis, etiam usque ad quartum gradum, si videlicet adoptans post adoptionem, per miraculum, aut alia virtute reddita facultate generandi, legitimos habeat filios.

Quod autem hæ species cognationis legalis Matrimonium dirimant, constat ex jure Canonico, et civili; nam cap. unico, *De Cognatione Legali*, sic dicitur: *Sic quia per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio inter me et ipsam, nuptiæ consistere non possunt.* Et in cap. *Ita diligere*, Nicolaus Summus Pontifex determinans, quod non potest esse conjugium inter quos est cognatio spiritualis, id probat hac ratione: *Si inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus jungit?*

§ VII. — An, et quale crimen vim habeat dirimendi Matrimonium.

Respondet Doctor, dist. 36. num. 2., « quod tria sunt crimina quæ « conjuncta, vel separata, videntur facere difficultatem circa Matrimo- « nium contrahendum. Sunt autem crimina illa: adulterium, machi- « natio in mortem conjugis legitimi, fidei datio ipsi adulteræ vel con- « tractus de facto cum ea, vel promissio cum juramento; quia hæc « tria ultima ad propositum pro eodem reputantur. De duobus primis « patet *Extra, de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per « adulterium*, cap. ult. De tertio, scilicet promissione cum juramento, « an valeat, habetur *Extra de his, quæ metu, vel vi fiunt. Ad aures.* « De his tribus dico, quod ultimum per se non impedit Matrimonium « contrahendum post mortem viri, sicut habetur *Extra de eo qui duxit « in Matrim.*, cap. ult. *Si quis, uxore vivente, fide data promiserit se « aliam ducturum; vel cum ipsa de facto contraxerit, si nihil aliud « fuerit, non est Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris « obitum, dirimendum.* Tertium cum primo simpliciter impedit, et di- « rimit; ibidem in eodem cap. sequitur enim ibi: *Tollerari non debet, « si prius, vel postea dum vixit uxor illius, illam adulterio polluisset;* « et refertur prius, et post ad fidei dationem. Hoc autem intelligen- « dum est, quando ambo sunt conscii, quod actus ille est adulte- « rium; si enim vir tantum sit conscius, et mulier inscia, puta quia « nescit eum habere aliam, tunc si vir postea contrahat cum illa ad « petitionem viri non est divortium celebrandum, sicut habetur tit. « eodem, cap. 1. ».

Itaque ex mente Doctoris, necnon et omnium Theologorum, duo sunt crimina Matrimonium dirimentia: nempe *homicidium, et adulterium*, non quidem qualiacumque, sed cum his quatuor conditionibus perpetrata: *primo* quidem, quando vir et fœmina communi consensu machinantur mortem alterius conjugum, ut Matrimonium postea simul ineant: *secundo*, cum adulter ideo procurat mortem uxoris suæ, vel mortem mariti adulteræ suæ, ut cum ista adultera Matrimonium ineat; similiter cum adultera procurat viri sui mortem, vel mortem uxoris illius, cum quo adulterata est, ut cum tali Matrimonium possit inire: *tertio*, cum adulteri de facto contrahunt inter se, viventibus adhuc suis conjugibus; vel saltem dum unus e contrahentibus istis adhuc habet suam compartem: *quarto denique*, dum adulteri sibi mutuo fidem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo post mortem suæ compartis; quos utique quatuor casus subtiliter non *minus*, quam distincte explicat Doctor loco supra laudato.

§ VIII. — An, et quæ disparitas cultus Matrimonium dirimat.

Per disparitatem cultus hic intelligitur Religionum diversitas, quæ reperitur inter fideles et infideles, sive illi sint baptizati, ut hæretici; sivé non, ut gentiles. Quæritur ergo, an ea Religionis diversitas sufficiat ad dissolvendum Matrimonium.

Respondeo primo, disparitatem cultus, quæ est inter baptizatum et non baptizatum, habere vim impedimenti dirimentis Matrimonium. Hæc constat ex usu et universali Ecclesiæ consuetudine ab Apostolis ad nos usque derivata; cujus utique fundamentum præbuit Apostolus 2. ad Cor. 6. dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio lucis ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?*

Hinc Tertullianus, lib. 2. ad uxorem, hujus consuetudinis meminit, ubi pariter hoc Matrimonium cum infidelibus initum damnat. Videtur etiam fuisse definitum in Concilio Nicæno I, Can. 67. ex Arabicis, ubi sic habetur: *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, a communione fidelium separetur. Quæ si pœnitentiam egerit maleficii, et eum virum, quem habere non poterat, idest, infidelem, dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur, qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Idem definitur a Concilio Toletano III, cap. 14. necnon et constat ex causa 28. q. 1. cap. *Sic enim*, et cap. *Cave*.

Hæc tamen Matrimonii irritatio non fit jure divino; quia, ut optime probat Doctor, dist. 39. n. 2. potest esse verum Matrimonium inter infideles, necnon inter fidelem et infidelem subsistere, quando videlicet initum fuit, dum ambo essent infideles. Quod utique probat Doctor n. 5. per illud Apostoli, *Vir infidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit habitaret cum eo:* « Si enim non esset Matri-
« monium, suaderet fornicationem; si autem non esset hoc licitum et
« honestum, Apostolus non consuleret. Sic igitur patet, qualiter potest
« esse Matrimonium inter fidelem et infidelem ».

Quærit Doctor: « Numquid igitur potest contrahi? *Respondet*, quod sic, quantum est ex jure divino; « quia ex illo non magis habetur,
« quod contractus sit nullus, quam quod obligatio ex contractu priori
« sit nulla; quia non posito novo impedimento, qui potest esse alte-
« rius, potest se dare alteri.

« Sed de jure positivo Ecclesiæ simpliciter non potest; quia Ecclesia
« illegitimavit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis, sicut patet
« in auctoritate adducta ad oppositum, 28. q. 1. Hoc autem Ecclesia
« rationabiliter ordinavit, quia hoc non potest congrue et honeste
« fieri; et ad hoc valent aliquæ rationes adductæ ad primum articulum;
« non enim est honestum fidelem contrahere, cui contractui non sit
« annexum Sacramentum fidei Christianæ, et etiam ubi non sit bonum
« Sacramenti, idest, indissolubilitas; quia conjugium Christianorum
« natum est habere hæc bona.

Instat Doctor: « quare ergo Apostolus suadet Matrimonium inter
« infideles contractum, esse servandum post conversionem alterius? si
« enim propter aliquem bonum finem honeste servatur: igitur propter
« eumdem posset honeste contrahi.

Respondet, « causa Apostoli patet ibi: *Salvabitur*, inquit, *vir infi-*

« *delis per mulierem fidelem:* igitur servare Matrimonium prius con-
« tractum est occasio convertendi conjugem infidelem; cessante autem
« evidenter causa illa, non debent insimul commanere: ut puta, si
« non consentit habitare cum converso, vel non sine injuria Creatoris,
« blasphemando scilicet, vel sollicitando conversum ad infidelitatem;
« vitanda est enim tam singularis familiaritas cum quocumque con-
« trariæ sectæ, nisi propter majus bonum. Ad propositum autem, con-
« trahere de novo cum infideli non est occasio probabilis ad expe-
« ctandum tantum bonum, scilicet conversionem ejus; quia multum
« amans conjugium multa et magna faceret, ut illud attingeret, quæ
« non esset facturus, ipso adepto: et ideo si iste non vult converti in
« primo, ut possit habere conjugium cum Christiana, non est proba-
« bile, quod ista postea lucretur eum, sed magis e converso; quia ille
« videtur obducere istam; et ideo cessat ratio tantæ familiaritatis ad
« infidelem, et manet ratio fugiendi illam familiaritatem; et ideo idem
« Apostolus, qui consuluit manere conversum cum non conversa, dis-
« suasit contrahere fidelem cum infideli, sicut argutum est ad oppo-
« situm ».

Quibus verbis Doctor duo resolvit: *primum* quidem, quod Matrimonium licitum sit et validum inter fidelem et infidelem jure divino: *tum* quia id significat Apostolus; *tum* quia, ut dixit, n. 2. Matrimonium potest esse validum inter infideles, et perseverare altero conjugum converso ad fidem; hoc enim non obstat fidei servandæ in Matrimonio: quia, *inquit*, fidelitas servari potest sine fide, qua creditur in Deum; hanc enim servant infideles fidelibus in contractibus; non enim sequitur: non vult servare fidem istam ad Deum, a qua Christiani dicuntur fideles: ergo non vult servare fidem, idest, fidelitatem proximo: *tum* quia non sequitur: non vult servare perfectius: igitur nec minus perfectum: *tum* quia infidelis non potest attingere per rationem naturalem ad observantiam fidei divinæ, sicut percipere potest servandam esse fidelitatem humanam. Nec etiam Matrimonii validitati inter infideles obstat bonum prolis educandæ; quia in hoc Matrimonio bonum prolis sequitur dictamen rationis naturalis; quod utique sufficit ad validitatem contractus Matrimonialis; nam quod proles educetur in ordine ad cultum supernaturalem Dei, hoc est extrinsecum ipsi contractui, qui tantum obligat ad id, quod servandum proponitur secundum dictamen vel solius rationis rectæ, si tantum affulgeat illius lumen; vel fidei divinæ, dum quis ea illustratur.

Non *denique* obstat bonum Sacramenti; quia, *(inquit Doctor* n. 3.) omnibus contractibus Matrimonii præcedentibus Legem Evangelicam non fuit annexa virtus et dignitas Sacramenti proprie dicti; nec etiam annexa fuisset in statu innocentiæ, si ille perseverasset; attamen tunc Matrimonium non caruisset debita perfectione ad rationem contractus pertinente; ac subinde Matrimonium inter infideles habere potest omnia bona Matrimonii, quatenus est contractus civilis, et consequenter potest esse validum; unde merito monet Apostolus, ut vir fidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit cum ipso habitare.

Secundo Doctor concludit, jure positivo Ecclesiæ ista Matrimonia censeri irrita. Quod utique constat non solum ex consuetudine et *praxi*, sed etiam ex variis decretis Conciliorum; nam, ut diximus, id

prohibet Concilium Nicænum, necnon et Carthaginense tertium, quod vetat cap. 12. ne Clerici filias suas nuptui dent infidelibus. Idem sanxit Aurelianense II, cap. 19. ubi prohibet Matrimonium cum Judæis non conversis. Idem Aurelianense, cap. 6. et Meldense, Can. 73.

Nec abs re quidem Ecclesia talia Matrimonia irritavit; nam, *inquit Doctor*, n. 5. *Primo*, non fuit conveniens, ut contraheretur Matrimonium cum aliquo, ex quo futurum esset periculum perversæ educationis prolis. *Secundo*, non fuit conveniens, quod fideles contraherent, ubi non occurrit bonum Sacramenti; nam fidelium Matrimonia debent habere hoc bonum. *Tertio*, periculum esset, ne fidelis, suadente infideli conjuge, a fide deficeret; *Quis enim dubitat*, inquit Tertullianus, lib. 2. ad uxorem, *obliterari quotidie fidem commercio infideli? bonos corrumpunt mores confabulationes pravæ, quanto magis conjunctus et individuus usus? Denique* Religionis disparitas esset occasio discordiarum, ut docet S. Ambrosius, lib. 1. *De Abraham*, cap. 9. ubi pariter præfata incommoda ex Matrimonio cum infideli inito oriunda recenset, dicens: « Quomodo potest congruere charitas, si discrepet « fides? Et ideo cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tra« dere, Cave, inquam, Gentilem aut Judæam, atque alienigeam, hoc « est hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi. « Prima conjugii fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum « prædicantur adulteria; si Christum neget, qui præceptor et remu« nerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Chri« stiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento Bapti« smatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, et conjun« ctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, « si credas a Deo tibi, quod sortitus est conjugium datum. Unde et Sa« lomon ait: *A Deo præparatur viro uxor*. Non possunt hoc dispares « fide credere, ut ab eo quem non colunt, putent sibi connubii im« partitam gratiam. Ratio docet; sed amplius exempla movent. Sæpe « illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a Religione fecit « discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Ratio « docet. Primum ergo in conjugio Religio quæritur ».

Licet autem hæc vera sint, quando adest periculum subversionis alterius conjugis, aut aliquod imminet ex malis mox recensitis; nihilominus ubi tale periculum non imminet, revera licitum est Matrimonium ducere cum infidelibus, saltem ex decreto, et consensu Ecclesiæ. Quod utique probari potest variis exemplis veteris Testamenti; nam Jacob duxit uxores filias Laban hominis gentilis, Genes. 29. Joseph duxit filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos Genes. 41. Moyses Sephoram filiam Jethro Sacerdotis Madian, Exodi 1. Esther nupsit Assuero Regi Persarum, et Salomon varias duxit uxores alienigenas. « Verum ipse, *inquit Doctor* num. 8., sicut pessimus et ingratissimus « homo, Deo suo, non solum in hoc peccavit, quia alienigenas duxit « contra legem, etiam de gentilibus specialiter prohibitis, sed etiam « in multitudine mulierum; siquidem habuit secundum unam litte« ram 706. uxores quasi Reginas, et 300. concubinas; cum tamen « diceret lex specialiter de Rege, *Deuteron.*, cap. 17. *Non habebit « uxores plurimas, quæ allicient animum ejus;* quod forte specialiter « dixit Moyses propter malitiam istius prævisam, ut si non compesce-

« retur, saltem confunderetur, ne alii etiam eum imitarentur: et quod « pejus est, copulatus est eis amore ardentissimo, in tantum, ut faceret « eis idola, et templa ad colendum Deos suos; unde non sine causa « subjunxit Moyses, ut supra, *quæ alliciant animum ejus;* et hæc « omnia aggravat singularis ingratitudo sapientiæ eminentis sibi su- « bito a Deo concessæ; ita quod ista auctoritas non requirit respon- « sionem, sed solam detestationem ».

Idipsum constat variis exemplis Sanctorum Legis Evangelicæ; nam S. Cæcilia nupsit Valeriano adhuc Gentili, ut habetur ex actis ejus vitæ, et martyrii; S. Monica, mater S. Augustini, nupsit Patricio Ethnico, ut ipse S. Augustinus testatur, lib. 9. *Confess.*, cap. 9. S. Clotildis nupsit Clodovæo Regi Francorum adhuc idololatræ, ut testantur omnes Historiæ Francorum illius ævi, et Gregorius Turonensis, lib. 2. *Historiæ*, cap. 28. et 31.

Ex his collige, potiori jure Matrimonia cum hæreticis non semper esse illicita; quamvis enim aliquibus in locis, ex Ecclesiæ decreto irrita haberentur hujusmodi Matrimonia, ut insinuat Canon Trullanus 72. qui includitur in Can. 67. Laodiceni, et indicat Theodorus Balsamon in priorem Canonem, et *in novo Canone*, tit. 12. c. 13. hanc praxim docet viguisse in Græcia non ex alio capite, quam ex canonibus antiquis inhabilitantibus personas ad contractum, fidelis quidem respective ad infideles, et Judæos, sed præterea baptizatos hæreticos, et fideles utrumque comprehendentes, damnat præfatus Auctor Iberos, qui connubium inibant cum Saracenis.

His, inquam, non obstantibus, constat ab Ecclesia permitti posse, ut fideles Matrimonia ineant cum hæreticis, quando id rationabilis causa exigit, puta *primo*, cum affulget spes conversionis conjugis infidelis ad fidem: 2. si Matrimonium istud sit motivum et occasio conciliandæ pacis inter Principes et Regna: 3. si nullum adsit ex prætatis periculis: 4. si conjux fidelis proficere possit ad fidem in aliquo regno propagandam aut fovendam. Attamen cavendum est, ne hujusmodi Matrimonia sub hac conventione ineantur, ut filiorum educatio pertineat ad patrem fidelem, v. g. filiarum vero ad matrem hæreticam; hæc enim pactio vergeret in præjudicium salutis ipsarum filiarum, quæ forte ab hæretica matre in erroribus, quibus inficitur, educarentur.

Septimum impedimentum est *vis*, seu *coactio;* cum enim contractus Matrimonii debeat esse liber, ut diximus, sufficienter apparet, quod dum contractus ille initur ex gravi metu, qui virum constantem dejicere posset, prorsus irritus habendus est; quia bona, quæ ad aliquem dominum proprium pertinent, transire non possunt in alterius dominium et potestatem, sine proprii domini consensu; vel sine dispositione alicujus legis ad id cogentis: sed bona contrahentium Matrimonium sunt ipsis personalia, qui sibi Matrimonium ineundo tradunt: igitur non potest illa traditio fieri sine libero eorum consensu, maxime cum tantum absit, ut aliqua Lex Ecclesiastica vel civilis conjuges ad hujusmodi traditionem corporum adstringat, quin potius utraque lex consensum istum requirit, ut constat non solum ex Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 9. sed etiam colligitur ex cap. *Sufficiat*, causa 27. q. 2. et cap. *Cum apud de Sponsalibus*. Item ex L. *Nuptias* ff. de *legibus juris*, quæ cum alibi expenderimus agendo de libertate ad

consensum Matrimonialem necessaria, non est necessum, ut in hoc declarando impedimento diutius immoremur.

§ IX. — Utrum, et qualis Ordo Matrimonium dirimat.

Certum est, minores Ordines nec dirimendi, nec impediendi Matrimonii vim habere, quippe cum nullum continentiæ votum annexum habeant, neque id ullo jure sancitum alicubi reperiatur. Quantum autem ad Ordines sacros, nempe Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, et Episcopatum, conveniunt omnes Theologi et Canonistæ, eos Matrimonium subsequens irritare, ut constat cap. 1. *Qui Clerici, vel voventes,* et ex cap. *Ut Lex* 27. q. 1. ubi postquam statuit Pontifex, et præcepit, ut qui post sacros Ordines uxores duxerint, ab illis separentur, subjungit causam his verbis: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus.* Idipsum expresse definit Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

Hæc autem vis dirimendi Matrimonium Sacris Ordinibus insita non provenit, (*inquit Doctor,* dist. 37. n. 3.) præcise ex eo quod habeant annexum votum castitatis; quia, inquit, votum illud haberet hunc effectum, *vel* ex eo quod emittatur a suscipiente, *vel* quia ex præcepto Ecclesiæ votum illud conjunctum est Ordini sacro: sed neutrum dici potest. Et non quidem *primum;* quia posset aliquis Ordines suscipere, absque voluntate continendi, et cum intentione nubendi; quo in casu non teneretur ex voto ad continentiam, quia nullus vovens vovet nolitum; ac subinde iste suscipiens sacrum Ordinem cum hac voluntate, non teneretur ex voto servare continentiam.

Nec obstat, quod iste suscipiens Ordinem sacrum suscipiat signum, cui ex praxi Ecclesiæ Latinæ annexum est votum continentiæ. « Hoc, « *inquam,* non obstat; quia, *inquit Doctor,* nullus tenetur ex voto ad « votum factum ab alio, maxime si habeat votum contrarium. *Deinde,* « Græci suscipiunt idem signum absque ulla voluntate castitatis; unde « ad ipsam non tenentur.

« *Secundum* etiam dici non potest, quia licet Ecclesia simpliciter « prohiberet Matrimonium existenti in Ordine Sacro, non inde Matri- « monium irritatur; quia non omnis prohibitio irritat factum, ut constat « ex cap. *Ex litteris,* ubi legimus: *Licet contra interdictum Ecclesiæ « transire ad secunda vota non debuerint, non est tamen conveniens, « ut ob hoc, Sacramentum conjugii dissolvatur; aliqua tamen pœni- « tentia debet eis imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fece- « runt.* Igitur si votum continentiæ est annexum Ordini Sacro solum « ex præcepto Ecclesiæ, sequitur quod non simpliciter illegitimat ad « contrahendum; universaliter enim in jure statutum prohibens hoc « fieri non illegitimat, sed oportet, quod contineat talem sententiam,

« quod si contractum fuerit, dirimatur, vel si copulati fuerint, non « sint aliqualiter tolerandi.

Itaque concludendum est cum Doctore, ibidem n. 4. « quod nec « propter votum continentiæ proprie dictum annexum Ordini sacro, nec « annexum ex præcepto Ecclesiæ præcipientis tali non contrahere, est, « quod iste non potest contrahere, sed ex hoc quod Ecclesia facit talem « personam simpliciter illegitimam. Quod statutum fuit rationabile, « sive habitum fuerit a Christo, sive non, qui talis deputatur ministerio « sacro, quod requirit munditiam mentis et carnis, perspicacitatem in- « tellectus, fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, et ad « eorum opposita frequentia carnalis actus. Nec in hoc debet aliquis di- « cere, Ecclesiam sibi præjudicare in suo jure; quia Ecclesia commu- « niter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri, et satis publi- « cavit, quia post talem Ordinem susceptum, suscipiens est inhabilis ad « contrahendum: igitur voluntarie incurrit talem inhabilitatem ».

Corollarium. — Ex hac doctrina *sequitur*, constantissimum esse, quod sacris Ordinibus etiam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio cœlibatus fuerit annexus, ut colligi potest ex variis Conciliis: *primo* quidem, ex Concilio Apostolorum, Can. 27. qui potestatem facit ducendi uxorem, sed Lectoribus tantum atque Cantoribus; si autem voluissent promoveri ad majores Ordines, jam evecti omnino debebant abstinere a commercio uxorum: igitur signum est, Apostolos interdixisse usum nuptiarum in majoribus Ordinibus constitutis. Similiter Concilium Ancyranum, Can. 10. jubet ut Presbyteri, qui Matrimonium contraxerunt, a Ministerio deponantur, et redigantur ad communionem laicam. Item in Neocæsariensi, Can. 1. sic habetur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abjiciatur, et pœnitentiam inter laicos redactus agat.* Similiter Eliberitanum, Can. 32. *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios.* Idem decernunt cætera Concilia Romanum, cap. 3. Arelatense II, cap. 2. et 3. Carthaginense II, cap. 2. III, cap. 17. et 19. IV, cap. 3. Toletanum I, cap. 1. et 4. Africanum I, cap. 22. Andegavense apud Baronium, anno 453. Turonense I, cap. 1. 2. et 6. Aurelianense II, cap. 8. Avernense, cap. 12. Aurelianense III, cap. 2. et 7. IV, cap. 17, V, cap. 4. Turonense II, cap. 10. Matisconense, cap. 11. Lugdunense II, cap. 1. Toletanum III, cap. 1. Hispalense I, cap. 3. Toletanum IV, cap. 20. et 26. Toletanum VIII, cap. 4. Cabilonense I, cap. 3. Moguntinum, cap. 10. Rhemense, cap. 22. Aquisgranense, cap. 6. et 9. Wormatiense, cap. 9. et 11. Lateranense, Sess. 9. Omnia hæc Concilia statuunt continentiam virorum sacrorum, vel declarant, vel puniunt, et reprobant contrarium.

Idem docent plurimi SS. Patres, quos laudat et refert Hiquæus ad dist. 37. n. 2. et sequentibus. Unde cœlibatus semper in Ecclesia Latina sacris Ordinibus ita fuit annexus, ut ab ea praxi nusquam licitum fuerit deviare, saltem ex consensu communi; nam ubi mos contrarius cœpit serpere, statim per Conciliorum et summorum Pontificum vigilantiam extirpatus est.

Secus autem in Græca, in qua licet ab initio idem ritus viguerit, nihilominus postmodum hæc lex fuit abrogata, et permissum est Ministris Altaris cum propriis uxoribus ante sacros Ordines Matrimonio copulatis consuetudinem habere eo tempore, quo sacris Ministeriis non vacant; idque non improbat Ecclesia Romana; nam, ut observat Arcudius, lib. 7. cap. 33. Stephanus Romanus Pontifex, ut refertur cap. *Aliter*, dist. 31. ait: *Aliter*, inquit, *se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi Matrimonio copulantur;* (glossa, hoc est carnaliter commiscentur; seu, quod idem est, Matrimonio antea contracto utuntur; is enim est mos Orientalium) *istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Nec tamen eum morem reprehendit Pontifex. Et in cap. *Quæsitum* De Pœnitentia et remiss. ait Clemens III. *Quæsitum est, utrum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo Matrimonio uti licet.* Et in cap. *Ut Clericorum mores* de vita, et honestate Clericorum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III dicitur in fine: *Qui autem secundum Regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo Matrimonio uti possint.* Ubi glossa notat, hoc dici propter Orientales, qui post sacros Ordines susceptos, utuntur conjugio ante contracto. Et cap. *cum olim de Clericis conjugatis* Innocentius III mandat Acherontino Episcopo, ut filium cujusdam Presbyteri Græci in Ecclesia Latina Cantoratus dignitate insignitum, quippe legitime prognatum, et electum a populo, in Episcopatum promoveat, modo aliud non obstet: *Nos*, inquit, *attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur Matrimonio jam contracto.* Unde certum est, Ecclesiam Romanam Presbyteris Græcorum usum Matrimonii post susceptos sacros Ordines impune permisisse, seu potius tolerasse.

Quamvis enim Nicolaus I ut habetur dist. 28. cap. *Consulendum*, respondens ad quæstiones Bulgarorum, dicat Græcos ea in re esse valde reprehensibiles; hoc tamen dicit Bulgaris recenter ad fidem Christi per Romanam Ecclesiam conversis, ut ostendat usum Matrimonii Græcorum Presbyteris, non quidem ut bonum, sed ut minus malum toleratum fuisse. Et ob eam causam minime eos rejiciendos esse ait. Forte etiam quia Græci ex Concilio Quinisexto reprehendebant Ecclesiam Romanam cœlibatum servantem.

Unde merito Pontifex dixit, Græcos esse longe majori reprehensione dignos, utpote qui Antiquorum canones minus servant. Quod si alia est mens et sententia Nicolai, tamquam quæ non ex cathedra sit prolata, minus probanda est, idque auctoritate plurimorum Pontificum contrarium sentientium. Nam et Gregorius Magnus prædecessoris sui sententiam minime probat; ne Subdiaconi uxoribus antea ductis miscerentur, lib. 1. Epist. 42.

Cæterum (inquit Arcudius) Græci suos ritus mordicus nimis retinentes, et suarum consuetudinum nimium amantes, quod illis impune et sine peccato, ob fragilitatem et penuriam Sacerdotum a principio concessum, seu potius toleratum fuerat, idem laude atque imitatione

dignum ducentes, neque incommoda Matrimonii ab Apostolo in priori ad Cor. cap. 7. enumerata considerantes, optarent reliquos omnes Presbyteros suo more uxores ducere; neque laude castitatis alios sibi anteferri æquo animo patiuntur. Siquidem Latinos reprehendere audent, quod Matrimonio conjunctos, et operam liberis dantes, ad sacros Ordines merito nulla ratione admittant; præsertim cum nulla causa justa sit, cur Sacerdotes procreationi liberorum studeant.

Unde Patres Synodi Quinisextæ, seu Trullanæ, in contemptum Romanæ Ecclesiæ, tamquam dogma et præscriptum Apostolicum, Can. 13. statuunt, quod qui ad Ordines sacros promovendi sunt, uxores suas retineant: « Quoniam, *inquiunt*, in Romana Ecclesia pro canone tra-« ditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni exi-« stimati sunt, qui ordinentur, profiteantur se non amplius cum suis « uxoribus conjungendos; nos antiquum canonem exquisitissimæ di-« sciplinæ Apostolicæ ordinisque secuti, hominum, qui sunt in sacris, « conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma et stabilia esse « volumus. Nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissol-« ventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. « Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hyppodiaconus, vel « Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi mi-« nime prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Or-« dinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima « conversatione uxoris paratum abstinere. Nec ex eo a Deo constitutas, « et sua præsentia benedictas nuptias, injuria afficere cogemur, Evan-« gelica voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo non separet; « et Apostolo docente, honorabiles esse nuptias, et torum immacu-« latum. Et, Alligatus es uxori? ne quæras solutionem. Scimus autem, « sicut et qui Carthaginem convenerunt Ministros gravitatis, honesta-« tisque curam gerentes, dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria « contrectant, et Diaconi, et Presbyteri secundum proprias definitiones « a consortibus abstineant, ut et quod per Apostolos traditum est, et « ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter observe-« mus, tempus in omni re scientes, et maxime in jejunio, et oratione. « Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in sanctorum tractan-« dorum tempore esse omnino continentes, ut possint id, quod a Deo « simpliciter postulant, obtinere. Si quis igitur præter Apostolicos « canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, « inquam, vel Diaconorum, vel Hyppodiaconorum, conjunctione, cum « legitima uxore, et consuetudine ausus fuerit privare, deponatur. « Similiter, et si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem præ-« textu pietatis ejecerit, excommunicatione feriatur; si autem perse-« veraverit, deponatur ». Sic Patres illius Concilii. Qui etiam deposi-tionem non obtemperantibus huic canoni minantur.

In ipso autem Canone Græci suam adversus Latinos sententiam tueri nituntur quatuor momentis. *Primo* quidem, ex illis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Secundo*, ex verbis Apostoli dicentis ad Hebræos 13. *Honorabile connubium*, hoc est, nuptias esse honorabiles, ac subinde perperam a Sacerdotibus Latinis rejici. *Tertio*, ex Canonibus Conciliorum secundi, et quinti Carthaginensium. *Postremo*, ex sexto Canone Apostolorum, quo prohibetur Episcopus, Pre-

sbyter, et Diaconus, sub specie et prætextu pietatis suam uxorem rejicere.

Verum facili negotio diluuntur omnia ista fundamenta: primo namque quod attinet ad verba Matth. 19. respondetur, illa esse intelligenda non de neglectu Matrimonii; quod utique certissime fieri potest ab iis, qui virginitatem sectantes, meliorem utique sortem, ac perfectiorem statum elegerunt.

Ad Apostolum respondeo, ipsum eo loco tradere præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet, quid fieri debeat; unde eorum verborum sensus est, conjugium in omnibus legitime conjunctis esse honorabile et immaculatum, ac subinde graviter peccant, dum illud stupris et adulteriis dehonestant. Unde statim subjicit: *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*

Ad tertium dico, quod tantum abest, ut Canon secundus Concilii secundi Carthaginensis faveat Græcis, quinimo ipsis directe adversatur; sic enim habet: *Aurelius Episcopus dixit, Cum in præterito Concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, Presbyteros, et Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universim Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstinere. Ab omnibus dictum: Placet, ut in omnibus, et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.* Ubi notanda sunt ea verba, *quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas;* ut inde pateat, hallucinari Præsules Concilii Trullani, dum contrarium prætendunt.

Idem habet *Canon tertius Concilii quinti Carthaginensis;* sic enim legimus: *Cum de quorumdam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos, secundum propria* (aliter priora, vel priorum) *statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observare debere.* Quæ posteriora verba indicant, alicubi fuisse consuetudinem, ut etiam Lectores essent continentes, vel si essent uxorati, non haberent consuetudinem cum propriis uxoribus; unde Can. 19. Concilii tertii Carthaginensis habetur: *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

Ad Canonem sextum Apostolorum his verbis conceptum: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat, si vero dejecerit, excommunicetur, et si perseveraverit, dejiciatur.* Dico non habere eum sensum, quem falso Trullani arbitrantur, nempe ut Sacerdotes uxores ante Presbyteratum ductas possint retinere, et eis uti; sed significant Apostoli, uxores ante Ordinationem ductas non debere abjici a cura, tenentur enim eas alere, ac eis de rebus necessariis providere, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Si*

quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Unde Concilium Turonense II, Can. 8. dicit Episcopum conjugatum debere uxorem habere ut sororem; verum absque ulla suspicione carnalis commercii. *Adde quod*, ipsimet Græci non observant præfatum Canonem, ut ipsum interpretantur; nisi enim uxorati suas uxores abjiciant, non eos creant Episcopos: si autem Græcis licuit excipere Episcopos ab hac Canonis præscriptione, cur non Latinos Presbyteros, cum æque Canon Episcopos, atque Presbyteros comprehendat?

Objiciunt insuper Græci Canonem 10. Concilii Ancyrani, ubi habetur: *Diaconi si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, nec posse continere, hi postea si uxores duxerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit.* Igitur saltem Diaconi possunt esse uxorati. Et Concilium Gangrense, Can. 4. damnat eos, qui recusant sumere Eucharistiam, vel forte panem Eulogicum ex manibus Sacerdotis, qui uxorem habuerit: *Si quis*, inquit, *discreverit ab aliquo Presbytero, qui uxorem duxerit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit:* igitur approbat Presbyterorum conjugia. — **Ad Canonem Ancyranum respondet Arcudius**, cap. 37. Patres illius Concilii Provincialis eo tempore cum nonnullis Diaconis in Matrimonio dispensasse, eo quod cœlibatus non sit de jure divino: idque vel propter penuriam Ministrorum, vel *propter hominum mentem torpentem, atque languentem*, inquit S. Epiphanius. Cæterum tantum abest, ut hic Canon Græcis faveat, quinimo ipsis adversatur; si enim licitum erat post susceptos Ordines eo tempore uti uxoribus, cur opus erat Diaconis protestari se non posse continere? poterant enim, prout modo faciunt Græci, prius copulari Matrimonio, deinde initiari sacris Ordinibus; neque ulla indulgentia petenda erat. Quod etiam indicant sequentia verba præfati Canonis: *Si qui vero cum manuum impositione essent ordinandi, tacuerunt, utpote qui suo silentio cœlibem vitam professi sunt, si deinde duxerint, cessent a ministerio.* Ubi Synodus clarissime significat eos tacite continentiam profiteri. — *Ad Canonem Concilii Gangrensis respondet*, eum sic posse intelligi, quod aliquis habeat uxorem, et ab ea se contineat; vel quia sit mortua ejus uxor, vel quia ex illius consensu ab ea se abstinet: qui utique Canonis sensus colligitur ex fine, propter quem editus est Canon ille, nempe adversus Eustachium Episcopum Sebastiæ, qui nuptias abrogandas esse censebat; quapropter ejus sectatores renuebant accipere oblationem a Presbyteris, qui aliquando uxores duxissent; quod utique non fecissent, si passim omnes Presbyteros Matrimonio junctos esse vidissent. *Respondet secundo*, quod si hic Canon intelligatur de Sacerdotibus uxoratis, et procreantibus liberos, id factum fuisse per dispensationem, videlicet ob ministrorum penuriam. Quoniam vero illi Sacerdotes uxorati despectui habebantur, idcirco hujusmodi Canonem Concilium dedit, ut signaret virtutem Eucharistiæ, seu benedictionis, non pendere a sanctitate Ministri.

Objiciunt 3. Licitum erat Sacerdotibus veteris Legis uxoribus uti: igitur cum longe major sit libertas Legis Evangelicæ, quam Legis Mosaicæ, idipsum multo magis licere debet. — **Nego consequentiam**, *et ratio disparitatis est*, quod in veteri Lege ideo concessum Sacer-

dotibus fuit Matrimonium, quia soli tribui Levi et domui Aaron Sacerdotium inerat, nec aliis licebat hoc officio fungi; ne igitur Levitarum genus in paucis conclusum deficeret, propagandum erat per eorum connubia. Sed nunc non quæritur carnis successio, sed spiritus, et Sacerdotes ex quacumque stirpe possunt eligi, dummodo qui Christo in Sacerdotio succedunt casti sint, sicut et ipse castus fuit: si enim Legis Mosaicæ Sacerdotibus dictum est: Mundamini, qui fertis vasa Domini, quanto magis Sacerdotibus novæ Legis convenit mundities, quibus non solum ferre vasa Domini, sed etiam ipsum Dominum quotidie, et contrectare manibus, et ore sumere licitum est? Non solum igitur mente, sed etiam corpore, mundus esse debet, qui ad tam sacrum ministerium assumitur.

Obiiciunt ultimo historiam Paphnutii, quem Socrates, lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 8. refert adfuisse Concilio Nicæno, et obstitisse Patribus, quominus Legem ferrent qua Presbyteri, cæterique Ordinibus sacris initiati uxoribus ante Ordinem acceptis postea uti posse prohiberentur: « videbatur, *inquit*, Episcopis Nicæni Concilii Le« gem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, « videlicet Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, cum uxoribus, quas, cum « erant Laici, in Matrimonium duxissent, minime cubarent. Et quo« niam hac de re conferendum esse proponebatur, surgens in medio « Episcoporum consessu Paphnutius vehementer vociferabatur, non « grave jugum eorum cervicibus imponendum esse, qui erant sacris « initiati, honorabile conjugium, et torum immaculatum asserens; ca« verent, ne dum nimio plus accurati et exquisiti esse volunt, Ec« clesiam graviore incommodo afficiant. Non enim omnes disciplinam « ferre posse ab omni animi perturbatione vacuam. Neque a singulo« rum uxoribus fortasse castimoniam posse servari. Castimoniam cum « uxore legitima concubitum appellabat. Illud satis esse, ut qui in « Clerum antea scripti erant, quam duxissent uxores, hi secundum « veterem Ecclesiæ traditionem deinceps a nuptiis se abstinerent. Non « tamen quemquam ab illa, quam jampridem, cum Laicus erat, uxo« rem duxisset, sejungi debere. Atque hæc dicebat Paphnutius, cum « ipse modo non nuptias, sed ne mulierem quidem, ut ita dicam, ex« pertus esset. Nam a puero in Monasterio, severo vitæ disciplinæque « genere enutritus fuerat, magnamque famæ celebritatem ob singu« larem castimoniam, si quis alius, ipse quoque adeptus erat. Assen« titur totus sacrorum virorum conventus verbis Paphnutii. Quocirca « controversiam de hac re penitus silentio præterierunt, liberum re« linquentes cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudinem absti« nendi. Eamdem historiam accepit a Socrate Sozomenus, et eam re« fert in primo libro, *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 23. Item Gelasius « Cyzicenus recensens acta Synodica Concilii Nicæni, cujus meminit « Photius in Biblioteca ». — **Respondet Arcudius**, cap. 38. historiam illam omnino confictam esse, quod convincitur in primis, ex eo quod rem adeo celebrem ac memorabilem, qui Concilio interfuere, ejusque acta scripsere, profecto litteris mandare non negleXissent: at Eusebius Cæsariensis unus ex Episcopis Concilii, cujus etiam historiam narrat, nihil omnino tale tradit, imo contrarium scribit. Sed neque Theodoretus, vel alius quispiam fide dignior.

Quin potius S. Epiphanius et Theodoretus Paphnutii cum meminerint, de eo tamen nihil ejusmodi referunt. *Deinde* Socrates ipse sibi manifeste contradicit. In ea siquidem historia, quam narrat de Paphnutio, dicit Patres voluisse novam Legem in Ecclesiam introducere, qua sacris initiati, dormire cum suis uxoribus vetarentur. In libro vero quinto *Ecclesiasticæ Historiæ*, cap. 22. ubi recenset varios mores ac diversos ritus antiquos Ecclesiarum, testatur in Thessalia, Macedonia, et ipsa Græcia morem fuisse ab Ecclesiasticis observatum, ut quam lege duxerat aliquis uxorem, priusquam Clericus factus esset, si postea Clericus factus cum ea dormivisset, alienus fieret et abdicaretur a munere Clericatus. — *Respondet secundo*, quod etsi Paphnutius Patribus obstiterit, ne Legem ferrent, qua prohiberentur Presbyteri concumbere cum suis uxoribus, an propterea Synodus illius rationibus ducta in arbitrio Episcoporum, atque aliorum Ecclesiasticorum reliquit, ut uxoribus pro libito uterentur, ac non potius eam Legem tulit, cujus tertius Canon sic habet: *Interdixit universæ magna Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque omnino alicui eorum, qui in Clero sunt constituti, conductam habere licere. Nisi forte matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantum personas, quæ omni suspicione carent. Qui contra hæc facit, de sua dignitate periclitabitur.* Similem Canonem ediderunt Patres Africani in Concilio tertio Carthaginensi, Can. 17. et hunc Nicænum videntur explicare, ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non habitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, et filiæ fratrum, aut sororum; et quæcumque ex familia, domestica necessitate etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant. Vel si filli eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis manentibus in domo, quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit. Mandat itaque Canon Nicænus, ne ulla mulier cohabitet cum Episcopo, Presbytero, Diacono, aliisque Clericis; easque tantum excipit personas, de quibus male suspicari non potest. Sed legitime Sacerdotum uxores et filii nullam suspicionem de se præberent; et tamen harum Canon nullam facit exceptionem, sed tantum matris, sororis, et amitæ: igitur signum est, quod ad Paphnutii sententiam Patres Nicænæ Synodi non approbarint Sacerdotum conjugia. Quamobrem Siricius Pontifex, qui in Epist. 1. prohibet Sacerdotes habitare cum propriis uxoribus, multo magis cum aliis fœminis, in suæ sanctionis assertionem præsentem Canonem induxit: *Fœminas*, inquit, *non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permittit.* — *Confirmatur* hæc responsio, et tota simul assertio roboratur auctoritate SS. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt, non licere Sacerdotibus novæ Legis uxores ducere, et filios generare. Prodit in primis S. Athanasius, qui in Apologia de sua fuga, ubi mores Arianorum Episcoporum, qui eum persequebantur, describit, circa finem, de quodam Leontio, quem passim cognomine novo ἀποκόπον, hoc est exectum, et castratum appellabant, Ariano Pseudo-Episcopo ita refert: *Leontius enim cum argueretur commercium habere cum quadam muliere juvencula, cui nomen Eustolium, jussusque proinde fuisset, ut ab ejus contubernio abstineret, ejus causa seipsum castravit;*

quo libere ejus consuetudine uti posset. Neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit, quin potius ob idipsum cum Presbyter esset, depositus fuit, quamvis Constantius hæreticus vi effecerit, ut eum Episcopum appellarent. At si Presbyteri tempore S. Athanasii poterant cum uxoribus legitime ante sacros Ordines ductis lege Matrimoniali postea commisceri; quis credat Leontium hominem fallacissimum maluisse se castrare, ut cum Eustolio securius degeret, quam ante ordinationem eam in uxorem ducere, qua Presbyter factus jure conjugali posset uti?

S. Athanasio subscribit Basilius Magnus pluribi, maxime in Epistola ad Gregorium Presbyterum, qui contra constitutiones Nicænæ Synodi mulieres secum domi habebat, quem arguens S. Basilius inter cætera scribit: *Neque primi, neque soli, o Gregori! constituimus viros cum mulieribus in iisdem ædibus degere non oportere; sed lege Canonem in Nicæna Synodo a SS. Patribus nostris editum, aperte vetantem, ne qui coinductas mulieres secum haberent: cælibatus vero in eo suum habet decus, quod a mulierum familiaritate viri longius absint.* Et post pauca concludit: *Domo itaque eductam mulierem, in Monasterio colloca, et tu virorum servitio domi utere, ne propter nos nomen Dei blasphemetur.... Si vero non te corrigens audeas Sacerdotii munera exercendo retinere, omni populo eris anathema, et qui te domo accipient, per omnes Ecclesias excommunicati erunt.*

Ipsis etiam suffragatur Eusebius Cæsariensis, qui cælibatum Sacerdotum jam ante Concilium Nicænum in usu fuisse demonstrat; is enim lib. 1. *Evangelicæ demonstrationis*, ubi quærens quam ob causam non eadem ratione ut prisci fideles, nos quoque numerosæ soboli operam non damus, varias hujus discriminis causas profert, quarum ultima est: *Causa igitur*, inquit, *ob quam viri sancti priscis temporibus magno cum studio liberos susciperent, sublata est, quæ non amplius in nobis locum habere dicenda est, quando Deo favente, per Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam innumerabiles gentes, et populos in urbibus, et regionibus, et agris licet nobis oculis intueri simul festinantes, et ad sancta Evangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes. Quibus quidem satis superque sit, SS. Doctores, ac Prædicatores divini verbi omnibus, et vitæ vinculis, et annuis curis liberati, possint sufficere. Maxime vero nunc necessario his ipsis, eo quod potioribus rebus vacent, magnum est studium abstinendi a re uxoria, veluti iis, qui divina, et incorporea sobole propaganda, occupati teneantur, et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint. Postremum omnium, si quis majorum illorum vitas, de quibus nunc loquimur, diligenter exploret, inveniet eos initio quidem ætatis soboli procreandæ vacantes, mature autem abstinentes, atque cessantes.* Et circa finem capitis, subdit: « Quod etiam novi Testamenti legibus non « omnino interdicta est liberorum procreatio, sed in hoc quoque si- « milia, quæ et antiquis Deo charis ordinata sunt; oportere enim ait « sacra Scriptura, *Episcopum unius uxoris fuisse virum*; verumtamen « consecratos, atque in Dei ministerio cultuque occupatos, ab uxoria « consuetudine seipsos continere deinceps par est. Qui vero hoc sacro « ministerio nondum digni effecti sunt, his eadem Scriptura permittit, « atque indulget, tantum non clare omnibus prædicans, honorabiles

« esse nuptias, et torum immaculatum ». *Hactenus Eusebius*, cujus proposita quæstio nullum habuisset locum, si idem mos, qui modo in Ecclesia Græcorum viget, tunc viguisset.

Verum aliis Græcis Patribus omissis, nobis pro cæteris erit S. Epiphanius, qui aperte Græcorum illorum morem, et Canonem Concilii Trullani insectatur Hæresi 59, ubi sic ait: *Ecclesia adhuc viventem et liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Episcopum, et Presbyterum, et Hyppodiaconum suscipit, maxime ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici.* Et mox subjungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, et Hyppodiaconos. At non est,* inquit, *juxta Canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Idem Hæresi 48. *Gaudet,* inquit, *Deus verbum his, qui approbatum Religionis cultum præstare possunt, et virginitatem, et castitatem, et continentiam exercere diligunt; monogamiam quoque honorat, etiamsi maxime Sacerdotii dona per eos, qui post monogamiam sunt continentes, et qui in virginitate permanent, se ornasse expresserit: quemadmodum et ejus Apostoli Ecclesiasticum Sacerdotii Canonem recte et sancte ordinarunt.*

Patribus Græcis consentiunt Latini Patres, maxime S. Ambrosius, lib. 1. *De Officiis*, cap. ultimo, ubi redarguens quorumdam Sacerdotum sacrilegas nuptias, ait: *Inoffensum exhibendum et immaculatum mysterium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, aliam etiam ab ipso consortio conjugali sacri ministerii gratiam recepistis. Quod ideo non præterivi, quia in plerisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt.* Idem habet lib. 10. Epist. 82.

Similiter S. Hieronymus, lib. 1. *Contra Vigilantium*, carpens Episcopos, qui Vigilantii errores approbabant, scribit: *Pro nefas,* inquit, *Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes. Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur, et nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, et Sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desierunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens.* Et in Epist. 46. ad Pammachium in fine Apologiæ pro libris *Contra Jovinianum: Apostoli*, inquit, *vel virgines, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.* Sic ille.

S. Augustinus vero (qui vir, et quantus testis!) in lib. 2. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. 20. *Solemus,* inquit, *eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.* Sic loquitur Augustinus. Non quod revera coacti sacris initiarentur, sed quia nonnulli libentius retenta, vel ducta uxore, munere Sacerdotis functi fuissent: idque nulla ratione ipsis permittebatur, propterea dicit invitos eos capi.

Viderint ergo Patres Trullani, (inquit Arcudius) quam consona canonibus Apostolicis decreverint; quam optime explanarint Canones Conciliorum Carthaginensium; et quo jure in hac re Romanam Ecclesiam reprehenderint. Non enim puto melius intellexisse Trullanos Patres illa Concilia, quam Patres citatos. Atque adeo eumdem ipsum Augustinum, qui Concilio V Carthaginensi interfuit. Siquidem illi longe proximiores Apostolis, quam fuerint Trullani, melius etiam Apostolorum et Conciliorum decreta intellexerunt. Nam, ut Marcus Tullius quodam in loco ait: *Veteres quo propius ab origine absunt, eo melius verum vident.*

§ X. — Utrum, et qualis impotentia vim habeat dirimendi Matrimonium.

Observandum est cum Doctore, dist. 24. « nomine *impotentiæ*, hic « intelligi aliquam inhabilitatem consummandi Matrimonii per copulam « carnalem, quæ, ut ait num. 4. est duplex, nimirum perpetua, et « temporalis. *Prima est*, quæ sine vitæ periculo, vel sine peccato, aut « absque miraculo removeri non potest; *temporalis* vero ea, quæ tolli « potest successu temporis per artem humanam, et per media conve- « nientia. Rursum alia est naturalis, alia vero casualis, et accidentalis. « *Naturalis* in viro est frigiditas, vel mutilatio partis necessariæ; in « muliere arctatio. *Casualis* est per maleficium. Impossibilitas prima « satis patet. *Secunda* fit per malignos spiritus, qui habentes pactiones « cum hominibus, servant promissa; non quia veraces, sed ut alii eis « adhæreant (quia si nulla pacta servarent, nulli eis servirent), et ut « illi, quibus servant promissa, eos colant. Nam ex superbia sua præ- « cipue appetunt honores divinos. Deus etiam permittit eos exercere « potestatem suam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in « quos possent, si non essent impediti; et hoc vel propter peccata « eorum, vel propter aliam causam occultam; et hoc modo maga « habens pactum cum dæmone, procurat ab eo, ut istum impediat a « tali actu cum tali muliere, quamdiu tale maleficium perseverat, puta « acus curvata, vel aliqua hujusmodi.

« Quantum ad impotentiam naturalem et perpetuam, cui, inquit « Doctor, num. 2., subveniri non potest per naturam vel artem, si « præcedat Matrimonium, simpliciter impedit contrahendum, et diri- « mit jam contractum; et ad hoc est triplex ratio ex natura istius « contractus. *Prima*, quia iste contractus est datio potestatis corporum « ad talem actum, si petatur: sed iste non habet potestatem ad talem « actum: ergo nihil tale potest dare, et ita nec contrahere. *Præterea*, « in contractu isto obligat se ad actum istum, si petatur: sed hujus- « modi actus est sibi impossibilis, etiamsi petatur: ergo obligat se ad « impossibile: obligatio autem ad impossibile est nulla, ex Lege di- « vina: ergo Lex divina non approbat talem obligationem: ergo nulla « est. *Præterea*, alia persona intendit commutare potestatem sui cor- « poris pro potestate corporis alterius: ergo credit alium e converso « posse commutare: sed non potest: ergo hic est error pertinens ad « aliquid, quod est per se requisitum ad contractum: talis autem error « facit contractum nullum, sicut dictum est supra, dist. 30. qu. 1. Si « autem talis impotentia sequitur Matrimonium consummatum, non

« dirimit: quia jam potestas est tradita vere, et ille, cui fuit tradita, « missus fuit in possessionem: ergo non potest revocari per aliquod « impedimentum superveniens. Si autem tale impedimentum veniat « inter Matrimonium ratum, et non consummatum, dubium est, an « dirimat: Quæst. 33. cap. 1. videtur dicere partem affirmativam, *conju-* « *gium confirmatur officio*, et sequitur post, antequam confirmetur, « *impossibilitas officii solvit vinculum*. Contrarium videtur, quia jam « data est potestas, et si impedimentum usus accidat, non propter hoc « rescindi potest datio prior, licet difficile esset judicare, si non præ- « cederet ratum, an præcederet consummatum, nisi forte esset ablatio « alicujus partis necessariæ ad actum illum tempore illo superve- « niens ».

His verbis Doctor distincte et præclare explicat discrimen inter impotentiam naturalem et casualem, perpetuam et solum ad tempus, præcedentem Matrimonium et illud subsequentem; probatque luculentissime, qualiter impotentia perpetua tam naturalis, quam accidentalis, Matrimonium antecedens, revera illud dirimat. Cujus utique ratio petitur ex natura ipsa contractus; nam contractus Matrimonialis ordinatur ad filiorum procreationem, ac subinde ad carnalem copulam, si ipsa exigatur; et conjuges invicem contrahentes commutant mutuo corpora sua cum tali intentione: si autem impotentia illa sit perpetua, perit finis hujusmodi contractus; ac subinde iste nullus est; error enim in commutatione substantiali contractum irritat: igitur, etc.

Dices: Si talis finis absolute intenderetur in contractu Matrimoniali, sequeretur, quod senes essent inhabiles ad contrahendum Matrimonium: sed contrarium apparet ex praxi Ecclesiæ, quæ patitur, et approbat talia conjugia. *Deinde*, aliquis contrahere potest cum voluntate et intentione statim post initum Matrimonium intrandi in Religionem approbatam: igitur Matrimonium iniri potest absque intentione et obligatione copulæ carnalis. — **Negat consequentiam Doctor.** Et *ad primum* respondet num. 7. « Quod si senex, *inquit*, esset « omnino impotens, dicerem, quod non contraheret Matrimonium; licet « aliqua mulier posset consentire in eum contractum ad cohabitandum « sicut frater et soror; et ita forte multæ magis desponsant divitias, « quam personas ». *Ita Doctor*, cujus sententiæ etiam adstipulantur Magister sententiarum, dist. 34. et plures alii, quos refert Sanchez, lib. 7. *De Matrimonio*, disp. 97. Hæc tamen sententia sic est intelligenda, ut conjuges senes invicem contrahentes, revera intendant copulam; Matrimonium enim duobus modis contrahi potest, nimirum vel cum animo continendi, et abstinendi a copula carnali, quale fuit Matrimonium beatæ Virginis; vel cum intentione ad copulam directe vel indirecte intentam, quatenus videlicet ordinarie ex vi contractus intendi solet. Priori modo probabilius est, quod senes impotentes sic invicem contrahentes revera validum Matrimonium efficiant; si vero posteriori modo, probabilius est quod irritum fit Matrimonium, quippe non possunt esse duo in carne una, nec potest fieri mutua corporum traditio in ordine ad finem, qui ipsis naturaliter est impossibilis. *Præterea*, in materia justitiæ commutativæ requiritur, quod res subjecta sit capax permutationis, et personæ sint capaces obligationis, et juris *acquirendi*; alioquin contractus celebratus est inanis: sed in proposito

res, quæ permutatur, nempe corpora contrahentium in ordine ad copulam, est incapax talis permutationis, et personæ contrahentes sunt etiam incapaces talis juris acquirendi; ac subinde contractus ille esset nullus. — *Ad secundum* respondet Doctor ibidem, quod qui sic contrahit Matrimonium, licet non permutet corpus suum cum obligatione ad reddendum debitum, si petatur pro tempore determinato, quod ipsi conceditur ad deliberandum; tamen tenetur pro aliquo tempore indeterminato, nempe ex hypothesi quod non emittat vota Religionis. Secus autem est de impotente perpetuo, qui pro nullo tempore seipsum obligare potest ad copulam, quæ ipsi omnino est impossibilis; unde, inquit Doctor, num. 5. *ipse debet manere sine spe conjugii, et tutum sibi intrare Religionem: quia si post contrahat de facto, et carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem, quia apparet sententiam divortii processisse ex errore; et ita nullum fuisse coram Deo, et Matrimonium primum verum fuisse; quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat.* Sed quomodo, *inquit* Doctor, num. 6., poterit innotescere perpetuitas istius impotentiæ, sive naturalis, sive casualis? Respondet, ad id cognoscendum opus esse, quod conjuges per triennium invicem commorentur, et dent operam copulæ: quod si inde appareat illam impotentiam subsistere, debent jurare invicem conjuges cum septem vicinis proximis attestantibus eorum fidelitatem, et bonam famam, ut habetur *Extra de frigidis*, cap. 1.

« Rursus, *inquirit Doctor*, qualiter cognosci poterit discrimen inter « impotentiam perpetuam naturalem, et casualem? *Respondet*, id esse « judicatu difficile, nisi per inspectionem corporis, si deficiat aliqua « dispositio necessaria requisita in parte illa ad istum actum: vel per « judicium Medicorum quantum ad frigiditatem, si aliqua signa ma- « nifeste ostendant ipsum esse talis complexionis. Si vero nec sic, nec « sic, et tamen simpliciter impeditur, præsumendum est, quod sit ma- « leficium ». Inquirit tandem utrum, cum cognoscitur impedimentum esse ex maleficio, liceat illud maleficium solvere? *Respondet*, num. 4. hanc quæstionem esse trufaticam, idest, ridiculam. « Non enim, *inquit*, « solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc « est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus mali- « gnis; sed credit dæmonem posse et velle fatigare, dum tale signum « durat, et destructio talis signi imponet finem tali vexationi ».

§ XI. — Utrum et quomodo ligamen, Matrimonii contractum dissolvat.

Nomine *ligaminis* intelligitur vinculum indissolubile Matrimonii, quo unus conjux manet obligatus alteri conjugi, durante vita ipsius, ita ut non possit cum alio contrahere. Porro hic agitur de illo ligamine, quod oritur ex Matrimonio baptizatorum, et quidem consummato; cum supra dictum sit, Matrimonium infidelium dissolvi posse, quando alter illorum ad fidem convertitur; dictum quoque sit Matrimonium illud, quod est simpliciter ratum, dissolvi posse per ingressum Religionis approbatæ. Itaque difficultas est, utrum vivente utroque conjuge Matrimonii ligamen seu vinculum ita sit indissolubile, ut neuter conjugum cum altero possit Matrimonium inire.

Affirmativam partem tuentur omnes Theologi, et sufficienter constat

ex dictis, tum de indissolubilitate Matrimonii, tum de repudiata poligamia, et abrogato libello repudii in Lege Evangelica. Unde præclare S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, ait: *Hujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas et fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi. Cujus Sacramenti tanta observatio est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.*

Corollarium I. — Ex his itaque sequitur, ob nullam viri absentiam posse mulierem ad alias nuptias convolare, nisi certo constet de morte viri, ut definit Clemens III. cap. *In præsentia*, de sponsalibus, ubi ait, non posse mulieres *ad aliorum consortium canonice convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Quibus verbis significat, ne valide quidem illas posse Matrimonium contrahere, donec eis certo constet de morte virorum. Unde hoc capite correctum fuit jus civile, permittens, ut mulier possit alteri nubere, post quam quinquennio integro expectasset virum absentem, de cujus vita dubitatur, Lex *Uxores*, de divortiis; vel toto quadriennio, ut permittebat Lex *Uxor*, Codice de repudiis. Nam Clemens III. nullum terminum præfigit, declaratque nullam absentiam sufficere absque certo nuntio.

Ut autem nuntium istud certum videatur, debet constare vel ex certis et probatis testimoniis, puta vel authentico scripto Pastoris, qui defunctum maritum sepulturæ tradidit, vel eorum, qui ipsius morti et sepulturæ interfuerunt; vel si hæ probationes desint, nec æquivalentes haberi possint propter loci distantiam, sufficiet fama de ipsius morte, cui ut fides haberi possit, non ex solo unius nuntii testimonio sumi debet, sed ex aliis etiam adminiculis, quæ arbitrio judicis plenam faciant de morte conjugis probationem. Adminicula vero, quibus fama vel unius nuntii testimonium juvari potest, hæc numerantur a Sanchez, lib. 2. disp. 46. num. 15. et sequentibus. Longitudo absentiæ, et fama generalis de ipsius morte, in loco ubi contigisse dicitur; præsertim si locus est adeo remotus, ut aliæ probationes difficile possint inde haberi. Si mors narratur jampridem contigisse, et ab eo tempore nihil de illius vita auditum est. Si erat valde senex, vel infirmæ valetudinis; vel si fuit in prælio, et diu expectatus, non est reversus. Si fuit captus ab hostibus, a quibus dicatur interemptus jam a longo tempore, sine ullo nuntio contrario, saltem a persona fide digna accepto, et similia.

Si talis autem uxor non certo sciat, sed dubitet solum, an prior vir e vita excesserit, dico illam in hoc casu non posse debitum petere sine adulterii periculo, cap. *inquisitioni, De Sentent. Excommunic.*, sed posse ac teneri reddere debitum viro petenti. Præsertim, si dubium Matrimonio jam contracto supervenerit. Nam iste vir non tenetur credere dubitanti uxori, cum ipse sit in possessione juris ad petendum debitum, et possessio ista titulo dubii longe prævaleat, juxta hanc regulam juris in 6. *In dubio melior est conditio possidentis*, a qua possessione deturbari non debet, nisi contra ipsam habeatur titulus validior, qualis utique non censetur titulus dubii. Ita definit Lucius III.

cap. *Dominus, De secundis nuptiis,* ubi sic ait: *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti: quod a se tamen, noverit nullatenus exigendum.*

Corollarium II. — *Colligitur secundo,* ulteriores nuptias, prioribus dissolutis, licitas esse, ac verum Sacramentum. Quod licitæ sint, constat ex cap. 7. ad Rom. *Quæ sub viro est mulier, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et 1. Cor. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quem locum expendens S. August., lib. *De bono viduali,* cap. 12. animadvertit, non dixisse S. Paulum, si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius; sed indefinite. Et 1. ad Tim. 5. loquens S. Paulus de viduis voto castitatis minime adstrictis, ait: *Volo juniores nubere.* Et Concilium Nicænum, cap. 8. petit a Novatianis redeuntibus ad Ecclesiam, ut fateantur se communicaturos cum his, qui ad secundas nuptias transiere. Et Concilium Florentinum in Armenorum instructione, secundas, et quasvis alias ulteriores nuptias approbat. Et cap. 1. etc. *Vir, de secund. nupt.,* eas licitas esse supponitur, et tantum illis denegatur benedictio, quando saltem alteri conjugi in priori Matrimonio impertita est, ne repetita in vilipendium eat.

Idipsum confirmant SS. Patres, Chrysostomus, Homil. 20. super Epist. ad Ephesios, Hieronymus in *Apologia* pro suis scriptis contra Jovinianum, et in Epist. ad Ageruchiam *De Monogamia.* Sanctus Ambrosius, lib. *De Judicis,* Epiphanius in *hæresi Cataphrygum et Catharorum,* idest, Montanistarum et Novatianorum, qui secundas nuptias repudiabant, quorum errore infectus etiam fuit Tertullianus, ut constat ex libro *De Monogamia.*

Quod etiam illæ posteriores nuptiæ habeant dignitatem et efficacitatem Sacramenti, constat ex eo, quod inveniantur in eis omnia ad Sacramentum requisita, sicut in primis, nimirum personæ legitimæ, quæ sunt debita materia remota, expressiones consensuum, quæ sunt materia propinqua, et forma. Item, quia Matrimonium legitimum in nova Lege est Sacramentum, ut definit Tridentinum, Sess. 24. *De Matrim.*, Can. 1. At secundæ, et ulteriores nuptiæ, primis dissolutis initæ, sunt legitimum Matrimonium novæ Legis: ergo erunt Sacramentum.

Objiciuntur variæ Patrum et Conciliorum auctoritates: *primo* namque Concilium Neocæsariense, Can. 3. pœnitentiam constituit iis, qui sæpius nubunt; et Can. 7. vetat Presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum. Similiter sanctus Basilius, Epistola ad Amphilochium, Can. 4. pœnitentiam præscribit bigamis, eamque auget trigamis. *Insuper* bigami sunt irregulares, ut constat cap. 1. *de bigamis;* nec eis ab Ecclesia benedictio nuptialis conceditur. *Denique,* S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 37. explicans verba Apostoli ad Ephesios 5., ita scribit: *Hac enim oratione secundas nuptias deprecari mihi videtur; si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, et duæ uxores; si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput; una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat, de*

tertia quid dicendum? Primum lex est, secundum venia, et indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est. Idem etiam docet S. Hieronymus, lib. 1. *Contra Jovinianum*, cap. 8. ubi inter cætera scribit: *Quando virginibus ob fornicationis periculum* Apostolus *concedit nuptias, et excusabile facit quod per se non appetitur, ita ob eamdem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia. Melius est enim, licet alterum, et tertium virum nosse, quam plurimos: idest, tolerabilius est uni homini prostitutam esse quam multis; siquidem et illa in Evangelio Joannis Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur a Domino quod non sit vir ejus; ubi enim numerus maritorum, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit.* Similia habet Epist. 11. quæ est ad Agerruchiam. — **Verum respondeo,** omnibus illis testimoniis non damnari secundas nuptias, quod illicitæ sint, nec eas per se reprobari, sed per accidens, ob nimiam concupiscentiam, et intemperantiam, ex quibus illarum repetitio proficiscitur, atque ob illam intemperantiam imponitur pœnitentia. *Ad secundum* dico, eam irregularitatem induci, non eo quod secundæ nuptiæ improbentur, aut a vera Sacramenti ratione deficiant; sed quia non ita perfecte conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentant; denegatur etiam benedictio, quando alteri conjugum jam fuit concessa, ne, ut diximus, repetita in vilipendium eat. *Ad S. Gregorium* dico, eum revera paulo acrius et vehementius incontinentiam, quæ apparet in secundis et subsequentibus nuptiis, insectari; nihilominus aliud non vult significare, quam quod Apostolus dissuadeat secundas et ulteriores nuptias, tamquam intemperantis cujusdam libidinis argumentum, et eo magis, quod iis non satis expressa retineatur significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, scilicet unius cum una, et hanc dissuasionem improprie vocat prohibitionem. Est autem in secundo Matrimonio venia, et in tertio iniquitas, non ratione ipsius Matrimonii secundo et tertio repetiti, sed ratione personarum, quas fere non desiderium sobolis, sed explendæ libidinis affectus ad iterandas nuptias impellit. Porro S. Gregorius absolute non improbavit secundas nuptias, quippe Oratione 39. Novatum insectatur, quod contra S. Pauli sententiam prohibeat adolescentiores viduas iterum nubere. Ait enim: *Anne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum ineundi Matrimonii potestatem facis? at Paulus hoc facere minime dubitavit.... At hæc minime post Baptismum,* inquis: *quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes.* Quod si res dubia est, vincat humanitas. *Quantum autem ad S. Hieronymum,* dico ipsum in objectione laudata verba revocare in apologia ad Pammachium, ubi retractans, seu explicans quæ scripserat contra Jovinianum, ait: *Aperiant quæso aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino,* etc. Et cap. 7. *Non damnavi in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere; sed quomodo non damnantur illæ nuptiæ, ita nec prædicantur; solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ.* Et paulo infra: *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest octogamos: habeat, cui lubet, octavum maritum, et esse desinat prostituta.* Et in Epistola ad Agerruchiam prætata in objectione duriora verba sic emollit: *Quid*

igitur? damnamus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus. *Abjicimus de Ecclesia bigamos? absit, sed monogamos ad continentiam provocamus,* etc. Quibus patet, necnon ex locis supra laudatis, ipsum iteratis nuptiis non adversari.

§ XII. — De Impedimento affinitatis.

Affinitas (inquit Doctor dist. 41. n. 2.) *est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam, ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum.* Quæ utique definitio eadem est cum ea, quam tradunt communiter Doctores, nempe: *Affinitas est conjunctio, seu propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.* Dicitur primo *vinculum, seu propinquitas,* in quo convenit cum consanguinitate. Additur, *personæ ad personam;* « quia enim, « *inquit Doctor,* persona carnaliter copulata est consanguinea alicui; « ideo illa, cui copulatur, fit affinis illius, et e converso, et est quasi « expositio nominis *affinis*, idest, accessio ad affines; conjunctus enim « carnaliter cum aliqua de consanguinitate, accedit per hoc ad affines « illius consanguinitatis, et ideo habet vinculum talis accessus ad « omnes de illa consanguinitate. Sequitur, *ex carnali copula cum per-* « *sona alteri consanguinea;* nam, inquit Doctor ibidem num. 3., non « sufficit ad affinitatem proprie dictam, quod sit uxor, sed requiritur « carnalis conjunctio, ut habetur 35. quæst. ult. *Fraternitatis*, dicitur « de conjugibus, *quod si una caro fuerint, non potest esse, quod ali-* « *quis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri.* In quo datur « intelligi affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione car- « nali; extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solum cum « uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita, et quod plus « est, cum illa, cum qua præcise contrahuntur Sponsalia. Ubi est ad- « vertendum, quod istud vinculum contractum ad aliquam propter « conjunctionem ejus cum aliquo consanguineo, et hoc, sive conjun- « ctionem Matrimonialem, sive concubinariam, dicitur communiter « publicæ honestatis justitia ».

Porro gradus affinitatis eodem modo numerantur, quo gradus consanguinitatis, hanc servando regulam, quam tradit ibidem Doctor, his verbis: « Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto « gradu affinitatis distat ab eodem, illa, quæ est ab isto carnaliter « cognita; non dico uxor, quia hoc non requiritur; non solum enim « cum uxore, sed cum concubina, vel meretrice contrahitur affinitas « consanguineorum ipsius viri, imo in incestu ». *Ita Doctor.* Unde quo gradu quis est consanguineus mariti, in eodem gradu fit affinis uxoris, et e converso. Inter ipsos autem consanguineos mariti, et consanguineos uxoris, nulla mutuo oritur affinitas, ut constat ex cap. *Quod super his,* de consang. ubi Innocentius III, sic ait: *Licet omnes consanguinei viri, sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris, viri affines, inter consanguineos tamen uxoris, et viri, ex eorumdem scilicet viri et uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos debeat Matrimonium impediri.*

Quod autem affinitas Matrimonium dirimat, docet Doctor, nu. 4., ubi ait: « Dico, quod affinitas simpliciter impedit Matrimonium. Et « ratio non est, nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines, et in

« eodem gradu impedit Matrimonium, in quo consanguinitas; et hoc « quidem de affinitate proprie dicta, patet in tit. *illo de consanguini-* « *tate, et affinitate,* cap. *Non debet.* Consimiliter de affinitate commu- « niter et extensive dicta, quæ vocatur publicæ honestatis justitia, « habetur Extra *De consang. et affinit.*, cap. 1. atque ut Canones di- « cunt, abstinendum est a consanguineis uxoris, et propriis. De ista « etiam publicæ honestatis justitia multa habentur *Extra de consang.* « *et affinit. et in 6. lib. quod ex Sponsalibus,* quæ ipso jure sunt nulla, « vel qualitercumque, dum tamen non sunt nulla ex defectu consen- « sus, oritur istud impedimentum Matrimonii impediens contrahendum, « et dirimens jam contractum ».

Quibus verbis Doctor duo significat: *primum,* quod affinitas simpliciter impediat Matrimonium, ut decernitur in variis Conciliis, Eliberitano, cap. 61. Neocæsariensi, cap. 2. Toletano II, cap. 5. Aurelianensi I, cap. 20. Lugdunensi II, cap. 1. etc.; quibus varia accedunt decreta Romanorum Pontificum, ut Vigilii, Epist. 3; Gregorii I, lib. 12. Epist. 31. et 32; Zachariæ, Epist. 1.

Secundo, docet Doctor, hoc impedimentum esse tantum juris Ecclesiastici, maxime quantum ad affinitatem in linea transversa; quod enim hæc affinitas Matrimonium non dirimat jure naturæ constat ex Scriptura sacra; nam Genesis 29. Jacob duxit duas sorores Rachelem, et Liam. Genes. 38. ex voluntate Judæ Thamar nupsit successive duobus fratribus. Et in Lege Mosayca poterat frater fratris relictam sine prole uxorem ducere, quod non fuisset licitum, si juri naturæ hoc adversaretur. Demum Levit. 18. non solum non prohibetur conjugium cum sorore uxoris defunctæ, sed etiam ista verba: *Nec revelabit turpitudinem ejus, adhuc illa vivente,* significant, mortua uxore, esse licitum.

Hinc est, quod summus Pontifex, qui dispensare non potest in Lege naturali et divina, sæpe dispensavit in primo gradu affinitatis; nam Martinus V dispensavit cum viro nobili, qui cum affine collaterali in primo gradu contraxerat, ut ex Archidiacono refert Sylvester, verbo *Papa.* Alexander VI dispensavit cum Henrico VIII Rege Angliæ, ut duceret Catharinam uxorem fratris sui Arturi demortui. Quam dispensationem Clemens VII consultis Theologis et Canonistis ex totius fere Europæ Academiis, licitam ac validam declaravit, teste Alphonso de Castro *De potest Legis pœnal.*, lib. 1. cap. 12. Tandem Innocentius X dispensavit cum Casimiro Poloniæ Rege, ut Mariam Gonzagam, Mantuæ Principem, uxorem fratris sui demortui, Matrimonio sibi copularet.

Hæc autem licet probabilia sint de linea collaterali, nihilominus existimo, affinitatem in linea recta efficere Matrimonium omnino irritum Lege divina seu naturali: *primo* quia, inquit Hiquæus in *Commentario* ad quæst. 40. perinde dicitur non revelandam turpitudinem matris, et uxoris Patris; et dat eamdem rationem, quia turpitudo patris tui est: ergo simili lege comprehenditur utrumque, et eadem regulatur. *Secundo,* quia nullum omnino talis Matrimonii exemplum suppetit in divinis aut Ecclesiasticis Scripturis. *Tertio,* quia *Genes.* 49. Jacob maledicit Ruben ex eo, quod torum patris maculasset. *Quarto,* Paulus *loco citato* 1. ad Corinth. 5. tamquam abomi-

nabile persequitur tale factum Corinthii, qui uxorem patris sui polluit; et dicit, neque inter Gentes talem fornicationem fuisse; tum quarto, quia reverentiæ paternæ id plurimum repugnat, cui Lex Matrimonii non debuit præjudicare, quæ minus obligat, quia reverentia paterna est stricti juris naturalis; non ita Lex Matrimonii, aut libertas, et habilitas data ad Matrimonium. *Quinto,* quia noverca fit caro patris, et magis gradus hic affinitatis contingit stipitem, quam Matrimonium cum uxore fratris; hoc autem non licuit nisi in casu, quo necessarium erat suscitare semen defuncto, qui sine prole discederet, alias non fuit concessum; et ideo S. Joannes Baptista recte reprehendit Herodem propter Herodiadem, quam tulit fratri suo Philippo uxorem: ergo a fortiori in proposito, Matrimonium illud erat irritum, quia cessat finis etiam successionis, cum filius ducens novercam sit patri superstes. *Sexto,* quia Salomon Rex sapientissimus severe vindicavit in Adoniam fratrem, quod sollicitarit nuptias cum Sunamitide, quæ erat uxor sui patris, quamvis eam non cognoverit. Accedit præterea septimo exemplum David, qui numquam ingressus est ad eas, quas Absalon filius polluit. *Octavo,* quia cap. *Gaudemus,* etc. *De divortiis,* etc. ubi permittitur infidelibus conversis permanere in Matrimonio ante conversionem inito cum uxoribus conjunctis alias, non fit mentio, nisi de conjunctis in secundo, aut tertio gradu, non autem in primo gradu, de quo numquam alias videtur fuisse dubitatio.

Quod si dicas sermonem esse de consanguinitate, et non de affinitate, textus id non exprimit; et patet in Lege illa Levitici affinitatem in aliquo gradu fuisse vetitam ex Lege Matrimonii, non solum Judæis, sed etiam anterioribus Chananæis, et pro Lege naturæ consequenter, quando majus bonum non præferebatur. Tenendo itaque hanc sententiam, quæ probabilis est, *Respondeo* Doctorem agere de affinitate juxta præscriptum Canonum, quos citat, ut est propinquitas ex copula carnali duorum ad invicem quia, ut dictum est, affinitas sequitur regulam consanguinitatis, in qua non numeratur stipes, sed qui uniuntur ad stipitem propinquitate sanguinis. Unde et affinitas etiam non comprehendit in supputatione truncum, sed personas descendentes et collaterales, ut ad se invicem appropinquant in stipite. Ideoque conclusio ejus de his intelligenda est, de quibus agunt Canones, non vero de Matrimonio cum ipso stipite; nam filius descendens, sicut est ipsa caro patris, ita non constituit gradum respective ad patrem, sed ad alios descendentes, juxta supputationem Canonicam, quæ requirit duas generationes ad unum gradum. *Ita Hiquæus.*

§ XIII. — Quodnam sit impedimentum publicæ honestatis.

Nomine publicæ honestatis, hic intelligitur propinquitas aliqua proveniens ex Sponsalibus valide et licite contractis, vel ex Matrimonio rato quidem, sed non consummato, quæ efficit, ut alter sponsus cum alterius consanguineis Matrimonium contrahere non possit; æquum enim et honestati congruum est, ut, quia in Sponsalibus Matrimonium inchoatur, is, qui cum aliqua Sponsalia contraxit, non possit cum illius consanguineis Matrimonio copulari. Talis autem propinquitas inducitur tantum jure Ecclesiastico; censuit enim Ecclesia esse contra publicam honestatem, quod Matrimonium inter consanguineos

ipsius, cum qua Sponsalia fuerant inita, contraheretur, ut patet ex cap. *Si quis uxorem*, necnon ex cap. *Si quis desponsaverit*.

Quod autem hæc propinquitas ex publica honestate Matrimonium impediat, constat in 6. cap. *litteras*, *De Dispensatione impuberum*, necnon et cap. *Juvenis*, maxime autem in Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 3. ubi impedimentum hoc valde restringitur, jure enim antiquo hoc impedimentum oriebatur ex quibuscumque Sponsalibus, sive invalidis, ut patet ex cap. unico *De Sponsalibus*, ubi Bonifacius VIII decernit Sponsalia omnia, quæ non fiunt sub conditione suspendente, sed ineuntur per verba de præsenti, impedire, et dirimere sequentia Sponsalia, et Matrimonia. Concilium vero Tridentinum præfato, Can. 3. duo statuit: *primum*, quod præfatum impedimentum non oriatur ex Sponsalibus quomodocumque initis, sed tantum ex licitis et validis. *Secundum*, quod cum jure antiquo hoc impedimentum protenderetur usque ad quartum gradum consanguinitatis, Concilium illud restringit ad primum gradum; ait enim: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Ex his sequitur, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex illis Sponsalibus, quæ contrahentium mutuo consensu dissolvuntur, ex eo quod ista Sponsalia invalida sint, ut determinavit Congregatio Cardinalium ad citatum tertium caput Concilii Tridentini. *Sequitur secundo*, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex secundis Sponsalibus, quæ contracta sunt post priora Sponsalia contracta valide. Hujus rei ratio est, quia ista secunda Sponsalia invalida sunt, et subsistunt priora, ut ex cap. unic. *De Sponsalibus*, in 6. colligitur.

Ultimum impedimentum jure antiquo est amentia, seu carentia usus rationis, proveniens ex defectu naturali. Hæc autem considerari potest sub duplici respectu, nempe vel ut illud præcedens, vel subsequens; insuper vel ut perpetua, vel dumtaxat ad tempus. Conveniunt autem Theologi, quod amentia antecedens, sive ut perpetua, sive ut dumtaxat temporalis attendatur, Matrimonium ea durante contractum dirimit, et quidem jure naturali. *Probatur*, quia tollit consensum liberum in contractu Matrimonii necessario requisitum; inde nihil mirum si contractus, qui fit ab amente, aut ebrio, vel dormiente, pro nullo habeatur.

Quantum autem ad amentiam, quæ Matrimonio jam contracto supervenit, certum est, quod illa non habeat vim dissolvendi Matrimonium; quippe cum, ut diximus, vinculum illius omnino sit indissolubile, quamdiu conjuges vivunt, nisi ex alterius consensu unus conjugum in Religione approbata profiteatur.

§ XIV. — De impedimentis Raptus, et Clandestinitatis.

Præter assignata antiquo jure impedimenta Matrimonium irritantia, duo alia addita fuerunt a Concilio Tridentino, nempe *raptus*, et *clandestinitas*. Nomine autem *raptus* intelligitur violenta abductio uxoris ducendæ de loco in locum, ita ut raptor eam habeat in sua potestate; in hoc enim rapina a furto distinguitur, quod per illam vis inferatur

rei dominis, vel iis, quorum curæ erat commissa, ut nempe eam traducat in sui dominium, et potestatem; furtum autem sit tantum ablatio rei a proprio domino absque ulla vi, sive interim illa cedat in utilitatem furantis, sive non. Quod autem talis raptus dirimat contractum inter raptorem et raptam, nisi illa constituatur in loco tuto, ita ut compos suæ libertatis et personæ voluntarie ac libere consentiat in Matrimonium, definit Concil. Trident., Sess. 24. cap. 6., his verbis: *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Quantum autem ad *clandestinitatem* certum est, quod etsi Matrimonia clandestina fuerint semper ab Ecclesia prohibita, adeoque illicita inter Christianos, nihilominus ante Concilium Tridentinum non erant invalida. Quod fuerint prohibita, constat ex decreto Hormisdæ Papæ, relata causa 30. qu. 5., his verbis: *Nullus fidelis, cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino.* Et Innocentius III, cap. 3. *De Clandest. Desponsat. Prædecessorum*, inquit, *nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia pœnitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat.*

Quod autem rata fuerint et valida, declarat Tridentina Synodus, Sess. 24. cap. 1., his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, et rata et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur,* etc.

Paulo infra statuit: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat.* Ex quibus liquet, Tridentinum Matrimonia clandestina irritare, et nomine *clandestini Matrimonii* illud intelligere, cui non interest proprius Parochus, aut alius Sacerdos de ejus licentia, cum

duobus saltem testibus; unde licet publice coram aliis multis Matrimonium contrahatur, si tamen fiat sine præsentia Parochi et testium, clandestinum censetur ab Ecclesia.

DICES: Ecclesia non habet potestatem in materias et formas Sacramentorum: sed materia et forma Sacramenti Matrimonii sunt consensus conjugum verbis aut signis expressus, sive interim ille sit publicus, sive clandestinus: igitur Ecclesia efficere non potest, quod consensus clandestinus, qui ante Concilium Tridentinum erat sufficiens ad validum Matrimonium, post Concilium sit insufficiens. — **Distinguo majorem**: Ecclesia nihil mutare potest circa materiam et formam Sacramentorum, quatenus præcise sunt ipsorum materia et forma a Christo physice et in specie determinatæ, *concedo:* quando dumtaxat moraliter et in genere determinatæ sunt, *nego.* Porro, ut diximus, materia et forma Sacramenti Matrimonii non sunt a Christo determinatæ in specie; sed Christus omnem legitimum contractum Matrimonialem sublimavit ac promovit ad dignitatem et efficacitatem Sacramenti; ac subinde Matrimonium eatenus tantum habet rationem Sacramenti, quatenus est legitimus contractus omnibus debitis circumstantiis ac partibus constans. Cum autem Matrimonium ordinetur non solum ad conjugum sanctificationem, sed etiam sit in officium naturæ, et in bonum commune totius Reipublicæ, atque adeo triplici contractu constare debeat, nempe naturali, civili, et sacramentali; in quantum est contractus naturalis, præscribitur jure naturæ; in quantum civilis, subjacet legibus civilibus; in quantum autem Sacramentum, statuitur jure divino; inde fit quod ex quolibet dictarum legum præscripto una persona fieri potest inhabilis ad Matrimonium; si enim habeat impotentiam ad copulam carnalem, inhabilis est ad illud Lege naturæ; si sit consanguinea, vel affinis alicui, non potest cum ipso contrahere ex Lege civili, et Ecclesiastica; si vero non sit baptizata, jure divino incapax est Matrimonii, quatenus Sacramentum est, quamvis ejus sit capax, prout est contractus naturalis, vel civilis.

Itaque Ecclesia duobus modis potuit irritare Matrimonia clandestina: *primo* quidem, indirecte, reddendo personas fideles sibi subditas inhabiles ad contrahendum: *secundo,* directe et immediate, irritando contractum Matrimonialem consensu clandestino initum. Quem utrumque modum observat Tridentina Synodus, cum ait: *Eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* In hoc autem edicto Ecclesia non mutavit materiam et formam Sacramenti Matrimonii, formaliter acceptas; siquidem contractus legitimus, qui erat sufficiens ante Tridentinum, est etiam nunc sufficiens; sed mutavit tantum materialiter, efficiendo nempe, quod contractus clandestinus, qui ante erat legitimus et validus, talis amplius non sit, nec subinde possit habere rationem Sacramenti, quippe cum Christus Dominus, ut jam pluries observavimus, solum contractum legitimum ad Sacramenti dignitatem et efficacitatem elevaverit.

Ad hoc autem, ut consensus ille mutuus licite detur coram Parocho et duobus testibus in celebratione Sacramenti Matrimonii, debet nunc regulariter loquendo populo prænuntiari per trinam proclamationem bannorum, eo modo quo statuit Concilium Trident., præfato cap., ubi

ait: *Cum sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Illarum tamen proclamationum omissio non redderet Matrimonium invalidum, etiam post decretum Concilii Tridentini, ut expresse declaravit Congregatio Cardinalium ad caput primum decreti *De Reformatione*, num. 2., his verbis: *Congregatio censuit, Matrimonium contractum, non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Unde ad antiquum jus sancitum in Concilio Lateran., quo Matrimonium sine præviis denuntiationibus celebratum, subjiciebatur pœnis Matrimonii clandestini, emendatum fuit et irritatum per Concilium Tridentinum, quod irritat solum Matrimonia clandestina, quæ fiunt in absentia proprii Parochi, et testium; non autem irritat ea, quæ fiunt ex defectu proclamationum. Nihilominus peccarent graviter, qui non præmissis præfatis denuntiationibus Matrimonium inirent; quippe cum adversarentur constitutioni Concilii Tridentini, hujusmodi proclamationes districte præcipientis.

Hic agere solent nonnulli Theologi de dispensatione impedimentorum Matrimonii, a quibus videlicet, et quas ob causas concedi possit. Verum quoniam hujus quæstionis solutio facili negotio colligi potest ex his, quæ diximus de dispensatione in tractatu de Legibus, idcirco, ne hoc volumen justam et æquam magnitudinem excedat, a jam dictorum repetitione censemus abstinendum.

Solent etiam plurimi hic agere de *debito conjugali*, necnon et de variis peccandi modis, quibus in hoc debito reddendo inquinari solent conjuges. Verum ab ejusmodi sordium ventilatione censui rationabilius esse abstinendum, quam pios ac religiosos animos hisce spurcitiis labefactare. Quapropter solum juvat hic ad præsentis Tractatus coronidem attexere, quæ de conjugum debitis, et officiis mutuis præclare scripsit Catechismus Romanus, cap. *De Matrimonio*, n. 31. ubi scribit: « Primum viri munus est, uxorem liberaliter et honorifice « tractare; qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam ap« pellatam esse, cum *inquit*, Mulier, quam dedisti mihi sociam; cujus « rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus, « sed ex latere viri formaretur; quemadmodum etiam ex capite condita « non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius « subjectam. Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio « semper occupatum esse: tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam su« stentandam necessaria sunt: tum ne inerti otio languescat, a quo

« vitia fere omnia fluxerunt. *Deinde* vero familiam recte constituere, « omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

« Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum princeps « enumerat, cum, *inquit*, Mulieres subditæ sint viris suis, ut, et si « qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo « lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram; « quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut « indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis, « homo in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in con- « spectu Dei locuples: sic enim aliquando, et sanctæ mulieres spe- « rantes in Deo ornabant se subjectæ propriis viris, sicut Sara obe- « diebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Earum quoque præcipuum « studium sit, filios in Religionis cultu educare, domesticas res dili- « genter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire « cogat; idque sine viri permissu facere numquam audeant. *Deinde*, « in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerit semper se- « cundum Deum magis, quam virum, neminem diligendum, eove « pluris faciendum esse neminem, cui etiam omnibus rebus quæ Chri- « stianæ pietati non adversantur, morem gerere, et obtemperare summa « cum alacritate animi oporteat ». *Ita Catechismus.*

Concludo itaque præsentem Tractatum, imo et universum nostrum Theologicum opus, his verbis quibus Doct r Subtilis coronidem imponit suis de Matrimonio dissertationibus, nempe, *Non esse admirandum, si sollicitudinem tantam ponit Ecclesia in ordinando Matrimonio, quia communitas Christianorum utitur Matrimonio, per cujus usum multiplicatur populus Christianus; et ideo sic ordinari debet, ut in ejus contractu et usu vitentur ea, quæ obviant, sive in Deum, sive in proximum; et servanda sunt, quæ congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium Christianum congrue significet illam benedictam conjunctionem Christi, et Ecclesiæ; de qua dicit Apostolus:* Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia: *quæ conjunctio nunc est per fidem, et aliqualem dilectionem; sed in patria erit per visionem, et perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam, neque rugam, ad Sponsum speciosum præ filiis hominum; cui sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Joseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

quæ in hoc duodecimo Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS TERTIUS.

De duobus postremis Sacramentis, Ordine videlicet, et Matrimonio, quibus hominum sanctitas propagatur.

PRÆFATIO . . 5

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis. 7

ARTICULUS I. De Sacramento Ordinis in communi. 8

QUÆSTIO I. Utrum in Ecclesia sit aliquis Ordo, virtute, et ratione cujus Clerici a Laicis distinguantur. . . 9

QUÆSTIO II. Utrum Ordo sit unum ex septem Sacramentis novæ Legis. 19

QUÆSTIO III. Utrum, et quænam sit Sacramenti Ordinis materia, et forma. . . . 27

QUÆSTIO IV. Quot, et qui sint Ordines Ecclesiastici proprie dicti. 37

§ I. Utrum Cantorum, et Psalmistarum institutio sit verus Ordo Ecclesiasticus. . 53

§ II. Utrum Tonsura Clericalis sit Ordinibus Ecclesiasticis accensenda 56

§ III. Utrum Episcopatus sit Ordo, isque distinctus a Sacerdotio 59

ARTICULUS II. De singulis Ordinibus sigillatim, et in specie 73

§ I. De Ostiariis. . . . . ib.

§ II. De Lectoribus . . . 76

§ III. De Exorcistis . . . 78

§ IV. De Acolythis. . . . 80

§ V. De Subdiaconis . . . 83

§ VI. De Diaconatu. . . . 92

§ VII. De Sacerdotio, seu Presbyteratu 98

pag.

ARTICULUS III. De Ministro, et Subjecto Sacramenti Ordinis 111

§ I. Quis sit Minister Sacramenti Ordinis . . . . . ib.

§ II. Quinam sint capaces suscipiendi Sacramenti Ordinis 114

§ III. Quænam ætas requiratur ad debitam Ordinum susceptionem 119

DISPUTATIO ULTIMA.

De Sacramento Matrimonii. 126

ARTICULUS I. De Matrimonio secundum se 127

QUÆSTIO I. Quid sit Matrimonium generatim spectatum, et in quo præcise, ac formaliter consistat . . . . ib.

QUÆSTIO II. Utrum, et quando Matrimonium hubuerit vim, et efficacitatem Sacramenti. 142

QUÆSTIO III. Quinam sit Minister, quæve materia, et forma hujus Sacramenti . 154

QUÆSTIO IV. Utrum, et qualiter Matrimonium sit indissolubile 166

ARTICULUS II. De dispositionibus prærequisitis ad legitimum Matrimonium. . 191

§ I. Quid sint Sponsalia. . ib.

§ II. Utrum, et quomodo sponsus, et sponsa teneantur ad contrahendum Matrimonium 194

§ III. Quibus de causis Sponsalia licite dissolvi possint. 196

ARTICULUS III. De impedimentis Matrimonii . . . 199

§ I. Quid sit Matrimonii impedimentum. 200

§ II. Quotuplex sit impedimentum . . . . . Vb.

pag.

§ III. De impedimentis dirimentibus 202
§ IV. De impedimento erroris, et conditionis. . . . 204
§ V. An, et quale votum Matrimonii contractum dirimat. 208
§ VI. Quænam cognatio Matrimonium dirimat . . . 212
§ VII. An, et quale crimen vim habeat dirimendi Matrimonium 218
§ VIII. An, et quæ disparitas cultus Matrimonium dirimat 219
§ IX. Utrum, et qualis Ordo Matrimonium dirimat . . 223
§ X. Utrum, et qualis impotentia vim habeat dirimendi Matrimonium 233
§ XI. Utrum et quomodo ligamen matrimonii contractum dissolvat 235
§ XII. De impedimento affinitatis 239
§ XIII. Quodnam sit impedimentum publicæ honestatis. 241
§ XIV. De impedimentis raptus et clandestinitatis . . 242

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC DUODECIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Acolythus.

Quid sit Acolythatus, et unde dictus 80
Cur etiam appelletur Cereferarius 81
Quæ sint Acolythorum munia, et quænam eorum Ordinis dignitas . . . . . ib.
Controvertitur apud Theologos de materia hujus Ordinis, probabilior sententia declaratur 82
Christus prohibet dominationis abusum, non autem usum 18

C

Chorepiscopus.

Quid significet nomen Chorepiscopi 70
Duplex erat genus Chorepiscoporum, plurimi erant simplices Sacerdotes, unde eis erant interdicta munia Episcopalia . . . . . ib.

Clerici.

Quinam sint dicendi Clerici, et unde 9
Clerici nomine non significatur tota Ecclesia, nisi dumtaxat analogice, et improprie. 16
Nihilominus eos a laicis absolute non distinguunt, et Clerici nomen insectantur. 11
Clerici a Laicis statu, et gradu distinguuntur, ut colligitur ex Scriptura Sacra, 1. quia indicat aliquos esse constitutos divini cultus ministros: 2. alios fuisse solemni ritu consecratos . . . . ib.
Differentia Clericorum a laicis est divinitus sancita . . . 18

pag.

Quæ fuerit Tertulliani sententia de distinctione Clericorum a Laicis 19

D

Diaconus.

Quid significet Diaconi vocabulum. 92
A quo hic Ordo fuerit initiatus . . . . . ib.
Quare primo 7. Diaconi fuerint Ordinati 93
Primum, Diaconi munus est adesse Sacerdoti celebranti, secundum, est Evangelium in Missa publice legere . ib.
Tertium munus erat calicem fidelibus sub utraque specie communicantibus porrigere: quartum, est baptizare; quintum, verbum Dei prædicare; sextum, Ecclesiæ eleemosynas pauperibus erogare, confessoribus Christi nominis necessaria subministrare, et infidelibus regendis adesse Episcopis, et Presbyteris 95
Quod munus Diaconis fuit ambitionis ansa 97
Quænam sit materia, et forma Diaconalis ordinis, controvertitur apud Theologos . 98

Divisio Ordinum.

Triplex est Ordinum Divisio: 1. In Hierarchicos, et non Hierarchicos: 2. In sacros, et non sacros: 3. In majores, et minores . . . 39

E

Ecclesia.

In Ecclesiæ corpore esse membrorum distinctionem, et subordinationem significat Apostolus 12

pag.

Idem constat ex receptissima apud omnes nationes constitutione. 13
Ab Ecclesiæ nascentis exordio sacra mysteria laicis fuerunt interdicta 14
Qualis erat antiquitus quorumdam Ecclesiæ templorum distributio. 89

Electio.

Antiquitus Electiones Magistratus, et Ecclesiæ ministrorum fiebant per manuum porrectionem, et extensionem 26

Episcopus.

Chorepiscopi erant duplicis generis 111
Solus Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Ordinis . . . . . ib.
Episcopatus conferri potest cum Sacerdotio duobus modis 59
Qualiter Episcopatus specialem respectum habeat ad Eucharistiam 64
Quare conferatur tantum die solemni . . . . . ib.
Aperitur quæ fuerit sententia S. Hieronymi de distinctione Episcoporum a Sacerdotibus. 65
Quare nimium Presbyteros extollere videatur. . . . 66
Licet Episcopatus sit ordo, non tamen sunt plures ordines quam septem, quia ille Sacerdotium essentialiter involvit . . . . . ib.
Unde Sacerdotes Episcopi vocantur, et vice versa . . 67
Qualiter Episcopatus a Sacerdotio præcise distinguatur. 68
Quare Patres dicant Episcopatum esse primum gradum inter Ordines Ecclesiasticos. 69

Exorcista.

Quid sit Ordo Exorcistarum; quodnam sit eorum munus. 78
Quare in Ecclesiæ primordiis omnes fideles Exorcizabant. 79
Quænam dispositiones in Exorcizante prærequirantur . . 80

pag.

F

Fideles.

Qualis inter Fideles sit distinctio 17

I

Impedimentum.

Quid sit Impedimentum . . 200
Duo sunt Impedimentorum genera. . . . . ib.
Tria tantum sunt Impedimenta impedientia, quæ nunc vim habeant . . . 201

L

Lectoris Ordo.

Quænam sint Lectorum munia ex Magistro sententiarum 76
Eorum officia fuerunt adumbrata in veteri Testamento, et in nascente Ecclesia commendata . . . . . ib.
Primum eorum munus est legere libros sacros in publico fidelium cætu: secundum docere Catechismum: tertium est legere coram Episcopo: quartum munus est cantare . . . . . ib.

M

Materia.

Materia Sacramentorum fuit determinata a Christo in specie, vel in genere . . 29
Omnes Ordines constant Materia, et Forma 30
Christus Dominus non determinavit Materiam Ordinum in specie infima . . . . ib.
Siquidem Ecclesia Orientalis, et Occidentalis diversa Materia, et forma utuntur. . ib.
Non solum Ordinum, sed etiam aliquorum aliorum Materiæ sunt tantum determinatæ in specie. . . . 32
Omnium tamen ordinum divinæ institutionis Materia est saltem determinata in genere a Christo 33
Ecclesia per potestatem sibi a Christo concessam posset efficere, quod aliquid sit

pag.

alicubi Materia essentialis alicujus Sacramenti, quamvis alibi ita non esset . . 34

Matrimonium.

Quare Matrimonium ultimum locum inter Sacramenta obtineat 126
Qualis, et quanta sit illius dignitas . . . . . ib.
Quam arcta esse debeat inter conjuges animorum, et corporum unio . . . . . ib.
Unde petatur Matrimonii nomen 127
Pluribus modis accipitur . . 128
Triplex distingui potest . . 129
Matrimonium est res bona, et honesta . . . . . ib.
Matrimonium fieri potest variis de causis 134
Ejus ratio formalis consistit in vinculo 139
Duplex est illud vinculum . 140
Sacramentum, et res Sacramenti Matrimonii consistunt in esse permanente . . . ib.
Traditur, et expenditur triplex definitio Matrimonii . 141
Quinam hæretici Matrimonii Sacramentum impugnaverint. 142
Matrimonium considerari potest in triplici statu . . . 143
Est Sacramentum proprie dictum 144
Quomodo Matrimonium pugnet cum Ordine 148
Quare sine labe simoniæ dari possit pecunia pro Matrimonio . . . . . ib.
Copula carnalis non est pars essentialis Matrimonii . . 149
Significatio unionis Christi cum Ecclesia non constituit adæquatam rationem Matrimonii 150
Matrimonium potest esse perfectum, quamvis absit copula . . . . . ib.
Canonistæ aliqui interdum hallucinantur in doctrina Matrimonii 151
Licet Matrimonium sit Sacramentum, tamen status Matrimonialis non est perfectior virginali . . . . . ib.

pag.

Matrimonium tantum fuit Sacramentum in Lege Evangelica 152
Matrimonium legitime initum inter fidelem, et infidelem, posset esse Sacramentum ex parte fidelis 153
Matrimonium infidelium non fit Sacramentum dum baptizantur. . . . . ib.
Quamquam contractus fiat sacer 154
Variæ sententiæ circa materiam, et formam Matrimonii. 155
Materia remota Matrimonii sunt corpora contrahentium. 156
Proxima est illa actualis traditio 157
Circa formam Matrimonii nihil resolvit Doctor. . . . . ib.
Conjuges sunt ministri Matrimoniii. 158
Non est tamen improbabile Sacerdotem esse ejusdem Sacramenti ministrum . . 159
Matrimonium per procuratores est validum in ratione contractus 161
Quot, et quæ conditiones ad id requirantur 162
Matrimonium per procuratores est etiam validum in ratione Sacramenti . . . ib.
Quare potius conferri possit absenti quam cætera Sacramenta 163
Consensus Matrimonialis debet esse liber 164
Consensus ex gravi metu invalidum reddit Matrimonium. 165
Sicut et consensus factus verbis de futuro . . . . . ib.
Matrimonii indissolubilitas oriri potest ex triplici lege. 166
Quæritur utrum ei adversetur libellus repudii, et fornicatio ib.
Matrimonii indissolubilitas est de Lege naturæ 167
Divinitus declarata in paradiso terrestri . . . . . ib.
Necnon ex Lege divina positiva. 168
Consensus conjugum qui sufficit ad ineundum Matrimonium, non sufficit ad illud dissolvendum . . . . . ib.

pag.

Qua ratione Summus Pontifex dispensare possit in Matrimonio rato 169
Per libellum repudii non solvebatur vinculum Matrimonii . . . . . ib.
Matrimonii vinculum non solvitur per adulterium unius, aut utriusque conjugis . . 173
Per fornicationem non licet transire ad alias nuptias . 178
Explicantur verba Christi, *nisi ob fornicationem* 179
Quare stante Matrimonio vir non possit aliam uxorem ducere. 182
Quomodo differant Matrimonium ratum, et legitimum. 183
Separatio quoad torum fieri potest multis de causis. . ib.
Matrimonii rati vinculum solvitur per professionem religionis 184
Non auctoritate Ecclesiastica, sed ex dipensatione divina. 185
Quare potius Matrimonium ratum quam consummatum dissolvatur . . . . . ib.
Tria sunt bona Matrimonii . 190
Dispositiones ad Matrimonium 191

Minister.

Statum, ac gradum Ecclesiæ Ministrorum aperte non insectantur hæretici. . . . 10

Mulier . . . .

Mulier a viro repudiata non poterat alteri nubere absque peccato 172
Quare non poterat ultra priori viro sociari . . . . . ib.
Mulieres arcendæ sunt ab ordinibus 114
Mulieres aliquæ olim dicebantur Diaconissæ, quare . . 115
Alebantur ex bonis Ecclesiæ. 117
Qualiter instituebantur. . . ib.
Quando desierint. 118
Qualia erant earum munia, et officia . . . . . ib.

O

De Ordine.

Præclara Ordinis commendatio 7
Varie usurpatur: 1. pro habitudine unius rei ad aliam: 2. pro methodo tradendæ scientiæ: 3. pro more, et consuetudine: 4. pro justa rerum ordinatione: 5. pro gradu eminenti quo unus alteri præest: 6. pro consecratione, et destinatione ministrorum Ecclesiæ . . . 7
Ordinis nomen sumitur tribus modis 37
Non convenit inter hæreticos de numero Ordinum, nec inter Catholicos 38
Revera est Ordo in Ecclesia quatenus justam rerum dispositionem significat . . 9
Traditur, et expenditur Ordinis definitio. 26
Ordo considerari potest duobus modis; nempe vel pro Ordine, vel pro Ordinatione. 19
Quinam hæretici Sacramentum Ordinis directe impugnaverint. 20
Ordinem esse Sacramentum definitur in Conciliis, et probatur ratione Theologica . 21
Forte etiam Christus instituit Sacerdotes per Ritum externum 25
Ordo saltem secundario tendit in sanctificationem suscipientium . . . . . ib.
Triplex est modus suscipiendi Ordines 119
Puer ante adultam ætatem valide ordinari potest . . 120
Quænam sit legitima ætas ad Ordines 122
De minoribus nihil apparet expresse sancitum. . . . ib.
Secus de sacris . . . . . ib.
Quare servi non sint ordinandi, et filii illegitimi. . 123
Et corpore deformes, et homicidæ . . . . . ib.
Tria sunt genera homicidii . ib.
Bigami cur ab Ordinibus arceantur 124
Qui Ordinatur debet sibi porrecta instrumenta tangere, et qui Ordinat, ea per se porrigere 105
Probabilius est, quod septem Ordines sint Sacramenta . 107

pag.

Quo sensu S. Anacletus dixerit duos tantum Ordines ab Apostolis, et Christo Domino esse traditos. 109
Et S. Cyprianus Christum Dominum nullum Diaconum instituisse . . . . . ib.
Quare aliqui Ordines dicantur sacri 110
In Ecclesia sunt plures Ordines. 40
Sunt tantum septem Ordines proprie dicti. 42
Cur sacra Scriptura trium tantum Ordinum meminerit 46
Quare tres tantum Ordines aliquando assignaverit S. Dionysius, cum plures alibi nominaverit. 47
Quo sensu S. Hieronymus asseruerit tres tantum esse Ordines 48
Omnes Ordines per se, et directe non referuntur ad actus Hierarchicos. . . . . ib.
Græci recentiores quatuor tantum Ordines agnoscunt. . ib.
Aliqui Patres videntur plures Ordines numerare quam septem; eis adjungendo Ordines, *laborantium, fossariorum, confessorum, martyrum, custodum, notariorum, et defensorum*. Verum hi omnes Ordines sunt improprie dicti. 51
Cantoratus non est Ordo proprie dictus 53
Quo sensu ab aliquibus inter Ordines recenseatur . . . 55
Quot sint Ordinum gradus, et unde colligantur . . . 60
Probabilius est, quod Episcopus latinus valide non ordinaret ritu Græcorum, secus de Græcis ordinantibus more Latino. 35
Non est improbabile simplicem Sacerdotem posse fieri Ministrum extraordinarium Sacramenti Ordinis . . . 112

Ostiarius.

Unde, et quare Ostiarii ita sint appellati 73

pag.

Adumbrati fuerunt in veteri Testamento 73
Quæ sit illius Ordinis materia, et forma 74
Primum Ostiariorum munus est claudere, et aperire januas templi. 75
Secundum, est laicos ab altari arcere: tertium pulsare campanas: quartum est servare Ecclesiæ thesauros . . . ib.

P

Presbyter.

Unde Presbyterorum ordo, et appellatio. 98
Funguntur munere Christi . 99
Manus impositio est materia partialis Presbyteratus . . 100
Nec contrarium docent Concilium Florentinum, Gregorius IX, et Innocentius III. 103

Poligamia.

Poligamia adversatur Legi divinæ 185
Non fuerunt usi SS. Patriarchæ ante diluvium . . . 186
Poligamia ex parte viri non est contra primarium finem Matrimonii, sed contra secundarium 187
Deus dispensavit circa Poligamiam cum nonnullis. . ib.
Quomodo Poligamia sit contra jus naturæ 189
Potius dispensatur in Poligamia, quam in biviria . . 190

S

Sacerdos.

Quanta sit Sacerdotum dignitas 104
Quænam sint Sacerdotum præcipua ministeria 100
Duplex est partialis eorum inauguratio . . . . . ib.

Subdiaconus.

Unde oriatur, et quid significet Subdiaconi nomen. . 83
Hic Ordo fuit in usu ab Ecclesiæ primordiis . . . . ib.
Varia eorum munia referuntur 84
Licebat eis etiam antiquitus sacra vasa tangere . . . 85

pag.

Quare hic ordo olim inter sacros non habebatur . . . 85
Facultas tangendi vasa Sacra concedi potest etiam aliis ministris a summo Pontifice 86
Oblationes a populo Subdiaconi excipiunt, et in altari deponunt 87
Eorum etiam munus est Epistolam in Missa solemniter legere . . . . . ib.
Eorum etiam munus est obserare fores sanctuarii . . . 88
Quæ sit materia Ordinis Subdiaconalis 90
Quænam sint præcipuæ Subdiaconorum obligationes . ib.
Primo tenentur ad servandam continentiam, cui tamen legi non semper, nec ubique subjacuerunt . . . . ib.
Tenentur 2. ad recitandas horas Canonicas 92

B
765
.D7.F8
1900
v.11/1

Stanford University Libraries
3 6105 008 462 488

DATE DUE

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA
94305